Digitized by Google

NAZIONALE
8
34 K
8
VITT. EMANUELE
ROMA

Luigi di Granada

CATECHISMVS,

siue

INTRODVCTIONIS AD SYMBOLVM FIDEI LIBRI QVATVOR:

AVCTORE
R. P. F. LVDOVICO GRANATENSI
Ordinis S. Dominici.

IN QVIBVS DE ADMIRABILI OPERE CREAtionis, Fidei ac Religionis Christianæ præstantijs, Redemptionis humanæ, & alijs Mysterijs ac Articulis, tractatur:

A IOANNE PAVLO GALLVCIO SALOENSI ex Italico sermone Latinitate donati.

NVNC PARTIM AD ITALICAM VERSIONEM, partim ad ipsos fontes, vnde pleraque desumpta sunt, diligenti facta collatione, ab infinitis, quibus antea scatebant, & mirum in modum fœdati erant, mendis ac vitijs repurgati, & secundò in Germania editi.

OPVS REVERA INSIGNE, NON TANTVM THEOlogis, verbique diuini præconibus, sed & Philosophis, ac omnibus pietatem amantibus lectu iucundissimum & vtilissimum.

Cum INDICE *Capitum, & Rerum memorabilium copioso.*

Pertinet ad Bibliothecam Conv.tus S. Fran. Romæ



COLONIAE,
Apud Arnoldum Quentelium, Anno M.DCII.

PERILLVSTRI AC REVERENDISS. FRANCISCO MAVROCENO, BRIXIAE EPISCOPO, &c. DIGNISSIMO,

Ioannes Paulus Gallucius Saloensis S. P. D.

VAECVNQVE ab hominibus fiunt, Perillustris, ac Reuerendissime Antistes, dum in terris versantur, quæ innumerabilia sunt, & in perpetuis negotijs eos continent, nisi ad eam Dei cognitionem referantur, quæ nobis conceditur, dum anima nostra in his corporis vinculis continetur, ea profectò non solùm inania sunt, sed digna, quæ perpetuis pœnis coerceantur. Ad quid enim homo natus est, nisi vt Deum cognoscat omnipotentem, sapientem, & iustum; vnde timor, & reuerentia oritur: misericordem, & bonum; vnde ille noster amor in eundem, qui nostram animaduersionem, & diligentiam ita excitat, vt cæteris studijs omissis, eum tantummodò videre cupiamus, & eo solùm frui, & tanquam in illius sinu quiescere velimus? Cùm autem ipse omnium rerum Creator, & causarum causa sit, & ipse à nullo, & omnia ab ipso pendeant, per causam minimè intelligi potest: ad illius igitur effectus, & opera nobis confugiendum est, vt eum aliqua ratione, licet imperfecta, cognoscamus. Hoc quidem Philosophi per ea, quæ in vniuerso mundo, & in singulis illius partibus natura fiunt, se consecuturos, & confecutos esse sperarunt: pauca tamen de illo intellexerunt, si cum ijs conferantur, non quæ in illa pura substantia, quæ innumerabilia sunt, & sub humanam intelligentiam minimè cadunt; sed cum ijs, quæ de illo pij, & docti viri cognouerunt: licet illum causarum causam, & primum mouentem cognouerint Quæ licet non indigna sint Christiani hominis cognitione; non tamen satis sunt quæ nobis Dei

naturam adaperiant. Permulta enim alia sunt, quæ nobis per fidem significantur, quæ nos facilè ad illius misericordiæ, & bonitatis notitiam perducere possunt. Cùm autem fides per auditum fiat, sacra nostra Theologia nobis ea tradit, ac prædicat, quæ in homine hanc fidem nobis priùs in baptismo traditam ita possunt augere, vt nobis ad Deum aditum patefaciāt. Neque tamen ea negligit, quę Philosophi tradunt, sed cùm his ab operibus gratiæ arguentes nostri Theologi propiùs ad Deum accedunt, & illius bonitatem, & misericordiam cognoscentes alijs tradunt, ac prædicant. Theologia igitur quid melius? Quid præstantius? Quid expetibilius? In quo maiori cum fœnore homines versari possunt? Ex omnibus autem Theologis, licet eandem rem tradant omnes, alios tamen alijs meliori ratione, ac via facere compertissimum est. Ex ijs autem qui meliùs, sine controuersia est LVDOVICVS GRANATEN. Ordinis Prædicatorum, tum in cæteris suis libris, tum in sua Introductione in fidei Symbolum in quatuor, libros distributa, quos libros nemo leget studiosè, quin, licet sit infidelis, ad pietatem, & religionem Christianam se conuertat. Hi verò libri superiori anno ex Hispanica lingua in Italicam cōuersi sunt. quos ego hoc anno, quòd omnium lectione digni tum mihi, tum peritis omnibus visi sint, Latinè verti, vt omnes homines inde eam vtilitatem, qua nihil melius excogitari potest, perciperent. Est enim omnibus gentibus communis Latina lingua, & quoddam omnium Ecclesiæ Catholicæ membrorum commune vinculum: cæteræ verò linguæ suis finibus continentur. Quantopere autem in illis elaborauerim, vt auctoris sententiam fideliter exponerem, sum mihi ipse testis: quid tam multis laboribus sim assecutus, cæteri iudicent. Qualescunque autem sint hi libri à me Latinè versi, eorum quidem primitias à me propè tuo iure postulare debes. Iussit enim Deus in veteri lege, & in noua à pijs viris seruatur, vt omnium rerum primitiæ sacerdoti offerrentur, non solùm (mea quidē sententia) vt inde sacerdotes haberent, vnde vitā agerēt, ne sibi templi ministerium deserendum esset, vt sibi victum quæritarent; sed, vt hac ratione offerentes, Deo gratias agerent, & id omne bonum ei acceptum referrent, à quo bona omnia in omnes homines proficiscuntur. Tu autem Brixiæ, & Saloi, vbi natus,

&

& educatus sum, non solùm es sacerdos, sed (vt ita dicam) sacerdotum sacerdos, & Episcopus; neque nomine, & sacerdotio tantùm, vt fortasse semper multi fuerunt, sed ijs omnibus virtutibus, quæ ad perfectum Episcopum pertinent, & quibus non modò eorum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam, qui fuerunt, memoriam facilè vincis. Quid enim est, quod cuiusque animum dubium facere debeat? Ego enim sic existimo, in Episcopo hæc quatuor inesse oportere; diuinarum & humanarum rerum scientiam, multarum rerum vsum, liberalitatem, & vitæ integritatem. Quis igitur te est scientior, aut esse debet, qui puer, & penè infans ita bonarum literarum cognitione delectabare, vt nullo penè suadente (quòd potiùs fræno, quàm calcaribus egeres) semper libros volutares, & sub optimis præceptoribus illis inseruires: sic adolescens tum humanis literis, tum diuinis operam dedisti, vt nulla alia ex re voluptatem perciperes? Huius rei testis fuit vniuersa tua Respublica, quæ tantam de te spem conceperat, vt nihil esset, quod à te minimè speraret. Testis fuit auunculus tuus, Illustriss. & Reuerendiss. Cardinalis Cornelius, qui te iam tum ab adolescentia sacerdotio dignum existimauit, & ob id te secum Romam perduxit, licet quod cupiebat minimè perficere potuerit, & quòd illius huiusmodi erga te studijs aduersabare, quæ tua modestia est, te tanto munere indignum existimans. Iam ex eo tempore tamen ita in multarum, & diuersarum rerum negotijs versatus eras, vt Sabaudiam, Galliam, bis, Hispanias, Constantinopolim Legatus honestissimè obieris. mitto quos hîc Venetijs Magistratus gesseris, ex quibus omnibus maximum rerum vsum, qui in Episcopo elucere debet, cõsecutus es. Quæ autem par oratio tuæ liberalitati inueniri potest? Testes sunt omnes, qui tibi familiares sunt, imò tota hæc tua Venetiarum ciuitas, cùm vbique, & me audiente, sępissimè de ea honestissimè prædicaretur. Testis est Brixia, cùm tuam domum omnibus probis viris semper patere videat, & quotidie experiatur. Vbi autem hæc virtus est, in eo cæterarum omnium virtutum chorum inesse necesse est. Nam si cupiditas (vt Apostolus testatur) est omnium malorum, id est, omnium vitiorum radix; liberalitatem omnium virtutum fontem esse fatendum est: inde oritur illa vitæ integritas, quam omnes in

Principibus, & in primis in Episcopis suspiciunt, omnes admirantur, omnes in quo sunt, cum supremis honoribus dignum existimant. Hanc quoque fatetur Plato in illis esse, qui nobili loco nati, bonam eruditionē sortiti sunt. Qui autē hac re tecum cōferatur, non facilè inuenias. Veneta enim nobilitate, qua Duces, Reges, vel ipsi purpurati patres gloriātur, quæ maior? inter Venetas verò familias Maurocena, & Cornelia familia, à quibus originem ducis, quæ nobilior? quæ educatio præstantior? Hęc sunt in hac ciuitate notiora, quàm quæ verba desiderent. Hæc igitur tua humanarum & diuinarum rerum cognitio, hic tuus rerum vsus, hæc tua benignitas, hæc tuæ vitæ integritas atque innocentia, vnà cum cæterarum virtutum choro, ita ad omnium aures peruasit, vt à Beatiss. Gregorio XIII: summo Pontifice fueris Brixiæ Episcopus creatus, licet tunc in terris à nostris penitus disiunctissimis versareris; sed nondum perfecta re, quòd tuæ voluntatis consensus vt haberetur, satis multum temporis spatium postularetur, interim cessit è vita summus Pontifex; deligitur Beatissimus Xistus V. qui vniuerso Christiano populo præsit, qui quoque inter multos præstantissimos viros, qui ei proponerentur, te præstantiorem delegit: vt idem Spiritus sanctus in vtroque Pontifice idem operatus sit. Neque summos Pontifices de te fefellit opinio: Nemo enim in tua Diœcesi est, cui in te quidquam desiderare in mentem veniat. Hos igitur meos diuturnos labores tibi, Perillustris, ac Reuerendissime Antistes, iure optimo dicatos esse volui: quippe qui, cùm patrię meæ Episcopus sis, & huiusmodi, quo nemo præstantior excogitari, nedum reperiri possit, antequam per vniuersum terrarum orbem disseminentur, eorum primitias à me petere debes. Tu verò, pro tua singulari humanitate, & amplitudine animi tui, hoc meæ in te obseruantiæ pignus beneuolo animo complectaris velim. Venetijs Calendis Iulij, Anno M.D.LXXXVI.

REVE-

REVERENDO PATRI MAGISTRO LVDOVICO GRANATENSI,

Ioannes Paulus Gallucius Saloensis S. P. D.

SALVE Pater beate, iterum salue: scriptum est enim, beati pedes euangelizantium. Quòd si quis hoc bonum nuntium hominibus attulit post sanctissimos Apostolos, & illos priscos Apostolicos viros, tu ex illis es, & ita ante hominum oculos hoc bonum proponis, vt vel omnibus (modò tum alios, tum hos tuos libros legerit) hoc vnum bonum esse compertissimum sit. Quibus non vteris argumentis, vt homines Deum cognoscant, & quem ipse Deus misit Dominum nostrum Iesum Christum? Quin igitur mihi licet, & iure optimo, te beatum vocare? Quin & patrē, cùm in omnes tam sanctè patris munere fungaris? Tu enim vt omnibus prodesses, ista vernacula lingua hos conscripsisti libros, vt qui Latinam linguam ex tuis Hispanis ignorant, possent ex his libris ea perdiscere, quæ salutis viam facilè studiosis tradunt. Quàm velles, cùm hęc scribebas, posse ijs vocibus vti, quæ ab omnibus hominibus intelligerentur? Videor quidem videre, te iam tum sudantem, cùm statuebas, quanam lingua tibi scribendum esset; teque, cùm scribere incepisti, diuinare, fore, vt in alias linguas verterentur, quod superiori anno accidit: inuentus enim est, qui eos Italicè vertit, vt hoc tuum bonum & nostris hominibus communicaretur. At cùm imitatio (vt Philosophus testatur) sit re, quam imitati sumus, semper inferior; hinc facilè videor coniectura assequi, longè præstantiores esse tuos libros Hispanicè loquentes. At ego, licet in ijsdem angustijs versarer, imò in difficilioribus, tamen Italicos Latinè verti; in quo cùm imperfectum opus sim imitatus, quid mihi ipsi de meo opere existimandum est? Id autem cùm mihi compertissimum esset, meum erat hoc labore supersedere; malui tamen aliquam partem huius tuæ doctrinæ omnibus hominibus impertiri, quàm nullam. omnibus inquam. Quis enim terrarum angulus est, vbi Latina lingua non legatur? Iam ad Indos vsque Christianorum virorum opera peruasit. Gaudeas igitur velim, hoc tuum bonum omnibus esse communicatum; quod non vsu veniret, si vel Hispanicè, vel Italicè solùm legerentur: quippe quæ linguæ suis, hisque exiguis finibus contineantur. Sic enim factum est, vt quod diuinum bonum erat, diuinissimum sit, si verum est, quod in suis Moralibus Aristoteles tradit. At liben-

ter legerem ego hos libros à te Latinè conscriptos, quàm suauiores, quàm ornatiores, & dilucidiores essent? Tum quòd veritas (vt dictum est) imitatione semper est præstantior; tum quòd elegantiæ tuorum scriptorum facilè cedo; tum quòd multa ex sacris Doctoribus excerpta, vel totidem verbis huc transtulisses, quòd mihi non semper datum est, ea loca inuenire; vel vt Hispanicè fecisti tuo arbitratu exaggerata, (vt fecisse fateris) quod ego quidem minimè sum ausus, sed transtuli, vt se habent, ne tot versionibus sensus corrumperetur. Quamobrem si quæ huiusmodi, quæ tuum animum lædant, inueneris, me excusatum habeas velim. Præterea si quod erit verbum, quod ex Ciceroniana officina non sit desumptum, scias velim me potiùs Theologos, quàm Ciceronianos imitatum esse, quòd hi libri potiùs legendi sint pijs hominibus, qui neglectis verborum flosculis, Christianam doctrinam sectátur, quàm ijs qui doctrina neglecta, singula verba excutiunt, cùm nostros libros legunt, vt semper habeant aliquem, de cuius fama detrahant. Cùm ijs igitur ego non scripserim, quid est, quòd mea scripta legant? Si quis autem in hoc me errasse dixerit, quòd eos Latinè verterim; cùm in horum librorum fine doceas tu, quantam vtilitatem afferant, quòd vernacula lingua loquantur, quòd eos non doctis, sed ignaris conscripseris: ita responsum velim, quòd licet libri essent huiusmodi, qui vulgi tantummodò doctrinam respicerent; non tamen opus meum inane existimandum est: cùm enim hoc munero præclarè fungantur, docent vnà quomodo ipsi Concionatores, qui ignarum vulgus erudiunt, id præclarè facere debeant, quod multi non faciunt, cùm ordine, & methodo careant. Multi enim ordinem peruertunt, neque à notis argumentantur, & ita non doctrinam in auditorum mentibus, sed confusionem pariunt. Hinc igitur & hi viri, & doctrinam, qua tui libri sine controuersia referti sunt, & docendi modum, quo cæteris omnibus scriptoribus antecedis, profectò discent. Quamobrem vel omnibus hominibus hanc meam versionem vsui futuram esse confido. Hac igitur re tu Pater Reuerende gaudeas, & hanc tuam infirmam valetudinem & ætatem tueare, & me mutuò diligas, & tuis precibus Deum omnium Creatorem mihi propitium vt reddas enitare velim. Venetijs Calendis Iunij, M. D. LXXXVI.

DILE-

DILECTO FILIO LVDOVICO GRANATENSI ORDINIS PRAEDICATORVM,

GREGORIVS PAPA XIII.

DILECTE fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Diuturnus, atque assiduus labor tuus in hominibus tum à vitijs deterrendis, tum ad vitæ perfectionem vocandis, fuit semper nobis gratissimus: ijs verò ipsis, qui suæ, cæterorumque salutis, & Dei gloriæ desiderio tenentur, fructuosissimus, iucundissimusque. Multas olim conciones habuisti, libros præstanti doctrina, & pietate refertos edidisti, idemque quotidie facis, nec vnquam cessas præsens, atque absens quamplurimos potes Christo acquirere. Gaudemus isto, tum aliorum, tum tuo ipsius præstanti bono, & fructu. Quot enim ex concionibus scriptisq; tuis profecerunt (profecisse autem permultos, quotidieq; proficere certum est) totidem Christo filios genuisti: longeque illos maiori beneficio affecisti, quàm si cæcis aspectum, aut mortuis à Deo vitam impetrasses. Præstat enim multò sempiternam illam lucem, & vitam beatissimam (quoad mortalibus datum est) nosse, & piè, sancteque viuentem, ad eam aspirare, quàm mortali hac vita & luce frui, omni cum terrenarum rerum affluentia, & voluptate. Tibi verò ipsi quàm multas à Deo coronas comparasti, dum omni cum charitate in eo studio versaris, quod constat esse longè maximum. Perge igitur, vt facis, in istam curam toto pectore incumbere, quæque habes incboata (habere enim te nonnulla accepimus) perficere, & proferre ad ægrorum salutem, debilium confirmationem, valentium & robustorum lætitiam, vtriusque tum militantis, tum triumphantis Ecclesiæ gloriam. Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris. Die xxj. Iulij. M.D.LXXXII. Pontificatus nostri Anno vndecimo.

Ant. Buccipalulius.

Digitized by Google

AD CHRISTIANVM LECTOREM.

OMNIBVS quidem compertissimum est, quòd nostræ felicitatis & beatitudinis initium, & fundamẽtum, Dei cognitio est. Hæc autem cognitio Christianorum propria, & vera Theologia est, quæ scientiarum omnium Regina & Domina est. Nam (vt inquit Aristoteles) illa scientia præstantior est, quæ de præstantiori re pertractat: Deo autem quid præstantius? quid altius est? Hæc illa scientia est, quam idem Deus per Hieremiam laudat, & celebrat, inquiens: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me.* Hæc autem cognitio (vti diximus) omnium sciẽtiarum, quę ab humano intellectu capi possit, pręstantissima, diuinissima, vtilissima, & maximè necessaria est. Hanc cognitionem beati præclara diuinę essentię visione in cęlo habent. Cùm autem id in terris haberi minimè possit, ad diuinorum operum considerationem perfugimus, quæ vt illius bonitatis, & sapientiæ operationes, & effectus, fontis à quo emanant, & causæ à qua proficiscuntur, nobis aliquam notitiam tradunt. Horum autem operum alia naturæ, alia gratiæ sunt. Naturæ sunt, creationis opera, quæ ad nostra corpora tuenda conducunt; Gratiæ verò opera, quę multa sunt, ad nostrarum animarum sanctificationem spectant. Maximum autem, & fons, vnde cætera manant, nostræ Redemptionis opus est. Quamobrem hæc duo Dei opera videntur quidem duo magni libri, in quibus toto vitæ tempore legere, & studere possumus, vt per eos ad Dei, & illius perfectionum magnitudinis, & pulchritudinis cognitionem perueniamus: quę quidem perfectiones in his illius operibus tanquam in lucidissimo speculo elucent, & vnà suauissimam contemplandi materiam, quę nostrarum animarum verus cibus est, & nutrimentum, prębent.

Ierem 9

Hęc autem duo tam notabilia opera nostræ Fidei articulorum præcipua fundamenta sunt: illorum enim altero prima Symboli nostrę Fidei pars declaratur, quæ ad Patris personam pertinet, quæ est: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ*: altero verò secunda pars exponitur, quæ ad Filij personam spectat, & articulos complectitur, qui ad illius sacram humanitatem pertinent: itaque his duobus præcipuis operibus declaratis, maior pars articulorum Fidei nostræ declarata est. Ex quo apparet, quòd vt cęlestia corpora super duobus mundi Polis, qui Arcticus & Antarcticus sunt, euoluuntur: sic omnia nostræ Fidei mysteria, & articuli omnes in his duobus à nobis dictis pręcipuis fundantur: his igitur cognitis, Christianus in nostræ

Fidei

Digitized by Google

Fidei mysteriorum cognitione satis eruditus est, quod quidem nostrũ consilium est, & nostrę Introductionis finis.

Et quoniam primum Fidei nostrę fundamentum est illud D. Pauli, cùm inquit: *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit:* propter hanc causam in PRIMO libro agitur de Deo Domino nostro, & de eius diuina prouidentia, de illius amplitudinibus, & perfectionibus, quatenus per ea, quæ creata sunt, cognoscuntur. In eo rationes adducũtur, quibus Philosophi Deum esse cognouerunt, quem primum motorem, primum principium, primam veritatem, summum bonum, primam causam, à qua cæteræ omnes pendent, & ipsa à nulla, quòd nihil superius habet, cognouerunt. Heb. 11.

Ex ijs autem omnibus populi captui illa est accommodatior, cùm vniuersum huius mundi ordinem videt, id est, cælorum motus, (à quibus anni diuersa tempora proficiscuntur) ita ad omnium rerum generationem, & conseruationem accommodatos; cùm quotannis (qui vna Solis reuolutio est) nouos animalium, piscium, & auium partus habemus, & nouam tum nobis, tum illis cibariorum prouisionem. Idem nobis declarant dotes, quas Deus his animalibus dedit, vt sibi victum quærerent, & quæ nocent, declinarent, & sibi in suis morbis mederentur, & filios suos susciperent, & nutrirent. In quo præcipuè diuina prouidentia elucet, quæ tam perfectè, tam multis rationibus, tamque diuersis, omnibus creaturis, quamuis minimis, omnia ad illarum conseruationem necessaria parauit. Hoc modo oues, & alia animalia omnia, natura herbas sibi salutares & venenosas cognoscunt; illas comedunt, & has renuunt. Hac ratione grues cùm in itinere sunt, & noctu conquiescunt, vnam ex illis vigilantem tenent cum lapide in manu, quæ alias custodit, vt si fortè somno complecteretur, lapidis casus illam expergisceret, & somno excitata sociam expergiscit, vt eidem muneri succedat. Quid de formicarum propensione dicam? de retium subtilitate, & de telis, quas araneę texunt? quid de apum repub. vnà cum suo rege, tam bene ordinata? quid de bombycum dotibus, quibus vniuersum mundum exornant?

Hæc autem cùm Philosophi animaduertant, & alia huiusmodi, quæ in creaturis cernuntur, hanc ratiocinationem conficiunt, qua in mundo administratorem esse, qui eum regit, sapientissimum probant. Cùm videamus (aiũt ipsi) omnia animalia rationis expertia cuncta quæ ad sui conseruationẽ conducunt facere, non aliter ac si rationis participantia essent, ea tamen ratione carere sciamus; fateamur igitur necesse est, summam adesse sapientiam, quæ hæc animalia omnia cum talibus propensionibus formauit, quibus, licet expertia rationis sint, ea tamen omnia tam certè faciant, quæ facerent, si rationem haberent. Nam, exempli gratia, hirundines quanam alia ratione suum nidum facerent, si rationis participes essent, quàm vt faciunt? quomodo educationis munus æquè distribuerent, quàm vt distribuunt? quonam alio

pacto aerem mutarent, & regiones suis anni temporibus, nisi vt faciunt?

In hac re duos magnos Sanctos lumina & duces habemus, S. Basilium, & S. Ambrosium, qui maximo studio, & eloquentia de ijs scripserunt, cùm de operibus sex dierum seorsim scriberent, quibus Deus omnia creauit. Quam rem non vt Philosophi tractant, (qui nihil aliud spectāt, nisi vt nobis res ipsas exponant) sed vt Theologi, monstrando in ijs diuinam sapientiam eius, qui talia describere; & eius omnipotentiam, qui quæcunque descripsit solo verbo perficere potuit; & eius bonitatem, & prouidentiam, quæ sic perfectè ijs omnibus prouidit à maiori, vsque ad minorem, quæcunque necessaria erāt, vt nihil prouidendum penitus prætermitteret. Hæc autem cognitio ad tantæ maiestatis admirationem & reuerentiam, tantæ bonitatis amorem, & tam immensæ potentiæ & sapientiæ obedientiam, & vt tam perfectæ & misericordiosæ prouidentiæ fidamus, refertur: qui enim nulli creaturæ vel minimæ deest, neque illi defuturus est, cui cætera omnia creauit. Hic fructus, hęc doctrina est, quam ex creaturarum libro percipimus, in quo, vt postea dicemus, sancti viri legebant.

Prima autem intentio & finis, ad quem huius PRIMI libri doctrina refertur, est, vt his Creatoris amplitudinibus cognitis, intelligamus quàm debeamus tantum Dominum amare, colere, & venerari, tum pro eo quod ipse est in se; tum pro prouidentia, & cura, quam de nobis gerit. Quemadmodū enim Dei amplitudines, & eius beneficia infinitè hominum amplitudines, & beneficia superant; sic hæc obligatio, qua sumus illius amori, & cultui obstricti, illam excedit, quam hominibus debemus.

Cùm autē in terris fuerint multæ religiones, quibus homines Deum colere sperabant, & illarum multæ superstitiosæ, & errorum ac deceptionum plenæ; nos dicimus, quòd post Naturę legem, & Scriptam (quę sua tempora habuerunt) nulla reperitur alia Religio vera & perfecta, qua Deus ritè colatur, quā sola Christiana fides, atque religio. Quę veritas vt confirmetur, SECVNDI libri doctrina, qui post hunc sequitur, conscripta est. Quamobrem superior liber illud præcipuè docet, aliquam veram Religionem in terris esse debere, qua illa summa Maiestas, & amplitudo colatur. At Secundus in eo est, vt doceat nostram Religionem veram, & perfectam esse, præterq; illam, veram esse nullam. Idque non Philosophicis rationibus, neque Syllogismorum subtilitate, sed declarando præcipuas præstantias, quas hæc Religio habet; & probando, quòd omnia, quæ perfecta Religio habere debet, hæc ea omnia pręstantiori gradu habet. Vt non fucos & ornamenta fucata ei quæramus: sed illa, sola sua honestate, & pulchritudine omnium corda sibi captiua reddit, & omnia inuitat, vt eam plurimi faciant, colant, & certam ac veram habeant.

Sed quoniam Redemptionis opus maius sine controuersia est, quàm Creationis opus, (& illud, quod per excellentiam Dei opus dicitur, quòd tam illius

Digitized by Google

illius bonitate dignum sit, in qua amplitudinum, & mirabilium rerum mare reperitur) de hoc in tertio, & quarto libro, licet diuersa quadã ratione, agitur. In TERTIO enim libro (fide supposita) rationis lumine de hoc mysterio agitur, declaraturque, quòd licet Deus multis alijs rationibus potuisset mundum redimere; nullam tamen habuit accommodatiorem, nec congruentiorem tum ad suæ misericordiæ, & iustitiæ gloriam, tum ad nostrarum miseriarum remedium, & correctionem. In quo quidem viginti præcipui fructus narrantur & beneficia, quę mundus virtute Incarnationis, & Passionis Domini nostri Iesu Christi percepit, quos quidem hîc arboris sanctę Crucis fructus vocamus. Quinque deinde Dialogi sequuntur, in quibus Discipulus & Præceptor sermonem habent: in quibus præcipuæ quæstiones proponuntur, quæ de hoc mysterio ab humana prudentia fieri solent, quibus omnibus respondetur. Hæc est Tertij libri summa.

In QVARTO verò libro fidei lumine, & sanctarũ scripturarũ auctoritate, Christum Dominum esse nostrum Saluatorem, & verum Mesiam in lege promissũ, apertisimè probatur, & in vndecim Dialogis, in quibus Magister, & Catechumenus sermonem habent, omnibus punctis respondetur, in quę offendunt illi, qui eum accipere noluerunt. Hanc autem partem fusiùs tractaui ad eorum vsum, qui quotidie à veteri lege ad Euangelij gratiam se recipiunt. Nam (vt S. Hieronymus in Nepotiani Epitaphio scribit) Saluator noster Crucis triumphali titulo (qui literis Gręcis, & Latinis, & Hebraicis scriptus erat) has sibi tres nationes dedicauit, quarum hę tres linguæ erant. Ad illorum igitur institutionem, quos ille quotidie ex hac natione ad suam sanctam Fidem vocat, hic liber, qui tanquam illorum Catechismus est, maximè conducit. Illud enim scimus, tum Romæ, tum Venetijs domos esse huiusmodi hominibus accommodatas, & in hanc Olysippi ciuitatem sępe ex Africa venire, qui multa pietate hanc fidem suscipiunt, quique recta vita bonam suæ fidei rationem reddiderunt; & spero fore, vt tum ijs, tum alijs, qui ad discendum erunt accommodati, neque ad hæc duri, hi mei labores sint opportuni. Duris enim & obstinatis alij libri scripti sunt à grauisimis auctoribus, qui dedita opera & de industria hanc materiem pertractant. At qui iam in fide radices egerunt, non vereor, quin maximam consolationẽ hinc percepturi sint, tunc cùm hanc scripturam legẽtes, nostræ veritatis fundamenta firma, & stabilia quàm sint, viderint: & ob id luminum Patri maximas gratias agent, qui illius cognitione eorum intellectus illuminauit.

Ad has verò quatuor præcipuas partes Summam eorum omnium addere volui, quæ in his quatuor libris maximè cognitione digna existimaui: cùm enim hæc scripta satis longa sint, indigebant hac (vt ita dicam) peroratione, vt in memoria renouarentur ea, quæ in ijs libris fusiùs tractantur.

Hæc autem scripta cuidam fortasse longiora videbũtur. Huius autem causa fuit, quòd non contentus fui solùm humanũ intellectum informare, illi

nostræ fidei articulos, & mysteria declarando, (quod Catechismi præcipuum munus est) sed multò magis, vt voluntatem ad Dei amorem, & timorem, & illius sanctorum præceptorum obedientiam excitarem, qui omnis nostræ cognitionis finis est, sine quo non solùm parum valeret, sed fieri posset vt in nostrum damnum verteretur cùm Saluator dicat, quòd ille seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis.

Luc. 12.

Præcipuus autem horum librorum fructus est, vt Christianus præcipuos nostræ Fidei & Religionis, quam profitetur, articulos, & mysteria non ignoret, & ita intelligat, vt illorum dignitatem, excellentiam, & pulchritudinem cognoscat: & inde illius anima in his veritatibus contemplandis suauissimũ cibum, & nutrimentum percipiat, quæ quidem veritates altiores, nobiliores, & diuiniores sunt, quàm quæcunque humanę scientiæ sibi comparare posśint. Qua quidem re in huius veritatis fide confirmabitur, (si huic humilis orationis studium, vt postea dicemus, adiunxerit) & noua quadam ratione, quæ mysteria credit, eorum veritatem quasi manibus contrectabit. Et quoniam his pe ditis temporibus, iusto Dei iudicio, & hominum peccatis, tãta Christianorum pars à fidei Catholicæ sinceritate se ipsa segregauit; nulla doctrina est accommodatior, quàm ea, quæ eò cõducit, vt nostræ fidei mysteria adaperiat, & in ea fideles confirmet, ne tot perditorum hominum exemplum, qui ab ea defecerunt, infirmis scandalum sit; imò verò Christiano sit stimulus, & incitamentum, ad illorum misericordiam, & ad agendas gratias Deo, quòd in illorum numero non sit. Nam quemadmodum belli tempore armis, & tempore grauium morborum medicinis maximè opus est: sic quo tempore inimicus tanta hæresum in bonis noualibus, & segetibus catholicæ Fidei zizania seminauit, veritate doctrinæ Fidei an maduersio & diligentia in armis excitanda est.

Pacem autem & consolationem, quæ hanc fidem tam apertam & formatam sequitur, alij experientur (vt Apostolus inquit) si humilitate, & pietate in hac doctrina se continuerint: quę cùm omnibus vtilis est, tum maximè ijs erit opportuna, qui Fidei tentationibus molestantur, quę quidem ijs molestissimæ sunt, qui illo morbo laborant.

Hanc autem doctrinam cum nonnullis Historijs, & sanctorum Patrum Vitis coniungere volui, suis locis citatis, & ex ijs eas delegi, quæ maiorem in se voluptatem continent, & certiores sunt: cùm enim Historia voluptatem habeat, his suauissimis cibis Christianum lectorem reficere volui, vt libentiùs, alijs fabulosis & damnosis Historijs relictis, in horum librorum lectione se contineat.

Illud quoque velim ne Lector molestia afficiatur, si quando in diuersis horum librorum partibus opportunis locis easdem materias tractari viderit. Quatuor enim materię nobilissimę tractantur, & tam vtiles, & copiosæ, vt

quò

Digitized by Google

quò plura de illis tractantur, eò plura reliqua sint, quę tractari possent: hę sun ,nostrę Redemptionis mysterium, Mundi conuersio, Martyrum inuicta constantia, gloriosorum Monachorum, & Confessorum sanctitas. Quòd si, quidquid in his singulis scribi, & exornari potest, id omne simul explicaretur, fortasse ingenia veritatis amica defatigarentur, & inde tædium caperent, ex quo fructum percipere deberent. Quamobrem melius existimaui, de ijsdem rebus, diuersis, & opportunis locis tractare, alijs addendo, quod in alijs taceo, vel alijs locis fusiùs tractare, quod alijs maiori breuitate conscripsi.

Illud quoque Lectorem admonitum volo, quòd nonnullis sanctæ scripturę auctoritatibus, quas hic adduco, nonnunquam aliqua interpono verba, vt meliùs sententia intelligatur, cùm sine illis obscura esset: hanc tamen libertatem non adhibeo in Prophetarum auctoritatibus, quæ de Christi aduentu & operibus tractant.

Hæc Christiano Lectori sint satis, vt horum librorum summa intelligatur.

INDEX

INDEX CAPITVM PRIMI LIBRI.

De fructu, qui percipitur ex consideratione earum rerum, quæ fiunt à natura, & quomodo sancti homines hanc cum operum gratia consideratione iunxerunt. Cap. I. pag. 3.
Pia meditatio, in qua traditur, quòd etsi Deus sit incomprehensibilis, tamen aliquid illius per operum manuum suarum, quæ sunt creata omnia, contemplationem cognoscitur. Cap. II. 9
Quibus rationibus per naturale lumen Philosophi Deum esse cognouerint. Cap. III. 13
Maioris mundi, & illius partium contemplatio. Cap. IIII. 26
De Sole, Solis effectibus, atque pulcbritudine. Cap. V. 29
De Luna & Stellis. 34
De quatuor Elementis, vel elementari regione. Cap. VI. 35
De Aeris elemento. Cap. VII. 36
De Aqua elemento. Cap. VIII. 39
De quarto elemento, quæ Terra est. Cap. IX. 43
De terræ fertilitate, plantarum, fructuumque terra. Cap. X. 45
Præfatio, vt de animalibus, & præsertim de ijs, quæ perfecta dicuntur, agere incipiat. Cap. XI. 55
De animalium communibus proprietatibus. Cap. XII. 57
De dotibus, & præcipuis proprietatibus, quibus omnia animalia ad sui conseruationē prædita sunt. Cap. XIII. 62
De animalium dotibus ad seipsa nutrienda. Cap. XIV. 64
De animalium dotibus, vt suos morbos curent. Cap. XV. 75
De propensionibus, & armis, quibus ad se tuenda animalia vtuntur. Cap XVI. 78
De dotibus, & facultatibus, quas diuina prouidentia omnibus animalibus ad filios suos educandos tradidit. Cap. XVII. 85
Quòd Dei sapientia & prouidentia magis in paruis, quàm in maximis rebus elucet. Cap. XVIII. 90
De Formica. 92
De alijs animalibus formica minoribus. 95
De Araneis. 97
De Apum, & Bombycum fructu. Cap. XIX. 99
De Apum republica, & ordine. Cap. XX. 100
De Bombycibus. Cap. XXI. 106
De alijs paruis animalibus, & hominibus molestis. 108
De alijs diuersorum animalium proprietatibus cognitione dignis. Cap. XXII. 109
De Pauone. 114
Præfatio in mūdi minoris, qui homo est, fabricā, & præcipuas illius partes. Cap. XXIII. 118
De humani corporis fabrica, & primùm de ossibus. Cap. XXIV. 123

De

De nonnullis rebus, quas scire oportet ante tractationem de prima animæ nostræ parte, quæ ad nutritionem, & conseruationem corporis spectant. Cap. XXV. 125
De membris necessarijs ad cibi concoctionem, atque defæcationem. Cap. XXVI. 128
De Iocineris munere. 133
De Corde. 134
De Pulmonibus. 135
Consideratio in prædicta. 136
Introductio ad animæ sensitiuæ, & spirituum animalium tractationem. Cap. XXVII. 138.
De spirituum, spiritualiumq; rerum omnium dignitate, & efficientia. 139
De spiritibus animalibus, qui in capite generantur. Cap. XXVIII. 141
De interioribus sensibus, qui in capite sunt. Cap. XXIX. 143
De quinque sensibus exterioribus, & primùm de oculis. Cap. XXX. 145
Quid dicat Tullius de nostri corporis exterioribus sensibus. Cap. XXXI. 148
De cæterarum nostri corporis partium decentia. Cap. XXXII. 150
De ea sensitiuæ animæ parte, quæ ad Perturbationes, & affectus pertinet, quæ in corde sunt. Cap. XXXIII. 151
De intellectiua anima, & eius muneribus. Cap. XXXIV. 156
Quot modis homo ad imaginem & similitudinem Dei factus esse dicatur. Cap. XXXV. 157. 571
De præcipua Dei cura de humanis rebus. Cap. XXXVI. 161
Quòd omnia, quæ in mundo sunt, pro hominibus creata fuerunt. 165
De diuinarum perfectionum immensitate, & magnitudine, testimonijs diuinarum Scripturarum. Cap. XXXVII. 171
De Dei perfectionum immensitate, & magnitudine, quod ex illius operum magnitudine colligitur. Cap. XXXVIII. 176

INDEX CAPITVM SECVNDI LIBRI.

QVOD non possunt homines sine fide viuere: quodq; sunt duo fidei genera, alia acquisita, alia infusa. Cap. I. pag. 196
De fidei diuisione in fidem formatam, & informem, id est, cum charitate, & sine charitate; & de fidei præstantijs, & proprietatibus. Cap. II. 199
De prima fidei nostræ doctrina præstantia, quæ est, à Deo traditam, & reuelatam esse. Quod ex magnis Philosophorum erroribus, & præsertim de vltimo hominis fine, cernitur. Cap. III. 212
De Philosophorum erroribus circa vltimum finem. 223
De secunda Religionis Christianæ præstantia, quod est, altè de Deo sentire. Cap. IV. 227.
De tertia Religionis Christianæ præstantia, quæ est, æquitas & sanctitas legum, & doctrina, quam profitetur. Cap. V. 229

dotes

dotes passi sunt. Cap. XXII. 341
De Simeonis martyrio, cum multis alijs, quasi sedecim millibus, qui in Saporis regno propter fraudulentas criminationes Magorum passi sunt. Cap. XXIII. 343
Sancti Polycarpi Martyrium, qui S. Ioannis Euangelistæ discipulus fuit, Smyrnæ Episcopus, ab Eusebio libro quarto Ecclesiasticæ historiæ relatum. Cap. XXIIII. 346
Consideratio in gloriosa certamina, & victorias sanctorum Martyrum, quæ hactenus relata sunt. Cap. XXV. 351
Quòd penè omnes Imperatores, qui Christianam fidem, & religionem persecuti sunt, miserrimè vitam finierunt; & qui ei adiumentum attulerunt, in omnibus rebus à Deo adiuti, & multis bonis cumulati sunt. Cap. XXVI. 355
De decimaquinta Religionis Christianæ præstantia, quæ est, multis, & magnis miraculis confirmatam esse. Cap. XXVII. 359
De præcipuis quibusdam miraculis cognitione dignissimis. 362
Crucis miracula. 364
Miracula à sanctis Doctoribus relata. 369
Miraculum ab Antonino Pio Imperatore relatum. 380
De alijs nostræ ætatis miraculis. 381
De alijs miraculis nostra memoria compertissimis. 385
De alijs recentioribus miraculis. 390
Miraculum in curatione eorum, qui spiritibus immundis corripiuntur. 394
De omnium miraculorum maximo, quæ mundi conuersio fuit. Cap. XXVIII. 396
De postrema Christianæ Religionis præstantia, quod est, prophetiarum testimonio fuisse confirmatam. Cap. XXIX. 410
Dictorum omnium conclusio, vt fructus intelligatur, qui ex his omnibus percipitur. Cap. XXX. 418

INDEX CAPITVM
TERTII LIBRI.

PRAEFATIO, in qua fructus, & vtilitates declarantur, quos illi consequuntur, qui nostræ redemptionis mysterium considerant. pag. 431.
De ratione procedendi in hoc tertio libro. Cap. I. 438
Quàm sit cum rationis lumine consentaneum, quod Religio Christiana de originali peccato tradit. Cap. II. 439
Quòd immensæ Dei bonitati placuit, homini remedium mittere, dæmonio in sua obstinatione relicto. Cap. III. 444
Quomodo neque homo, neque Angelus, neque alia pura creatura, in iustitiæ rigore communi humani generis debito satisfacere poterat. Cap. IIII. 446
Quòd solus Dei filius in iustitiæ rigore commune debitum generis humani soluere poterat: quamq; fuerit id ad hanc solutionem conueniens. Cap. V. 450
Quàm satisfactionis genus Redemptoris nostri fuerit proportionatum, quamq; iustitiæ legibus conueniens. Cap. VI. 453

De magno beneficio, quod hac Christi nostri Redemptoris satisfactione mundus consecutus est. Cap. VII. 458

De secundo arboris sanctæ Crucis fructu, qui est dignitas, & gloria, quam per eam consequimur. Cap. VIII. 460

Tertius Crucis arboris fructus, qui fuit per illum summum Sacerdotem obtinere, qui apud æternum Patrem pro nostris necessitatibus intercederet. Cap. IX. 461

Quartus arboris Crucis fructus, qui est Dei cognitio, & cæterarum rerum omnium, quæ ad hanc salutem pertinent. Cap. X. 463

Quintus Crucis arboris fructus, quæ diuina gratia est, quæ nobis per illam datur. Cap. XI. 465

Sextus Crucis fructus, quæ sunt legis gratiæ Sacramenta. Cap. XII. 469

Septimus Crucis fructus, qui est à peccato abhorrere, & virtutem amare. Cap. XIII. 470

Octauus arboris sanctæ Crucis fructus, quæ Charitas est. Cap. XIV. 473

Nonus Crucis arboris fructus, quæ Spes est. Cap. XV. 483

Decimus arboris Crucis fructus, qui humilitatis virtus est. Cap. XVI. 488

Vndecimus Crucis arboris fructus, quæ obedientiæ virtus est. Cap. XVII. 490

Duodecimus arboris Crucis fructus, quæ virtus patientiæ est. Cap. XVIII. 493

Decimustertius arboris Crucis fructus, quæ sunt magna exempla, & stimuli ad omnes virtutes. Cap. XIX. 495

Decimusquartus arboris Crucis fructus, quæ est Euangelicæ vitæ asperitatis, & paupertatis professio. Cap. X X. 499

Decimusquintus Crucis arboris fructus, qui est, nobis altissimæ meditationis, & contemplationis materiam dare. Cap. X X I. 502

Decimussextus fructus arboris Crucis, quod est habere, quod in nostris precibus per eam quid offeramus, & allegemus coram Domino. Cap. X X I I. 505

Decimusseptimus arboris Crucis fructus, qui est gratia, & auxilium in tentationibus. Cap. XXIII. 507

Decimusoctauus arboris Crucis fructus, qui sanctorum Martyrum victoria, & triumphi fuerunt. Cap. X X I V. 509

Decimusnonus fructus arboris Crucis, qui est, per eam mundum vniuersum ad sui legitimi Regis, & Domini obedientiam, & fidem se recepisse. Cap. XXV. 517

Vigesimus fructus arboris Crucis, qui gloria beatitudo est. Cap. X X V I. 519

De figuris, quæ antiquis temporibus Christi aduentum, & mysterium nobis significabãt. Cap. X X V I I. 523

Figura de Eua formatione. 524

De Abel morte. 525

Figura de Noe. 526

De Abraha sacrificio. 526

Figura de Iacob. 527

Figura de Iosepho Iacob filio. 529

Figura

Digitized by Google

Figura de Samsone. 531
Figura de Paschali Agno. 532
Figura de Vitula rufa. 536
Figura de Moysis Virga. 537
Figura de æneo Serpente. 538
Figura de Eliseo. 539
De alijs diuersis figuris. 540
Dialogus primus, qui de causa aduentus Filij Dei in mundum tractat. 541
Dialogus secundus, in quo quæritur, cur Saluator in mundum venerit, naturam humanam suscipiens. 546
Quàm fuerit conueniens, diuinam naturam cum humana coniungi, declaratur, quàm multiq; fructus ex hac mirabili coniunctione consecuti sint. 552
Dialogus tertius, in quo quæritur, cur Saluator noster, cum illi placuerit se hominem fieri, suam vitam humilem, pauperem, & laboriosam esse voluerit. 555
Declaratur, quàm fuerit consentaneum, Christum in hoc vitæ genere pauperem, & humilem viuere, ratione finis, ad quem homo conditus fuit. 560
Dialogus quartus, in quo de Saluatoris passionis, & mortis causis, & conuenientijs agitur. 564
De fructu, qui ex omnibus hactenus dictis percipiendus est. 581
Huius tertij libri peroratio. 585

INDEX CAPITVM
QVARTI LIBRI.

DE modo procedendi in hac parte. Cap. I. pag. 593
De primo principio, & causa nostræ Redemptionis, quæ nostri clementissimi Creatoris, & Domini immensa bonitas fuit, & de fine, ad quem Deus hominem creauit. Cap. II. 593
Qualis homo propter peccatum remanserit. Cap. III. 596
De prima nostræ salutis spe, quæ nobis post peccatum data fuit. Cap. IV. 597
De alijs particularibus signis, & prophetijs de Saluatore. Cap. V. 602
De Christi Domini nostri vita prophetia. Cap. VI. 606
De Saluatoris morte prophetia, & ijs omnibus, quæ in illius sacratissima Passione acciderunt. Cap. VII. 607
De Christi passione Isaiæ prophetia. 609
De prophetijs, quæ post Saluatoris mortem, & sepulturam adimpletæ fuerunt. Cap. VIII. 611
De magnis, & mirabilibus actionibus, quæ Saluatori post aduentum in mundum facienda erant. cap. IX. 612
De prima actione per Saluatoris in mundum aduentum facta, quod fuit idololatriæ blasphemiam in exilium eijcere, quæ penè in toto terrarum orbe suscipiebatur. Cap. X. 617

Digitized by Google

maxi-

maximam gloriam fuisse. 738
Dictorum confirmatio quodam singulari exemplo, & discursu. 742
Secunda huius Dialogi pars, in qua de eo agitur, quod ad nostram voluntatem in clementissimi nostri Redemptoris amorem inflammandam conducit. 750
Dialogus octauus, in quo de sanctissimo Altaris Sacramento agitur. 761
Dialogus nonus de sacrificijs, & legis caremonijs sublatis. 779
Dialogus decimus, in quo de illius Iudaorum partis, qui Saluatoris fidem non susceperunt, caecitate, & miserijs agitur. 789
Dialogus vndecimus, in quo de duplici Christianae Ecclesiae statu agitur; id est, de primo, cùm florere cœpit, & de eo, in quo nunc est. 802
Paraenesis, in qua de necessitate doctrinae Fidei Christianae agitur, & de magnis fructibus, & vtilitatibus, quae ab illa percipiuntur. 813

CAPITVM INDICIS FINIS.

Digitized by Google

DELECTASTI ME DOMINE IN FACTVRA TVA, ET IN OPERIBVS MANVVM TVARVM EXVLTABO.

Psal. XCI.

VENITE, ET VIDETE OPERA DOMINI, QVAE POSVIT SVPER TERRAM.

Psal. XLV.

R. P. F.

Digitized by Google

R·P·F· LVDOVICI GRANATENSIS PRÆDICATORVM ORDINIS,

DE ADMIRABILI OPERE CREATIONIS, ET QVOMODO PER CREaturas ad CREATORIS cognitionem perueniatur.

LIBER PRIMVS.

Argumentum.

ETSI multa sunt media, per quæ vniuersim ad Creatoris & Domini notitiā peruenire possumus, hic tamen eo potissimùm vtemur, quod his verbis tradit Apostolus, Inuisibilia ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: *sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas Effectus enim causarū, à quibus ipsi proficiscuntur, partē aliquā nobis patefaciūt: quæcunque autē creata sunt, cùm sint Dei effectus & opera, ea (quælibet in suo genere) omnia aliquā sui Creatoris cognitionē nobis afferunt. Quamobrē hanc philosophandi rationem hoc loco secuti sumus: & primùm ex præcipuis huius mundi partibus, Cælo, Stellis, & Elementis; deinde ex cæteris creaturis particulatim, tum vnà omnipotentiā, & infinitam sapienti-* Rom. 1.

Digitized by Google

pientiam illius, qui hæc omnia creauit, probitatem & prouidentiam, quibus moderatur ac regit, colligemus. Hinc autẽ homines eam percipient vtilitatem præter Dei notitiam, (quod Catechismi doctrinæ proprium est) vt ei beneficiorum gratias agamus, cùm nobis persuaserimus, hanc tam magnam huius mundi domum atque ædificium à Deo optimo & maximo creatum non solùm, vt nobis necessaria pararet, verum etiam, vt per ea, quæ facta sunt, mentem & cogitationem nostram in Creatoris nostri notitiam & amorẽ extolleremus. Animaduertemus enim, totum hoc domicilium, & tam multis rebus instructũ, non sibi ædificâsse Deum, (ab æterno enim sine illo fuit) nõ Angelis, qui cùm sint tantùm puri spiritus, non indigent corporeo loco, in quo inhabitent; nec beluis, (esset enim tanto artifice indignum) sed hominibus solis cõdidisse. Inde colliget homo, quãtopere dilexerit eum Dominus, quanti fecerit, & quibus rebus eum honestauerit, cùm ei talẽ, ac tantam sedem, & penè infinitis rebus ornatam, dederit: quod quidem in hoc toto libro declaraturi sumus, docturique, omnia ad vsum & vtilitatem hominis esse accommodata. Ad id præterea conducet, vt nobis spem adaugeat. Cùm enim in animo euoluit homo, quàm copiosè infinita Dei bonitas animalibus rationis expertibus necessaria paret, vel minimis, vt formicis, culicibus, araneis, & cæteris huiusmodi; præclarè cognoscet, sibi maximam in Deo spem habendam fore, vt prospiciat ex omnibus rebus nobiliori, propter quam quæcunque sunt in hoc inferiori mundo ab eodem creata sunt, & prouideat necessaria ad corporis vsum, & animæ sanctificationem. Hinc postremùm illa proficiscetur vtilitas, vt spiritus diuini homines habeant inde multas contemplandi rationes, cùm in creatis rebus facilè perspiciant earum Creatoris & gubernatoris pulchritudinem, sapientiam, bonitatem, & prouidentiam, qua in re Philosophi humanam felicitatem, vt postea dicemus, esse voluerunt.

DE FRV-

Digitized by Google

DE FRVCTV, QVI PERCIPITVR EX CONSIDERATIONE *earum rerum, quæ fiunt à natura, & quomodo sancti homines hanc cum operum gratiæ consideratione iunxerunt.* Cap. I.

OMNES homines præstanti & excellenti ingenio, qui rerum corruptibilium & caducarum curam neglexerunt, in rerum diuinarum & humanarum scientia omnem operam, omnemque mentem collocârunt; nullaq; in re magis inuigilârunt, quàm in eo, vt inquirerent & inuestigarent, quisnam finis hominis, eiusq; vltimũ & summum bonum esset. Minimè enim fieri potest, vt homo absque huius rei cognitione veram & rectam viuendi rationem suscipiat & ingrediatur, cùm ea, per quæ ad finem peruenitur, ab ipso fine rationem accipiant. Etsi in hac re multi multa, & diuersa senserunt: summorum tamen Philosophorum cõsensus in eo fuit, vt existimarent & confiterentur, summum hominis bonum in animæ præstantissima actione & exercitatione consistere, hoc est, in Dei cognitione, atq; contemplatione, in exercitatione, inquam, quòd (vt ait Aristoteles) quemadmodum neque vna hirundo facit ver, sed multæ; ita vnica harum rerum consideratio beatum hominem efficere non potest, sed earum vsus, atque frequentia.

Hoc fuit studium & negotium nonnullorum magni nominis Philosophorum. Ita de Seneca scribitur, quòd, vt in hac re aliquã partẽ sui otij consumeret, Roma profectus est, vt ad rerum diuinarum contemplationẽ quieto & libero animo incumbere posset. Cùm autẽ in hac re Philosophi, & Christiani idem sentiant, visum est mihi, hoc loco conscribere, quonam modo hic præstantissimus Philosophus se in hac exercitatione cõtineret. Quod in causa erit, vt multos Christianos homines pudeat, qui neque oculos habẽt, quibus cernant mirabilia, quæ Deus in vniuerso mundo fecerit; neque in animo vnquam euoluunt, quæ hic Philosophus ex gentibus sæpe cogitare solebat. In hanc sententiam igitur ad quendam suum amicum scribit, nihil melius sapientem hominem facere, quàm cùm animum suum ad rerum diuinarum contemplationem dirigit. Alia quoque epistola ad eundem scribit, nihil esse cur homo natus esse vellet, nisi in hac inuigilaturus esset: An vt comedam, vt bibam, vt sustentem hoc corpus infirmum, & caducum, nisi qualibet hora cibis impleamus; vt morbis obnoxium, & semper timore mortis, ad quam nati sumus, perterritum viuat? Hoc tanto bono sublatô, nihil est in vita, quod tanti faciam, vt pro eo vel sudem, vel elaborem. Quàm contempta res est homo, nisi se supra humana extulerit. Etsi in hac contentione victores sumus, nihil aliud tamen vincimus, quàm monstra. De vitiorum manibus effugisti: nõ es duplici vultu homo: in alterius gratiam non loqueris: ab auaritia es liber, quæ sibi negat, quod alijs eripit: non ambitione laboras, quæ rebus indignis dignitates persequitur: non satis multum est, quod tibi parasti; tẽ multis malis liberâsti, nondum à teipso: magna enim est, & magnifica, quam quærimus virtutem. Hominis felicitas non in eo est solùm, vt vitijs careas: sed ad id confert, vt cor dilatet, & præparet ad diuinarum rerum cognitionem, & efficiat dignum, qui cum Deo versetur. Tunc bonum nostrum perfectum & con-

summatum est, cùm omnibus vitijs deuictis & superatis, ad altiora tendimus, & ad naturæ secretiora contemplanda peruenimus. Tunc gaudet homo ac lætatur, inter stellas spatiatur, magnifica ædificia, diuitum supellectilia, totum denique terrarum orbem vnà cum auro, quod è terra extractum est, vilipêdit, & pro nihilo ducit, & quidquid eorum auaritia suspicitur, qui venturi sunt. Non potest homo negligere magnificentissimas porticus, superbas fores, & aurata tecta, fornicesque ebore exornatas, mêsas vermiculato emblemate & myrto coagmêtatas, aquæductus ad locupletum hominum domos, nisi totum terrarum orbem peragrauerit, & ex alto terrarum globum terræque angustiam, maiorique ex parte ab aqua tectam viderit, & intra se ipse dicat: En ille est punctus, qui inter homines igne & sanguine diuiditur? quàm irridêdi sunt hominum fines. Hic ille punctus est, in quo nauigatis, in quo bellum geritis, in quo regna & prouincias administratis: in cælo latiora spatia reperiuntur, in quæ animus non omnium, sed eorum tantùm admittitur, qui parũ secum corporis asportârunt, & à se sordes omnes amouerunt, & corporis sarcina leuati, minimis rebus contenti ad cælum euolauerũt. Cùm autem hic animus cælestia degustat, recreatur, & augetur, & carnis affectibus liber, ad suam originem atque principium reuertitur. Cùm autem videat, se cælestibus rebus delectari, & in illis, non vt in alienis, sed suis libenter versari, id sibi argumento esse existimat, quo sibi ex cælesti origine principium habuisse persuadeat. Tunc stellarum ortus & occasus tranquillo animo considerat, eorum omniũ quasi consensus in tam multis, tamque diuersis motibus contemplatur, & hæc omnia in animo euoluit, & in earum rerum causarum inuestigatione assiduè versatur. Neque id mirum, cùm sciat id omne ad solum hominem pertinere. Tunc terrarum orbis ita paruus ei videtur, vt eius omnino pœniteat. Cùm enim secunda tempestate Hispaniæ litoribus nauis soluit, paucis diebus vsque ad Indos percurrit; illa verò cælestis regio vix triginta annos concitatissima stella peragratur. Tunc homo consequitur, quod multò antè expetebat, Dei scilicet cognitionem. Quid est Deus? Mens, & ratio vniuersi. Quid est Deus? Quidquid oculis cernitur: Omnibus enim rebus eius sapiêtiam percipimus, omnibus in rebus adesse intelligimus, & hac ratione eius amplitudinem, qua nihil maius excogitari potest, facilè confitemur. Et si ipse solus omnia est, eum quoque esse censere debemus, qui tum intrinsecus, tum extrinsecus, hoc ædificium, quod ipse construxit, tuetur, atque conseruat. Quid igitur inter diuinam & humanam nostram naturam interest? Illud tamen inter nos & illum maximè interest, quòd melior nostri pars animus est; ille verò totus animus est, tota ratio, totus intellectus: ex quo facilè cernitur, quanto in errore versentur illi, qui, etsi mundus totus sit huiusmodi opus, vt nihil melius, nihil ordinatius inueniri possit; stultè tamen ausi sunt dicere, casu, & fortuitò esse constructum: cùm ipsi fateantur, se habere animum, qui tum sua, tum aliena negotia moderatur; & id in vniuerso mundo, in quo fiunt omnia summo ordine inesse negant.

Hæc tandem omnia scripsit Seneca, qui nobis scriptum reliquit in libro de beata vita, naturam nos genuisse non solùm ad agendum, verùm etiam ad contemplandum: Propter hanc causam in animis nostris sciendi desiderium, quæ secretiora sunt, inseruisse. Quamobrem multi longinquas regiones petunt

Digitized by Google

tunt ad id tantùm, vt, quę sibi abscondita sunt, manifesta reddant. Curiosum nobis natura ingenium dedit, & artis sibi ac pulchritudinis suę cōscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructū sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida & non vno genere formosa solitudini ostenderet. Vt scias illam spectari voluisse, non tantùm aspici, vide quem nobis locum dederit. In media nos sui parte constituit, & conspectū omnium nobis dedit; nec erexit tantummodò hominem, sed etiam ad contemplationem factum, vt ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset, & vultum suum circunferre cum toto corpore, sublime fecit illi caput, & collo flexibili imposuit. Deinde sena per diem, sena per noctē, signa producent. Nullam non sui partem explicuit, vt per hæc, quæ obtulerat eius oculis, cupiditatē faceret etiam cæterorum: nec enim omnia, nec tanta visimus, quanta sunt, sed acies nostra aperit sibi inuestigando viam, & fundamenta veri iacit, vt inquisitio transeat ex apertis in obscura, & aliquid ipso mundo inueniat antiquius, vnde ista sidera exierint. Quare cogitatio nostra cęli munimenta perrumpat, nec contenta sit id, quod ostenditur, scire, sed & quod non perspicitur. Ad hæc quærenda natus, existimat quòd non multum acceperit temporis, etiam si illud totum sibi vendicat: cui licet nihil facilitate eripi, nihil negligentia patiatur excidere, licet horas suas auarissimè seruet, & vsque in vltimę ætatis humanæ terminos procedat, nec quidquam illi ex eo, quod natura constituit, fortuna concutiat, tamen homo ad immortalium cognitionem nimis mortalis est.

Idem Philosophus in quadam epistola ad amicum suum ostendit, quantopere insistere debeat in naturalium rerum contemplatione, vt ad eius artificis cognitionem peruenire possit. Ille sic inquit: Ego non quæram, quę sint initia vniuersorum? quis artifex huius mundi? qua ratione tanta magnitudo in legem & ordinem venerit? quis sparsa collegerit, confusa distinxerit, nimia deformitate latentibus faciem diuiserit? vnde lux tanta fundatur? ignis sit, an aliquid igne lucidius? Ego ista non quæram? ego nesciam vnde descenderim? Nesciam quò hinc iturus sim? quę sedes expectat animam solutā legibus seruitutis humanæ? Vetas me cælo interesse, id est, iubes me viuere capite demisso? Maior sum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium sim mei corporis.

Ex omnibus his rebus, quas hic Philosophus nobis tradidit, facilè colligere possumus, expeditam nobis esse viam ratiocinandi à creaturis ad Creatorem, vt ab effectibus ad causas, à quibus ipsi proficiscuntur effectus. Cùm igitur hic mundus sit effectus, & opus Dei, ex eo ad ipsius artificis cognitionē ascendimus. Mundi magnitudo Dei magnitudinem, pulchritudo pulchritudinem declarat: cernimus omnipotentiam eius, qui hęc cuncta de nihilo creauit; sapientiam, qui tam miro hæc omnia disposuit ordine; bonitatem, qui tam copiosè omnibus necessaria tribuit; prouidentiam, qui omnia moderatur, ac regit.

Nos autem Christiani, præter hæc naturæ opera, ea, quæ gratiæ dicuntur, habemus, quę longè pręstantiora sunt, & nobis id magis adaperiunt, quod in Deo admirandum est, eius bonitatem, & misericordiam. Etsi gratiæ effectus & opera sint maiora; ad hominis enim sanctificationem, & quodammodo in Deum conuersionem spectant: cùm tamen & ipsa naturę opera sint ex eodem

parente orta, & eiusdem causæ effectus, nobis, vnde profecta sint, facilè ostendunt. Hoc nobis traditum est in postremis quatuor capitibus libri Iob, in quibus cùm ipse Deus cum illo verba faciat, suam ipsius naturam exponit, potentiam, sapientiam & prouidentiam, cùm ei ob oculos ponit admiranda opera, quę ipse in mundo fecerit. Principium autem sumit à maioribus mundi partibus, quæ sunt cæli, terra, mare; eorum magnitudinem declarat, & inde ad minora, pluuias, niues, gelu, ventos, tonitrua, fulgura, quæ omnia in media aeris regione generantur, se conuertit: deinde progreditur ad animalia in terris degentia, ad aues cæli, ad magnitudinem & fortitudinē piscium maris, & per hæc, in quibus maximè Dei sapientia & omnipotentia relucet, se ipsum illi sanctissimo viro manifestum reddit; docetq; quonam modo in hoc creaturarum libro, quæ omnes in suo genere gloriam eius prædicant, à quo creatæ fuerunt, philosophandum sit.

In hoc libro inuigilabat Magnus ille Antonius, à quo cùm quis sciscitaretur, cuinam libro studeret: respondit, Quem librum lego, vniuersus hic mundus est. In hunc quoque librum incumbebat diuinus ille Psalmographus, qui in multis Psalmis tum naturę, tum gratiæ opera inuestigat, & eius animus harum rerum consideratione contemplationeque recreatur; & præsertim in eo Psalmo, cuius initium est, *Cæli enarrant gloriam Dei*: in cuius prima parte hæc naturæ opera, in posteriori verò effectus ex omnibus, qui à gratia proficiscuntur, maximus declaratur, legis scilicet diuinæ virtus, atque pulchritudo: & in Psalmo 146 petit à nobis, vt Deum laudemus: suo enim verbo creauit cælum, & statuit terram super aquas, duoque luminaria magna creauit, Solem, vt præesset diei, nocti verò Lunam. In Psalmo quoque eodem iubet, vt eum laudemus, quòd cęlum nubibus operit, & parat terræ pluuiam; quòd producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum; quòd dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. In sequenti autem Psalmo nos hortatur, vt eum laudibus prosequamur, qui nobis ad saturitatem panem tribuit; qui dat niuem sicut lanam, & nebulam sicut cinerem spargit; mittit crystallum suam sicut buccellas. Quamobrem in his omnibus cantionibus, naturę & gratię effectus & opera simul coniungit, vt ex vtrisque laudes Deo canat. In Psalmo autem, cuius initium est, *Benedic anima mea*, in prima parte pulchritudinem, constructionem, & ordinem rerum omnium, quę in cælo sunt, terra, mariquę, contemplatur, & ex his laudem Deo colligit: in prima verò parte, inquit, Deum confessionem & decorem indutum esse; quibus verbis innuit, quęcunque creata sunt, & quàm magna sit eius pulchritudo, quamquę sit dignus, qui ab omnibus laudetur, declarare. In eiusdem verò Psalmi fine, tantis, tamquę multis rebus stupidus, sic exclamat: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.* Hæc Dei operum admiratio cum quadam ingenti animi lætitia & suauitate iuncta est, quod alio Psalmo idem significauit Propheta his verbis: *Delectasti me Domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.* Hæc animi lætitia concipitur ab homine, cùm rerum creatarum pulchritudinem cōsiderat: in ea tamen non quiescit, sed ad Creatoris contemplationem se erigit, & eius, qui talia ac tanta creauit non ad vsum solùm hominis, sed ad voluptatem, pulchritudinem, bonitatem, & charitatem contemplatur. Quemadmo-

Psal. 18.

Psal. 103

Psal. 91.

admodum enim si pulchra veste pulchrum corpus sit indutum, pulchrius videtur, quàm si sine illa conspiciatur; sic quę creata sunt, si ad finem, propter quem facta fuerunt, ad Dei scilicet cognitionem referantur, pulchriora vidētur. Quamobrem quemadmodum vestis ad corporis ornamentum inuenta fuit, sic & creaturæ, vt per eas Creatorem cognosceremus. Quare non solū maiori vtilitate, verùm etiā maiori voluptate, homines diuini spiritus hæc creata respiciunt, cælum, Solem, Lunam, stellas, campos, flumina, fontes, flores arbores, & cætera huiusmodi.

Etsi Aristoteles hæc diuina, & quæ tantummodò fide cognoscuntur, penitus ignorauit: hanc tamen voluptatem, & animi suauitatem, quam ex hoc genere philosophandi percipimus, cùm à rebus creatis ad Creatorē ascendimus, & eius pulchritudinem ac sapientiam contemplamur, expertus est. In Ethicorum enim libris scriptum reliquit, magnas esse voluptates, quibus sapientes homines perfunduntur, cùm in mentis actione atq; contemplatione versantur. Quamobrem maximè miror illud, cur Plinius tam multa scripserit admirabilia, & in illorum lectione tam multi suum tempus cōterant, ex quibus nullum alium fructum capiunt, nisi quòd naturalem appetitum sciendi ea, quæ extra naturæ ordinem & admirabilia sunt, pascunt, (quem potiùs extinguere, quàm nutrire deberent) cùm possint per hæc eadem vnica actione ad eius bonitatem & sapientiam peruenire, qui hæc admiranda nobis proponit, ex quo non solùm vtilitatem, verùm etiam voluptatem, quam homines maximè quęrunt, profectò perciperēt. De huiusmodi Philosophis ait Apostolus: *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Rom. 1.

Christianus igitur homo debet creaturis vti tanquam speculo, vt eius artificis gloriam cernat, ad quod (vt dictum est) condita fuerunt. Quamobrem cùm vel hic, vel alibi legit homo, quàm multas dotes cunctis animalibus dederit Deus, vt se, corpusq; suum tueantur, & quæ ex seipsis nata sunt, enutriant & educent; in hac re non conquiescat, sed ad Dei notitiam ascendat, & inde ad seipsum reuertatur. Quod paucis verbis ostendit Apostolus, cùm inquit: *Nunquid cura de bobus est Deo?* Compertum erat quidem Apostolo, quænam dederit Deus non huic solùm animali, & cæteris omnibus: sed Spiritu sancto edoctus certò sciebat non hæc tantummodò spectasse Deum, sed prospicientem hominis saluti hæc cuncta creasse. In his enim rebus voluit suæ bonitatis magnitudinem hominibus ostendere, quæ omnibus copiosè & affluenter necessaria parat; infinitamq; sapientiam, quæ tam multa, tamq; mirabilia propter id tantùm inuenit; & eius omnipotentiam, quæ quidquid voluit & inuenit, verbo solo perfecit. Et prꝛterea eius perfectissimam prouidentiam, quæ complectitur & in se continet hæc tria perfecta, atq; diuina. Et quorsum hæc? Vt cùm hæc homo animaduerteret, eius infinitam bonitatem amaret, tantam sapientiam admiraretur, omnipotentiam veneraretur, & ab illa summa prouidentia omnibus suis morbis ac necessitatibus remedium expectaret. Ad hoc enim nos hortatur auium parabola, quæ etsi neq; seminant, neq; metunt, neq; in horreis tuentur, ab ipso tamen æterno Patre nutriuntur. Matth. 6.

1. Cor. 9.

Quò autem res sunt viliores, & abiectiores, eò maiori nos afficiunt confidentia,

dentia. Si quis enim animaduerterit naturam, quam ipse Deus formicis addiderit, vt cibum sibi quaritarent, (de quibus aliàs dicemus) minimè fieri poterit, quin se in maximam spem erigat, & ex animo dicat: Domine, si tam multa tam exiguo animali dedisti, vt pastum sibi pararet, & tamen in nullā partem valet in terris, nisi vt eripiat alijs, quod sibi multis laboribus compararunt; quātæ curę tibi est homo, quem ad imaginem & similitudinem tuam feceris? quem vnigeniti filij tui sanguine redemisti? nisi se ijs sceleribus obstringeret, quibus mereretur, vt eum gratia & fauore tuo priuares. Nescio quis animus ita sit abiectus, quin hoc exemplo se erigat, cùm hęc omnia, quæ Dei summam prouidentiam ostendunt, eò spectent, vt hominem perficiant, & felicem atque beatum reddant.

Hac ratione sancti homines hæc Dei miranda contemplabantur: vtebantur enim oculis ad id, ad quod sibi dati fuerunt, vt scilicet his cernēdis Deum inuenirent, laudarent, atque cognoscerent. In hanc sententiam inquit D. Augustinus in illa verba Psalmi 26. vbi Propheta dixit, *Circumiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam: cantabo, & psalmum dicam Domino.* Sic ait hic sanctus: Si vniuersum mundū animus tuus obiret, & Dei opera consideraret, inueniret profectò, cūcta miro artificio, quo sunt condita, omnibus dicere; Deus me fecit. Quidquid est, quod te in artificio delectat, id omne laudibus Deum exornat. Respice cælos, vide quàm magnum sit hoc Dei opus. Respice terram, animaduerte in ea quàm multa semina sint, quot plantæ, quot animalia. Complectere animo tuo quidquid inter cælum & terram est, & videbis hęc omnia suum Creatorem fateri, ac prędicare. Quæcunque enim creata sunt, totidem voces sunt, quæ suo Creatori laudes canunt. Quis autem poterit enumerare quęcunque in illis sunt? Cælum autem, terram, mare, & quę in illis sunt, quis dignè laudare poterit? At hęc sub sensum cadūt. Angelos verò pro rei dignitate quis laudabit? Thronos? Dominationes? Principatus? Potestates? Quis dignis laudibus id prosequetur, quod in nobis vitam degit, artusq; nostros mouet? quod per sensus tantarum rerum cognitionem percipit? quod tam multa recordatur? quod tam multa intelligendo consequitur? Si creatarum rerum laudes dignas reperire non possumus, quomodo Creatorem dignè laudare poterimus? Quid igitur nobis reliquum est, nisi quòd cùm nobis verba desint, & cum Propheta per omnes creaturas circumeamus, sacrificium laudis in illius templo immolemus. Hactenus D. Augustinus.

Ex quibus, & alijs rebus, quæ à nobis hactenus dictę sunt, colligi potest, quisnam sit fructus, quem ex rebus creatis percipimus ad Creatoris cognitionem, amorem, atq; venerationem. Ex quo multi sancti viri ad hoc philosophandi genus se contulerunt. Ex quibus diui Ambrosius & Basilius, ambo pontifices sanctissimi, doctissimi, eloquentissimi, amore pulchritudinis sapientięq; Dei capti, ambo suum scripserunt Hexameron, hoc est, Opera sex dierum, in quibus Deus cuncta creauit. Et à cęlo suorum sermonum initia ducentes, ad tractationem cæterarum rerum descendentes, ne minimam quidem partem prætermittunt, quin in ea artificium, & sapientiam, qua creatę fuerūt, bonitatē & prouidentiam, quibus reguntur & gubernantur, diligenter enarrent. Post eos autē Theodoretus Græcus scriptor, pariter doctus & eloquens, magna ex parte hoc argumentum tractauit in ijs sermonibus, quos de Diuina proui-

Digitized by Google

prouidentia conscripsit, ex quibus delicatiores epulas sumpsi, vt eas lectori in hoc animorum conuiuio apponerem: & vt id maiori animi pietate complectatur, hanc piam meditationem hic legendam adscripsi.

SEQVITVR MEDITATIO PIA, IN QVA TRADITVR, QVOD etsi Deus sit incomprehensibilis, tamen aliquid illius per operum manuum suarum, quæ sunt creata omnia, contemplationem cognoscitur. Cap. II.

O ALTISSIME & clementissime Deus, Rex regum, & Dominus dominantiũ: ô æterna Patris Sapientia, quę supra Seraphin collocata, tui visus acie penetras abyssos, & nihil non apertum & non nudum ante tuos oculos est: tu Domine tam sapiens, tam grauis, tam pius, tam eius quod creasti amans, vt hunc miserum peccatorem atque abiectum exaudias, respice quæso, diuinasq; aures tuas benignas atque attentas præbe.

Nihil, Domine, mihi magis in optatis est, nec quidquam tibi magis debetur, nec mihi vtilius quidquam est, quàm vt anima mea eo te prosequatur amore, quo debet. Vt te amarem, creasti me Domine, in hoc amore meam beatitudinem esse voluisti, vt te amarem iussisti. Docuisti in hac vna re, merita, honestatem, virtutem, suauitatem, libertatem, pacem, felicitatem, & cuncta tandem bona consistere. Hic enim amor complectitur, quidquid boni in terris habetur, & maiorem partem eorum, quæ speramus in cælis. Docuisti prætерea, qui te non cognosceret, amare posse neminem. Natura homines bonitatem amant, pulchritudinem, parentes, benefactores, amicos, eos quorum similes sumus, & tandem bonum & perfectum illud est, in quod tanquam in metam noster amor tendit. Hæc cognitio necessaria est, vt inde hic noster oriatur amor. Quis mihi dabit illud, quo te cognoscam ita, vt in te vno omnes amoris rationes atque causas existere intelligam? Quid autem est te melius? quid perfectius? quid formosius? in quo nomen patris, amici, atque liberalis meliùs ponam? quis tandem est præter te nostrarum animarum sponsus? cupiditatum portus? nostrorum cordium centrum? vltimus nostræ vitæ finis? & tandem nostra vltima felicitas?

Quid igitur mihi faciendum est Domine, vt hanc cognitionem mihi comparem? cùm autem te videre nequeam, quo pacto te cognoscam? cùm meorũ oculorum acies sit tam obtusa, tuq; sis lux, quam penetrare nemo potest, quomodo te oculis cernam? Altissimus es Domine, & altissimus sit, qui te assequi vult, necesse est. Quis mihi dabit alas, vt tanquam colũba ad te volare possim? Quis autem erit ille, qui viuere non potuit, quin te amaret, & te amare non potuit, quin te cognosceret, cùm nihil sit difficilius, quàm te cognoscere, cùm omnis nostra cognitio à sensibus originem trahat, qui sunt tanquam portæ, per quas rerum imagines, quibus res cognoscimus, ad animum nostrum perueniunt. Tu Domine, cùm sis infinitus, non potes per hæc angusta postica ingredi: cumq; nequeam ego in me vllas fingere species, quę mihi tam excelsam rem quasi ante oculos ponãt, quomodo te intelligam? O altissima substantia, ô nobilissima essentia, ô incomprehensibilis maiestas, quis te cognoscet? Creaturas

Sap. 11. turas omnes cùm tu creaueris numero, pondere, & mensura, suas naturas virtutesq; finitas, & quasi limitibus contentas habent, quarum fines & limites vt transirent noluisti. Multum agit ignis calefaciendo, Sol illuminando, & eius virtus latissimè patet: hæ tamen creaturæ suos cognoscunt fines ac terminos, quibus quidem egredi minimè possunt. Propter hanc causam potuit anima nostra quasi oculorum acie hæc omnia percipere atq; complecti, cùm omnia suis contineantur finibus. Tu autem Domine, cùm sis infinitus, nullo comprehendi potes orbe, nullus intellectus potest ad vltimos tuæ substantiæ terminos, quos non habet, peruenire: supra omnes species, supra omnia genera, supra creata omnia situs es: quemadmodũ enim nullum habes superiorem, ita etiam tua ditio nullis finibus continetur. Totus terrarum orbis, quẽ tam magnum creasti, potest quidem per Oceanum ab homine peragrari: quamuis enim sit tantus, eius tamen magnitudo mensurari potest. Quis tamen te maximum Oceanum circuire poterit? Es duratione æternus, virtute infinitus, ditione supremus. Tu in tempore esse non incepisti, non desinis esse cum mũdo, imò tempus omne es, in mundo imperas, & extra mundum: tam enim quę non sunt, quàm quę sunt, vt ęquè sint, profectò facis.

Cùm sis igitur tam magnus, quis te cognoscet? qui suę naturæ humilitatem non intelligit, qua ratione tuam altitudinem cognouerit? Nemo hactenus Philosophus nostræ animæ, qua viuimus, cuius officium & effectus quotidie experimur, essentiam & naturam intelligere potuit, & illud in causa est, quòd ad tuam imaginem & similitudinẽ facta est. Cùm in tanta igitur ignoratione versemur, quomodo supremam, & incomprehensibilem substantiam tuam assequi poterimus?

Quod etsi ita se habet, non possum tamen, nec debeo Saluator mi, prouinciam hanc, etsi difficilem, omittere. Nolo sine hac cognitione, quę nostri amoris est origo, vitam agere. Meorum oculorum acies obtusa est, imò cęcus sum: tua tamen gratia pręstabit, quod natura negauit. Nulla sapientia est alia, nisi in te sapere; nulla datur quies, nisi in teipso; nulla voluptas, nisi qua perfunditur homo, cùm tuam pulchritudinem intuetur, etsi referatur ad id, quod tuę creaturæ possunt.

Etsi parum sit omnino illud, quod de te cognoscimus: pręstantius tamen est pauca de tuis excelsis rebus intelligere, licet obscurè, quàm multa de humilibus atque demissis, licet ea maxima perspicuitate cognoscantur. Si te totum minimè cognouerimus, eam saltem partem assequemur, quam nostræ vires possunt: & quod cognouerimus, id amabimus, & id quidquid erit, eo nostra anima erit contenta: quemadmodum & auis ea contenta est aqua, quam fert rostro, licet fontem secum ferre non possit.

Eò magis, Domine, id sperare debeo, quòd tua gratia ita meam adiuuabit infirmitatem, vt si te amare incepero, pro hoc amoris principio alium mihi daturus sis amorem quidem, & id cum maiori tuæ gloriæ cognitione, quemadmodũ in tuo Euangelio promisisti, vbi inquis: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* quod est nobis maiorem tui cognitionem dare, vt magis te quoque amemus. Ad id quoque fides nostra sancta & catholica, & sacræ scripturæ adiuuant. In quibus Domine voluisti nobis mirabilia tua manifestare, vt hæc tam magna cognitio in nobis tui nominis

Ioan. 14.

Digitized by Google

minis amorem atque venerationem pareret. Ad id quoque conferunt creata omnia, quæ exclamant semper, & nos adhortantur, vt te amemus, & docent, id nobis potissimùm faciendum esse. Hic quidem in earum perfectione tua pulchritudo elucet, & in vsu tua in nos beneuolentia, & ita nos ad te amandũ impellunt tum eo, quòd in te ipsum, tum in nos te esse ex omni parte conspicimus. Quid aliud est, Domine, totus hic mundus, qui sensibus percipitur, quàm speculum quoddam à te nobis ante oculos positum, vt in eo tuam pulchritudinem cõtemplaremur? Illud enim compertissimum est, quòd quemadmodum tu in cęlis nobis eris speculum, in quo creata omnia cernamus, ita in hoc exilio creata nobis sunt speculum, in quo te cognoscamus. Hac igitur ratione hic visibilis mundus quid aliud est, quàm quidam magnus ac mirabilis liber, quem tu Domine scripsisti, omniumq; ante oculos posuisti, tam Græcorum quàm barbarorum, peritorum atq; ignorantium, vt in illum incumberent omnes, & ex illo quidnam sis perciperent. Quid igitur aliud erunt pulchræ ac perfectæ creaturæ huius mundi, quàm totidem literæ perpolitæ, quæ sui factoris excellentiam, atque sapientiam præ se ferunt? Quid igitur creaturæ omnes aliud erunt, quàm totidem concionatores, quæ suum auctorem enuntiant? eius nobilitatis testes? eius pulchritudinis speculum? eius gloriæ nuntij? nostræ ignauiæ detestatrices? nostri amoris stimuli? ingrati nostri animi iudices? Cùm autem tuæ perfectiones Domine sint infinitę, nulla creatura fieri poterat, quę referret omnes. necesse quidem fuit plurimas creare, vt quælibet pro se, illius partem aliquam nobis ostenderet. Hac igitur ratione formosæ creaturæ tuam pulchritudinem prædicant, fortitudinem fortes, magnæ magnitudinem, artificiosæ sapientiam, splendentes claritatem, dulces suauitatem, bene ordinatæ atque prouisæ miram tuam prouidentiam. Quàm multis, fidelibusq; testimonijs es nobis testatus, quàm multis rebus cognitus. Vniuersitate non Parisiorum, aut Athenarum, sed creaturarum omnium probatus: cùm tam multa sint, quę pro te spondent, quis tibi fidem non præstabit? quis tam multis testibus non credet? quem non maxima perfundent voluptate modi tam multis tamq; suauibus vocibus, qui tonis tam diuersis nobis tuæ gloriæ magnitudinem prædicant? Qui huiusmodi voces non audit, est quidem surdus; & qui te tam miris fulgoribus non videt, cæcus; & qui te his visis non laudat, mutus; quiq; tam multis argumentis ac testibus creaturarũ omnium sui Creatoris nobilitatem non cognoscit, est profectò demens. Hæc quidem vitia omnia in nobis sunt, qui tot ac tantis tuæ præstantiæ argumentis te tamen ignoramus. Quod arboris foliũ, quis flos campi, quis tam paruus vermis est, cuius corporis structuram, si animaduerteremus diligenter, quin in illo profectò multa cerneremus admiratione digna? Quæ creatura est in vniuerso mundo, quamuis minima, quę nobis admirationi non sit? Cùm autem simus tam miris rebus vndiq; septi, te non cognoscimus? te nõ laudamus, ac prędicamus? qui non habemus cor inflammatum, vt ex operibus eius artificium intelligamus? oculos, vt in facturis suis eius perfectionẽ cognoscamus; aures ad audienda ea, quæ de illo narrant. Splendor creaturarum nostra ferit corda, artificium vnà cum pulchritudine delectat intellectum: & intellectus noster est tam hebes, vt longiùs nõ possit prospicere, vt in illis sui factoris pulchritudinem cernat, illiusq; voluptatis datorem.

 Nos

Nos habemus profectò, vt pueri, quibus si offeratur liber literis auro varijsq; coloribus elaboratis conscriptus, ex illis quidem maximam percipiunt intuendo voluptatem, illisq; tanquam iocularibus vtuntur; eas tamen nec legunt, nec quid sibi velint scire volunt. Ita nos quoque, imò peius quàm pueri, cùm hunc tam mirum huius vniuersi librum ante oculos proposueris, vt per creaturas tanquam per viuas literas Creatoris, qui huiusmodi rebus vtitur, excellentiam, & amorem, qui cuncta pro nobis fecit, legeremus, atque cognosceremus; tanquam pueri nihil aliud nisi voluptatem ex illis percipimus, cùm pulcherrimę sint, nec enim aduertimus quidnam illud sit, quod per eas Dominus nobis significare velit. O diuinorum operum vastatores, ô pueri, imò infantes in sensibus, ô præuaricatores, diuinorumq; consiliorum inimici. Sunt nonnulli (inquit D. Augustinus) qui cùm tua signa intuentur, voluptate afficiuntur illi quidem; quid tamen velis significare per ea, docerêve, quod est sui Creatoris notitiam scire, negligunt.

Ne permittas, Domine clementissime, in me tam ingratum animum esse, meis oculis tantam nubem obductam; sed, quæ tua bonitas est, meis oculis lumen, vt te videam, afferas; vt te laudem, os meum adaperias; meum cor accendas, vt in omnibus creaturis te cognoscam, diligam, & adorem, tibiq; gratias agam, quòd illarum beneficio te video, & ne in notam & infamiam
Sap. 5. ingrati animi incurram. In Sapientiæ enim libro scriptum est, fore, vt in nouissimo die omnes creaturæ aduersus illos stent, qui sensibus non fuerint vsi. Æquum est enim, vt, quæ creaturę nobis datæ fuerunt, vt illis ad Dei cognitionem vteremur, cùm illis vsi non simus, in nos concurrant, vt merita pœna
Ioan. 14 afficiamur. Tu Domine, cùm sis via, veritas, ac vita, esto mihi in hoc itinere dux prouidentia tua; meum edoce intellectum tua veritate, meæq; animæ tuo amore vitam præbe. Magnum est quidem negotium à creaturis ad Creatorem ascendere, magnum est intueri tanti artificis opera, & artificium, quo fuerunt condita, cognoscere, & per hæc omnia consilium artificis, atque sapientiam; qui parui lineamenti artificium animaduertere nescit, si magni cuiusdam artificis manu sit descriptum, qui poterit tantæ picturæ, vt hic visibilis mundus est, intelligere?

Nobis huius mundi mirabilia cogitantibus illud accidit, quod agricolæ, vel aliquam sibi ignotam ciuitatem ingredienti, vel regiam domum multis ac magnis cubiculis & cameris constructam, qui pulchritudine ædificij attonitus, oblitus quà sit ingressus, si duce caret, nec progredi, nec regredi nouit. Si palatia omnia, omnesq; ciuitates velimus cum ista regali domo, quam tu creasti, conferre, quid aliud sunt, quàm hirundinum nidi? Quid igitur? si in tam paruis latebris rationalis creatura viam penitus ignorat, quid faciet in tam magna domo, tam multis, tamq; varijs rebus referta? qui mergitur in riuulo, quomodo in mari maximo atque mirabili tutò nare poterit? Tu igitur hoc tempore me ducas oportet Domine, rusticum hunc hominem rure venientem per manum ducas, tuiq; Spiritus digito ei mirabilia tuorum operũ, atque mysteria ostendas, vt in his tuam sapientiam cognoscat, ac veneretur, vnà cum tua potentia, pulchritudine, bonitate, prouidentia, vt te benedicat & laudet in secula seculorum, Amen.

QVI-

Digitized by Google

QVIBVS RATIONIBVS PER NATVRALE LVMEN Philosophi Deum esse cognouerint. Cap. III.

PRIMVS nostræ fidei articulus est, Deum esse, credere; id est, vniuersum hunc mundum principium, primumque motorem habere, primam veritatem, bonitatem, primamque causam, à qua cæteræ pendent causæ, & hanc à nulla originem trahere. Hoc est nostræ fidei fundamentum, & quod primum nobis credendum est. Apostolus enim inquit: *Credere oportet accedentem ad Deum, quòd sit.* Hæc autem veritas lumine naturali manifestatur, hanc euidentibus demonstrationibus assequimur, quam olim multi Philosophi sunt assecuti, & sapientes homines hoc tempore consequuntur; dum per ea, quæ in hoc mundo fiunt, causam primam, à qua proficiscuntur, intelligunt. Propter hanc causam D. Thomas scriptum reliquit, sapientes huius articuli fidem non habent: cùm habeant illius apertissimas rationes, quæ cum obscuritate, quæ cum fide copulata est, non admittũtur. Cùm autem inanes homines eas intelligere nequeant, sed credant tantùm, quòd Deus reuelauerit, & Ecclesia ad credendum proponit, ob id illis fidei hic articulus est. Heb. 11. Tho. 1. 1.

Sed iam videamus rationes, quibus vsi sunt Philosophi ad hanc veritatem comparandam, quod nobis quidem ad id conducet, vt maiori lætitia ea complectamur, quæ nostra fides testatur. Cùm enim fides cum ratione, & ratio cum fide copulatur, cùm altera alterius rationem reddat; in anima nostra Dei notitia firma, certa, & euidens oritur, in qua sua stabilitate fides nos cogit, & ratio suo lumine voluptate nos afficit. Fides nobis Deum velo suæ ipsius magnitudinis tectum tradit, sed ratio euidens aliquam huius veli partem remouet, vt illius pulchritudo conspiciatur. Hæc duo lumina nubes omnes remouent, nostras conscientias serenas reddunt: sunt intellectus quies, dubitationes tollunt, vias planiores efficiunt, in causaque sunt, vt hanc supremam veritatem cum voluptate complectamur. Quamobrem duos habemus præceptores: alter, scripturæ sacræ; alter, omnia creata sunt. quorum vtrunque nobis maximè ad Creatorem cognoscendum conducit. Propter hanc causam hic nonnulla attingemus fundamenta, & rationes, quibus vsi sunt Philosophi, vt hanc sibi veritatem compararent. Nonnulla, inquam: hic enim ea tantummodò attingemus, quæ clariora, & accommodatiora ad populi captum, relictis alijs Theologorum scholis, quæ acutiora sunt.

Id fortasse inter Christianos minimè tractandum nonnullis videbitur, cùm omnes huic articulo fidem præstent. Quod etsi ita se habeat: tamen cùm sæpe aliâs, & nunc videamus homines ita extra se positos, & ab ipsa ratione alienos, vt etsi mente & intellectu Deum adesse fateantur, eundem tamen suis actionibus negent: eadem enim ratione viuunt dum credunt, ac si non crederent: ijs igitur, quibus fidei lumen est tam obscurum, abditumque, proderit fortasse ostendere rationis lumine, quòd Deus sit: si fortè id eos impellat, atque persuadeat. Præterea aliam hinc vtilitatem, & maiorem percipiemus, & omnibus communiorem, quòd quæcunque nobis Deũ esse prædicant, eadem multas illius perfectiones nobis adaperiunt, & maximè illius

ſapientiam, omnipotentiam, bonitatem, prouidentiam, qua regit omnia, & moderatur.

Omnium autem horum illud fundamentum magis ſub ſenſum cadit, quod ex rerum ordine ducitur. In hoc enim mundo diuerſi creaturarum gradus cernuntur, & in huius ordinis inferiori gradu quatuor elementa, quæ ſimplicia corpora ſunt, & duarum tantummodò qualitatum participantia, ponimus. In ſecundo gradu ſunt mixta imperfecta, vt nix, pluuia, grando, ventus, gelu, & cætera huiuſmodi, quòd hæc magis compoſita referunt. In tertio ſunt ea, quæ perfectè mixta ſunt, vt lapides, vniones, metalla, in quibus quatuor elementa permixta penitus fatentur omnes. In quarto ea volumus eſſe, quæ præterea habent vitam, augentur, atque decreſcunt, vt ſunt arbores, atque plantæ. In quinto ſunt animalia imperfecta, quæ non vitam solùm, ſed & ſenſum habent, etiamſi motu carent, vt oſtrea, & cætera huiuſmodi marina. In ſexto adſunt perfecta animalia, quæ præter ſenſum ſunt motus participantia, vt piſces, aues, & cætera huius generis. In ſeptimo hominem ponimus, qui præter ea, quæ dicta ſunt, eſt rationis & intellectus particeps, quibus à natura ferarum longiſſimè abeſt. Supra hominem Angelum collocamus, qui altiorem intellectum habet, & eſt ſpiritualis ſubſtantia ab omni materia ſeparata: & inter Angelos adeſt ordo, cùm alij alijs naturæ præſtantioris ſint: & ſi D. Thomæ ſententiam (qui non multum ab Ariſtotele differt) ſequemur, non reperiuntur duo Angeli, qui in eodem naturæ gradu conſiſtant, etiamſi minimè numero comprehendi poſſint: ſed ſemper alius alio naturæ præſtantioris eſt. Per hunc igitur ordinem aſcendendo, vel dabimus proceſſus in infinitum, vt nunquam ad aliquem vnum vltimum perueniamus, (quod in natura minimè fieri poteſt) aut ad rem omnium perfectiſſimam noſter peruenerit intellectus. Hæc igitur res cùm ſit in altiſſimo gradu omnium collocata, & ſuper omnibus rebus ſita, illa eſt, quem Deum, primamqúe veritatem, primam cauſam, primum motorem, omniumqúe rerum auctorem vocamus. Hanc huiuſmodi eſſe neceſſe eſt, quæ à nullo creatore, aut factore, vel creata, vel facta ſit: id enim eſſet illo præſtantius, cùm Creator creatura, & factor factura ſit perfectior. Ex quo illud ſequitur, vt hic Dominus ſit æternus, & ſine principio, cùm à nullo aut creari, aut fieri potuit. Hoc eſt primum fundamentum, quod ab ordine rerum ducitur.

Secundum illud eſt, quod à rerum motu proficiſcitur: ex quo tanquam principium illud colligimus, quòd quæcunque corpora mouentur, aut intrinſecus, aut extrinſecus aliquid habent, cuius virtute atque vi mouentur. Quod tum in homine, tum in cæteris animalibus conſpicitur, quorũ corpus mouetur, & anima mouet. Et id ex eo colligitur, quòd diſcedente anima, ſtatim motus, qui ab illa proficiſcitur, penitus concidit. Nunc autem relicto terræ motu, ad illius cæli motum aſcendamus, quod ſupra ſtellatum cælum eſt, & inferiores mouet orbes, & omnium motuum, qui fiunt in terris, cauſa eſt, quod ita concitatiſſima mouetur conuerſione, vt vnius naturalis diei ſpatio totum mundum circumeat. Hoc igitur cælum, ex fundamentis ſuperiùs iactis, aliquem motorem, quo moueatur, habeat neceſſe eſt. De hoc autem motore illud quæritur, habeátne illam vim, qua mouet, ab alio, nec ne: ſi ab

si ab alio illam non habet, sed à seipso, & ea est eius natura, atque potentia, eum esse Deum nobis dicendum est. Is enim Deus est, qui cùm sit omnium summus, in eo quod vel est, vel potest, à nulla re, nisi à seipso pendet. Sin autem dixeris, habere aliud superius, à quo & essentiam, & vim habeat mouendi; de hoc superiore illud idem quæram, quod de inferiore quæsiui, vt si pluries quæratur, aut dabitur processus in infinitum, (quod fieri non posse diximus) aut tandem ad aliquod primum mouens perueniendum est, à quo cæteri pendeant motores; & ad primam causam, à cuius vi cæteræ causæ suas concipiãt vires, & hæc illa est, quam Deum esse dicimus. Hæc est illa demonstratio, qua probabant Philosophi, reperiri motorem, qui non ab alio, sed à seipso tantummodò penderet. Qui autem huius demonstrationis vim percipiunt, huius articuli fidem non habent, cùm habeãt (vt dictum est) illius euidentiam. Pro his autem hic non dicitur fidei articulus, sed dispositio, ac præparatio (vt sanctus Doctor ait) ad fidem.

Alia Philosophi habuerunt argumenta, quæ Cicero magnifacit, & iure optimo. Ex quibus illud vnum est, quòd cùm tam multæ, tamq; variæ sint orbis terrarum gentes ac nationes, nulla est tam barbara, neque tam fera, quæ præter (quòd verum Deum non cognoscat) non intelligat tum Deũ esse, tum eum aliqua religione colat ac veneretur. Huius autem rei illud in causa est, quòd (præter huius mundi pulchritudinem, & ordinem, quæ testantur esse Deum, qui eum gubernat) idem Creator quemadmodum in omniũ cordibus hominum naturalem quandam propensionem, qua parentes suos amarent ac vererẽtur; ita etiam in illis ingenitam voluit similem inclinationem, qua Deum, vt vniuersalem parentem rerum omnium, defensorem, atque gubernatorẽ colerent atque venerarentur. Hinc oritur huiusmodi cultus, atque religio, licet falsa, quæ in omnibus gentibus cernitur. Quæ ita est in omnium hominum animis impressa, vt pro ea solùm sæpe, nullaq; alia de causa, gentes inter se contendant, ac digladientur, vt inter Ethnicos ac Christianos fieri sæpe contingit. Cùm enim existiment omnes suam religionem esse veram, & per eam Deum verè coli, non per aliam; suum esse officiũ existimãt ac partes, pro Deo pugnare aduersus illos, qui Deum, vt honorandum existimant, non honorent, adeò in humanis mentibus Dei cultus, ac religio impressa est. Præterea quod maius est, quotidie ab alijs ad nostram religionem, relictis vxoribus, filijs, possessionibus, honestissimisque muneribus, se recipiunt; vt in quodam viro nunc videre licet, qui cùm multis ante annis fidem negaret, relictis ijs, quæ dixi, omnibus pro vera fide, ad Christianos perfugium habere voluit. Ex quo facilè cõspici potest, quàm altè radices Creator omnium voluerit agere in cordibus hominum hoc religionis semen, cùm illorum, quæ diximus, affectus, etiam si maximi sint, facilè superet. Illud idem regnante Esdra filijs Israel cõtigisse legitur, qui cùm essent cum mulieribus gentilium matrimonio coniuncti, quãdo ex Babylonica captiuitate reuersi sunt, reliquerunt vxores cum filijs ex se natis, ne Dei legem negligerẽt, quæ huiusmodi matrimonium vetabat. 1. Esd. 10.

Huius quoque veritatis illud maximo argumento est, quod ab eadem, quam diximus, propensione originem trahit, quòd quotiescunque homines se in aliqua calamitate & miseria esse conspiciunt, non alia re, sed natura

solùm

Digitized by Google

solùm ducti, cogitationes suas ad Deum conuertunt, vt ab eo auxilium petat. Cùm hic motus sit ita velox, vt rationem ipsam præcedat; illud sequitur ab ipsa hominis natura emanare, quæ cùm sit ab ipso Deo condita, Deusq; nihil agat frustra, facilè Deum esse, & infinitè perfectum, ostendit. Hæc enim hominis actio, dum ad Deum perfugit, est vox quædam, & testimonium ipsius naturæ, quæ in hac re confitetur, quòd ille diuinus præsul omnia videt, omnibus consulit, & vbique præsens est. Hic illius prouidentiæ bonitatem, misericordiam, in homines beneuolentiam, illosq; iuuandi cupiditatem cõfitetur: cùm ipse Deus, cùm hominem creauit, hanc propensionem in illo impresserit, qua moueretur homo in angustijs positus ita, vt ad Deum tanquam ad patrem confugiat.

Quintum argumentum, quo Philosophi cum omnibus hominibus ducti Deum esse cognoscerent, est huius mundi constructio, ordo, harmonia, pulchritudo, & magnitudo; quæ omnia in præcipuis illius partibus, cælo, stellis, planetis, terra, aqua, aere, igni, ventis, pluuijs, niuibus, fluminibus, fontibus, plantis, & in cæteris omnibus, quæ in mundo sunt, facilè conspiciuntur. Hanc considerationem cum duabus sequentibus copiosè Cicero orator elegantissimus & philosophus sub persona cuiusdam philosophi Stoici pertractat. Cùm autem hic philosophicis rationibus disseramus, visum est mihi in hunc transferre locum, quod hic Philosophus sensit, & ijsdem Ciceronianæ eloquentiæ verbis: nonnullis tamen omissis, quæ suis locis tractantur. Lectorem tamen admonitum volo, quòd quotiescunque pro Deo legitur Dij, eum vt ethnicum Philosophum verba facere; & quemadmodum in hac re fallitur, ita etiam vbi ait, Deum magna tantùm, non autem parua curare;
Matt.10. quod dissentit ab eo, quod docuit Magister ille, qui descẽdit de cælis, cùm inquit, quòd nec passerculus cadit super terram sine Patre vestro. Sic igitur inquit ille Philosophus:

Mundi administratio nihil habet in se, quod reprehendi possit. &, si quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet, aut id, quod fieri non potuit, desiderabit. Quòd si omnes mundi partes ita constitutæ sunt, vt neque ad vsum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores: videamus, vtrùm ea fortuita sint, an eo statu, quo cohærere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante, diuinaq; prouidẽtia. Si ergo meliora sunt ea, quæ natura, quàm illa, quæ arte perfecta sunt: nec ars efficit quidquam sine ratione: ne natura quidẽ rationis expers est habenda. Qui igitur conuenit, signum, aut tabulam pictam cùm aspexeris, scire adhibitam esse artem: cumq; procul cursum nauigij videris, non dubitare, quin id ratione, atque arte moueatur: aut cùm solariũ vel descriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas arte, nõ casu: mundum autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilij, & rationis esse expertem putare?

Sed ad maiora redeamus. Ex æthere igitur innumerabiles flammæ siderum existunt: quorũ est princeps Sol, omnia clarissima luce collustrans, multis partibus maior, atque amplior, quàm terra vniuersa: deinde reliqua sidera magnitudinibus immensis. Atq; hi tanti ignes, tamq; multi non modò nihil nocent terris, rebusq; terrestribus, sed ita prosunt, vt, si mota loco sint, conflagrare terras necesse sit à tantis ardoribus, moderatione, & temperatione sublata.

Digitized by Google

lata. Et paucis interiectis illud addit Cicero: Praclarè ergo Aristoteles, Si essent, inquit, qui sub terra semper habitauissent, bonis, & illustribus domicilijs, quæ essent ornata signis, atque picturis, instructaq; rebus ijs omnibus, quibus abundant ij, qui beati putantur, nec tamen exissent vnquam supra terrā: accepissent autem fama, & auditione, esse quoddam numen, & vim deorum: deinde aliquo tempore, patefactis terræ faucibus, ex illis abditis sedibus euadere in hæc loca, quę nos incolimus, atque exire potuissent: cùm repetè terram, & maria, cælumqúe vidissent: nubiū magnitudinem, ventorumq; vim cognouissent, adspexissentq; Solem, eiusq; tum magnitudinem, pulchritudinemqúe, tum etiam efficientiam cognouissent, quòd is diem efficeret, toto cælo luce diffusa: cùm autem terras nox opacasset, tum cælū totum cernerent astris distinctum, & ornatum, Lunæq; luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumq; omnium ortus, & occasus, atque in omni æternitate ratos, immutabilesq; cursus: hæc cùm viderent, profectò & esse Deos, & hęc tanta opera Deorum esse arbitrarentur. Atque hæc quidem ille.

Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantæ quondā eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obscurauisse dicuntur, vt per biduum nemo hominem agnosceret: cùm autem tertio die Sol illuxisset, tum vt reuixisse sibi viderentur. Quòd si hoc idem ex æternis tenebris contingeret, vt subitò lucem adspiceremus: quænam species cæli videretur? Sed assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorū assuescunt animi: neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerū, quas semper vident: perinde, quasi nouitas nos magis, quàm magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare. Quis enim hūc hominem dixerit, qui cùm tam certos cæli motus, tam ratos astrorum ordines, tamq; omnia inter se connexa, & apta viderit, neget in his vllam inesse rationem, eaq; casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? an cùm machinatione quadam moueri aliquid videmus, vt sphæram, vt horas, vt alia permulta: non dubitamus, quin illa opera sint rationis: cùm autem impetū cęli admirabili cum celeritate moueri, vertiqúe videamus, constantissimè conficientē vicissitudines anniuersarias, cum summa salute, & cōseruatione rerum omniū: dubitamus, quin ea non solùm ratione fiant, sed etiam excellenti quadam, diuinaq; ratione? licet enim iam, remota subtilitate disputandi, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas diuina prouidentia dicimus constitutas. Ac principiò terra vniuersa cernatur, locata in media mundi sede, solida, & globosa, & vndique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus. Quorum omniū incredibilis multitudo, insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concauas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatesqúe camporum: adde etiā reconditas auri, argentiq; venas, infinitamq; vim marmoris. Quæ verò, & quàm varia genera bestiarum vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapsus, atque cantus? qui pecudū pastus? quæ vita siluestrium? Quid iam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terræ constituti, nō patiuntur eam nec immanitate beluarū efferari, nec stirpium asperitate vastari: quorumqúe operibus agri, insulæ, litoraqúe collucent, distincta tectis, & vr-

& vrbibus. Quæ si, vt animis, sic oculis videre possemus, nemo cũctam intuens terram de diuina ratione dubitaret. At verò quanta maris est pulchritudo? quæ species vniuersi? quæ multitudo, & varietas insularum? quæ amœnitates orarum, & litorum? quot genera, quamq; disparia partim submersarum, partim fluitantium, & innatantium beluarum, partim ad saxa natiuis testis inhærentium? Ipsum autem mare sic terram appetens litoribus cludit, vt vna ex duabus naturis conflata videatur. Exinde mari finitimus aer, die, & nocte distinguitur: isq; tum fusus, & extenuatus in sublime fertur: tum autem concretus, in nubes cogitur: humoremq; colligens terram auget imbribus: tum effluens huc, & illuc, ventos efficit. Idem annuas frigorum, & calorum facit varietates: idemq; & volatus alitum sustinet, & spiritu ductus alit, & sustentat animantes. Restat vltimus, & à domicilijs altissimus, omnia cingens, & coercens cæli complexus: qui idem æther vocatur, extrema ora, & determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima igneæ formæ cursus ordinatos definiunt. Ex quibus Sol, cuius magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam voluitur. isq; oriens, & occidens, diem, noctemq; conficit: & modò accedens, tum autem recedens, binas in singulis annis reuersiones ab extremo contrarias facit: quarum interuallo tum quasi tristitia quædam contrahit terram, tum vicissim lætificat, vt cum cælo hilarata videatur. Luna autẽ, quæ est, vt ostendunt Mathematici, maior, quàm dimidia pars terræ, ijsdem spatijs vagatur, quibus Sol: sed tum congrediens cum Sole, tum digrediẽs, & eam lucem, quam à Sole accipit, mittit in terras, & varias ipsa mutationes lucis habet: atque etiam tum subiecta, atque opposita Soli, radios eius, & lumen obscurat: tum ipsa incidens in vmbram terræ, cùm est è regione Solis, interpositu, interiectuq; terræ, repentè deficit. ijsdemq; spatijs hæ stellæ, quas vagas dicimus, circũ terram feruntur, eodemq; modo oriuntur, & occidunt. Quarum motus tum incitantur, tum retardantur, sæpe etiam insistunt. Quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo: quarum ita descripta distinctio est, vt ex notarum figurarum similitudine nomina inuenerint. Vt plaustrum, vrsa minor, & reliqua; quæ nauigantibus tanquam duces sunt. Hæc omnia Cicero, qui ex mundi fabrica, pulchritudine, & vtilitate potiorum partium, & ordine, & inuariabili constantia cæli motuum, argumentatur, atque probat minimè fieri posse, vt hęc tanta, tam vtilia, tam pulchra, tam bene disposita, casu & temerè operentur, sed habere sapientissimum artificem, atque administratorem.

Et paulò infra, cùm diuinam curam, atque prouidentiam, qua humanis necessitatibus consulit, exponeret, docet, quòd præter totius mundi victũ alijs in locis alias res gigni voluit, ad omnium hominum cultum, atque abundantiam. Ita ille subiungit: AEgyptũ Nilus irrigat, &, cùm tota æstate obrutam, oppletamq; tenuerit, tum recedit, mollitosq;, & oblimatos agros ad serendũ, relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates: in quam quotannis quasi nouos agros inuehit. Indus verò, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solùm agros lætificat, & mitigat, sed eos etiam conserit. magnam enim vim seminum secum frumenti, & similium dicitur deportare. Multaque alia in alijs locis commemorabilia proferre possum: multos fer-

tiles

Digitized by Google

tiles agros alios aliorum fructuum. Sed illa quanta benignitas naturæ, quòd tam multa ad vescendum, tam varia, tamq́ iucũda gignit: neque ea vno tempore anni: vt semper & nouitate delectemur, & copia? Quàm tempestiuos autem dedit, quàm salutares non modò hominum, sed etiam pecudum generi, ijs denique omnibus, quæ oriuntur è terra, ventos etesias? quorum flatu nimij temperantur calores. Ab ijsdem etiam maritimi cursus celeres, & certi diriguntur. Multa prætereunda sunt: & tamen multa dicuntur. Enumerari enim possunt fluminum opportunitates, æstus maritimi multùm accedentes, & recedentes: montes vestiti, atque siluestres: salinæ ab ora maritima remotissimæ: medicamentorum salutarium plenissimæ terræ: artes denique innumerabiles, ad victum, & ad vitã necessariæ. Iam diei, noctisq́ vicissitudo conseruat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic vndiq́ omni ratione concluditur, mente, consilioq́ue diuino omnia in hoc mundo ad salutem omnium, conseruationemq́ue admirabiliter administrari.

Hæc sunt Ciceronis sub persona cuiusdam philosophi Stoici, qui tam accuratè colligens quæcunque in mundo sunt, contemplatione mirabilium Dei operum prouidentiaq́ pascebat animum suum, & recreabat. quare Christianos homines pudere debet, cùm illis nulli curæ sit, vt in tam admirabilium rerum contemplatione versentur.

Ex his autem omnibus illud maximè mirum videri debet, quonam modo hęc vniuersa, vt concentus & modulatio quędam ex diuersis vocibus cõstans, æquabiliter sonent, vt homini seruiant, ad cuius vsum creata fuerunt, & illa sint ad id efficiendum consentientia, vt nihil fit, quod illi, vel animo, vel corpori nullam vtilitatem afferat. Qua in re illud animaduertendum est, vt alia alijs auxilium præstant, non aliter, ac multi famuli; qui etsi diuersa curant, in id tamen omnes incumbunt, quod sibi commissum est, vt vni domino suum seruitium præstent. Hinc ille ex tam multis rebus æquabilis efficitur concentus, vt homini solùm cuncta deseruiant. Aliquod exemplũ in medium afferamus: incipiamus autè ab homine, qui (vt Philosophus testatur) est tanquã finis, ad quẽ hic mundus inferior ab ipsa diuina prouidentia refertur. Hic autem variorum animalium indiget carne, vt nutriatur; corijs, ac lana, vt vestiatur, & calceetur; viribus, vt terram colat, pondera vehat, & hac ratione hominis labore leuet. Hæc verò animalia herba & pascuis indigent, vt nutriantur. Hæc pluuijs, quibus terra irrigatur, generantur, & augentur. Hę vaporibus, qui à terra in sublime Solis vi tam à terra ferũtur, quàm à mari, generantur. His opus est ventis, vt de mari in terram ferantur. Venti à terrę exhalationibus fiunt. Propter hanc causam cęli influentię, & Solis calor opus sunt, qui eas trahat, & in sublime ferat. Cęlo opus est intelligentia, qua moueatur; huic autem prima causa, qui Deus est, vt eam in suo contineat officio, atque conseruet. Ex omnibus alijs creatis rebus exempla ducere possemus, ostendereq́ue quonam modo aliæ alijs sint auxilio, & omnes tandem ad id vnum referri, vt homini, cuius causa creatæ fuerunt, deseruiant.

Hinc licet admirari diuinã prouidentiã, quæ ita causas omnes ordinauit, vt aliç aliarum auxilio & ministerio indigerẽt, & nulla in omnes partes sibi sufficeret: vt inde ab hominibus colendi idola occasio tolleretur, cùm viderent pręstantiores creaturas aliarum auxilio & opera indigere. Sol enim est,

qui inter omnia in creatione maiorem vim fortitus est, & meritò; cùm ille omnibus stellis lucem, & vnà efficientiam, vt influant, præbeat. Hic autem planeta proprio motu ad nos accedendo, recedendoq; quatuor anni tempora efficit, hyemem, ver, æstatem, & autumnũ, quę ad rerum generationem necessaria sunt. Idem Sol, vt diem, atque noctem, quæ non minùs necessaria sunt, adducat, indiget primi cæli motu, quod diei naturalis spatio efficit, vt Sol totum mundum circumeat, ex quo dies, atque nox efficitur. Eadem ratione reliqui planetæ, stellæque omnes pro diuersis aspectibus ad Solem in terris diuersos effectus producere solent, vt sunt pluuiæ, serenitates, venti, frigora, calores, & cætera eiusmodi. Hæc autem catena, vel potiùs quasi creaturarum omnium concentus, ex diuersis vocibus constans, adduxerunt Auerroem, vt crederet, non nisi vnum esse Deum. Minimè enim fieri potest, vt tam multa, tamque diuersa ad vnum finem ordine reducantur, nisi aliquis adsit artifex, qui ea rectà ad finem suum perducat. Sin autem duo, vel plures essent Dij inter se minimè concordes, neque alij alijs seruientes, hæc vnitas minimè reperiri posset: quòd quilibet per suam viam traheret, & sibi inuicem impedimento essent: vt nauigium inter duos sibi inuicem contrarios ventos positũ, quod, dum ita se haberet, minimè moueretur.

Hanc pulcherrimam huius mundi figuram Seneca ad quandam nobilissimam Romanam fœminam elegantissimè his verbis describit: Puta nascenti me tibi venire in consilium. intratura es vrbem Dijs hominibusq; communem, omnia complexam, certis legibus æternisque deuinctam, indefatigata cælestium officia voluentem. Videbis illic innumerabiles stellas, miraberis vno sidere omnia impleri, Solem quotidiano cursu diei noctisque spatia signantem, annum, æstatem, hyememq; æqualiter diuidentem. Videbis nocturnam Lunæ successionem à fraternis occursibus lene remissamq; lumẽ mutuantem, & modò occultã, toto ore terris imminentẽ, accessionibus, damnisq; mutabilem, semper proximę dissimilẽ. Videbis quinq; sidera diuersas agentia vias, & in contrarium pręcipiti mundo nitentia: ex horum leuissimis motibus fortunę populorum dependent, & maxima ac minima proinde formãtur, prout æquum iniquumve sidus incessit. Miraberis conlecta nubila, & cadentes aquas, & obliqua fulmina, & cæli fragorem. Cùm satiatos spectaculo supernorum in terrã oculos deieceris, excipiet te alia forma rerũ, aliterq; mirabilis. Hinc camporum in infinitum patentium fusa planicies. Hinc montium magnis & niualibus surgentium iugis, erecti in sublime vertices, deiectus fluminum, & ex vno fonte in Orientem Occidentemque defusi amnes, & summis cacuminibus nemora nutantia, & tantum siluarum cum suis animalibus, auiumque concentu dissono. Varij vrbium situs, & seclusæ nationes locorum difficultate, quarum aliæ se in erectos subtrahunt montes, alię ripis, lacu, vallibus, palude, circumfunduntur: adiuta cultu seges, & arbusta sine cultore fertilia, & riuorum lenis inter prata discursus, & amœni sinus, & litora in portum recedentia, sparsæ tot per vastum insulę, quę interuentu suo maria distinguunt. Quid lapidum gemmarumque fulgor, & inter rapidorum torrentium arenas aurum interfluens, & in medijs terris, medioq; rursus mari nitentes ignium faces, & vinculum terrarum Oceanus, continuationem gentium triplici sinu scindens, & ingenti licentia exęstuans?

Vide-

Digitized by Google

Videbis his inquietis,& sine vento fluctuantibus aquis immani & fidem excedenti magnitudine terrentia animalia,quædam grauia & alieno se magisterio mouentia,quædam velocia,concitatis perniciora remigijs, quædam haurientia vndas,& magno prænauigantium periculo efflantia. Videbis hîc nauigia,quas non nouere terras quærentia. Videbis nihil humanæ audaciæ intentatum. Hactenus Seneca.

Cùm tanta sit varietas,& pulchritudo rerū omniū,quis tam demens erit, qui hæc omnia casu esse facta,& in hac domo nullum esse rectorem,& moderatorem,& tāquam architectum tanti operis,tantiq; muneris, dicere audeat? Quis dixerit tabulā aliquam magnā,multis, præstantibusq; coloribus, atque figuris,casu esse factam tanquam atramento,quod casu atq; fortuitò in illam deciderit? Quæ autē tabula est maior,speciosior,atq; pulchrior hoc mundo? Qui colores viuidiores,gratioresq; sunt, quàm illi, qui in pratis & arboribus vere reperiūtur? Quæ figuræ præstantiores,quàm illæ quæ in floribus,in auibus,& rosis conspiciuntur? Quid cæli stellis splendidius,atque ornatius? Quis erit tam cæcus,qui harum rerum admirabilitatem dicat casu esse factam?

Si casu aliquo,in itinere cùm esses,inuenires in aliquo nemore domū animi causa alicuius principis elaboratam,omnibusq; rebus ad victum necessarijs instructam,cæterisq; rebus ornatam,quę omnia ad illius principis cōmoditatem referrentur, qua in domo & mensæ stratæ adessent, & funalia accensa,pomœria,cisternæ,& fontes,cuius omnes cameræ atque cubicula diuersa essent illius seruis ac famulis distributa;hunc tantum apparatum admiratus, si peteres, quanam ratione id effectum esset; tibi responderetur,partem vicini montis dirutam esse,& illius particulas casu sine alicuius artificis manu sese in eam domum ædificasse, atque in cæteras res, quas intus adesse diximus: quid tibi videretur? posséťne quidquam dementius excogitari? Tu autem nunc dicas velim,si ad pulchritudinem regiæ domus huius mundi contemplandam consultò te accingeres, & totam ędificationem, prouisionemq; rerum omnium,quæ in mundo sunt, videres; conspiceres ingentem cæli fornicem tantopere elaboratam,tam multis stellis exornatam,mensam tam multis ac varijs epulis stratam,vt terra est vnà cum carnibus omnibus,fructibus, alijsq; cibis,quę in eo sunt:cùm videret tam multa loca,in quibus frigus opacum captatur,tam multos fontes,tam multa viridantia loca,vt sunt montes, valles,& prata; cùm videat funalia diu, noctuq; in cælo lumen effundentia, vt illorum luminibus tota hæc domus compleatur; tantam vim auri,argentiq;,lapillorumq; pretiosorum in visceribus terræ orientium; domicilia diuersa, & ad vsum incolarum accommodata; nonnulla in aquis pro ijs, qui nare sciūt; alia in aere pro ijs,qui volare possunt; alia in terris pro ijs,quibus magnum, & graue est corpus; cùm præterea videat huius familiæ administrationem, & ordinem, & quemadmodum Angeli,qui potiores creaturæ sunt,cælos mouent,& cæli elementa,& ex elementis composita conflantur,& id omne tandem ad vsum huius domicilij domini,qui homo est,referri: quicunque videt hæc omnia,& multa alia,quæ verbis explicari nō possunt,quomodo sibi persuadere poterit,id omne casu,& fortuitò esse factum? nonne videbit,potentissimum,& sapientissimum habere artificem?

Hac igitur mundi pulchritudine,atque magnitudine, vnà cum varietate

rerum omniũ,quæ in eo sunt,non solùm Philosophi adducti fuerunt,verùm omnes gentes,vt crederẽt,tantę res,tam pulchrę,tam bene inter se cõtentientes, minimè fieri posse, vt casu sint conditæ:sed conditorem sapientissimum, ac potentissimum habuisse,qui potentia creauerit,administraretq; sapientia. Hoc illud est,quo Dauid in Psal.18.exclamat: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Illud autem significat, cæli pulchritudinem tam multis fulgoribus ornatam,mirabilem stellarum ordinem,illorũque motum ita gloriam Dei prædicare,vt in causa sit, vt omne hominum genus eum laudet, illius pulchritudinem admiretur, & eum omnium rerum factorem, & administratorem esse fateatur. Dierum quoque ac noctium vicissitudines,earum auctio atque diminutio, idq; tam admirabili ordine, & ita ad vitæ nostræ vsum apta & accommodata,in ortu & occasu inuariabilis constantia,prædicant atq; testantur,non fieri posse,vt tanta inter se connexa, atque apta, casui & fortunæ referantur; sed in mundo esse diuinam rationẽ, quæ hæc omnia initio creauerat, & cuius prouidentia administrantur. Hæc aũt tam admirabilia non humanis vocibus id declarant, (non possent enim ad vltimas oras pertingere) sed illorum verba,atque testimonia, est illorum inuariabilis ordo,pulchritudo,artificium,quo perfecta sunt non aliter, ac si ad regulam,lineam,perpendiculum,& normam essent constructa. Hoc enim sermonis genus in omnibus terris exauditur,& ad sui factoris cultum ac venerationem allicit,atque trahit.

Aliud quoque fundamentum est,quod æquè ac superius vrget.Non enim huius maioris mundi fabrica solùm, verùm etiam minoris,qui homo est, nobis,Deum suum creatorem atque factorem esse,declarat.In eo enim Creatoris sapientia elucet ita,vt verè D Augustinus dicere potuerit,quòd ex mirabilibus omnibus, quæ fecerat Deus pro homine,illud est admirabilius, quod in hominis fabrica conspicitur: per hominem autem, corpus & animam intelligit. Nunc autem vt omittamus animã;in corporis fabrica, & cõstructione,tanta,tãque admirabilia sunt,vt multi libri à Galeno ,alijsque constructi, non sint satis,etiamsi multi, ad ea omnia explicanda, quæ singula, & multò magis coniuncta,infinitam eorũ Conditoris sapientiam declarant. Nõ enim est in terris palatium vllum regium,nec tam concors Respublica, quę tot habeat munera, tot magistratus, tot inquam diuersas partes,quot habet homo ad vitę vsum,atq; conseruationem.Quarum partim ad id conducunt,vt eum cooperiant,vt cutis,caro,pinguedo; partim,vt cibum concoquant,vt ventriculus,& tenuia intestina:partim sanguinem conficiunt,vt hepar; partim sanguinem ad cætera membra deferũt,vt venæ;partim spiritus generant vitales, vt cor;partim per totum corpus hos deferunt spiritus,vt arteriæ; partim ad vsum motus,qui ex nostra pendet voluntate,vt musculi;partim excrementa suscipiunt,vt splen,renes,fel,vesica,intestina. Per alias partes transit aer, quo sensus,& cor recreatur, vt nares, & aspera arteria,pulmones,& ipsa ventosa arteria.Alię partes conducunt ad exteriores sensus; ad videndum oculi, ad audiendum aures,linguæ & palatum ad gustum,ad loquendum pulmones & aspera arteria. Aliæ partes sunt tanquam fundamenta, atq; adminicula,quibus reliquæ corporis partes sustentantur, ac firmæ redduntur,vt ossa,& cartilagines. Et quod maximè mirum videtur,illud est,tantam rerum varieta-

tem,

Digitized by Google

tem, tamq́ue diuersam virtutibus, muneribus, duritie, teneritate, fieri atque elaborari in tam simplici re, vt est illa, ex qua humani corporis fabrica conspicitur. Quis igitur tam potens erit, qui ex tam simplici materia, tam multas res, tamq́ diuersas producere poterit, præter illum potentissimum, & sapientissimum factorem? Virtus igitur, ac multitudo partium, figura, munus, quæ habent ad humani corporis vsum, non esse hominem casu & fortuitò constructum, sed eius summa prudentia, & artificio, qui eum creauerat, perfectum esse, satis declarant.

Hoc argumento pariter vsus est Tullius in libro priùs allegato, qui à singulis partibus, membris, humanisq́ue sensibus, tam interioribus, qui non videntur, quàm exterioribus, qui videntur, differit, ac explicat quonam modo singulæ partes suo fungantur officio ita ad humanæ vitæ conseruationē, (quod est tum ad corpus tuendum, tum ad nostrorum sensuum vsum) vt nullius hominis ingenium in tanta partium varietate quidquam, quod aut desit, aut superuacaneum sit, reperire possit, aut quod non videat ita esse omnia apposita, & accommodata ad id, quod ad finem faciat, vt quidquam melius inueniri, aut excogitari non possit. Ex quo illud colligit, hoc opus diuina prouidentiā, & sapientia, quæ nunquam deficit, nunquam errat, esse perfectum. Sed cùm hæc consideratio sit tam alta, tamq́ue iucunda, & postulet quidem, vt diligentiùs pertractetur, propter hanc causam paulò post suo loco copiosiùs pertractabimus.

Præter autē, quæ diximus, fundamenta, aliud est, quod non minorem vim habet, quod ita ab omnibus intelligi potest, vt ea, quæ manibus contrectātur. Hoc autem ducitur ab omnium animalium tam in aere, quàm in aquis, & in terra degentium natura, qua sibi, quæcunq; sunt ad victum, corporis defensionem, morborūq́ue depulsionem sibi, & ijs quæ ex se genita sunt, necessaria, conquirunt, ac parant. Quibus in rebus non aliter se gerunt, ac si ratione vterentur. Ita mortem timent, ita pericula declinant, ita conquirunt, quod sibi opus est: ita suos ædificant nidos, & filios educant, vt homines rationis participes. Neque in has solùm re consistunt, sed vlteriùs etiam progrediuntur, quòd ex tam multis herbis, quę eodem colore in aliquo prato nascuntur, qua sibi vescendum sit, quaq́ue non, optimè sciunt; quæ salutem, quæq́ue mortem afferat, ex qua, etsi maxima fame laborent, nullo tamen modo comedunt. Lupum timet ouis, etiamsi eum nunquam viderit, canes tamen ei similes minimè fugit. Gallina pauonem non timet, etiāsi tam magnus sit; vel vmbram tamen accipitris, licet sit tam paruus, penitus timet. Mures felem timent, non tamen penitus à canibus abhorrent, licet sit maior, idq́ue antequā sint experti damnum quod inde accipere possint.

Hac contemplatione pariter Tullius suam tuetur sententiam, qua ostendit illius artificis sapientiam, & prouidentiam, qua vniuersa administrantur. Hacq́ue ratione probat, quòd quęcunque vitam habent, ita perfectè condita sunt, vt nihil, quod ad vsum vitæ faciat, illis desit. Quarum rationum huc aliquam partem transferam, & cætera suis locis relinquam. Incipit autem à plantis, ita inquiens: Principiò, eorum, quæ gignuntur è terra, stirpes & stabilitatem dant ijs, quæ sustinent, & ex terra succum trahunt, quo alantur ea, quę radicibus continentur: obducunturq́ue libro, aut cortice trunci,

trunci, quo fint à frigoribus & caloribus tutiores. Iam verò vites fic clauiculis adminicula, tanquam manibus, apprehendunt, atque ita fe erigunt, vt animantes. Quin etiam à caulibus, brafficisque, fi propè fati fint, vt à peftiferis, & nocentibus, refugere dicuntur, nec eos vlla ex parte contingere. Animantium verò quanta varietas eft? quanta ad eam rem vis, vt in fuo quęque genere permaneant? quarum aliæ corijs tectę funt, alię villis veftitæ, aliæ fpinis hirfutæ: pluma alias, alias fquamma videmus obductas: alias effe cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. Paftum autem animantibus largè, & copiosè natura eum, qui cuique aptus erat, comparauit. Enumerare poffum ad eum paftum capeffendum, conficiendumque, quę fit in figuris animantium, & quàm follers, fubtilisque defcriptio partiũ, quamque admirabilis fabrica membrorum: omnia enim, quę quidem intus inclufa funt, ita nata, atque ita locata funt, vt nihil eorum fuperuacaneum fit, nihil ad vitam retinendam non neceffarium. Dedit autem eadem natura beluis & fenfum, & appetitum, vt altero conatum haberent ad naturales paftus capeffendos, altero fecernerent peftifera à falutaribus. Iam verò alia animalia gradiẽdo, alia ferpendo ad paftum accedunt, alia volãdo, alia nando: cibumque partim oris hiatu, & dẽtibus ipfis capeffunt, partim vnguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate roftrorum: alia fugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea eft humilitas, vt cibum terreftrem roftris facilè contingant. Quæ autem altiora funt, vt anferes, vt cygni, vt grues, vt cameli, adiuuantur proceritate collorum. Manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad paftum. At, quibus beftijs erat is cibus, vt alius generis beftijs vefcerentur, aut vires natura dedit, aut celeritatem. data eft quibufdam etiam machinatio quædam, atque follertia: vt in araneolis, aliæ quafi rete texunt, vt, fi quid inhęferit, conficiant: aliæ autem vt ex inopinato obferuant, &, fi quid incidit, arripiunt, idque confumunt. Pinna verò, (fic enim Gręcè dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parua fquilla quafi focietatem coit comparãdi cibi. Itaque cùm pifciculi parui in concham hiantem innatauerint, tum admonita à fquilla pinna morfu comprimit conchas. Sic diffimillimis beftiolis communiter cibus quæritur. In quo admirandum eft, congreffúne aliquo inter fe, an iam inde ab ortu naturę ipfæ congregatæ fint. Eft etiam admiratio nonnulla in beftijs aquatilibus ijs, quæ gignuntur in terra: veluti crocodili, fluuiatilesque teftudines, quædamqúe ferpentes ortæ extra aquam, fimul ac primùm niti poffunt, aquam perfequuntur. Quin etiam annatum oua gallinis fæpe fupponimus: ex quibus pulli orti primùm aluntur ab ijs, vt à matribus: deinde eas relinquunt, à quibus exclufi, fotiqúe funt: & effugiunt, cùm primùm aquam, quafi naturalem domum, videre potuerunt. Tantam ingenuit animantibus conferuandi fui natura cuftodiam.

Poffem multa in hanc fententiam narrare: fed multa funt fatis nota, vt quanto fe opere cuftodiant beftiæ, qua ratione inter pafcendum refpiciant, num fibi aliquod periculum immineat, vt fe abdant, atque recipiant in fua luftra, quanta diligentia fe tueantur, aduerfusque timorem, hoftiumque vim fuis fe armis defendant. Cornibus tauri, dentibus apri, leones morfu, aliæ fuga fe, alię occultatione tutantur. Multæ etiam infectantes odoris intolerabilis fœditate

ditate depellunt. Hæc,& alia huiusmodi narrat Tullius de animalibus, quæ etsi rationis sint expertia, ita tamen omnia compositè, & ad suam naturam tuendam accommodatè faciunt, vt si ratione prædita essent.

Sic igitur Philosophi argumentantur: Cuncta hæc animalia sunt rationis expertia,(in hoc enim vno differunt ab homine,& ab illis homo longè abest) æquè tamen probè omnia ad sui conseruationem faciunt,ac si rationem haberent: statuamus igitur,necesse est,inesse in illis vniuersalem rationem, perfectissimamq́; sapientiam,quę ita illis pręest,& ita moderatur ac regit, vt suo fungantur officio non aliter,ac si ratione prædita essent. Ad quem enim finem ea creare voluit,ad eundem etiam tribuere consentaneum erat ea, quæ ad suæ vitę conseruationem necessaria erant. Frustra enim aliter,ac temere creauisset illa. Si puerum trimum videremus tātā prudentia & eloquentia verba facientem,quanta maximi oratores facere solent,diceremus statim alium hominem in eo habere sermonem,cùm à tanta prudentia & eloquentia illa ætas aliena sit. Cùm igitur creaturæ omnes rationis expertes,vt rationales creaturæ ita perficiant omnia,quæ ad se tuendum,conseruandumqúe sunt necessaria; fateamur necesse est, in illis inesse vniuersalem rationem, summamqúe sapientiam,quæ etsi illis non tribuit rationem, naturalem tamen sensum, & appetitū donauit,vt ea perficerent,quæ in hominibus à ratione fiunt. Hoc autem Philosophi animaduerterunt dicentes,naturæ opera esse intelligentię non errantis opera,scilicet summæ sapientiæ,quæ ita sua perficit opera, vt illis nihil omnino desit. Hæc quoque consideratio ita D. Augustino persuasit, vt dicat sibi facilius fore,vt dubitet sitne in suo corpore anima,quàm vt ambigat sitne in hoc mundo Deus. Adeò aperta testimonia huius veritatis nobis afferunt,quæcunque in mundo sunt.

Posteriora tria, quæ superiùs attigimus, argumenta,longiore,atque planiore expositione indigent. Et licet,quæ diximus, satis sint ad id, quod præsens negotium,& Catechismi ratio postulat: tamen cùm illud (vt antea dixi) nobis sit propositum, studiosis viris suauem quasi materiam contemplandi præbere,iterum copiosiùs eadem tria argumenta pertractare decreui. Qua in re imitabimur(vt diximus)eosdē Doctores sanctos Ambrosium,& Basilium, de Operibus sex dierum,in quibus Deus cuncta creauerat,vt ab ijs ad Creatoris,qui pro nobis hominibus hæc fecerat,bonitatem,sapientiam,atq; omnipotentiam contemplandam ascenderemus, verba facturi sumus. Quamobrem in veteri lege iussit Deus,vt sabbatum sanctificaremus, in quo scriptum est,eum quieuisse ab opere,quod patrarat; vt eo die homines in consideratione, & contemplatione rerum omnium , quas sex diebus creauerat, penitus versarentur,eiq́; gratias agerent,cùm animaduerterent pro hominibus solis hæc omnia esse constructa.

Primùm igitur de mundo,& potioribus eius partibus,quæ sunt cæli, & elementa,tractabimus; deinde de corporibus vitā habentibus,vt sunt plantę, & animalia; postremùm de homine,qui sexto die creatus fuit. Et vt Christiani homines tanquam metam cognoscendo,in quam hæc nostra doctrina tendat,inde maiorem fructum capiant,illud sciant oportet,non solùm nobis esse propositum declarare,vnum adesse Creatorem Deum, omniumq́; rerum Dominum, vt initio proposui: sed illud etiam, imò magis, illius summam

D pro-

prouidentiam, quæ in omnibus creaturis vnà cum perfectionibus cum illa coniunctis, maximè lucet, quoad eius fieri potest, exponere.

Quamobrem ex his perfectionibus tres esse præstantiores, bonitatem, sapientiam, & omnipotentiam, scire oportet. De quibus meminit Isaias sub
Isa. 40. similitudine trium digitorum, quibus terrarum orbem suspensum esse inquit. Ex his autem tribus, quæ in eo vnum, & idem sunt, bonitas illa est, quæ creaturis omnibus benefacere vult; sapientia præscribit, atque disponit, quomodo id fieri debeat; omnipotentia id efficit, quod bonitas vult, sapientiaq́ue præscribit. Diuina verò prouidentia hæc tria complectitur, quæ pia & paterna cura, summoq; artificio omnibus ea parat, quæ illis necessaria sunt.

In omnibus igitur huius mundi partibus tam maioribus, quàm minoribus, vel in ipso culice, & formica, elucere hęc quatuor declarare propositum est. Ex hac autem contemplatione quanta vtilitas percipi possit, ex eo facilè
Psal. 118. perspicitur, quòd Dauid eos beatos vocat, qui studiosè verba Dei scrutantur, ac inquirunt. Quantò igitur erunt beatiores illi, qui illius opera non solùm gratiæ, verùm etiam naturę, cùm ex eodem fonte manent, inuestigare, ac contemplari non desistunt? Quòd si Sapientia illa increata illis vitam promittit
Eccli 24. ęternam, qui elucidant eam; quid aliud hic aggredimur, quàm omnibus summam illam manifestare sapientiam, quæ in omnibus creaturis elucet? Maxima pars facultatis oratoriæ in eo est, vt maximi oratoris artificium sciat animaduertere. Diuus Augustinus ex eo maximè laudatur, quòd nonnullis in locis D. Pauli id effecerit. Quod si ita est, ecquod melius dari potest studium, quàm inquirere & notare admirabile artificium diuinę sapientię, in fabrica,
3. Reg. 10 & gubernatione rerum creatarum? Quòd si Regina Saba, vt scribitur, animo & viribus deficiebat, dum Salomonis sapientiam, & opera, quæ fabricauerat, considerabat; quantò magis pius spiritus deficiet illius incomprehensibilis sapientiæ opera considerans, si artificium, & artem, qua facta fuerunt, penetrare sciret? Hoc illud est, ad quod tota hæc nostra doctrina spectat. Quorsum autem hæc? Vt illis quatuor diuinis, quas diximus, Dei perfectionibus cognoscendis, animus ad tantæ bonitatis amorem, ad tantæ maiestatis timorem, obedientiamq; se excitet, atque erigat; tamq; paterna cura, & prouidentia maximam spem cōcipiat; tantamq; potentiã, atque sapientiam, quæ in his omnibus esse cernitur, admiretur atque veneretur. Huc igitur nostra doctrina spectat, huc mētem suam dirigat pius lector, vt has virtutes, in quibus omnia sua posita sunt, sibi consequi possit. His igitur ita constitutis, atque propositis, ad potiorum partium mundi tractationem nos accingemus.

MAIORIS MVNDI, ET ILLIVS PARTIVM contemplatio. Cap. IIII.

VT autem harum partium ex potiore initium sumamus, illud priùs tanquam huius fabricæ fundamentum nobis iaciendum est; quòd cùm magnificentissimus ille, & supremus Dominus, sua sola bonitate adductus decreuerit creare in hoc mundo, quo tempore illi placuit, hominem, vt suo Creatore cognoscendo, amando, eiq; parendo, vitam & felicitatem alterius mundi mereretur,

reretur, eodéque tempore pastum, & cætera ad vitæ vsum & conseruationem necessaria ei prouidere statuit. Propter hanc causam igitur hunc visibilem mundum creauit, vnà cum omnibus, quæ in eo sunt, quæ omnia ad vsus vitæ hominum generis necessarios sunt accommodata.

Et quemadmodum in omni officina duo penitus esse debent, materia, ex qua res conficiuntur; & artifex, qui formam in materiam inducat; quemadmodum tum faber lignarius, tum cæteri artifices facere solent: ita Creator omnium voluit, vt in tanta huius mundi officina hęc duo pariter adessent; materia, ex qua res conficiuntur; & artifices, qui operantur. Materia autem, ex qua cuncta conficiuntur, sunt quatuor elementa, terra, aqua, aer, & ignis. Artifices, qui ex illa res conficiunt, sunt cæli, planetæ, stellæ. Nam etsi Deus sit prima causa, quæ cæteras causas mouet ad agendum: hæc tamen corpora, vnà cum intelligentijs ea mouentibus, sunt potiora instrumenta, quibus vtitur Deus in huius mũdi inferioris administratione; quæ ita à cælorum motibus pendet, vt Philosophi dicunt, vt si hic motus tolleretur, ita & cæteri motus conciderent, vt ignis stuppam illi appositam comburere nequiret. Quemadmodum enim si in aliquo horario potior rota conquiesceret, cæterarũ quoque rotarum motus desinerent; ita si cęlorum motus, ex quo cæteri pendent, cessarent, statim & ipsi conquiescerent.

Cùm autem hæc cęlestia corpora sint motoris primi, qui Deus est, instrumenta, & in hoc mundo potiori munere fungantur, quod est omnium corporũ rerum agentem causam esse; ea multis, præ omnibus alijs corporibus, priuilegijs exornauit, præstareque voluit. Primùm enim ea incorruptibilia, impassibiliáque, in perpetuóque motu circa ignis orbem permanentia perfecit, vt tam multis millibus annorum, ex quo creata fuerunt, eadẽ sint integritate, atque pulchritudine, qua initio quando creata fuerunt, vt tempus rerum omnium vorator nullam deuastauerit illorum partem.

Illis præterea lumen dedit, non solùm ad mundi ornatum, sine quo cũcta obscura essent, tristia, & in maximis tenebris versarentur: verùm etiã ad vitæ hominum generis vsum: *Et* (vt inquit Psal.) *creauit Solem in potestatẽ diei, & Lunam in potestatẽ noctis.* Cùm autem & ipsa à nostro hemisphærio discedat, illius vice stellas creauit, ne lux vnquam mundo deesset. Psal. 134.

Dedit præterea ijs tantam in suis motibus constantiam, vt, ex quo ea creauerat Deus, ne latum quidem vnguem à norma, & pręcepto Dei, initio illis dato, discesserint. Sol semper tempore suo oritur, semper quatuor anni tempora efficit: idem cæteri Planetę, & stellæ faciunt. Inde fit, vt, qui horum motuum ordinem intelligunt, Solis, & Lunæ eclipses in multos annos ita prædicant, vt nulla in parte, nulloq; temporis momento aberrent, adeò sunt hi motus ordine perfecti, atque compositi. Quorum exemplo discant, quicunq; Ecclesiæ, vel Reipublicæ Christianæ præsunt tanquam cæli, & stellæ, (quod est alios regere, & administrare) quàm debeant esse vita compositi, in omniq; sua actione, & munere constantes, ne si fortè in præsidibus nullus adesset ordo, qui illorum fidei commissi sunt, ordine penitus vacarent. Nam si lumen, quod aliorum tenebras illustrare debet, erit obscurum, cuiusmodi tenebræ erunt? & si cæcus cęcum ducit, quid aliud ab illis præter eorum casum sperandum est? Math. 6. Lucæ 6.

D 2 Horum

Digitized by Google

Horũ autem corporum magnitudo tanta est, vt intuentibus illa maximę admirationi sit, essetq́ incredibilis, nisi nobis persuasum esset, nihil esse, quod ab eorum Creatore fieri non possit. neque minùs illud est admirabile, imò multò magis, eorum celeritas, qua mouentur, de quibus infernis, vbi de præstantissimis, & mirabilibus Dei rebus verba facturi sumus. Pulchritudinem autem cæli quis enarrabit? Quàm gratum est medio vere serena nocte Lunam lumine plenam, claramq́ue, & stellarum omnium lumina obumbrantem, tegentemq́ videre? Quantò gratius est iter noctu habẽtibus æstate hac lucerna Lunæ, quàm Solis, licet longè maior sit? Ea verò absente, quid est pulchrius, quid magis Dei omnipotentiam & pulchritudinem præ se fert, quàm firmamentum tam multis stellis, tamq́ varijs, maioribus, minoribus, medijs ornatum, quas nemo, nisi qui eas creauerat, dinumerare potuit vnquam? Tantam autem rerum admirationem pulchritudinis, & occasionem, quam nobis hæc afferunt, laudandi Deũ, illumq́ue summum pictorem, qui tantùm cęli fornicem mirabiliter exornauit, consuetudo videndi ea penitus tollit.

Si quis puer in obscuro carcere nasceretur, ibidemq́ue vsq; ad vigesimumquintũ annum ætatem duceret, nihilq́ue aliud vidisset vnquã, nisi quod intra illos parietes esset, & esset sanæ mentis; cùm primùm ex illa obscuritate profectus serena nocte firmamentũ conspiceret, facere quidem non posset is, quin obstupesceret, cùm tantum videret ornamentum, tantam stellarum pulchritudinem, tantam multitudinẽ, quocunq; aspiceret in Orientem, in Occidentem, in Meridiem, in Septentrionem: facere non posset, quin diceret, Quis potuit cælum tam pretiosis lapillis exornare, tot, tamq́ fulgidis adamantibus? Quis tot lumina, tot lampadas, quibus mundus illuminaretur, creare potuit? Quis pratum tanta florũ varietate tam formosum reddere pingendo potuit, nisi ipse formosissimus, potentissimusq́ sit? Admiratus hoc tantum opus quidam ex gentibus Philosophus dixit: *Intuere cælum, & philosophare*: id est, in cæli pulchritudine, atque magnitudine, quam perspexeris sapientiam, & omnipotentiam eius, qui hæc faceret, considera & contemplare. Non secus regius
Psal. 8. Propheta in hoc opere philosophabatur, cùm dixit: *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, Lunam & stellas, quæ tu fundasti.*

Et si stellarum pulchritudo est admirabilis, quo est admirabilior illarum vis infundendi, producendiq́ue quęcunq; in hoc inferiori mundo sunt: præsertim Sol, qui cùm à nobis recedit, (quod autumno fit) in causa est, vt omnia viriditatem amittant, & cum folijs arbores ita se sua exuant pulchritudine, vt quasi nudæ, steriles, & mortuę remansisse videantur. Cùm autem ad nos reuertitur, acceditq́ue, agri multis herbis, floribus varijs coloribus pictis vestiuntur; floribus & folijs arbores teguntur; aues, quæ ad illud vsque tempus penè mutæ videbantur, iam canere, & inter se quasi nugari incipiunt; vites, & roseta iam suas emittunt gemmas, atque capitella, & quasi se accingunt ad explicandam pulchritudinem, quam in se continent. Tanta est tandem huius mundi coniunctio, atque colligatio cum eo, quod cælum influit in hæc inferiora, vt, si quo temporis vel minimo momento acciderit, vt quid fit ei impedimento, quo minùs, vt solitum est, influat, (vt fit in Solis & Lunę defectibus, vel coitionibus) statim in nostris corporibus aliquam mutationem fieri sentiamus, sed in debilibus & infirmis maiorem.

DE SOLE, SOLIS EFFECTIBVS, ATQVE pulchritudine. Cap. V.

CVM hactenus vniuersim de cælis verba fecerimus, ordo postulat, vt de Planetis,& stellis particulatim disseramus. Primũ autem de nobiliori,qui Sol est,in quo sunt tanta,tamq; admirabilia consideratione digna, vt quidam Philosophus nomine Anaxagoras,cùm ab eo quidam sciscitaretur, cur in hoc mundo natus esset, respondisse feratur: Vt Solem conspiciam. Adeò videbatur illi satis esse contemplari, quod Deus fit in hac creatura operatus, quodque in hoc mundo per Solem perficiat. Hic tamen Philosophus,nõ eum, vt Deũ,vt multæ gentes,adorabat:imò dicebat ingentem esse lapidem, aut aliud huiusmodi corpus accensum,atque lucidũ. Ex quo ab Atheniensibus graui mulcta damnatus fuit, & nisi Pericles illius amicissimus causam egisset, pœna capitis esset affectus.

Hęc autem stella etsi tam magna sit, nemo tamen in ea vim, & naturam, quam illi Deus tribuit, admiratur. Nam (vt ait Seneca) consuetudo videndi res eodem semper tenore procedentes in causa est, vt licet sint, nobis admirabilia minimè videantur. Contra verò noua omnia, licet parua sint, quæ in cęlo fiunt, in causa sunt, vt statim ad cęlum oculos conuertamus. Sol qui se intueatur non habet, nisi cùm eclipsatur: nemo Lunam suspicit, nisi cùm vmbra terrę cooperitur. Quid autem est admirabilius, quàm Solẽ sua luce stellas omnes tegere: & cùm sit tot partibus maior, quàm terra, non eam tamẽ comburit, sed vim sui caloris motu ita temperat, vt modò maiorem, modò minorem reddat: quodq; neque penitus Lunam lumine suo complet, neque penitus priuat, neque ab eo eclipsatur, nisi cùm è regione illi positus est. Nemo hęc admiratur, cùm pristino ordine procedunt; sed cùm extra ordinẽ, tunc stupescimus, & quęrimus quid illud futurum sit. Adeò est homini illud natura ingenitum, vt magis noua, quàm magna admiremur. Hactenus Seneca. Diuus tamen Augustinus ait, sapientes homines magna potiùs, quàm noua & insolita, mirari. Habent enim oculos, vt illorum dignitatem & pręstantiam agnoscant, & tanti, quanti sunt, faciant.

Vt igitur redeamus ad rem. Ex omnibus virtutibus & influentijs huius planetæ, maior & vniuersalior illa est, quòd lucem & claritatem cęteris planetis, & stellis, quę in toto cęlo sparsę sunt, tradit. Cùm autem illud compertum sit, tam illum, quàm stellas, suos in hoc mundo producere effectus, lumine, quo inde, vbi sunt, ad hęc inferiora peruenirent, hancq; lucem habeãt à Sole, illud sequitur: Solem post Deum esse potiorem causam generationis, corruptionis, alterationis, & secundum locum mutationis, quæ in hoc mundo fiunt. Et ita dicimus, in generatione hominis & illum concurrere. Ex quo illud dicitur: Sol & homo generant hominem. Neque solùm generat res, verùm etiam calore, quem in illis infundit, efficit, vt crescant, & augeantur. Inde fit, vt mense Maij tum olera, tum segetes pullulare conspiciamus, quòd iam calor augeri incipit.

Idem à mari tenuiores vapores in sublime trahit, qui cùm mediam aëris regionem (quæ frigida est) attingunt, condensantur, & in aquam conuertun-

tur; quæ cadendo terram irrigat, quo fructus & herbas fert, quæ tum hominum, tum beluarum cibi sunt. Vt verè dicere possimus, Solem per aquā nobis panem, vinum, carnes, lanas, fructus, & cætera ad vsus vitæ necessaria suppeditare.

Hic ille est, qui suorum motuum varietate nobis tempora indicat, dies, noctes, menses, & annos: cùm enim ille supra nostrum hemisphærium oritur, diem adducit; cùm autem occidit, & à nostris oculis penitus remouetur, efficit noctem: cùm autem per singula duodecim cæli signa peragrat, menses distinguit; in vnoquoque enim eorum vnius mensis spatio moratur: cùm autem totum orbem circuitu suo, proprioque motu hæc duodecim signa confecerit, annum indicat; quisque enim horum circuituū efficit annū.

Idem ille est, qui tum ad nos accedendo, tum à nobis recedendo, quatuor anni diuersa tempora, hyemem, ver, æstatem, & autumnum perficit: quæ diuina prouidentia per hunc planetam, tum ad nostrorum corporum salutē, tum ad terræ fructuum generationem, quibus ipsa cōseruantur, ita disposuit. Quod autem ad sanitatem attinet, illud sciendum est, quòd quemadmodum nostra corpora ex quatuor elemētis cōstant, ita & quatuor illorū qualitates habent, frigiditatem, caliditatem, humiditatem, & siccitatem; quibus quatuor humores, qui in nostris corporibus insunt, ex altera parte respondent. Frigiditati namque respondet phlegma, humiditati sanguis, calori cholera, & siccitati melancholia. Ille autem summus administrator cùm sciret nostrorum corporum sanitatem in temperamento, & quadam horum quatuor humorum æqualitate consistere; morbos autem in quadam inæqualitate, cùm alius alij excellit: ita hæc quatuor tempora disposuit, vt quilibet horum quatuor humorum tres haberet menses sibi accommodatos, in quibus se quodammodo reficeret, atque renouaret. Hac ratione tres hyemis menses, qui frigidi sunt, vt phlegma, hunc humorem adaugent: tres autem veris menses, qui temperati sunt, hoc temperamento sanguini respondent, illumque reficiunt: flauæ autem bili tres æstatis menses accommodati sunt, qui, vt ipsa, calidi sunt: ad atram autem bilem reficiendam tres pariter autumni menses sunt constituti, qui, vt ipse est, sicci sunt: itaque in his quatuor temporibus, quatuor hi humores regnant, atque dominantur. Cúmque ita hæc quatuor tempora æquè dispertita sint, & vires distributæ, in pace degunt, & alius alij minimè inuidet, cùm inter se tanta æquitate tempora distributa sint: inde fit, vt alius alium minimè superet, neque id fieri æquum esse iudicet: cernit enim se æquè viribus valere, æqualeque tēpus, vt seipsum reficiat, habere.

Mirabiliter quoque hæc temporum mutatio ad id conducit, quod secundo loco diximus, ad fructuum scilicet, pascuorumque generationem, ex quibus hæc nostra corpora alimenta percipere debent. Autumni tempore terræ fructus omnes, quos suo calore concoxit æstas, iam collecti sunt: primisque pluuijs illius temporis terra aratur ab agricola, & agri seminantur. Vt autem semina radices altiùs agant in terra, & crescant tutò quasi ex fundamētis priùs iactis, satis opportunè consequuntur frigora, ex quibus semina frigidiorem aerem refugiendo, seipsa in terram altiùs recipiunt, & ita illorum vires in radicibus collectæ robustiores fiunt, vt eò tutius deinde crescant, quò profundiùs

fundiùs essent in terra defixæ. Vt autē crescant, succedit deinde ver, quod sui caloris vi illa adauget, & in aërem tollit. Hoc autē æstus sequitur æstatis, quæ vi caloris & siccitatis omnem frigiditatem & humiditatē in segetibus ita absumit, vt maturescant. Hac autem ratione peracto anni spatio, tum hominibus, tum animalibus, quæ homini seruiunt, annona parata est. Quemadmodum illi domini, qui seruos & familiam habent, solent singulis familiaribus annuam mercedem ad victū, cultumq́ vitæ adscribere; ita summus ille Dominus, cuius familia totus hic mūdus est, Solis circuitu annuo, quatuor his anni temporibus, tum pastum, tum cætera huic magnæ domui & familiæ necessaria, prouidet: quo perfecto, statim eidem Soli iubet, vt per eādem viam progrediatur, & futuro anno eadem ratione necessaria paret.

Cùm autem omnes homines, cæteraq́ animalia sint morti obnoxia, & nisi repararentur species cum omnibus suis indiuiduis, mundus interiret; huius quoque stellæ ministerio idem renouatur, & quasi propagatur. Hæc enim stella cùm ad nos reuertitur, & ad eam sui circuli partem, in qua fit ver, peruenit, tum arbores quasi resuscitari videntur, tum mundus noua prole, nouisq́ habitatoribus colitur. Eo enim tempore in terris noua educantur animalia, in aqua noui pisces, in aëre nouæ aues: & hac ratione diuinus ille princeps hunc mundum sustentat, & administrat suam familiam, renouando & necessaria omnia penitus parando. Quis autem, cùm diuinæ prouidentiæ hunc admirabilem ordinem viderit, cum Propheta non exclamet? *Quàm magnificata sunt operatua Domine? omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.* Psal. 103.

Illud quoque animaduertendum est, quo quatuor hæc tempora ordine se inuicem cōsequantur: cuius Solis motus ordinatus in causa est. Cùm enim horum extrema sint hyems & æstas, corpora non possent non maximo detrimento affici, si ab altero ad alterū pergeret, cùm natura extrema ferre non possit. Propter hanc causam Creator disposuit, vt ita per suū moueretur circulum Sol, vt tempora intermedia temperatiora essent. Ita inter hyemis frigora, & æstatis calores interponitur ver, quod vtriusq́ extremi particeps est, cùm calidum & humidum sit, vt homo ab hyeme ad æstatē sine periculo proficiscatur: idem profectò vsu veniret, si æstatis æstum hyemis frigus sequeretur. Propter hanc causam interpositus est autumnus, vt paulatim & sensim ad hyemis frigus se corpora nostra assuescant.

Idem Sol cùm adest supra Horizontem, diem efficit; cùm subter, noctem: & id omne nostram spectat commoditatē. Nam si perpetuò lux esset, neq́ hominum ætates, neque tempora dinumerarentur: Nunc autē ex die & nocte dies naturalis constat, ex septem diebus naturalibus hebdomada; quatuor hebdomadas paulò plus vnum Zodaici signum conficit, & duodecim peragratis perficitur solaris annus. Neque minorem affert vtilitatem dierū, noctiumq́ inæqualitas ad terræ fructus. Noctes enim longiores, & dies breuiores hyemis, ad id conferunt frigore longioris noctis, vt plantæ multis fibris radicentur, & (vt diximus) paruo diei calore, ne succrescant. Cùm autem iam tempus, quo, quæ bene radicata sunt, crescant, noctes breuiores, & dies longiores fiunt, vt maiori diei calore paulatim crescant semina, & adaugeātur. Et hac ratione tanquam fratres dies atq́ noctes concordes fiunt, vt homini deseruiant:

Digitized by Google

seruiant: & in pace degunt, cùm quilibet illud maius spatium restituat aliàs, quod aliàs sibi sumpsit, & inter partium inæqualitates totius æqualitatem conseruat.

Etsi dies ad exercitationes, & vitæ vsus humanæ sit vtilior, nox tamen suis opportunitatibus non penitus vacat. Noctium enim temperamẽtis, ac roribus calidiore tempore tum segetes, tum plantę refrigerãtur. Nocte sensuum vsus cessat, vt calor naturalis colligatur, & ad cibi cõcoctionem, digestionemq́; sit occupatus, vt singula membra suam partem assequantur. Nox pariter hostium pugnas dirimit, ita vt alter alterum oppugnare desistat. Nocte feræ suis exeunt lustris, vt sibi victum quæritent. Quã ob rem Propheta diuinam laudat prouidentiam, cùm dicat in Psalmo: *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ, Catuli leonum rugientes, vt rapiãt, & quærant à Deo escam sibi. Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.*

Psal. 103. Nox quoque est homini accommodatior, vt sese colligat, & animam suam enutriat: eo enim tẽpore à curis, & diurnis negotijs liber, potest, cùm omnia silent, Deo inseruire, & illius laudes canere. Quemadmodum Propheta ait:

Psal. 91. *Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Ad quod apertiùs idem Propheta eos, qui in domo Domini versantur, inuitat, cùm in-

Psal. 133. quit: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Neque ab hoc officio discedebat ille, ad quod hortabatur alios, licet Rex esset, & ma-

Psal. 118. ximis rebus occupatus. inquit enim: *Media nocte surgebam ad confitendum Deo.*

Thren. 2. Ad id quoque nos hortatur Hieremias his verbis: *Surge de nocte ad initium vigiliarum & tuum cor tanquam aquam asperge coram Deo.* Hoc est, omnes tuas necessitates Domino tuo adaperias, & ab eo remedium petas. Eodem tẽpore Propheta Isaias mentem suam in Deum erigebat, vt ipse testatur, cùm eum alloque-

Isa. 26. batur, inquiens: *Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis de manè vigilabo ad te.* In nocte clara & serena excitat pietas cor suũ, cùm considerat claræ Lunæ pulchritudinem, & omnium stellarum, quæ silendo & scintillando sui Creatoris pulchritudinem prædicant, & suę lucis varietate, glorię varietatem, & corporum glorificatorum, quæ nouissimo die videbi-

1. Cor. 15. tur in vniuersali resurrectione, vt testatur Apostolus, pulchritudinem ostendunt.

Hæc igitur omnia, & multa alia, quæ prętermittimus, facit illa magna cæli lãpas pulcherrima, & splendidissima, præter quod omnia creata in cælo

Psal. 18. & in terris suo lumine complet, & cum eo ita vniuerso orbi calorem impertitur, vt nihil sit, quod ab eo se abdere possit. Quæ autem manus esset ita perita, ita potens, quæ speculum tam formosum illustrare posset, lucernã tantã, tantamq́; lampadem, huiusmodi facem, quæ vniuersum mundum illustrare posset? Quare optimo iure D. Ambrosius eum mundi oculum vocat; cùm sine eo totus mundus esset cęcus, & per illũ cuncta suas figuras nobis ostendãt.

Postremùm, eę sunt huius stellę virtutes, atque pręstantiæ, vt cùm creaturę nihil aliud sint (vt aiunt) quàm parua quędam Creatoris vmbra, aut vestigiũ, (cùm solus homo & Angelus Dei imagines dicantur) inter creaturas tamẽ corporeas, quę magis Creatoris pulchritudinem & omnipotentiam pluribus in rebus referat, Sol est. Primùm, quòd cùm vnica stella sit, tam magnam à se emittit lucem, vt quidquid à cęlo vsque ad terram creauerat Deus, id omne sua

sua luce illustret; vt, licet sit in hęmispherio, quod nobis è regione est, ad omnes tamen stellas ita suā lucem emittit, vt penitus illustrētur. Illius præterea vis tanta est, vt terræ viscera penetret, & ibi aurū, lapidesq́ pretiosos, & multa alia nutriat. Quod quidem ad id nobis conducit, vt certo quodam modo intelligamus, qua ratione Dominus Deus noster sua præsentia, & essentia cælum, atque terram repleat, omniaq́ in illis operetur, cùm tam fuerit potens, vt corporeæ creaturæ eam virtutem dederit, qua (vt dictum est) tam longè, lateq́ suam lucem, atque vim in vniuerso orbe emittat. Sol itaq́ vniuersum hunc mundū illuminat. De cuius Creatore dixit S. Ioannes: *Qui illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum.* Sol illa creatura est, quæ ex omnibus magis sub visus sensum cadit, quæq́ oculis propter illius splendorem, & nostri visus infirmam aciem, minùs cerni potest: & Deus illud est, quod ex omnibus rebus, quę in mundo sunt, magis intelligibile, quodqúe propter illius naturæ altitudinem, nostriqúe intellectus humilitatem, minùs intelligitur. Sol ex omnibus corporeis creaturis illa est, quæ magis suam lucem atque calorem cæteris communicat, vt, etiam si, vt te ab illa defendas, ostium claudas, per illius tamen foramina, vt lucis beneficium communicet, penitus ingrediatur. Quid autem est, quod magis illam infinitam bonitatem referat, quæ tam copiosè omnibus creaturis suas cōmunicat diuitias, vt eas (vt inquit diuus Dionysius) quoad illarum natura patitur, sibi similes reddat? & vt eos requirat, qui ab illo diffugiunt? A Solis claritate, & reliquæ stellæ splendorem pariter & virtutē ad agendū suscipiunt: à Christi nostri Saluatoris plenitudine, & abundantia, iusti omnes lucem, & virtutem ad bene agendum accipiunt. Sol quæcunque corporea in hoc mundo sunt producit: & ille summus administrator, vt omnia complet, ita omnia in cælis, & in terra operatur, & ita in omnibus causis à maiori vsque ad minorem, vt prima causa in omnibus actionibus concurrit. Postremùm Solis præsentia lucem adducit, & à se tenebras remouet; vt Christi præsentia animas illuminat, docet, & iter ad cælum ostendit, & pericula, quæ declinare debent, aperit: cùm autem ab illis longè abest, in atris & densissimis tenebris versantur, & in sexcenta peccatorū præcipitia incidunt, & ita cadunt, vt neque quid faciant, neque quem offendant, sciant; ignorant prætera, quanto in suæ salutis periculo versentur illi, qui hac ratione suam vitam degunt. Ioan. 1.

In omnibus his rebus hæc creatura sui Creatoris pręstantiam nobis ante oculos ponit. Quam rem vbi admiratus fuit diuinus Psalmographus, dixitq́; Cæli enarrant gloriam Dei, & stellæ Dei gloriam prædicant: statim de Sole particulatim tractare incipit, illiusqúe pulchritudinē cum sponsi pulchritudine comparat, cùm de thalamo suo procedit; & vt gigantem exultare ait ad currendam viam, à summo cælo eius egressionem esse, & occursum vsq́ ad summum eius. Quem versum cùm quidam interpretaretur, sic ait: Postquam cuncta & oculis & animo complexus fueris, nihil inuenies tam lucidum, neq́ quod tantam hominibus afferat admirationem, quantam Sol affert, qui omnium stellarum est moderator, & rector, omniumqúe rerum salus, atque conseruatio. Præterea quid lætius, quid formosius oculis nostris cerni potest matutino Sole? Hic sui splendoris claritate tenebras fugat, rebus omnibus suos colores, & figuras reddit, & cum illis cælos, terram, mare, & omnium Psal. 18.

Digitized by Google

omnium animalium oculos lætificat. Vt illius pulchritudinem cum formosissimo sponso, & eius vim & impetum cum fortissimo gigante conferat. Tam enim concitata conuersione ab Oriente in Occidentem, & inde iterum in Orientem voluitur, vt vnica reuolutione diem atque noctem efficiat; modò suos clarissimos & splendidissimos radios ab alto nobis ostendens, & modò se à nostris oculis abdens, omnesqúe aeris regiones ita occupans, vt nulla pars sit, quam illius radij non pertingant. Hæc enim stella suis splendidissimis flammis omnia terræ opera complectitur, mundoqúe vitæ calorem salubrem donat, quo quidem res omnes augentur, atque sustentantur. Hactenus de Sole, & ad Lunam eius consortem pergamus.

De Luna & Stellis.

LVna est tanquam Solis vicaria, cui absente Sole data est à Creatore lucis potestas; ne, dum ipse ad alias regiones proficiscitur, vt suam cunctis lucem administret, mundus esset penitus luce destitutus: is est, qui ad illam suum emittit lumen, illudqúe magis, quò eam plenius respicit. Hic planeta illud præcipuum habet, quòd maximè in aquis, & rebus humidis dominatur: idqúe maximè cernitur in mari, quod tanquam seruum, quocunque eat, secum trahit, vt cùm ascendit augeatur, cùm descendit decrescat. Nam quemadmodum de Magnete dicitur, qui ferrum trahit, ita huic planetæ Creator eam tribuit vim, vt secum adducat mare, & hoc illam penitus sequatur. Hic planeta habet tanquam in manu lora, quibus fit huius elementi domina, & illud regit, & quocunque vult trahit, atque ducit. Hinc fluxus, atque refluxus maris, qui ad Lunæ motum fiunt, & ad nauigandum, cùm ventus deest, maximè conducũt: prodestqúe id ad piscatus, qui in mari fiunt: & hoc maris motu maximè purgantur aquæ, quæ quidem multis in locis tum malè olerent, tum, si tanquam in stagno semper quiescerent, non satis bonum nutrimentum piscibus afferrent. Neque solùm in mari, sed in omnibus rebus humidis, vt dictum est, dominatur. Illa enim lumine crescente, vt notum est, in arboribus, & in rebus marinis, humiditas augetur; decrescente verò, calor augetur. Affectiones, quæ in humanis corporibus fiunt ab hoc planeta, & præsertim in infirmis, cùm est vel Soli iuncta, vel opposita, vel cùm eclipsatur, cùm aliquã illius luminis partem terræ vmbra impedit, omnes experti sumus. Quod valde hoc loco est consideratione dignũ, est virtus, atque potestas mirabilis, quam Creator huic planetæ tribuit: qui licet à nobis tot millibus passuum distet, illius tamen luminis, quod à Sole mutuatur, virtute, tam multa efficit in terris, vt quemadmodum ipsa perpetuò mutatur, ita & illa hæc omnia tali dominatu mutat, vt si qua parte aliquod detrimentum luminis patiatur, vt fit in eclipsi, id statim & terra ipsa persentit. Quid autem futurum sperare debemus, si penitus hic deficere placeat?

Post Lunam autem stellæ sequuntur, de quarum ornatu & pulchritudine iam dictum est. Quid autem dicimus de tanta pulchritudine? illarum autem numerum, & influentias quis enarrabit, præter illum, de quo dixit David,
Psal. 146. vnum esse, qui numerat multitudinem stellarum, & singulas suo nomine vocat? Quo loco maximè declarat obsequium, quod hæ lucidissimæ faces
Rom. 4. suo Creatori præstant. Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt: cùm illis,

illis, quæ non sunt, det vt sint. De hoc obsequio ait Propheta: *Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus. & luxerunt et cum iucunditate, qui fecit illas.* Cùm autem Propheta dicat, quòd singulas suo nomine vocet, innuit eum esse solum, qui vires illarum, & naturas optimè scit, & his viribus sua nomina accommodata imposuit. Id autem, quod diuina sapientia sibi soli reseruauit, non licet humanæ linguæ loqui. Ex multis autem opportunitatibus stellarum illa maxima est, quòd sunt nauigantibus tanquam itineris duces. Cùm enim in aquis desint signa, vnde suos dirigant cursus, si in cælum suspiciunt, ibi in stellis signa inueniunt, in ea maximè, quæ prope Polum mouetur, & nullam mutationem suscipit, & ob id ea tanquam itineris regula vtuntur. Baruch 3

DE QVATVOR ELEMENTIS, VEL ELEMENTARI REGIONE. CAP. VI.

IAM ordo postulat, vt de cælo descendamus in hunc inferiorem mundum, quæ est terra, aqua, aer, ignis: quæ (vt diximus) sunt materia, in qua cæli suę virtutis efficientia operantur, dum ex illis generant, & omnia corpora constituunt. Et primum locum, & situm, in quo Deus ea collocauit, nos considerare, & contemplari oportet. fecit enim id eo ordine, & mensura, vt licet sint inter se contraria, in pace tamen & concordia degant: neque solùm mũdum non peruertunt, sed conseruant ac sustinent. Propter hanc causam voluit, vt quodlibet haberet qualitatem vnam cum elemento sibi propinquo communem, & hac coniunctione, & quasi affinitate, inter illos pacem & concordiã constituit. Terra enim, quæ infimum locum tenet, frigida, & sicca est; aqua frigida, & humida; aer humidus, & calidus; ignis calidus, & siccus: & hac ratione inter se coniunguntur, & quasi alia alijs manus porrigunt, vt quasi quędam Pyrrhichia saltatio gladijs conficiatur, ita inter se beneuolè, & amicè conseruantur.

Et vt magis hanc inter se concordiam & pacem conseruarent, ita illorum qualitates contemperauit omnium Creator, vt quod ad agendum magis valeret, ad resistendum segnius esset; contra verò, quod ad resistendum plurimum posset, ad agendum esset infirmius. Id in igne cernitur, qui cùm tantopere agat, vt quidquid inuenit comburat: non tamen eam habet vim, qua vel paruulæ aquæ resistat, quo minùs extinguatur. Nam si in vtroque valeret, totum mundum in cinerem, cùm nihil ei impedimento esset, facilè conuerteret. Terra verò nullam penè vim ad agendũ habet, sed fortiter resistit: cùm neque aqua, neque aer tantas habeant vires, quibus eam corrumpant, & in aliam formam, aut aliam rem cõuertant, vt ignem cernimus vicinum aerem inflammare, & in ignem cõmutare. Hac ratione Creator horum quatuor simplicium corporum quantitates æquauit, cùm ex altera parte quod detraxit, alteri adiunxerit.

His quatuor corporibus aliam quoque naturam inseruit, qua, magna inclinatione quodamq; impetu naturali ad sua loca peruenirent: in illis enim tanquam in proprio & naturali loco conseruantur, extra quem à cæteris contrarijs corporibus detrimento afficerentur. Hac de causa aer, in terræ

cauernis si clausus sit, vt inde egrediatur, terræmotum efficit. Neque minor est ignis impetus. Præterea si extra sua loca permanerent, cùm aliud corpus alium locum occuparet, vniuersi ordo peruerteretur. Propter eandem caussam illis aliam quoque naturam dedit, vt partes inter se copularentur, cùm à nobis diuiduntur, præter terram, quæ cùm sit impurius elementum, hoc motu caret. Aquam autem & aërem si diuidimus, statim coniunguntur. melius enim coniuncta, quàm disiuncta seruantur.

Hanc naturalem propensionem Deus in omnibus rebus, vel minimis, ingenitam voluit, vt seipsas tuerentur: guttula autem aquæ quid minus? Hæc autem si cadit in puluerem, statim seipsam cohibet, & in se colligit, ita vt in sphæram se recipiat; hoc enim modo difficiliùs siccatur, quàm si perfusa, ac plana esset. Aër quoque in aqua inclusus, vel super illam tollitur, vel in quosdam paruos orbes immutatur, ne suam naturam amittat, cùm sit cum aqua permixtus. Sal si in ignem inspergatur, salit, & ab illo tanquam ab inimico refugit. Est enim natura aqueus, cùm ex aqua fuerit concretus, & aqua est igni inimica. Arbores cùm multum opacæ sint, magis in aerem tendunt, vt Solem, quo nutriuntur, inquirant. Illarum quoque radices, si secundum flumina sunt, vsque ad aquam tendunt, vt ex illa succum accipiant, & refrigerationem. Vt omnibus creaturis à Deo tributum sit, vt seipsas tueantur, declinentque ea, quæ nocitura videantur, vt ita seipsas conseruent in eo statu, quem initio à Deo acceperunt.

DE AERIS ELEMENTO. Cap. VII.


VT iam particulatim & seorsim de singulis Elementis tractemus, ab Aere, cuius beneficia sunt multa, initium sumamus. Hoc enim spiramus homines, aues, & animalia, quæ super terram degunt, & hoc pacto omni tempore tum dormiendo, tum vigilando hanc suscipimus refrigerationem, qua cordis, quod membrum calidissimum est, ardores refrigeramus, temperamusque, ne nos sui caloris copia comburat. Aer pariter ille est, per quem tum Solis, tum stellarum lux, & influentiæ ad nos pertingunt. Neque sine eo id facere possent: sunt enim tum lux, tum influentiæ accidentia, quæ sine subiecto, quo sustententur, esse non possunt. Præterea cùm sit inter nos, & Solem, huius caloris ita temperat ardorem, vt sine molestia illius beneficijs fruamur.

Hic autem animaduertendum est, aerem à Deo in tres distributum esse partes, ad id, quod infra declaraturi sumus. Prima autem & altior pars cùm elemento ignis contigua sit, & ob id calidissima, vt ignis sibi propinqui natura est. Inferior autem prope aquam & terram, est temperata: cui tamen calor non deest, & nonnullis temporibus maior propter Solis radiorũ, qui terram feriunt, reflexionem. Quæ autem pars inter vtranque iacet, frigidissima est: hæc enim duo extrema refugiẽdo seipsam colligit, inque seipsam recipit, & ita frigidior fit: id videre licet in puteorum aquis, quæ vt hyeme calidæ sunt, quòd frigus fugiunt; sic æstate frigidæ, quòd calorem fugiũt, & interiùs se recipiunt. Quod admirabilem Creatoris prouidentiã declarat. Hæc enim pars eò conducit, vt ibi gelu, & ros matutinus generetur, quo siccis tempori-

bus

bus plantæ ſuſtententur,& nutriantur: ibi niues,quæ agros fertiles & vberes reddunt. Ex quo illud iam in prouerbium ceſſit: Niuium anni, bonorum anni. Ipſæ enim,vt & gelu, plantas quaſi manibus conſtringunt,ne in aerem creſcant,ſed omnis earum virtus ad radices conuertatur, & altiùs radices in terra agant,vt opportuno tempore eò maiori vbertate creſcant, quò maius haberent in radicibus quaſi fundamentum.

Hoc eodem loco aquæ,quæ in terras cadunt,generantur. Sol enim tenuiores maris vapores(vt diximus)in ſublime tollit,qui cùm ſint tenues,& aeri ſimiles,facilè aſcendunt:cumq; ad hanc mediam aeris regionem perueniunt, quæ (vt dicturi ſumus) frigida eſt, denſantur frigiditate, atque ita conſtringuntur,vt in aquam commutentur,quæ cùm ſit grauior, deorſum tendit, & in pluuiam conuertitur. Huius rei experimentum capere poſſumus in alembicis, in quibus tùm roſæ, tum aliæ herbæ deſtillantur, vbi vis caloris ignis humiditatem attrahit herbarum,quæ deſtillantur,& in vapores conuertit,& in ſublime tollit;ex quo,cùm non poſſint altiùs aſcendere, vniuntur, & denſantur,& in aquam conuertuntur,quæ ſuo naturali pondere deſcēdit ſtatim, & inſtillat. Inde fit,quod S.Baſilius refert,quòd cùm nauigātibus aqua deeſt, aliquam maris partem coquunt,ſupra quam ita ſpongiam accommodant,vt illius aquæ vapores ſuſcipiat, qui deinde in dulcem aquam conuertuntur, qua aliquantulum ſitim extinguunt: in hac re ars,quemadmodum & in cæteris,naturam imitatur.

Neque hinc habemus minorem admirationis occaſionem, cùm videamus, qua ratione diſpoſuerit Deus, vt aquæ pluuiæ deorſum caderent. Nam ſi omnium hominum ingenia in ea cogitatione accuratiſſimè verſarentur, vt aliquam inuenirent rationem, qua efficerent, vt ita caderent aquæ ad terrarum irrigationem, nullam aliam hac ratione præſtantiorem inuenirent. Videtur enim per ſubcerniculum colare, ita æqualiter aqua ex omni ſua parte cadit, & terræ viſcera penetrat, vt plantas enutriat, quæ ipſę ſuſtentantur. Extrinſecus verò folia, & fructus refrigerat, quod fieri non poteſt, cùm terra irrigatur à nobis. Id illud eſt maxima dignum admiratione, quod Deo tribuimus potiſſimùm, de quo in libro Iob ſcriptum eſt: *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum.* Idem Iob 26.
Moyſes, cùm promiſſionis terram laudaret, ſcripſit his verbis: *Terra, ad* Deut. 11.
quam ingrederis poſsidendam, non eſt ſicut terra Aegypti, de qua exiſti, vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: de cælo expectat pluuias, quam Dominus Deus tuus ſemper inuiſit, & oculi illius in ea ſunt à principio anni vſque ad finem eius. Quod beneficium canit Propheta in Pſalm.14. cùm inquit: *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuias,* & tanta copia non ſolùm (vt in Iob ſcriptum eſt) dat aquam ſe- Iob 5.
getibus, & agris, verùm etiam deſertis locis, & inuijs, vt herbas producant recentes & virides.

Quàm autem magnum ſit hoc beneficium, quod ab aquis pluuijs accipimus, quis pro dignitate rei explicare poterit? Quicunque enim id diligenter animaduerterit, intelliget profectò, Creatorem omnia ad vitæ vſum neceſſaria hominibus per pluuiam parare. Hinc panem, vinum, oleum, fructus, legumina, medicas herbas; paſcua pro animalibus, & cum his carnes, lanam, & coria, quibus operimur, & calceamur, Deus nobis tribuit. De quibus

Digitized by Google

Psal. 146 meminit Propheta, cùm ait: *Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum*: & ait hominum, cùm in beluarum cibum fit fœnum. Beluę enim, vt patet, multis modis hominibus seruiunt. Tanta denique commoda nobis aquæ pluuiæ solent afferre, vt quidam Philosophus nomine Thales, qui vnus è septem Sapientibus Græciæ erat, cùm videret aqua omnes terræ fructus nutriri, & non solùm maris pisces, sed etiam homines cum omnibus animalibus aqua cibari; aquam esse materiam, ex qua omnia componerentur, dicere non dubitauit.

Cùm autem hoc beneficium sit tantum, tamq́ue vniuersale, huius Creator primus esse voluit, vt suis fidelibus seruis cibum daret, & illos, qui ab eo desisterent, hoc beneficio negando digna pœna afficeret. Et ita scriptum est in Iob: *Per hæc iudicat populos,* (fame scilicet puniendo) *& dat escas multis mortalibus.* Ita promittit Deus ijs, qui fideles suam legem seruant in Leuitico: *Dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur.* Contrà verò ijs, qui Dei mandata non seruabunt, sic ait: *Dabo vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneam. Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.* Neque solùm peccata, verùm etiam huius beneficij obliuio in causa esse solet, vt hoc beneficio priuemur. De quo per Hieremiam his verbis conqueritur Deus: *Et non dixerunt in corde suo, Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo.* Est quidem illud, quod ab omnibus exaudiatur, quòd licet hoc Creatoris beneficium sit tam magnum, pauci tamen sunt, qui ei acceptum referant, eiq́ue gratias agant, seruiantq́ue pro eo, per quod nobis ea dat, sine quibus vitam degere minimè possemus. Res ipsa nos admonere deberet, cùm aquam de cælo cadere conspicimus, Deum esse, qui eam ad nos mittit. Hoc autem quid aliud est, quàm homines rationis compotes, bestias rationis expertes imitari, quę cùm pastum & victum sibi quęritent, danti tamen acceptum non referunt, neque ei gratias agunt.

Iob 36.

Leuit. 26

Hier. 5.

Venti quoque aliud diuinæ prouidentię beneficium est: qui vel sunt aer, vel aeri quàm similes. cuius beneficij mentionem fecit Propheta, cùm dixit, *Dominum producere ventos, & trahere de thesauris suis.* Thesauros enim intelligit diuinæ prouidentiæ diuitias, quæ, vt essent venti ad vitę hominum vsum, effecit. Primùm enim venti ferunt nubes, & aquas, quæ in nubibus sunt, quocunque (vt in Iob scriptum est) totius mundi Creator eas mittere vult. Hoc modo videmus in Hispanijs Euro flante pluere, & in Africa, cùm Boreas flat; ille dum mare traijcit, hic ex altera parte dum idem efficit, secum nubes, quæ sunt Dei ministræ, & pluuiam adducit. Quonam modo Insulæ cum cæteris gentibus negotiarentur, quonam modo nauigarent homines, nisi venti surgerent, sed maria semper conquiescerent? Hoc auxilio ad extremas vsque terras breuissimo tempore transfretamus, & inde transferimus ea, quibus abundamus, eò, vbi ijsdem indigent, & ab his ea, quibus ipsi abundant, nobiscum, quibus ea desunt, ferimus: & hac via omnia communia fiunt, & omnes terræ instruuntur copiosè his rebus, quibus indigent; denique totus terrarum orbis fit quidam mercatus, & quędam omnium gentium ciui-

Psal. 134.

Iob 37.

Digitized by Google

ciuitas. Et quod magis est, ventis ad orientem, & occidentem Solem, & ad alias regiones fides nostra, & Creatoris notitia, quæ est præstantior omnibus alijs mercibus, quę ab alia ad aliam regionem transferri possunt, delata est. Neque minùs diuina prouidentia lucet in quadam ventorum vicissitudine. compertum enim est, quòd certis anni temporibus in Orientalibus Indijs quidam surgunt venti, quibus ad quasdam mundi plagas nauigatur, & vt inde renauigetur, alijs anni temporibus alij quoque venti surgunt: & hoc ita ratum est, & firmum, vt nunquam illi, quibus sic nauigetur, venti deficiant. Quos diuina prouidentia ad hominum vsum, & commoditatem ita dispofuit: seruorum enim officio funguntur, & quasi super humeris ad loca optata homines deferunt, atque perducunt. Quę cùm ita se habeant, quàm pauci reperiuntur, qui hoc tantum beneficium Deo referant acceptum, & eas, quas debent, gratias agant?

Eum quoque vsum nobis pręstant venti, vt (quemadmodum Seneca testatur) aerem depurgent, & ab illo omnes malas qualitates, & corruptiones, quę in eo essent, depellant, atque concutiant. Quod quidem illis compertum est, quibus in memoria est illud tempus, cùm Olysippum, & totum Lusitaniæ regnum peste laborabat anno 1570. quæ rapidissimo & insolito vento penitus cessit: quo vento ita maria tumuerunt, vt omnes propinquos fontes cooperuerint, & per nonnullos dies, cùm antea dulces fuerint, salsedinem retinuerint. Hic autem ventus secum attulit, quæcunque hanc pestem generarūt, ac conseruabant. Nam, ait idem auctor, voluit diuina prouidentia, vt vndique venti surgerēt, adeò in omnibus rebus exercitatio & labor necessarij sunt. Ad id quoque venti conducunt, vt agricolæ in area frumentum possint ventilare, & à puluere & paleis grana segregare. Maximis quoque æstatis caloribus, cùm anhelantes homines requietem quærunt, facit Creator, vt frigida surgat aura, quo intestina refrigerentur, visq; caloris temperetur. Ex quo, qui omnia Deo referunt, illud discunt, quod ad salutem maximè conducit: cùm in animo euoluāt, quanta futura sit illa æterni ignis pœna, in qua versantur illi, qui Deū non coluerunt, cùm in illo perpetuo igni ardeant ita, vt nunquam huiusmodi refrigerationem, aut solamen expectent.

De Aquæ elemento.

AB aeris elemento ad Aquæ elementum illi propinquum iam descendamus, quæ creationis initio, vt aeris elementum aquam, ita & aqua terram cooperiebat. Cùm autem hoc modo minimè in terris habitari posset, Creator, qui totum hunc mundum propter hominem creauit, vt propter se creauit hominem, iussit, vt omnes aquæ in vnum locum congregarentur, (id autem mare Oceanum fuit) terraq; ad vsum hominum appareret, & ita factum est: cùm aquam de suo naturali loco remoueret, qui in superficie terræ est, & in alium locum traduceret.

In hoc elemento multa sunt cōsideratione, contemplationeq; digna, quæ quidē prædicant sui Creatoris laudem, id est, amplitudo, fœcūditas, sinus, syrtes, portus, fluxus, atq; refluxus, tandem multę vtilitates, atq; commoda, quæ ex hoc elemento nobis cōtingunt. A magnitudine, & fœcūditate ducit laudes Psalmographus in Deum, vbi inquit: *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus,* *illic*

Psal. 103. *illic reptilia, quorum non est numerus.* Hanc magnitudinem Dominus ita disposuit, vt inde creaturæ omnes illius beneficiorum participes esse possent. Hæc autem sunt, vt diximus, partim nauigatio ad mercaturas & negotiationes; partim ad pastum, quem tanta piscium copia & abundantia, quos nutrit, nobis benignè præbet. Propter hanc causam voluit Creator, vt tot haberet quasi brachia, totq; sinus, vt in terra sese extenderent, & penè per nostra ingrederentur ostia; vt hac ratione suis nos diuitijs inuitaret, & victum nobis suppeditaret. Hinc Mediterraneum mare, mare Euxinum, sinus Persicus, & alij multi, qui tanquam huius magni corporis brachia sunt, cuius beneficijs, vult Creator, vt vniuersi homines vtantur. In his autem omnibus locis sunt sui portus, suaq; vada, vbi nauigia se à ventorum vi tueri possint.

Neque minùs Creatoris omnipotentia, atque prouidentia in tanta rerum multitudine, quæ per omnia maria quasi disseminatæ sunt, facilè apparet. Quæ omnia, vt D. testatur Ambrosius, sunt tanquam huius tanti, tamq; formosi corporis gemmæ, quibus ornatur, Deiq; omnipotentia & prouidentia declaratur. Prouidentia, dum hæc omnia parat, tanquam nauigantium diuersoria, & hospitia, vbi reficiantur, recreentur, conquiescant, vbi tum à tempestatibus, tum à latronum impetu se recipiant. In eo quoque Dei omnipotentia maximè elucet, quòd in tam maximis finibus, & aquarum abyssibus, tam paruæ conseruantur insulæ, licet tantis fluentis opprimantur, vt non solùm eas, vt velle videntur, non demergant, sed ne paruam quidem partem ab illis remoueant. Hoc autem illud est, quod idem Deus cum S. Iob sermonem habens extollit, cùm inquit: *Quis conclusit ostijs mare, quando irrumpebat quasi de vulua procedens? Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, Et dixi, Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Iob 38. Est quidem maximè mirum, quòd cùm tanta vi omnia elementa, vt diximus, sua loca petant naturalia, sitq́ue aquæ naturalis locus, terram operire, vt super eam conquiescat; solo verbo Deus tot millibus annorum, vbi ea segregauit, iam ita eam conseruauit, vt ne minimam quidem terræ partem sibi vsurpauerit, sed suis se finibus à Deo datis semper continuerit. Quo ille vsus est argumento ad accusandam hominis contumaciam, & renitentiam, si cum creaturis inanimatis conferatur. Et ita per Hieremiam ait: *Me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud.*

Hier. 5.

In Oceani medio, vbi fundum non reperitur, ad insulã quandam paruam aditur ab ijs, qui de Lusitania ad Indias Orientales nauigant, quæ distat 1500. passuum, & vocatur S. Helena. hęc penitus deserta est, & à nullis colitur, est tamen tum dulci aqua, tum piscibus, venationibus, fructibus, sine vlla vel cultura, vel alia hominum arte, ita copiosa & referta, vt videatur quoddam cõmune nauigantibus esse refugium à Deo omnium Creatore constitutũ. Hinc enim tum aquam, tum pisces, & animalia in venatione capta suscipiũt, & pręterea nullam aliam commoditatem hominibus affert. Qui illam ibi collocauit, hoc frustra facere non debuit. Et quod nobis maiori admirationi est, qua ratione illa terræ portiuncula in illo profundissimo loco de mari emergat, & emi-

Digitized by Google

emineat, neque tot antè seculis iam à tanta maris vi absorpta, & penitus ad nihilum redacta sit? Præterea cùm hęc sit, si ad Oceanum conferatur, paruum nucis putamen, immobilis tamen in tantis maris procellis ita permanet, vt nulla illius pars vllum detrimentum patiatur. Quis autem hâc Dei omnipotentiam, & prouidentiam, quæ quidquid vult firmat, ac tuetur, non venerabitur? Hoc igitur frænum est, quod huic magno maris corpori imposuit, ne terram operiat, & cùm suo impetu ad terram fertur, ne finibus egrediatur, timet. Ob id cùm ibi legem sibi impositam cernat scriptam, tanquã acer equus & indomitus etiam si nolit, fræni tamen vi, quiescit, ac reuertitur.

Mare quoque alia parte diuidit inter se terras, alia quadam amicitia ac concordia per mutuas negotiationes inter se coniungit, atque deuincit. Cùm enim vellet Creator, vt inter se homines perpetua essent amicitia obstricti, noluit singulas gentes omnia ad victum, cultumq́ vitæ necessaria habere, vt necessariò inter se homines versarentur, mutuoq́ cõciliarentur. Quamobrem videtur mare quædam nundinę, quidamq́ magnus mercatus, in quo sunt omnia ad vitam necessaria exposita, & maxima ementium & vendentium multitudo: cùm enim itinera, quæ per terram habentur, magnorum sint laborum plena, cùm minimè fieri possit, vt hoc modo necessaria omnia transferantur; voluit Creator, vt alia ratio inueniretur, qua omni nauigiorum genere nauigaretur, veherenturq́ pondera maiora vnico nauigio, quàm bestiæ multę vehere possent, ne homini ingrati animi, & ignari commodorum, quæ capiuntur à mari, quidquam deesset. Nam (vt D. ait Ambrosius) ex illo fontes labuntur in fluuios, in freta currunt flumina, lacus deriuantur in maria ipsa, se aqua præcedit, vrget, & sequitur; merces adducit, breuiora itinera facit, sterilitati remedium est, necessitatibus auxilium, fœdus, quo populi inter se maximè distincti copulantur, frænum barbarorum furorem cohibens, ne quid nobis, quoad eius fieri potest, detrimenti afferat.

Illud prætereą ex ipso mari colligi potest, quanta scilicet sit Creatoris tum mansuetudo, tum ira. Quid enim est mari pacatius, cùm quiescit, & est ventis liberum, vt fœminarũ mare dicere soleamus? vel cùm leni aura crispatus, & faciles vndæ ad litus tẽdunt, vt alia aliam leni murmure, quòd seipsas in litus illidant, penitus sequatur? Hac in re nobis Creatoris facilitatem, & mansuetudinem in bonos refert. Sed quando maximo ventorum impetu oppugnatur, & vsque ad nubes fluctus extolluntur, & quò in sublime magis eleuantur, eò profundiùs abyssus apparet, & hac ratione modò in aerẽ tollit miseros nauigantes, modò vsq; ad tartara deprimit, & magno impetu nauium latera percutit: quando verò mortales in maxima propter hanc causam versantur calamitate, & iam tum vires, tum vita eos deserunt, tum maximè diuinæ irę furorem, & illius potentię vim, quæ tantas potuit commouere tempestates, easqúe cõmotas cùm illi placet tranquillare, declarat. Hęc regius Propheta inter Dei admirabilia enumerat, cùm inquit: *Tu Domine in mari dominaris, & vndarum impetum mitigare potes. Tui sunt cæli, tua est terra, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo; fabricatus es mare, & boream, quo extollitur.* Psal. 88. Psal. 73.

Alia quoque maris præstantia restat, quæ tanta est, vt vix cuiusquã animus eam capere possit. Quibus enim verbis non dico exprimere pro rei dignitate, sed ne narrare quidem, vel suis nominibus (si adessent) recensere posset, tot

piſcium formas,quot in hoc elemento degunt? quiſnam intellectus, quæ ſapientia potuit tot inuenire non ſolùm ſpecies,ſed tot figuras in tam diuerſis piſcium corporibus; quorum partim in miram excreſcunt magnitudinem, partim penitus minuti,partim inter hos medij: ita tamen,vt & ipſi corporis magnitudine innumeri eſſe videantur? Hic enim,qui cetum creauit, creauit & ranam,neq; magis in illo tam magno corpore,quàm in hoc tam paruo creando defatigatus eſt.Sunt quidē multi artifices,qui forficula vel in ſerico,vel in charta ſexcenta figurarū genera,vt ſibi lubet,effingūt:ſericum enim & charta huiuſmodi ſunt, quæ facilè artificis voluntati obediant, ingenioq; reſpondeāt.Quis autem fuerit artifex tantus,qui tot figurarum differentias, ac formas,quot in maris piſcibus conſpiciuntur, ſuas omnibus virtutes & naturas tribuēdo,vel incidere,vel effingere potuit? Qui enim forfice aliquam incidit formam,nihil ei aliud tribuit,quàm quod in forma cernitur. Hic autē ſummus artifex vnà cum forma animam,vitam,ſenſus,motus, naturalemq; propenſionem ad victum,arma tum ad defenſionem, tum ad offenſionem,vt ſe tueantur,tribuit: præterea tantam vbertatem, vt ſuum propagent genus, vt niſi eſſet omnibus compertum,nemo eſſet,qui hoc affirmanti crederet. Quis enim oua,quæ in vna triſſa reperiuntur; vel quæ multis modis vel ſiccantur, vel ſale condiuntur,numerabit? vel cuius libet alius piſcis? Ex tantulo autem ouo tam magnus oritur piſcis,quàm ille,de quo decidit ouum, quamuis magnus fuerit.Sola aqua, vt pia mater,Creatoris virtute piſces,tanquam in ſinu ſuo ſuſcipit, atque quoad opus eſt nutrit: quid igitur admirabilius? Cùm enim diuina prouidentia hanc expiſcationem creaſſet,vt inde cibū homines perciperent,cumq; piſcatores minimè, vt venatores in terris feras, ſic piſces in aqua videant; perfecit Deus,vt fœcunditate,& multiplicatione ita excreſceret piſcium multitudo,vt mare tanquam lac coagulatum eſſet ante homines,vt quocunque retia extenderentur,eſſet aliquid,quod caperetur. Multæ, imò ferè innumeræ ſunt tum volucrum,tum in terris degentiū animantium formæ,& ſpecies : tamen,etiamſi hoc elementum videatur ineptum,in quo habitetur,& cibus habitatoribus præbeatur,vt in terris cernitur,facilè natantium ſpeciebus cæteris numero antecellit.

Quid autem de multiplici differentia dicam rerum marinarum, quas omnes nobis ipſum mare ſuppeditat? Quid de figurarum varietate, quarum partim terreſtria referunt animalia?Piſces enim reperiuntur,qui equum,qui canem,qui lupum,qui vitulum,qui agnum penitus referunt. Et ne quid in mari deſideraretur, alij noſtra figura ſunt ornati, & ob id homines marini dicuntur.Præterea quid de conchilijs dicam,quorū ſanie regum veſtes tingebantur?Quid de cæteris conchis,ſquillis magnis,paruis,de dactylis, deq; toto conchiliorum genere, quæ ex ratione colorū miram ſortita ſunt varietatem? O mira Creatoris ſapientia,quā magnifica ſunt opera tua Domine? omnia in ſumma feciſti ſapientia. Non terra ſolùm, ſed mare etiam eſt tuarum rerum admirabilium plenum. Quid autem de ingentibus piſcium viribus dicam? Breuis piſciculus remora dictus nauem vel plenis velis currentem retinet. Quàm igitur eſt ille Dominus potens, qui tantulo inſtrumento, tam magna operatur? Sardinia paruus piſcis eſt,terræ tamen, & mari, cùm ſit hominum & piſcium communis cibus,ſufficit. Ex quo dicitur magis per terram, quàm

per

per mare ire, cùm ad hominum vsum, tum per hanc, tum per illam partem feratur.

Neque illud negligendum est, longè suauiorem dedisse Creatorem piscibus, quàm carnibus saporem, quare in principiũ delicijs aliàs fuerunt. Quamobrem hinc D. Ambrosius exclamat: Heu ante hominem deliciæ creatæ fuerunt; antè abundantia nostræ luxuriæ mater, quàm natura; priùs hominis tentatio, quàm creatio. Non fecit hoc Creator noster, vt nos tentaret, sed vt alliceret, nosq; prospiceret, ostenderetq; nos tanquam charos, acceptosq; filios tractare, vt horum ciborum suauitas, gratusq; sapor eos ad Creatorem, qui hoc tam suaue conuiuium eis parauit, amandum, laudandumq; traheret, atq; alliceret. Sed multi homines ita in omnium rerum ignoratione versantur, vt, cùm omnes creaturæ eos inuitent ad celebrandum Creatorem, qui tam multa eis donauit, vt ex illis cibentur, atque saturentur, illis nec in mentem veniat sibi faciendum esse, vt illi gratias agant, aut saltem illud proferant: *Hoc pro me Creator, etiamsi nihil deberet, fecit.*

DE QVARTO ELEMENTO, QVAE TERRA est. Cap. IX.

NVNC autem ad communem nostram matrem, quæ terra est, à qua corpora nostra producuntur, ac sustentãtur, pergamus. Hoc autem fiet facilè, cùm non longè à mari discedamus. Illud enim est, quòd per cuniculos, & cæcas vias, quas Deus ordinauit, cum terra permiscetur, vt inde multas commoditates homines consequantur. Quarum vna illa est, quòd hac via fit solidum corpus, cùm partes simul vniantur, tum frigiditate, tum humiditate cohibentur ita, vt nos facilè sustineat. Aliter enim, cùm sit summè frigida, & sicca, fieri non posset, quin partes separarentur, distraherenturq;, vt calx, quæ viua dicitur, in puluerem redacta, & ita nos minimè sustinere posset.

Ex omnibus elementis hoc inferius est, quodq; minùs efficiens est: cùm à cælo adiuuatur, cæterisque elementis, nobis vsum præstat, seque nobis, quàm cætera elementa, vtiliorem præbet. Hoc exemplo debet se hominum genus erigere: quod licet per se sit satis abiectum, si cum Angelis conferatur, potuit tamen gratiæ auxilio & fauore super Angelos sese extollere. Locus, & naturalis sedes terræ, est mundi centrum, vndequaque aere & aqua septa, neque propter hanc causam ad vllam partem declinat. Quemadmodum enim in Magnete eam vim posuit Deus, vt tantùm polarem stellam respiciat, & eo loco solùm quiescat: ita etiam hanc naturam in terra collocauit, vt mundi centrũ, tanquam proprium & naturale domicilium, ad quod tenderet, & in quo conquiesceret, haberet; neque ad vllam partem, quod maximè mirum est, declinaret, sed esset tanquam sphæra in aere, in magnæ alicuius aulæ medio, quod nõnulli Philosophi minimè ita se habere persuaderi potuerũt. Hoc illud est, quod canit Propheta, cùm ait: *Fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi. Abyssus sicut vestimentum amictus eius.* Idem Propheta ait, Psal. 103. hunc esse locum, quem diuina prouidentia dedit hominibus ad habitandum: *Cælum cæli, inquit, Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Hæc antem terra præ- Psal. 13. ceptis & mandatis Dei tanquam pia mater nos excipit nascentes, nutrit natos,

dum viuimus tuetur, mortuosq́ tanquam in sinu recipit, & vsque ad nouissimum diem, quo resurgemus omnes, conseruat. Hoc elementum benigniùs & amiciùs nos complectitur, quàm cætera elementa: ab aquis enim eruptiones fiunt, cùm flumina crescunt, quod seminibus maximũ detrimentũ esse solet: aer cogitur in nubes, vnde fiunt tempestates, quæ segetibus calamitatem afferunt, agricolisq́ penè desperationem. Terra verò tãquam hominis ministra, quos fert fructus? quos odores? quos sapores? quos succus? quos non generat colores? quis illius fertilitatem atq; fœcunditatem verbis assequetur? Quantæ sunt illius diuitiæ? præsertim, si, quot metallorum genera ex illa quinque millibus annorũ ante Christũ natũ fuerint extracta, in animo euoluerimus, sicq́, quot ab eo tempore ad hanc vsque nostram ætatem, & hinc ad vltimum mundi diem extrahentur, cùm homines (vt ille cecinit Poeta) vsque ad inferorum vmbras peruenerint, vt aurum, & argentum, quò magis se interiùs recipit, prosequerentur. Quid autem dicam de multa gemmarum, lapidumqúe pretiosorum tum varietate, tum pretio, tum virtute, quæ in illius interioribus partibus innascuntur? Ex omnibus autem beneficijs, quæ in nos conferuntur, sunt illa admiratione digna, quæ fiunt à fontibus, & fluminibus, quæ manant de terra, & eam humidam & frigidam reddunt. Quemadmodum enim per humanum corpus venas, vt illud humectaret, atque nutriret, distribuit; ita etiam voluit, vt hoc magnum terræ corpus suas haberet venas, quæ flumina sunt, quæ per omnes illius partes currentia, & frigidam, & humidam efficiunt, & pisces nutriendo nobis multa ad victum suppeditant, & sitientes segetes irrigant.

Cùm autem multis in locis tum fontes, tum flumina desint, voluit diuina prouidentia, vt tota terra esset intus penè tanquam spongia aqua plena, vt homines puteis defodiendis sufficerent ei, in quo flumina deessent. Quis autem satis dignè admirabitur originem, ac principium, à quo tum fontes, tum flumina scaturiunt, ac emanant? Multis in locis procùl à mari cernitur vel fons, vel magnum flumen de montis radice exire. Vnde autem oritur hæc aqua? quomodo semper eodem tenore, tum æstate, tum hyeme currit? quæ tanta abyssus est, tamq́ copiosa, quę semper habeat, quod det, & tot millibus annorum nunquam defecit? Si dixeris ex aere in terræ cauernis clauso fieri, cùm verum sit, quòd ex decem aeris partibus vna fiat aquę; vbi tantus erit aer, ex quo vel Nilus, vel Danubius, vel Euphrates, vel noster Guadalquiuir efficietur? Etsi mihi compertum sit, hæc flumina alijs fluminibus augeri, ipsa tamen, & alia vbi nascuntur magna sunt. Deum laudat Propheta, quòd de suis thesauris, id est, de locis, quæ ipse sua sapientia statuit, ventos capiat: quantò magis est laude dignus, quòd in terra tam magnas effecerit cauernas, tantasq́ aquarum congregationes, vt nullo vnquam tempore desint? Quæ est materia, ex qua tanta producitur aqua? Quæ est efficiens causa, quæ potuit de illa materia producere? Hactenus enim in aquarum generatione tam varię sunt Philosophorum sententiæ, vt vix dicant, quod homini bus satisfaciat. Quod autem hîc magis requiritur est, hoc beneficium Deo acceptum referre, & illius prouidentiam, qui hoc intellexit, & efficere potuit, mirum in modum admirari. Erit profectò rudi ingenio, hoc qui non intelliget. Olim quidam Æthiops satis crassa Minerua cùm quoddã vnà cum suo domino

domino transiret flumen, sua rudi lingua dixit: Currere, currere, & nũquam implere; currere, currere, & nunquam desinere, magnum est Deus. hic autẽ Æthiops ex altera parte animum obtenebrat, ex altera hortatur, vt Deo pro tanto beneficio gratias agamus. Magis tamen nos adhortatur ille Angelus in Apocalypsi, qui (vt testatur S. Ioannes) per medium cæli volabat, & magna voce in terra habitantibus dicebat: *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & fontes aquarum.* Apoc. 14. Quibus verbis cùm silentio præteriret, quæcunque mirabilia in cæteris elementis cernuntur, de aquarum fontibus solùm, tanquam de re admirabiliori, mentionem fecit.

Quid autem dicam de medicis aquis, quæ de terra resultant, vt hominibus bonam valetudinem afferant? Aliæ enim morbo mancos, & membris captos ac debiles, penè soluunt, ac firmos reddunt; aliæ eos, qui sunt neruis nimiùm laxis, quasi cohibent, ac roborant: aliæ nimium phlegma siccant; aliæ sunt atræ bili optimum remedium: aliæ ad podagras conferunt; aliæ ad lapides: aliæ vlcera iam putrescentia curant. Et hæc diuina prouidentia in aqua simplici esse voluit ad hominis ingrati salutem, qui licet multa, & magna beneficia ab eo recipiat, nunquam tamen illi se neque memorem, neque gratũ præstat.

Præterea quàm magna est illa vis, quam Creator initio verbo solo, & vnico mandato terræ tribuit, quę quotannis tantam copiam frumenti, vini, olei, fructuum, leguminum, pascuorum, vt animalia nutriãtur, quæ nobis suum seruitium præstant, producit, vt nullo vnquam tempore deficiat? Hæc omnia præ manibus habent, non tamẽ animaduertunt hãc miram vbertatem, quam in terra Creator imposuit, nec illam penitus mirabilem vim, quam in tantulo frumenti grano esse voluit, cæterisq; seminibus: consuetudo enim videndi, cùm id quotidie cernamus, penitus admirationẽ tollit. Admiramur tantummodò rara, & quæ fieri non solent, non quòd maiora, sed quòd non sæpe fiant. Sed qui non ignorant, quomodo in rerum diuinarum contemplatione versandum sit, (vt D. Augustinus inquit) quæ quotidie fiunt, nobis maiorem admirationis occasionem, Deiq; cognitionis afferunt, quàm quæcumque alia, quamuis rara, & noua sint.

DE TERRAE FERTILITATE, PLANTARVM, fructuúmque terræ. CAP. X.

VBI de terra satis diximus, ordo postulat, vt particulatim de illius fertilitate, atque de illius fructibus dicamus. Et hoc est iam de his tractare, quæ vita prædita sunt, & animata. Quæcunque hactenus exposuimus, quę sunt cęli, stellæ, elementa, cum omnibus mixtis imperfectis, penitus vita carent: quæcunque enim vitam habent, sunt perfectiora, quàm quæ non habent, magisq; in illis Creatoris prouidentia, atque sapientia relucet: & quò vita est perfectior, hoc artificis eam qui fecit testimonium apertius nobis reddit, vt in sequentibus apparebit. Non enim Deus est, vt de hominibus dicitur, ignarus, iners, piger, otiosus: imò quo sunt res perfectiores, eò maiori cura, & proui-

dentia eas complectitur, ac tuetur, & eò magis in illis diuinæ prouidẽtiæ amplitudo cernitur, & elucet. Vt autẽ intelligeremus nos vni Deo terræ fructus acceptos referre debere, eos tertio die creauit, ante scilicet Solis, Lunę, & cęterorum planetarum creationem, (horum enim virtute, & influentijs plãtæ nutriuntur) & antequam semina, vt nunc, haberent: vt virtute sola omnipotentis verbi, causæ efficientis, & materialis omnium terræ plantarũ officio functus sit. Hanc autem miram specierum innumeram varietatẽ his tantummodò verbis emit: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* Audito autem hoc mandato, statim terra germinauit, viriditate se cooperuit, & vim accepit, qua fructus ferret, & maxima florum varietate penitus exornauit. Quis autem agrorũ pulchritudinem explicare poterit? suauitatem? agricolarũ voluptatẽ? quibus verbis id dicere poterimus? Habemus autem scripturæ testimoniũ, vbi sanctus Patriarcha odorem agrorum feracium, cum benedictione, & gratia sanctorũ comparauit. *Ecce (inquit) odor filij mei, sicut odor agri, cui benedixit Dominus.* Quis violarum pulchritudinem enarrabit? quis alborum liliorum? quis rosarum splendorem? pratorum amœnitatem, & tot florum diuersorum colorum varietate ornatum? alij aurei sunt, alij purpurei, alij lutei, alij alijs coloribus, alij varijs depicti sunt; in quibus nescis, quid tibi sit gratius, vel floris color, vel figurę venustas, vel odoris suauitas. Hac rerũ pulchritudine oculi voluptate perfunduntur, & odoris suauitate, quæ per aërem diffunditur, delectantur. Ea quoque est venustas, quam sibi Creator tribuit, cùm ait: *Pulchritudo agri mecum est.* Quis enim alius artifex tantam rerum pulcherrimarum varietatem creare posset? Oculos ad lilium aduertite, & huius floris albedinem respicite, & quomodo radice sursum suis paruis folijs vestitũ ascendat: deinde in superiori parte figuram cyathi referat, in cuius medio sunt quædam quasi auri grana, & ita circundata, vt à nulla re detrimentum capere possint. Si quis ab hoc flore eius folium carperet, quis esset tam peritus artifex, qui aliud huic simile efficere posset? Hunc autem florem idem Creator laudauit, cùm dixit, neque Salomonem in omni gloria sua fuisse vt vnum ex istis indutum.

Gene. 1. · Gene. 27. · Psal. 49. · Matth. 6.

Miramur tam citò terram genuisse? Quid autem est admirabilius, si illud diligenter animaduerteris, quàm qua ratione semina in terris sparsa, nisi priùs moriantur, fructus ferre non possint, & quò magis corrumpuntur, eò fructus vberiores ferre? Hoc in loco diuus Ambrosius immoratur, ac contemplatur, verbisqúe describit viam, qua vnum frumenti granum crescit, vt nos hoc doceat exemplo, omnibus in rebus Deum inquirendum esse. sic ille inquit: Suscipit granum tritici putris gleba, & sparsum cohibet occatio, ac velut materno terra gremio fouet & comprimit. Inde cùm se granum illud resoluerit, herbam germinat; grata ipsa iam species herbescentis viriditatis, quæ statim genus satum similitudine sui prodit; vt in ipso suæ stirpis exordio cuius generis herba sit, recognoscas, atque in herbis fructus appareat; paulatimq; adolescit vt fœnum, culmoqúe pubescens erigitur & assurgit. Ast vbi se geniculata iam spica sustulerit, vaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interiùs, ne tenera eius primordia aut frigus lædat, aut Solis æstus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis sæua decutiat. Succedunt quidam ordines spicæ, mirabili arte

Digitized by Google

formati, vel ad speciem grati, vel ad tutamen nexu quodam inter se naturalis colligationis adstricti, quam prouidentia diuina formauit. Et ne frugis numerosioris pondere velut quædam cedat fultura culmorum, vaginis quibusdam ipse culmus includitur, vt geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, ne impar oneri curuetur in terram. Tum supra ipsam spicam vallum struitur aristarum, vt quasi quadam in arce prætendat, ne auium minorum morsibus suis exuatur fructibus, aut vestigijs proteratur. Auena autem cùm pondere careat, neque hoc munimine indiget, ob id ei datum non est. Nam sapiens ille artifex quemadmodum in necessarijs rebus non deest, ita superuacanea non facit.

Herbarum appellatione non solùm frumentum intelligitur, de quo iam tractauimus, sed multa etiam leguminum genera ad nostrum vsum creata: quarum partim sicca seruantur in annum, partim vtimur, vt adoleuerint. Ex his autem partim sub terra, partim supra terram nutriuntur. Quo in numero sunt & illa, quæ intus nucleos, quasi animas, & ossa, continent, quibus seminibus deinde eadem propagantur. In hoc numero sunt ea, quæ filij Israel in deserto suspirabant. In hoc supremi Conditoris prudentiam intueri licet, qui, vt fugaces fructus, quibus æstate vteremur, vt hinc nostra corpora refrigerationem perciperent; ita & legumina huic anni tempori creauit accommodata. Neque carne tot animalium, piscium, volucrum, tot arborum fructibus, tot frumẽti generibus cõtentus fuit, sed hæc legumina quoque addidit, ne quid ad cõmodè viuendũ hominibus deesset. Sed malè videtur hæc beneficia collocata, cùm homines quotidie illis vtantur, & nunquã vt debent in illorũ auctorẽ, qui hæc tum bonis, tum malis pro bonis tribuit, oculos & animum conuertunt: quemadmodum, cùm hominum rationibus consuleret, cæterorum animalium non est oblitus, vt hominum generi benefaceret. De quo mentionem fecit Propheta, cùm inquit, *Deum producere fœnum seruituti hominum*: & dixit hominum, non quòd hominum fit cibus, sed quòd est seruorum, quibus homines vtuntur, quæ animalia rationis expertia sunt. Ex quo facilè intelligi potest, non solùm esse barbaras gentes, quæ nudæ viuunt, vt qui agrestes sub æquinoctiali linea vitam degunt; sed illorum etiam multos, qui sericis vtuntur vestimentis: quod fiet hoc exemplo manifestum. Si quis ingenuus vir, cùm in itinere esset, fortè in domum alicuius coloni diuertisset, essetque ab eo hilari vultu, & apparatu pro rustici copia satis amplo, acceptus, si illinc discederet ille ciuis, neque rustico gratias ageret, aut vteretur verbis, quibus prudentes homines in huiusmodi occasionibus solent, vt se gratos beneficij accepti, atque memores futuros ostendant, quid de huiusmodi homine sentiremus? Hunc hominem barbarum, superbum, & inhumanum hominem, imò ne hominem quidem esse diceremus. Quid ergo causæ esset, quin, & eos his nominibus dignos arbitremur, qui locupletes quotidie accumbunt mensæ opiparis cibis, quos non sibi, non Angelis, sed hominibus creauit, instructæ, vt inde refrigerationem, & nutrimentum percipiant: nunquam tamen gratias agunt illi, qui eos in hanc tantam huius mundi domum accepit, & mensam tot tamque suauibus cibis instructam parauit, etiamsi id eis nulla ratione deberet; neque, etiamsi hoc modo, tamque opiparè mensam apparatam quotidie Creatoris beneficio cernunt, vnquam in mentem

Psal. 103.

mentem illis venit, debere tam benigno hospiti quotidie se memores & gratos præstare? Quis igitur hos barbaros, qui in tanta rerum obliuione versantur, dicere dubitauit? Huiusmodi erat ille Euangelij diues, qui licet lautè epularetur quotidie, tamen neque Dei memoriam conseruabat, neque Lazarum, qui ei ob oculos erat, respiciebat.

Lucæ 16.

Herbas quoque medicas in seruitutem hominum creauit Deus: quarum aliæ bilē flauam, aliæ phlegma, aliæ bilem atrā purgant, aliæ sanguinem puriorem reddunt, aliæ vlcera curant, aliæ calefaciunt ventriculum, temperant hepar aliç, aliæ destillatæ visum clariorem efficiunt, & ad multos alios morbos conferunt. Quàm igitur est Conditoris prouidentia admirabilis in ijs virtutibus, quas singulis herbiç tribuit? Radix rhabarbari sola nobis sit in exemplū, quæ præcipua quadam ratione atram bilem attrahit. Hoc enim si sumitur, ad hepar omnium venarum fontem, quę per totum diffundūtur corpus, peruenit: cumq; in venis sit quædam quatuor humorum permixtio, huius tamen radicis vi solum humorem bilis atrę ad se trahit, atque reuocat, cæteris relictis, & hac ratione ex hac nostri corporis domo egreditur, & ita homo pristinam valetudinem recuperat. Quemadmodum enim rerum Conditor magneti illud tribuit, vt si fortè apud diuersa metalla esset situs, ferrū solum cæteris relictis traheret; ita & huic radici illud tribuit, vt cęteris humoribus nulla vi adhibita, ab ea bilis solùm traheretur.

Neque enim in herbis solùm medicas vires imposuit Deus, sed in pretiosis lapillis etiam, (vt in lapide Bezoar, qui in multas partes valet) in virgis, in lignis virtutem sanandi esse voluit, vt facilè videmus in ligno, quod Chinę, vel Indicum dicitur, quod illud habet, vt illos depellat morbos, atque sanet, in quos homines maxima cum Dei offensione incidunt: qui tamen tam benignus, atque clemens est, vt & huic quoque morbo mederi velit, & ad medendum necessaria hominibus tribuat. Quibus in rebus, vel cæci ipsi videbunt, quanto amore Creator hominum genus prosequatur, eiusqúe salus quantæ illi curæ sit, cùm tam multa creauerit medicamenta, quàm multa iam homines comperta habent, comperientq; in posterum, & id omne vt saluti hominum consuleret. Nostra enim memoria radix illius, quod Moxoaca dicitur, in Hispanijs cognita est.

Hæc tanta rerum, quæ in terris gignuntur, copia & abūdantia, summam Creatoris animi prouisionem ostendit, qui tanquam bonus paterfamilias, vt suam domum incolumem præstet, ea familiaribus suis parat, quæ ad vitam, & salutem necessaria sunt. Quid autem de tanta florum varietate dicendum est, qui nō ad victum, sed ad voluptatē creati sunt? Ad quid enim aliud valeat cariophilū, quod vulgo dicūt, tam multis, & varijs coloribus, leucoion, lilium conuallium, ocymum, alijq; innumeri flores, (quibus referti sunt horti, montes, campi, valles, prata; quorum alij sunt candidissimi, alij lutei, alij purpurei, alij violati, alij diuersis coloribus depicti, tāto artificio expoliti, tanto ordine, tanta foliorum proportione, quibus circūdantur, tamq; suaui odore multi fragrantes) ad quid inquam aliud valent, nisi ad hominū voluptatem, atque solamen? Id autē eò factū est, vt haberent homines aliquid, quo illorum corporei oculi, sed multò magis animi delectarentur: dum in illis Conditoris pulchritudinem considerant, ac contemplantur, & quātæ curæ sint

ræ ſint illi homines, quibus non ſolùm vt paterfamilias ea ſuppeditauit omnia, quæ ſeruis ad viuendum ſunt neceſſaria; verùm etiam vt verus pater ſuorum filiorum, filiorumq́; ſibi chariſſimorum, non fuit eo contentus, vt neceſſaria pararet, verùm etiam ea, quę voluptatem & ſolamen afferrent. Sic enim voluit, vt non ſolùm ſtellarum ſplendor, quas ſerenis noctibus cernimus in cælo: ſed conualles etiam fertiles, prata viridia, varijs diuerſisq́; floribus picta, alterum nobis referrent ſtellatum cęlum, quæ cùm nobis viſum ſuauitate & pulchritudine reficerent; tum nos ad laudandum Creatorem excitarent, qui hęc omnia effinxit, atque creauit, nō ſibi, neque Angelis, neque beluis, ſed ſolùm ad honeſtam hominis voluptatem.

Iam illud, quod ratione diſcimus, vſu percipiamus, aliquod cariophillum manibus accipiamus, & iam hoc modo philoſophari incipiamus: Ad quid rerum Conditor tam pulchrum, tamq́; ſuauem florem creauit, cùm nihil fruſtra faciat? Non ad paſtum quidem, non ad medendum, vel aliud huiuſmodi. Quid aliud igitur reſpexit, niſi noſtros viſus floris pulchritudine, & odoratum odoris ſuauitate reficere? Neque hic quieſcēdum, ſed vlteriùs procedendum: conſiderare enim oportet, quàm multas florum varietates præterea creauerit, ad id ſolum, vt inde viſus, & odoratus reficeretur; quàm multos etiam lapides pretioſiſſimos, quibus hic ſenſus lætatur? quàm multas pręterea creauit alias res, vt alijs ſenſibus quandam afferrent voluptatem? Quàm multos volucrum concentus ſtatuit, vt auditū delectaret? quàm multos ſapores, vt guſtum? quot aromatum genera, vt odoratum? Quàm elucet in hoc Conditoris benignitas, & ſuauitas, qui cùm cuncta creauit, tanti hominē fecit, vt nō ſolùm tam multa ciborū genera, & quęcunq; alia ad vſum vitę neceſſaria erant, parauerit, (cùm hic mundus viſibilis ad hominem ſolùm referatur) verùm etiam in hoc maximè verſatus ſit, vt ea pararet, in quibus maxima cum voluptate ſenſus omnes ita verſarentur, vt tamen ſemper obiecta ſua haberent, quibus honeſtiſſimè delectarentur. Quid igitur eſt parentis benigniſſimi, ſuorumq́; filiorum amantiſſimi, cupidiſſimiq́; magis proprium?

Neque hac re contentus fuit, ſed ad id multas quoque creauit plantas, vt eſt laurus, myrtus, cupreſſus, cedrus odoratus, populus, hedera, qua hortorū parietes veſtiuntur, & tanquam hortorum aulæa ſunt, & cæteræ id genus arbores, quæ cùm fructus non ferant, videntur ad id ſolum conditæ, vt noſtro viſui voluptatem afferrent: quę quidem voluptas tanta eſt, vt meritò dixerit Eccleſiaſticus: *Pulchritudinis venuſtate oculi delectantur.* Segetum verò viriditas Eccl. 40.
longè hęc omnia ſuperat.

Herbas autem, earumq́; virtutes, ac proprias naturas enumerare vni Salomoni datum fuit, de quo Scriptura inquit: *Et diſputauit ſuper lignis à cedro, quæ* 3.Reg.4.
eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete. Sed illud compertiſſimum eſt, non minùs terram à plantis, quàm aquam à piſcibus coli. imò multa ſine piſcibus maria reperiuntur, vix tamen minima terrę pars reperitur, quæ tempore ſuo non ſit aliqua herba, licet nullus eam ſeminauerit, aut coluerit, exornata. Diuino tantùm verbo obediens, ibi naſcitur, & adoleſcit.

Iuſſit quoq; Creator, vt terra poſt herbas, omnia arborū genera produceret, cuius formę, ac ſpecies tam multæ ſunt, vt & plantarū, vt eas nemo ver-

bis assequi possit. Quarum aliæ fructus ferunt, aliæ verò steriles sunt: aliæ hominibus, aliæ beluis cibum suppeditant: alijs folia nunquam, alijs quotannis decidunt: aliæ propter vmbram tantùm, aliæ propter aliud conditæ videntur, & ita multos quoque alios vsus nobis præstant.

Ex ijs verò, quæ fructus ferunt, aliæ id faciunt, vt illis vere, aliæ hyeme, aliæ omnibus temporibus vtamur: in quibus diuinæ prouidentiæ consilium, & ordinem maximè debemus in animo euoluere, quæ in plura genera omnes distribuit arbores, sub quibus generibus plures collocauit species, tum vt copiosum hominibus pararet victum, tum vt fructuum varietate ab illis fastidium remoueret. Rem ipsam illustramus exemplis: Sub pruno cõtinentur fugacia, & serotina, quæque vnicum habent colorem, & figuram, quæque plures colores, figurasque habent. Sub vuæ genere, quàm multæ continentur species? sub pyro, quàm multæ pyrorum species? sub fico, quàm multæ ficuum differentiæ, & colores? Pomũ, & malum, quàm multas pomorũ, & malorum species continet? Citriorũ genus, quot species cõplectitur? Hac ratione sapientissimus administrator omnia in sua genera, quasi cognationes, & propinquitates, vt hîc licet videre, distribuit. quod eò (vt diximus) conducit, vt nullo vnquam tempore hominũ generi desit huiusmodi cibus. Hoc enim modo serotini fructus præcoces, & fugaces sequuntur. Propter hanc causam in eadem arbore, vt in ficubus cernitur, non omnes fructus sunt eodem tempore, sed paulatim, vbi aliqua pars iam maturuit, alia concoquitur, & ad maturitatem accedit, & hanc alia eadem in arbore sequitur, vt inde plures dies fructus carpere possimus. Huius sapientiæ illecebræ faciliùs in his fructibus, quibus vtimur æstate, cernuntur. Propter enim anni temporis nimios calores, fructuũ frigidorum & humidorum refrigerationem nostra corpora expetunt: quamobrem huic naturali appetitui non solùm tanta fructuum varietate succurrit rerum Conditor, sed legumina quoque temporis conditionibus respõdere voluit. Ingrati igitur animi homo cur summa veneratione non prosequetur, qui tantis illecebris atque voluptatibus hominem allicit, atque trahit? Neque illud in contrarium adducatur, quòd tam multi huius generibus fructibus in morbos incidant. Non enim id accidit fructuum culpa, sed illorum, qui diuinis beneficijs abutuntur: vt non vini culpa, sed bibentium, qui vino abutuntur, homines inebriantur.

In omnibus præterea arboribus diuina prouidentia cernitur. Quemadmodum enim, qui domum ædificare vult, primùm fundamẽta, quibus domus nitatur, iacit: sic voluit Creator, vt antequam in sublime, vel plantæ, vel semina se tollerent, priùs altè radices agerent in terra, idque cum quadã proportione cum arbore futura, vt quò magis in aerem rami, eò magis etiam in terrã radices tenderent. Hoc autem facto, statim truncus tanquam totius ædificationis columna se erigit, à quo tota coma arboris diffunditur, ramique in omnes partes tenduntur. Hic autem mira voluptate oculos folijs ac floribus afficit, deinde benignè, ac liberaliter maturos nobis fructus offert. Ex quo illud maximè animaduertendum est, quod multò ante Seneca animaduertit: quòd, cùm tam multæ sint foliorum differentiæ, quàm multæ in arboribus, stirpibus, & herbis cernuntur, quæ penè innumeræ sunt: minimè tamen fieri potest, vt duo reperiantur, quæ vel magnitudine, vel odore, vel figura, vel alia huius-

huiusmodi re sint omnino similia. Idem animaduertit in hominũ vultibus, qui licet innumeri sint, vix tamen vnus reperitur, qui alium penitus referat. Adeò magna est summi pictoris virtus, qui tam multis in rebus artificium, sapientiamq; suam nobis ostendit.

Nec minùs mirum est, qua ratione tum arbores, tum plantæ nutriantur. In radicibus enim habent fibras, per quas terræ succum, qui Solis calore ascẽdit, attrahunt: idq; tum per cor, tum per arboris librũ, atque corticem, perq; omnes terrę poros, atq; vias, ad cuius cõseruationẽ consequuntur cortices, qui tanquã subuculæ, vel pallia, quibus arbores teguntur, penitus existunt. Folia præterea suas habent venas, queadmodũ & humanũ corpus, per quas hic currit succus, atq; distribuitur; quæ quidem ita in folijs dispositæ, atq; descriptæ sunt, & in medio maior vena ita collocata est, vt in duas æquas partes folium diuidat: hinc autẽ reliquæ venæ suos ducũt ramos, & quò magis à maiori vena recedunt, eò tenuiores fiunt, & tandem in extremis partibus capillos referunt: per quas alimentũ omnibus foliorum partibus communicatur. Hoc ego olim in quibusdam pyri folijs animaduerti, quæ quidã vermiculus erosit, cùm enim tantùmodò molliorem partẽ corrosisset, illud mirum rete intactum, venarumq; distributionem vel minimarũ reliquerat. Hac igitur ratione vegetatiuæ animæ virtute non solùm nutritur arbor, verùm etiam adolescit, & ita adolescit, vt cuncta animalia, quæ hac quoq; anima prædita sunt, facilè magnitudine vincat. Ex omnibus autẽ causis, à quibus hæc magnitudo proficiscitur, illa potissima est, quòd bestiæ nõ solùm in nutriendo corpore, verùm etiam in actionibus, quæ sensuũ propriæ sunt, profectò versantur: quo officio cùm plantæ minimè fungantur, inde fit, vt cùm minùs occupatæ sint, magis augeantur. Hoc etiã in causa est, quòd homines studiosi, vel qui in rerũ consideratione, contemplationeq; assiduè versantur, infirmiora corpora sortiantur: sæpius enim in animalibus actionibus non exteriorum sensuum, sed interiorum inuigilant: virtus autem diuisa, quàm vnita, infirmior est.

Neque diuina prouidentia fructus maturos neglexit, verùm etiam vt conseruarentur, diligentiã adhibuit: effecit enim, vt in arboribus folia adessent, non solùm, quòd ita pulchriores sunt, & vmbram administrant; sed etiam à Solis ardoribus, qui breui fructus omnino siccarent, incolumes præstaret: & quò arborum fructus molliores sunt, vt ficus, & vuæ, maiora folia, vt in his cernitur, habere voluit. Neq; illi placuit, vt folia figuram circularem haberent, sed nonnullis in locis scissa sunt, & vt serræ quasi dentes habentia, tùm vt à Sole defenderent fructus, tum vt tẽperatè, & aëris, & Solis beneficio per partes inter se aliquo modo diuisas accipiendo, vterentur.

In cæteris quoque fructibus, qui in maiori periculo versari videntur, vt qui in altissimis arboribus, ventisq; expositis innascuntur, diuina prouidentia maximè apparet. Ex his autem aliæ arbores in montiũ cacuminibus oriuntur, vt pinus, cuius fructu minimè vteremur, nisi rerum Creator fidelem adiunxisset custodiam, qui conus est, in quo tanto artificio siti fructus sunt in suis cellulis, & vndique tam bene clausi, vt nulla vi ventorum decidant. Nucum arbores pariter magnæ sunt, magnæ sunt castanearum, (quibus pauperes, cùm sibi panis deest, in cibum vtuntur) cùm sint nõnunquam in altissimis montibus satæ, omniumqúe ventorum, & frigidorum flati-

bus obnoxiæ, Conditor eas echinato cortice armauit. Neq; hoc contentus, sed præterea duplici etiam cortice, quasi tunicis fructum vestiuit, interior est mollior, exterior verò durior; & hæc piam, & duram matrē, quibus cerebrū inuolutū est, nobis referunt. Idem licet in nucibus animaduerti, quæ ita in suis putaminibus, atque corticibus inuolutæ sunt, vt nullo modo neque à Sole, neque ab aere iniuriam accipiant.

Cùm autem nonnullæ sint arbores maiores, & grauiores fructus ferentes, vt sunt citrus, & malus cydonia, effecit Creator, vt harum arborum & rami, & virgę essent robustiores, quò suorum fructuum pondera ferre possent. Ex his arboribus erant illæ virgæ, quibus sancti Martyres cædebantur. Sed cùm citrij sint etiam maiores, non solùm voluit, vt rami maiores, robustioresque essent, verùm etiam erectos fecit eos, de quibus fructus penderent, vt faciliùs pondus ferre possent. Hac in re perfectè videre est, diuinam prouidētiam in rerum creatione neque obdormitasse, neque frustra quidquam fecisse.

Nonnullarum autem arborum pulchritudinem, cùm ex illis sui pendent vndique fructus, quis non videt? Quid autem est visui gratius, quàm vel malus, vel pomus, cuius rami sint suis pomis onusti varijs coloribus depictis, & vndiq; suauissimis odoribus fragrantibus? Quid vmbraculum ex vitibus, & inter folia maximos vuarum racemos pendentes, varijs coloribus exornatos videre? Id autem quidnam aliud est, quàm formosi lapilli ex ea pendentes arbore? Granati pomi artificium, ad Creatoris pulchritudinem, & artificium declarandum maximè conducit. Hoc autem cùm sit tanto artificio cōditum, facere non possum, quin hoc loco de illo aliquid dicam. Primùm est hoc malum suo cortice tanquam pallio indutum, quo tum à Solis, tum ab aëris iniuria facilè defenditur. Hic autem extrinsecus solidus, ac durus, intrinsecus verò mollior, ne fructus, quos continet, qui molliores sunt, lædātur. Grana verò intus eo sunt ordine collocata, ac disposita, vt nullus sit locus, quin sit penitus ab illis occupatus. In diuersos quasi conos est totū pomum distributum: inter quos tela quædam sericis longè tenuior, & mollior inest, eosq; separat; ne, (quod accideret, si grana mutuò se contingerent) corrumperentur. Prętere a si quis horum conorum putresceret, hæc tela in causa esset, ne vicini contagium ad vicinum transiret, & in eandem perniciem secum traheret. Propter eandem causam Creator voluit, vt in nostro capite cerebrum in duos ventriculos distribueretur, & hi quadam tela diuisi, & segregati essent, ne, si qua pars vel ictu, vel alia ratione læderetur, ad vicinā partem damnum perueniret. Singula huius pomi grana intus habent quoddam os album, vt ita melius, quod tenerum, & molle est, super durum sustentaretur. Hoc autem os in parte inferiori habet quendam molliorem pediculum, per quem à radice ad superiores grani partes virtus atq; succus perueniret. Quemadmodum enim fœtus in matris vtero per vmbilicum, ita granum per pediculum trahit alimentum, quo nutritur, augetur, atque conseruatur. Grana verò omnia in quodam molli lectulo eiusdem generis cum interiori parte corticis, quo totum tegitur pomum, collocata sunt, ne quid pomi venustati deesset. Totum denique pomum in regia quadam corona desinit, quam reges imitati esse videntur, cùm sibi capitis ornamentum inquirerent. In quo videtur rerum Conditor nobis ostendere voluisse, hunc omniū fructu-

fructuũ esse regem. Coloris rubore coralia, sapore, & salubritate cæteros fructus facilè vincit. Est enim visui gratum, gustui dulce, sanis suaue, salubre ægrotis, & huiusmodi, vt in annum seruetur. Cur igitur homines tam subtiliter in naturalibus rebus philosophantes, non philosophantur in huius pomi artificio, vt inde illius tum sapientiam, tum prouidentiam agnoscant, qui ex tantulo terrę succo, & aquæ particula, tam formosum, tamq́ vtile pomum effinxerit? Hoc meliùs in Cantico intelligebat sponsa, in quo sponsum ad suorum pomorum succum inuitat, & ab eo petit, vt secum in agros exeat, vt videant an tum malus punica, tum vites effloruerint. Can. 7.

Cùm autem in vitium mentionem inciderimus, non erit ab re hoc in loco de illarum fertilitate verba facere. Nam etsi vitis est parua arbor, non tamen paruus est fructus, quem ipsa fert, nobisq́ donat. Vuas enim, quas per totum annum comedimus, nobis tradit: vinum, quod vires reficit, & cor hominis lętificat; acetum, sapam nobis administrat: vuam quoque passam, cibum suauem sanis, & ægrotis salubrẽ, producit. Neq; mirum est, quòd diuina sapiẽtia fructus, qui à se proficiscuntur, cum fructibus huius paruæ, sed fertilissimæ arboris comparet. Et in Euangelio Saluator se cum vite pariter comparat. sic enim inquit discipulis suis: *Ego sum vitis, vos autem palmites. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Etsi hæc arbor tam parua sit, tamq́ debilis, vt minimè in sublime tendere per se possit, nihil tamen ei deest, quo id commodè facere queat. Ex his enim clauiculi tanquam manus oriuntur, quibus arborum ramos apprehendunt, & cum illis crescunt: præsertim cùm altis arboribus sunt coniũctæ. In quo nostræ redemptionis imago depicta videtur. Hoc enim pacto & nos homines ascendimus. Nam cùm simus creaturæ tam humiles, tam abiectę, (cum Angelis si nos conferimus) si tamen cum montis Libani cedro, qui Christus est Redemptor noster, non vitis clauiculis, sed amoris vinculis nos obstringimus, cum illo (vt ait Apostolus) resuscitamur, & ad cælum ascendimus. Quod his verbis sanctus Gregorius explicat: Non poterat videri à nobis illa diuina altitudo: propter hanc causam se humiliauit, & in terram descendit, & nos super humeros suos sustulit. cùm autem se erigit, & nos in sublime secum fert, tum super Angelos per mysterium incarnationis (quod ad hanc coniunctionem, & propinquitatem attinet) natura humana eleuata, & nobilitata fuit. Ioan. 15.

Sed cùm in superiori arborum diuisione de sterilibus, atque siluestribus arboribus mentionem fecerimus, operępretium est, & in illis diuinam prouidentiã explicare. Hæc enim cùm videret hominibus ita domicilijs, in quibus inhabitarent, seq; ab aeris iniurijs tuerentur, vt cibo quem comederent, ad viuendum opus esse, ad id arbores accommodatas creare voluit. Quemadmodum enim fructiferas arbores demissiores, vt faciliùs ex illis fructus carperemus, effecit; ita quas ad ædificandum creauit, eas altiores, & erectiores esse voluit, vt sunt regiæ pini, altæ quercus, populi albæ, & cęteræ huiusmodi. Erat enim opus, vt huiusmodi essent, quo magnis tabulatis sufficerent. Reliqua verò penè innumera arborum siluestrium genera, tum multis animalibus folijs & corticibus pastum sufficiunt; tum illis ad ignem, quo maximè nobis opus est, tum ad corpora calefacienda, tum ad cibos coquendos, & ad alias res vtimur. In quo facilè apparet, nihil esse in desertis locis tam vile, tam-

tamq; abiectum, quod nobis non aliquem vsum præstet ad vitam, quæ cùm tam debilis, tamq; infirma sit, vt conseruetur, quæcunque in mundo existunt, illorum vsu indiget.

Et ne quid necessarijs vitæ vsibus deesset, diuina benignitas alia quoque arborum genera, à superioribus diuersa, & ad alios vitæ vsus creauit. Nam & arbores aromaticas creauit, vt est cinamomi arbor, & quæ aquilę dicitur, quę suauem à se odorem emittit, & aliæ, à quibus balsamum emanat in his locis, à quibus nobis Sol oritur: in Africa verò, & AEgypto innascitur succinum, quod cùm sit cuiusdam arboris lacryma, & vt lapis durum, in cuius medio foliorum particulæ, & quædam parua cernuntur animalia, quæ in illud tenerum & molle ceciderunt.

Voluit præterea, vt siluestres arbores possent coli, & in fructiferas conuerti, dum inseruntur, quod in oleastris videre licet, qui oliuiferi hoc beneficio fiunt: voluit præterea, vt eis medicinas adhibere possemus, si quando in aliquem quasi morbum incidissent. Sic ait D. Ambrosius, quòd si arboris ferentis amygdalas amaras findantur radices, & in fissura aliquod pini lignum posueris, ex eo tempore dulces ferre fructus.

Alia quoque sunt in arboribus (vt idem Sanctus inquit) quę sunt maxima admiratione digna, vt quòd in nonnullis arboribus sexus discretio sit, vt in palma licet animaduertere. Nam videas palmam inclinantem ramos suos, & subiacentem ei arbori, quam marem palmam appellant, inde fit, vt dactyli accipiant, vt perfecti & suaues fiant. Quamobrem locorum cultores, cùm longè abest ea, quam marem appellant, à fœmina, fructus colligunt, & in arbore fœmina collocant, & ita maturescunt, atque perficiuntur. Hoc est notius, & apertius omnibus in ficubus, quę ex magna parte à ficulneis, quę masculi sunt, & siluestres arbores, ficus suauitatem, & suum quasi mel accipiunt, & sine illis protinus immaturæ, & inutiles fiunt. Propter hanc causam cultores eam adhibent diligentiam, quam dixi de dactylis. Ex ficis masculis quasi corollas faciunt, quas deinde in arbore fœmina ponunt, & id caprificare ipsi dicunt. Hac in re duo sunt, quæ maximè mireris: alterum est, quòd ex ficulneę fructibus nonnullæ paruæ oriuntur muscæ, quę si florem, quem in extrema parte ficus gerit, contingunt, eum mitem, coctum reddunt, & mel ei tribuunt, idq; tam copiosum, vt nonnunquam ex loco tacto emanet guttula quædam ex illo, quod intus genitum est: alterum est, quòd licet innumeræ penè ficus sint in aliqua arbore, nulla penè relinquitur intacta, vt omnes hoc beneficium consequantur. Quis igitur Creatoris omnipotentiam, & prouidentiam non admirabitur, qui tam paruo animali tantam tribuerit virtutem, vt huius tactu ficus fierent maturæ, omniq; suauitate plenæ?

In extrema autem huius tractatus parte non licet silentio præterire, quantam diuina prouidentia curam adhibuerit, vt quæ caduca sunt, & plantæ pręsertim, conseruarentur. In quo duo animaduertenda sunt: alterum, quòd in qualibet arbore tanta seminum copia nascitur, vt nunquam semen deesset, ex quo huius generis arbor oriretur: alterum est, quòd tantam singulis seminibus virtutem dedit, vt ex tantulis nucleis, vel animulis, vel granis, tam magnæ inde fierent arbores, quæ pariter tam multa semina producerent, vt se iterum renouare possent? Vtrunque cernitur in sinapis planta, de qua in Euangelio

angelio Saluator mentionem facit: quæ tam multa grana fert, quàm multa omnibus compertissimum est: & horum singula si ferantur singulas ferũt plantas, quæ pariter singulę innumera grana producunt. Idem in peponũ seminibus licet videre. Ex singulis enim seminibus plantæ nascuntur, & in singulis peponibus innumera innascuntur semina, quibus hæc species renouetur sæpè, atq; conseruetur. Quo modo igitur fieri potest, vt cùm plantę tam multa semina, quibus renascantur, habeant, quã multa singulæ plantæ ferre solẽt, in terris desint? Qua in re facilè cernitur Dei prouisionis scientia, in quibus ipse prouidere vult. Hoc exemplo facilè philosophari possumus, & inquirere, atq; intelligere, quàm fuit copiosa nostra redemptio, quam quidẽ nobis misit eo mysterio, cùm vnigenitus eius Filius humanam carnem assumpsit. Quemadmodum enim illud remedium copiosum fuit, quod parauit, vt plantarum species conseruaret; quàm copiosum illud esse credendum est, quod parauit ad hominum genus sanctificandum? De quo mentionem fecit Apostolus, cùm dixit incomprehensibiles esse diuitias, quas secum Dei Filius tulit. Neq; idem Dominus id silentio pręterijt, cùm inquit: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Hic autem operibus tertij diei, quando Creator terræ iussit, vt permaneret, finem imponemus: non tamen laudibus, & gratijs, quas ei pro tanto beneficio quotidie agere debemus: cùm omnium creaturarum voces audiamus, quæ suæ compositionis artificio, suorumq; fructuum beneficio continuò illud prædicant: Deus nos fecit, & pro te, homo, nos fecit.

Matt. 13.

Ephes. 2.
Ioan. 10.

PRAEFATIO, VT DE ANIMALIBVS, ET PRAESERTIM de ijs, quæ perfecta dicuntur, agere incipiat.
Cap. XI.

ALIVM vitæ gradum animalia, & præsertim quæ perfecta dicuntur, perfectiorem, quàm plantæ, de quibus superiùs locuti sumus, sortita sunt: sensu enim & motu prædita sunt, & quò hæc sunt plãtis perfectiora, hoc nobis maiorem Creatoris notitiam afferunt, perfectiora enim Deus magis curat. Maximorum auctorum, & illustrium Regum libri extant, qui cùm corporum animalium fabricam mirarentur, & multò magis dotes illis ad suam conseruationem datas, ad animalium naturas inuestigandas sese contulerunt. Alexander ille Magnus, qui ad nihil aliud, nisi ad arma natus videretur, in hoc tanto negotio, quod totum hominem requirit, tantopere animalium proprietates, & naturas scire desiderauit, vt omnibus venatoribus, piscatoribus, montanis hominibus, gregum & armentorum pastoribus, auium & animalium educatoribus, qui in tota Græcia & Asia reperirentur, iusserit, vt Aristoteli obtemperarent, ei omnia, quæ sciret quisque in ea, quam profiteretur, arte, traderet: vt illos tantopere probatos libros de animalibus conscriberet. Id autem omne eò faciebant, vt tempus traduceretur in ijs rebus, ex quibus homo curiosus huiusmodi rerum notitia voluptatem percipere solet. Hoc quidem tanti laboris præmium tenue erat. Quanto maius illud est, quod religioso viro in hac consideratione promittitur, cùm nos supra stellas, & super creata omnia tollat, ad illius supremi factoris cõtemplationẽ perducit, in cuius cognitione magna nostrę felicitatis pars consistit. sic ille per Hieremiam inquit:

Non

Hier. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum.* Hæc autem tractatio ad tantam notitiam disponitur: in qua si plura dicerem, quàm Theologum decet, cùm hoc Philosophorum argumentum sit, mihi vitio non vertatur: cùm hoc loco hæc, vt philosophus non tractem, sed vt qui de creationis operibus tractat, quod Theologiæ proprium est: præsertim cùm hæc omnia ad Creatoris cognitionem referantur. Id etiam eò feci, vt hæc lectio suauior, & gratior lectori esset, qui facere nõ poterit aliquando, quin Dei sapientiam, & prouidentiam, quæ maximè in his elucet, magnopere admiretur. In his multa prima fronte incredibilia cernet, vt illi ad illam Plinij memorandam sententiam perfugiendum sit, qui in hanc sententiã inquit, quòd naturæ operum maiestas tanta est, vt sæpe hominum fidem superet. Qui tamen si animaduertit, Deum sua prouidentia in omnibus animalibus id suppeditare, quod haberent à ratione, si illa prædita essent, in illis per propensiones, & naturales proprietates omnia efficiendo, quæ ipsa ratio efficeret; nihil illi incredibile erit, quod in hac re dicetur. Qui enim ea sola sua bonitate & voluntate creauit, & voluit, vt in eo permanerent statu, in quo posita fuerunt; illud compertum est (cùm illius opera adeò perfecta sint) quòd is largitus est illis omnia, quæ ad illorum vitæ conseruationem necessaria essent, in illis omnia egit, quæ ad id cõducerẽt. Sic inquit sanctus Thomas, hæc omnia animalia esse Dei instrumenta, qui, vt prima causa, mouet ea ad id, quod illis conuenit, per illas propensiones, & naturales qualitates, quas illis in creatione tribuit. Sed cùm superiùs à nobis dictum sit, in hac animalium prouisione Deum non quiescere, imò vlteriùs progredi ad suam per hęc media gloriam hominibus manifestandam, quæ eò magis apparet, quò plura, & mirabiliora operatur; propter hanc causam nemini illa incredibilia videri debent, quæ de hac re dicuntur, quia tum causa efficiens, qui Deus est, tum finalis, quæ est illius gloriæ demonstratio, hæc omnia opera eò credibiliora, quò sunt admirabiliora, reddunt, & magis Dei gloriam nobis adaperiunt. Ad id quidem illud Aristotelis præclarè dictum refertur, qui ait, animalium opera magnam similitudinem cum hominum operibus habere. Quidquid enim hi ad sui conseruationem faciunt, & illa idem ad suam facere cernuntur. Quod (multis alijs exemplis omissis) arte, qua vtitur hirundo ad suum nidum construendum, probatur. Nam quemadmodum cùm cæmentator vult aliquem parietem creta incrustare, paleas cum creta miscet, vt vtrunque coniungatur; idem & illa in sui nidi fabrica facit: reliqua etiam omnia tam ritè facit in suis educandis filijs, vt quicunque homo mentis compos efficere solet. Et vt idem Philosophus testatur, quò animalium opera sunt hominũ operibus magis similia, eò sunt hac de causa credibiliora, licet illis, qui in hac consideratione non versantur, incredibiliora videantur. Hominibus tribuit Creator intellectum, & rationem, vt omnia ad suam conseruationem sibi inquirerent, & pararent: & licet ad id innumera necessaria sint, non tamen ad ea inquirenda, atque inuenienda satis est. Neque tamen Deus ideo tenetur animalium vitam per hæc media tueri: sine his enim potuit tales propensiones, & naturales proprietates in illis imprimere, vt ijs omnia faciant, quæ, si rationis participantia essent, efficerent, neque solùm perfectè id vt ho-

D. Tho. 1.2.q 1. art.2.

Digitized by Google

vt homines faciunt, verùm etiam perfectiùs. Animalia enim sunt certiora, infallibiliora, ordinatiora, & constantiora in suis actionibus, quæ ad sui conseruationem pertinent, quàm homines in ijs, quæ ad vitam suam tuendam spectant. Vincunt præterea homines, tum cognitione medicinarum, tum diuinatione mutationum aeris, & temporũ, quod non faciunt homines, nisi id ab illis percipiant: quod apertiùs in sequētibus declaraturi sumus. In hoc igitur Creator suæ potentiæ, sapientiæ, & prouidentię amplitudinem hominibus manifestauit: quòd cùm animalium species innumeræ sint, quæ in terra, mari, & aere degunt, quæ plures, quàm cæli stellæ videntur, in earum nulla, licet minima sit, ne minima quidem in parte negligentiam adhibuit. In illis enim omnibus tot dotes, & naturales proprietates impressit ad sui conseruationē, quot sunt, quæ penè infinitæ sunt. Quis igitur in animo suo illius potentiæ magnitudinem, sapientiæque, & prouidentiæ amplitudinem euoluens, non admirabitur? cùm tam multa admirabilia in tot creaturarum differentijs, quodq; magis est, hæc tam multa solo verbo effecerit?

Vt autem optimā methodo procedamus; primò agemus de animalibus in communi; deinde ad singula tractanda descendemus.

DE ANIMALIVM COMMVNIBVS PROPRIETAtibus. Cap. XII.

TRACTANTI mihi de communibus animalium proprietatibus, primùm in hac re animaduertenda est diuinæ prouidentiæ perfectio, & pulchritudo, quæ sua infinita bonitate hæc creare in hominis seruitium voluit, & propter eundē illis ea omnia parare, quæ necessaria essent ad conseruationem illius status, quem illis tribuit, vt se nutrirent, se tuerentur, vt suos morbos curarent, vt suos filios educarent, & ita, vt in illis actionibus nihil profectò deesset.

Propter hanc causam primùm omnibus animalium speciebus cibos accommodatos creauit. Ex quibus alia carne, alia sanguine, alia herbis, alia frondibus, alia frumento, alia vermibus per terram serpentibus, & per aerem volantibus, vescuntur. quod in huius diuinæ prouidentiæ prouisione maximè animaduertere decet. Nam cùm innumeræ sint animalium species, & cùm tam differentes sint illorum cibi, nulli tamen eorum vel minimo suum accommodatum alimentum deest. Hoc autem illud est, quod Propheta canit, cùm inquit, quòd Deus omni carni cibũ præbet & alio loco: *Dat* (ille inquit) Psal. 35.
iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Hoc in paruis auiculis, Psal 146.
quæ herba non vescuntur, admirabilius etiam est. In Hispanijs enim mensis Maij initio, cùm in agris nullum neque frumenti, neque frugum, neque lini, neq; milij granum reperitur, tantam hirundinũ tam parentum, quàm nuper natorum multitudinem videmus, vt nullum sit templum, nulla domus, nullum rus, quod illis refertũ non sit. Idem de illis auibus, quas passeres dicimus, cùm vix vlla reperiatur latebra, quæ illarum minimè plena sit. Multas alias auium species huiusmodi magnitudinis prætermitto. Illud quæro, quibus rebus tot ora, & penè infinita, tum parentum, tum filiorum vescuntur, tum, quando neque (vt dico) granum adest, neque segetes? Hoc quidem admirari

possum; non tamen illius rationem reddere. Illi Domino vni, qui eo tempore anni illis hæc omnia prouidet, hoc apertissimum est: in quo suos fideles confidentia afficit, fore, vt, qui agrorum auibus non deest, illis in rebus ad vsus vitæ necessarios nunquam defuturus sit. Et nostram confidentiam in Euangelio hoc exemplo adauget, cùm inquit: *Respicite volatilia cæli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea & Pater vester cælestis pascit illa. nónne vos magis pluris estis illis, vt vestrum maiorem curam habeat?*

Math. 6.

Vt igitur omnibus animalibus Creator suum pararet cibum, illis dotes, vires, sensus tribuit, quæ ad illos inquirendos, & parandos necessaria erant. Vt autem incipiamus à communiore, oculos illis dedit, vt pastum cernerent: motum, vt ad inquirendum mouerentur instrumentis ad id accommodatis, vt sunt pedes, alæ, & cętera huiusmodi, vt piscium pinnæ. Omnia præterea habent sua corpora prona, vt cibum viciniorem haberent. Cùm autem multa animalia sint, quæ venatione infirmiorum animalium viuant, ita Creator illorum corpora creauit, vt in se habeant arma, quibus à robustioribus se tueri ac defendere valeant, ne penitus absumerentur. Sic alijs pedum velocitatem, alijs alas, alijs arma ad defendendum, vt sunt conchæ, & quæ armati pisces habent, vt locusta marina, & marinus cancer; alia ad offendendum, vt cum hoste confligere possint: alijs calliditatē & astum tribuit, vt se in suas latebras recipere possint; alijs turmatim viuere, vt hoc modo multa cōtra paucorum vim resistere possint. Cùm autem & animalia suos patiantur morbos, vt & homines, naturalem proprietatem eis tribuit, & penè cognitionem, qua se curarent, & remedia quærerent.

Hæc eadem vis naturalis ostendit, quinam sint illorum inimici, vt effugere possint; & qui sint suorum inimicorum aduersarij, vt illos à suis inimicis defendant. Et sic ouis lupum fugit, non autem canem molossum lupo similem. Dedit prǣterea naturam, qua temporum mutationes, quæ sibi contrariæ futuræ sunt, cognoscerent, & se ab illis tuerentur. Dedit quoque naturam, qua locorum qualitates sibi noxias, sibiq; vtiles discernerent; vt ab illis cauerent, & has persequerentur: quemadmodum hirundines faciunt, & multę alię volucres, quæ hyeme in Africam traijciunt, quòd illic calidissima regio est: vere autem in Hispanias, quę temperatior regio est, se recipiunt. Operam dant etiam, vt alio anni tempore pro alio victum sibi prouideant; vt apes, quę vere ad mel conficiendum vehementer incumbunt, vt, quod comedant hyeme, sibi non desit.

Prǣterea quemadmodum diuina prouidentia ad plantarum specierum conseruationem curauit, vt tam multa semina in plantis essent, ne quid vnquam deesset, ex quo plantæ generarentur; idem effecit in specierum animalium conseruatione, quæ certo anni tempore ita sunt natura ad hanc conseruationem propensa, tantaq; vi ad id rapiuntur, & impelluntur, vt nunquam in eo defuerint, neque defutura sint. Quod Plato in Timæo non parum admiratus est, & Cicero in libro de Natura Deorum, cùm perspiceret, quàm infallibilis, quàm solicita sit illa diuina prouidentia in conseruatione earum rerum, quas ipsa creauit: cùm certum anni tempus quotannis statuerit, quo animalia hac vehementi propensione mouerentur: hoc autē tempore elapso, hic

hic motus penitus conquiescit,& ad pristinam quietem redeūt, & vnà mares, & fœminæ omni honestate & temperamento versantur. Quod temperamentum ostendit in natura humana peccati corruptionem extitisse, cùm ab huius legis obseruatione longissimè homines absint.

Quantam autem adhibent diligentiam & assiduitatem in educandis filijs, quos ex se genuerunt, illos scilicet cibando,tuendo, & in tuto loco collocando,ne quid detrimenti accipiant? Etsi huius rei multa extantexempla,vnum tamen in medium proferam.Quędam canis in quodam nostro cœnobio tres, aut quatuor peperit catulos,qui cùm non opus essent, monachi illos occiderunt,& in diuersas cuiusdam horti partes abiecerunt: mater autem cùm se filijs orbatam cerneret,totum diem per illum hortum odorabatur,eos tandem inuenit,& ad eundem retulit locum,vbi eos educare solebat.Hoc autem cùm cernerent illi monachi,super quoddam tectum illos iecerunt, vbi nullus apparebat locus,per quem illuc quis ascendere posset: naturalis tamen amoris vis illud matri ingenium dedit,vt super quandam fenestram saltaret,& inde super paruum tectum,& ex eo in alium,vt tandem ad locum perueniret, vbi filij aderant,& per eandem viam eos ad locum educationis retulit. In quo facilè apparet,quàm perfecta sit illa diuina prouidētia in omnibus rebus,cùm tantum amorem in parentibus inseruerit, vt suos educarent filios, dum per ætatem parentum opera egerent.

In auibus quoque hæc prouidentia elucet,quibus quidem maiorem ingenuit amorem erga filios,cùm in illis educandis maiora etiam onera imposuerit. Velocitas enim, quæ illis ad volatum opus erat, nec lactis, nec vberum pondera postulabat. Vt illos igitur educaret,necesse fuit, vt cibi,quem sibi maximo cum labore parauerunt,aliquam partem illis adferrent. Inde fit, vt si eorum filiorum aliquem ex nido in cauea includas, recognoscitur à parentibus,& illis impertitur per cancellos,quod sibi ad viuendum comparauerant.Hoc autem cùm fiat maiori labore,& difficultate,illis maiorem tribuit amorem,vt hanc difficultatem superarent. Is enim ille est,qui omnia potest, & qui omnia vincit, qui nunquam sibi deest, vt in eum, quem amat, cumulatior esse possit. Quamobrem sanctus ait Bernardus: Amemus fratres Christum,& statim omnis difficultas concidet, & omnia planiora fient. In gallina educante suos pullos hic amor facilè cernitur. Hęc enim cùm auis timidissima & sine audacia sit, si ad illius pullos accedis,statim crocitat, & te vnguibus petit.

Neque solùm diuina prouidentia in eo apparet,quod tribuit, sed in eo quoque,quod aufert. Quemadmodum enim animalibus hunc tribuit amorem,cùm suos filios educare opus est, vt educationis labores sufferre possint: sic vbi educati sunt ita, vt ipsi per se suo rostro necessaria parare possint, eosdem filios negligunt, & nihilo pluris, quàm cætera animalia, vel cæteras aues faciunt. Ita quoque illam ardentem cupiditatem ad speciei conseruationem certo anni tempore prouidit, eo verò tempore elapso, ille ardor, cùm non ampliùs sit necessarius,extinguitur. Omnibus quoque animalibus oculos dedit, vt cibum viderent, & sibi pararent: talpæ tamen eos negauit, quòd cùm in terra vitam degat,ore semper pastum contingit. Neq; id minùs cernitur in plantis, quàm in animalibus: calamus enim tritici & frugum

 (vt dixi-

Digitized by Google

(vt diximus) sua internodia habet, & spatia, quæ sunt tanquam parietes, & paruæ columnæ in parietibus ex terra, vel creta constructis, vt aristarũ pondera sustinere possit; quibus internodijs auena vacat, quòd nullo pondere premitur. Hoc cum multis alijs huiusmodi nobis ostendit, noluisse Creatorem quidquam in suis operibus, vel otiosum, vel superuacaneum esse: hincq; nobis significare, non in his solùm, quæ nobis donat, sed quæ aufert, suam nobis declarare sapientiam.

Vt autem ad auium creationem reuertamur, illud maximè animaduertendum est, quam naturam illis tribuerit Deus ad nidos construendos, qui tanquam castella sunt constructi, ad filios capiendos accommodati: in his autem nonnullas accommodant paleas, & molles plumas, ne filiorum tenera corpora asperitate lædantur. Quid plura his fecissent parentes, si rationis participes essent? Filij autem, ne suum lectum conspurcent ventris immunditijs, in spondam se recipiunt, vt ventrem exonerent, parentes deinde illud rostro deijciunt, qui est magister præstantior, cùm satis sit tum ad nidum ædificandum, tum ad purgandum.

Cùm autem sint multę aues, & alia animalia, quæ venatores vehementer persequuntur, & ad se tuenda infirmiora sunt, huic rei diuina maiestas fœcũditate suppleuit, vt hac ratione species conseruaretur; vt in colũbis, & cuniculis videre licet, qui ferè quolibet mense excludunt, & in perdicibus, quę nonnunquam viginti oua fouent. Ex quo fit, vt, licet tam multi venatores adsint, nunquam tamen hac fœcunditate illis desit, quod venentur.

Habent præterea cunctæ animantes tum ad offendendum, tum ad defendendum arma: aliæ cornua, aliæ vngues, aliæ dentes: inermes verò, & timidæ astum habent, quo se à vi incolumes præstent, vt lepores, damæ, cerui; qui vt sunt cæteris animantibus timidiores, ita leuiores, & velociores sunt. Omnes pariter suorum membrorum vsum cognoscunt, vt in vitulo, & apro videre licet: & antequam illis hæc oriantur arma, illa parte, ex qua ea surgere debẽt, ferire conantur. Quodlibet etiam, quæ sint fortiora, non ignorat. Quare auiculæ accipitris tintinnabuli sonitu audiendo tremũt. Omnia pariter pastum sibi tum salutiferum, tum infensum & noxium cognoscunt: quorum altero vtuntur, alterum verò, licet multa fame laborent, nunquam tamẽ attingunt. Hoc autem herbarum, quas comedunt, odore cognoscunt: hic autem odoratus sensus magis in beluis, quàm in hominibus viget. Quamobrem Galenus quandam experientiam refert, quam ipse fecit, cùm ante hœdum nuper natum scutellam vini vnam, alteram olei, tertiam panis micarum, quartam lactis, posuerit: hœdus autem hæc omnia odorans omittebat, sed cùm ad lactis scutellam peruenisset, statim lac ebibere cœpit. Hac igitur ratione diuina prouidentia animalibus tradit illud, quod sine studio homines consequi nõ possunt. Sic etiam bestiæ citiùs sunt ad cibum sumendum accommodatæ, quàm homines, vt in catulo videmus, qui statim natus clausis adhuc oculis ad matris vbera se conuertit, & cùm lac non mouetur, illud ad se suis paruis manibus vbera premendo euocat. Quid plura?

Cùm aũt Creator videret ibi deesse vestiendi, & calceandi sui habilitatem, vbi ratio deest; vtrunq; multis nascentibus, multis etiam nondum natis, prouidit: alijs plumas, alijs coria, pellẽ alijs, alijs lanã, alijs squamas, alijs cõchas tradi-

tradidit. Ex quibus nonnulla quotannis vestes mutant, alijs per totum suæ ætatis tempus ita perdurant, vt nunquam atterantur. Illa quoque est mira Dei prouidentia, quòd licet loqui nesciant, voces tamen habēt, quibus aliâs iram, aliâs phrenesim, aliâs mansuetudinem, aliâs famem, vel sitim, aliâs dolorem significant: auiculæ quoque in nido implumes, quasi sibilum habent, quo parentibus se fame laborare significent, & eo parentes vrgent, vt sibi alimentum porrigant.

Ad eandem conseruationem fabrica membrorum, & eorum proportio maximè conducit: hoc licet animaduertere in ciconijs, & gruibus, quæ cùm crura longa sortita sint, collum quoque longum eis dedit, vt faciliùs cibum de terra sumerent. Noctuis verò, quæ noctu sibi victum quęritant, & felibus, qui eodem tempore venantur, præcipuam quandam lucem in oculis prouidit; vt illæ suum sibi cibum pararent, & hi noctu domum lustrarent, & istis paruis inimicis, qui tantam afferunt molestiam, liberarent.

Habent præterea omnia animalia proprietates suæ naturę accōmodatas, quibus alia ab alijs differunt, vt Basilius his verbis refert: Stabilis est bos, piger est asinus, calens est equus ad fœminæ appetentiam, immitis est lupus, dolosa est vulpecula, timidus est ceruus, laboriosa est formica, blandus est canis & amicitiæ memor. Animi impetus cum leone generatus est, & solitudo vitæ ipsius, & insocietas ad ea, quæ eiusdem generis sunt. Nam velut tyrannus quispiam brutorum, propter naturæ superbiam, ęqualitatem ad multos non suscipit, qui sanè neque hesternum alimentum admittit, neque vtique reliquias hesternæ prædæ suæ adierit. Cui etiam tanta vocis organa natura indidit, vt multa animalia velocitate excellentia solo sæpe rugitu capiantur. Hoc tanto robore licet sit, murem timet, & multò magis scorpium: (vt S. Ambrosius inquit) vt facilè cernatur, nihil esse tam robustum, quod non habeat, quod sibi timendum sit; nec quidquam tam infirmum, aut tenue, quod detrimentum afferre non possit. Inde scarabei, & aquilæ fabula orta est. Impetuosum animal est panthera, & repentinis motibus pręditum. Idoneum corpus ipsius flexibilitati, ac leuitati coniunctū est, ad animæ motus consequens. Pigra est natura vrsæ, proprij etiam mores latentes, ac altè tecti, simile induta est etiam corpus, graue, compactum, inarticulatum. Ad hęc, quæ sunt omnibus animalibus communia, aliud est, quod non solùm Creatoris prouidentiam, sed etiam bonitatem, suauitatem, & magnificentiam maximè declarat. Nam non eo contentus fuit, quòd animalia creauerat, & sui custodiæ tribuerat: sed eam quoque felicitatem & voluptatem dedit, quam ipsa capere possent. Vtrunque Propheta declarauit, cùm inquit: *Oculi omnium in te sperant Domine, tu das illis escam in tempore opportuno.* Hoc pertinet ad victus prouisionem. & præterea addit: *Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Per hęc autem nomina, repletionis, & benedictionis, huiusmodi felicitas & voluptas intelligenda est, qua hic Dominus omnium animalium pectora replet, prout illorum natura capere & frui potest. Hoc exemplis illustremus: Cùm audimus hirundinem, lusciniam, carduelem, canendo vires suas exhaurire; illud nobis fit compertum, quòd si illa musica nobis voluptatem affert, non minori perfunditur voluptate illa, quæ canit auis, quod aliter accidere cernimus alijs temporibus, cùm scilicet aer est

Psal. 144.

nubibus obsitus. Nam qui fieri posset, vt integras noctes luscinia cantaret, nisi ex eo voluptatem caperet, cùm (vt Philosophus testatur) voluptas opera perficiat? Cùm vitulos in diuersas partes currere magno impetu cernimus, & agnos, & hœdos à parentum grege longè progredi, & in duas quasi acies distributos inter se concertare, alios inuadere, alios fugæ se committere: quis hoc maxima cum illorum voluptate fieri negabit? Cùm autem cernimus catulos felium, atque catellos inter se ludere, & luctari, & modò hos supra illos imminere, modò supinos illis subesse, & sine vlla offensione mutuò se mordere, quis in illis non cernit maximam animi voluptatem & requietem? Neque minori perfunduntur voluptate pisces natando, aues volando, nisus cùm in aere moratur ad prædam, cùm aues captiuas facit, cùm alas concutit.

Ex ijs igitur, quæ supra dicta sunt, illud nobis compertum sit, quid Dionysius ille magnus sibi velit, cùm inquit, Deum voluisse sibi omnia, quoad illorum natura pateretur, similia reddere. Nam quemadmodum ipse non solùm esse, sed beatum esse habet; sic quoque voluit, vt omnes creaturæ, quælibet in sua specie, vtrunque possiderēt. In hoc non satis esse existimauit omnibus tantam sui custodiam tradidisse, sed voluit vt se in hac quoque felicitate, & animi requiete, cuius participes esse posse eas creauerat, imitarētur. Quantam igitur habet vim hoc argumentum ad illam infinitam bonitatem, & benignitatem explicandam, quæ tam copiosè omnibus se creaturis communicat, easqúe ad se allicit, atque trahit? O bonitas immensa, ô suauitas ineffabilis, si hoc rationalibus creaturis, quæ beneficij accepti memores, & gratæ esse possunt, communicasses, non esset tam mirandum; sed illis facere, quæ neque id cognoscunt, neque te laudant, nec tāti beneficij futuræ sunt vel memores, vel gratæ, tuam immēsam quidem bonitatem, tuam liberalitatem, tuam nobilitatem, tuam magnificētiam in omnes tuas creaturas penitus declarat, cùm illis tribuas gratis, quidquid illarum naturæ capere possunt, nullam inde gratiæ relationem sperans. In quo quidem nobis licet conijcere, quàm multa, & magna sint ea, quæ tum in hac, tum in futura vita ijs parasti, qui tibi fideliter seruiunt, & ex animo diligunt, cùm creaturis quasi sine sensu, & quæ nulla ratione te cognoscunt, tam benignum te præbeas. Horum omnium admirabilium rerum plena est terra, plenum mare, & aer plenus, & ob id regalis Propheta iure optimo exclamat: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?* Propter eandem causam ait, quòd in toto terrarum orbe, à Solis ortu vsque ad occasum, laudabile est nomē Domini. Quæcunq; enim in mundo sunt, satis copiosam materiam laudādi Dei nobis præbent.

Psal. 8.
Psal. 112.

DE DOTIBVS, ET PRAECIPVIS PROPRIETATIBVS, quibus omnia animalia ad sui conseruationem prædita sunt. Cap. XIII.

IN superiori capite animalium dotes, & proprietates vniuersim, tam quę in terra, quàm quę in aere, & aqua degunt, ad sui conseruationem, declarauimus. Iam illud idem vt in singulis speciebus declaremus, nos accingimus. Non tamen id fiet in omnibus: esset enim infinitum illud hic complecti meis verbis, quod multi

multi scriptores grauissimi literis prodiderunt: sed illud tantùm attingemus, quod erit satis: vt oculis cernamus diuinæ prouidentiæ perfectionem, & vigilantiam. In quo illud animaduertendum est, quòd quemadmodum, cùm quis præstantissimus scriptor aliqua in ciuitate ludum aperit, multa literarũ genera, vt suam præstantiam in ea ostendat arte, exponit: sic supernus artifex (licet contentio longè inferior sit) suæ prouidentiæ mirabilia, non vnica ratione, vel vnico animalium genere, declarauit: sed tot rationibus, tamq; diuersis, vt nulli libri hactenus id complecti potuerint: præsertim, quòd quotidie nouis terris noua comperiuntur animalia, nouæ illorum dotes, & proprietates, quæ nostris regionibus nullo vnquam tempore cognitæ fuerunt. Hîc autem animaduertendum est, quòd illud nomen conseruationis, quod hoc loco vsurpamus, latius patet, quàm sonare videtur. Sub hoc enim nomine intelligimus primùm dotes & proprietates, quibus prædita sunt animalia ad inquirendum, & parandum sibi victum: deinde quæ ad tuendum se habent: postea quæ habēt ad morbos suos depellendos, seq; salua & incolumia præstanda; postremum ad filios suos generandos. De his igitur quatuor rebus particulatim tractabimus: ita tamen, vt interim de nonnullis alijs rebus simul iunctis acturi simus. Post hæc autem de paruis animalibus separatim agemus, vt de formica, de aranea, de culice, de vermiculis qui sericum conficiunt. In his enim paruis animalibus, inquiunt S. Augustinus, Aristoteles, & Plinius, diuinæ prouidentiæ artificium & curam magis elucere, quàm in maioribus. Ad hos autem quinque tractatus, sextum addemus, de nonnullis alijs animalium proprietatibus, cognitione & admiratione maximè dignis.

In omnibus autem his rebus diuinæ prouidentiæ perfectionem meditabimur, quæ tanta in his creaturarum generibus fuit, vt nihil, quod ad illorum conseruationem faceret, prętermiserit. Videbimus præterea, quòd Deus his omnibus, quæ ipsæ, si ratione & intellectu præditæ essent, facerent per se, suppleuit (vt diximus) dando illis propensiones, & naturales proprietates ad id agendum, quod, si rationis & intellectus participes essent, per se ipsę facerent. Alia præterea maiora faciunt: non enim solum faciunt, quod facerent, si ratio in illis adesset; sed multa, quæ illorum naturam superant, quòd ad sui conseruationem conducunt. Cognoscunt enim herbas, quibus se curent; temporum mutationes, vt sunt pluuiæ, serenitates, & maris vel tempestates, vel tranquillitates antequam eueniant. Tam autem in hoc, quàm multis alijs in rebus suæ prouidentiæ artificium, & perfectionem nobis exponere cupit: vt omnibus in rebus creatis eam cognoscamus, & adoremus, intelligamusqúe in omnibus creaturis adesse Deum, & propter hanc causam multa facere, quæ multorum fidem superant. Et ne huiusmodi videantur, quæ in hoc libro conscribo, Lectorem admonitum volo, me nihil in hanc sententiam scripturum esse, quin à grauissimis auctoribus collegerim, & præsertim à S. Ambrosij Hexaemero; ex quo maiorem partem illorum, quæ scripsi hoc loco, percepi: neque mirandum est, me ex eo tantam partem surripuisse, cùm & ipse ab Hexaemero Basilij idem surripuerit, elegātissimo Latino stylo conscribendo, quod Basilius Græcè scripsit. De quo Basilio Gregorius Theologus, qui eius æqualis fuit, scripsit: quòd licet in omnibus suis scriptis fuerit admirabilis, in hoc tamē huiusmodi fuit, vt videretur

(vt

Digitized by Google

(vt ita dicã) ad Dei latus extitisse tunc, cùm omnia creauit; ita rationes, consilia, & artificium, quo illa creauit, intellexisse videtur, tam præclarè hæc omnia in illo libro narrat, quem de mundi creatione conscripsit.

DE ANIMALIVM DOTIBVS AD SEIPSA nutrienda. CAP. XIIII.

PRIMVM autem, quod nobis considerandũ esse proposui, sunt proprietates, & dotes, quas animalibus dedit Deus, vt seipsa enutrirent. Nihil autẽ vitam habet, quod cibum quoque non habeat proprium, quo illam sustentare valeat, quod quidem tam diu durat, quamdiu & illorum vita. Incipiamus igitur ab oue, & agno illius filio, cum quo Saluator comparari voluit, & cum his simul ponamus omnia animalia, quæ herbam pascuntur. Hæc autem omnia in aliquo pascuo, vbi innumeræ herbarum differentiæ sint, salubres, venenosæ, & eodem colore, omnia naturali proprietate vtrasque cognoscunt, bonas carpunt, malas ne attingunt quidem, licet fame (vt diximus) laborent. Hoc quidem humanum superat intellectum, non diuinum tamen, qui ea moderatur ac regit. Id autem scribit Sulpitius Seuerus in suo Dialogo de quodam Eremita, qui herbis vescebatur; qui cùm hac cognitione careret, maximis ventriculi doloribus laborabat, quòd malas comederet herbas, vt aliquãdo, ne eos perferret dolores, comedere nollet. Hic autem cùm à Deo, pro quo hæc patiebatur, sæpe peteret huic morbo remedium, ad eum misit ceruum, qui ore diuersarum herbarum manipulum tulit, & ante illum in terram proiecit, & bonos à malis segregauit. hoc modo ille vir sanctus ab irrationali creatura eruditus fuit in eo, quod per se minimè addiscere poterat. Illud oui innatum est, licet tam rudis sit, vt hyemis initio maxima fame laborans cibum deuoret, ex tempore anni vtilitatem capiens, ne debilis, & macra maximis frigoribus, cùm parum cibi sumere potest, deprehendatur. Homines autem si suo iudicio id facerent, quod hoc simplex & rude animal facit nullo iudicio; quod est in suam vtilitatem occasiones arripere, quodq; in promptu est, eo dum in terris degunt bene vti, hoc est, bene operari, ne deinde in futura vita meritis pauperes, & destituti reperiantur, illis non vsu
Pro. 20. veniret, quod ait Salomon: *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.*

Agnus pariter, cùm animal simplex sit, non minus, quàm illius mater, cùm in grege eam oculis minimè cernit, statim modò huc, modò illuc per eũ balando currit: mater verò naturali amore pariter balando respõdet, vt vbi sit filius intelligat. Hic inter mille oues balantes matris balatum agnoscit, & per multas matres currens, omnes prætermittit, quòd suam tantummodò quærit, & appetit, & illius tantummodò lacte enutriri cupit. Mater quoque inter mille balatus filij balatum agnoscit. In hoc quidem sæpe pastor aberrat, in quo nec ouis, nec agnus fallitur vnquam.

Alia quoq; prouisio admirabilis est, tum in huius animalis fabrica, tum cæterorum, quæ ruminant, vt boues sunt, capræ, cameli, &c. Quæ hæc, quòd præter ventriculum, qui nostro ventriculo respondet, in quo cibus concoquitur;

quitur; alium quoque habent ventriculum, quo primùm recipiunt cibum, antequam ad eum perueniat ventriculum, in quo concoquatur. Ex hoc autẽ primo cibum promunt, quem ante comederunt, & in os recipiũt, quem, cùm vel die, vel nocte conquiescunt, paulatim eundem ruminant; & ita eum parant & conficiunt, & confectum ad ventriculum, in quo perfectè concoquatur, demittunt. Hoc diuinę prouidentiæ opus fuit. Cùm enim cerneret hyemis noctes longiores, & dies breuiores esse: si hæc animalia simul pascerentur & ruminarent, non satis illis esset pastus, quem interdiu sumerent. Propter hanc igitur causam diu pascũtur, noctu verò ruminant, ob id tum nox ruminando, tum dies pascendo illis nutrimenti vsum præstat.

Iam ad altilia veniamus, quæ nobis notiora sunt. Gallus, vt comedat semper aliquod granum quærit, quo inuento, quodam suo clamore suas conuocat gallinas, & vt bonus maritus sibi aufert, quod illis impertiatur. Capo verò in hoc officio se non continet: propter hanc causam gallus macer, & capo pinguis est, quòd sui tantummodò curam gerit. Admonemur autem in hoc illud, quod tradit Apostolus, interesse inter cælibes, & matrimonio obstrictos. Boni enim mariti suos labores & tempus Deo, & vxoribus diuidunt: boni verò cęlibes, hoc onere liberi, penitus se Deo tradunt, & ita in spirituali vita meliores, & præstantiores sunt.

Gallina pariter, dum suos educat pullos, in fimi tumulis pedibus scalpit; cùm verò aliquid reperit, suos conuocat pullos maxima cum celeritate, & vt pia mater ieiunat, vt suos pullos enutriat: quodquè magis est, alio clamore eos ad pastum conuocat; alio cùm sub alas congregat; alio illis fugiendum esse indicat, quòd miluum aduentare cernat. Hi verò nuper nati, sine doctrina, sine præceptore has intelligunt linguas, quas nos ignoramus; & ita celeriter obediunt ei, quod sibi mandatum est. Illud quoque animaduerti, cùm quis cuidam gallinæ cum suis pullis cibum obijceret, quòd si fortè alterius gallinę pulli ad illa grana accederẽt comedenda, statim illos rostri ictibus fugabat, ne de filiorum suorum cibo detraherent. Quid plura fecisset hęc auis, si ratione prędita esset? Ex euentu enim videtur dicere: Hic est meorum filiorum pastus; quò plura ex eo vos sumpseritis, eò minor pars meis filijs reliqua erit. Nolo igitur, vt aliorum filij vsurpent.

Ad aliud pergamus, quod minus notum est, & admirabilius, & à Basilio & Ambrosio relatum: Cancer ostrei ac conchæ carnem appetit, & vt hunc sibi cibum comparet, tanquam speculator secretò in eo loco se accommodat in insidijs vbi sunt; & eo tempore, quo se adaperiunt, & ad radios Solis testas suas expandunt, ille latro quid tum facit? de insidijs exit vbi collocatus erat, & quod incredibile videtur, molitur. Nam, si dum occurrit ostreum suas non complicat testas, calculum immittit, antequam ad illum accedat, vt illi sit impedimento quò minùs bene suas claudere possit testas, & ita ipse suis immissis chelis, tanquam forcipibus illius carnem ad se trahit. Quis autem tantam industriam & artem ab animali tam paruo speraret? Eam autẽ quis dare potest, nisi ille Dominus, qui omni carni cibũ præbet, & ingenium, quo sibi victum quæritet? Quid de vulpis astutia in hac re dicam? Ad id refertur, quod ait Isaias: *Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis?* Cancer ostrei carnem furatur, Isa. 33.
vulpes cancri, neque id minori astutia. Huius rei quidam Celtiberorũ mos,

in mari valde prominens, vbi multæ vulpes sunt, testis est: ibi quidem multæ reperiuntur, quòd est locus ad expiscandum accomodatus. Quo verò modo piscatur? Imitantur piscatores, qui canna piscantur, in quo neque ingenium, neque industria illis deest. Totum enim ferè suum corpus in aquæ extremitate collocant, & caudam distendunt, qua pro arundine & funiculo vtuntur ad piscandum. Cancri autem, qui illac prætergrediũtur, cùm illam ignorent astutiam, caudam pungunt, ac mordent: quod cùm vulpes sentiat, statim illam & celeriter cum cancro in terram conuertit, & sic illum frangit, & illius carnem comedit. Quis autem hanc nouam artem, & rationem expiscandi excogitare posset? Neque est hoc vno ingenio prædita: nam alia quoq; ratione sibi cibum comparat, vt in crastinum diem sibi prouisum sit. Nam vbi se in aliquod gallinarium immisit, & quotquot adsunt gallinæ iugulauit, & illarum sanguinem ebibit, foueam excauat, & ibi in crastinum cibum omnes sepelit. Hoc omnibus compertissimum est: non autem, quod dicturus sum (licet ad rem non faciat) quòd in huius animalis mentionem incidi, quod licet sit improbum, & damnosum, suis tamen astutijs nobis diuinam prouidentiã adaperit, quæ videtur nobis in hac re illud voluisse ante oculos ponere, quod
Luc. 16. ipse in Euangelio inquit, quòd huius seculi filij in suis negotijs prudẽtiores, quàm lucis filij sunt. Hoc igitur animal mirabili præditum est arte, qua pulices, cùm ab illis infestatur, à se amoueat. Quonam modo? Ramulum ore capit, & aliquod ingreditur flumen, vel maris aquam, sed retro ingreditur, cauda scilicet primùm, & paulatim: pulices autem, cùm ab ea parte effugiant, quæ intingitur aquę, ad eam partem, quæ sicca est, cùm ipsa paulatim in aquã descendat, eò perueniunt pulices, vt omnes in capite reperiantur, tunc tandẽ ita se immergit aquæ, vt oculi tantùm, & rictus permaneat: tunc pulices super illum ramulum saliunt, quem in ore continere superius diximus, tum vulpes linquit ramulum, & in terram, inimicis, quibus molestabatur, libera ascẽdit. Quis præter Creatorem tantum artificium animali rationis experti tradere potuit? Quid ad te Domine, pulices vulpem molestia afficere, quæ nobis tanto detrimẽto est? Permagni mea interest, inquiet ille, quòd licet pro hoc animali parum mihi tribuatur, multum tamen est, vt inde intelligant homines, & ex alijs exemplis, quàm perfecta, & vniuersalis mea prouidentia sit; cùm nihil sit tam paruum, in quo non reperiatur, cui remedium non paret, licet minimũ sit, vt vulpes est. Mus quoque vtitur eodem instrumento, quo vulpes ad piscandum, sed alia ratione. In olei enim vrceolo caudam immittit, deinde quidquid hac ratione haurire potuit, lambit.

Vt autem ad alimenta reuertamur, non minùs admirabile est cuiusdam auis artificium, quo ad victum vtitur: hæc enim crocodili dentes scalpit, inter quos carnis, quam comedit, frustula intercipiuntur, & eum valde molestant. Diuina autem prouidentia hanc auem crocodilo dentiscalpium prouidit: hic enim os aperit, & illa ingreditur, & eodem tempore illius dentes scalpit, & seipsam nutrit ex eo, quod ex illius dentibus detrahit. Fierine potest, vt prouisio iucundior, breuior, aut gratior hac reperiri possit? O mirabilis Deus in omnibus operibus suis, qui vnica actione tam mirabili arte duabus necessitatibus prouidit? De ratione autem, qua nonnullæ aues ab ijs, qui ad Indos orientales nauigant, sæpe visæ, quid dicã? semper enim sequuntur
alias

alias aues, & rostro colligunt stercora illarum, quas ipsæ sequuntur, & hac ratione vitam ducunt. Quis hoc crederet, nisi oculis pateret? Huius auis nomen hîc non adscribo: est enim escæ, qua nutritur, conueniens.

Quid autem de Polypi dolis dicam, vt sibi victum paret? in quo videtur quidem Creator voluisse nobis illorum artem ante oculos ponere, quos callidos, versutos, simulatores, ac dissimulatores nominamus: qui qualemcunque petram amplexus fuerit, illius colorem subit, ac induit; tunc sardiniæ, & minuti pisciculi, vt simplices illo mentito colore decepti ad illum accedunt, statim ille latro se conuertit, & piscium prædam suis quasi manibus, & vinculis, facit. Hinc illud Latinorum prouerbium originem duxit, qui dicunt homines falsos, & deceptores, Polypi naturam habere.

Aliam quoque astutiam refert Tullius de quadam aue, licet cum violentia iuncta sit. Dicit enim ille quandam reperiri auem, quæ Platalea nominatur, eam sibi cibum quærere aduolantem ad eas aues, quæ se in mari mergerent: quæ cùm emersissent, piscemq; cepissent, vsque eò premere earum capita mordicus, dum illæ captũ amitterent: id quod ipsa inuaderet. De eadẽ aue sic ille scribit, conchis se solere implere, easq; cùm stomachi calore concoxerit, euomere, atque ita eligere ex ijs, quæ sunt esculenta. Aliud quoque artificiosius de marinis ranis idem auctor narrat: quæ sese arena solent obruere, & moueri prope aquam: ad quas, quasi ad escam, pisces cùm accesserint, confici à ranis, atque consumi, & ita sibi victum quærere, seq; nutrire. quod diuinæ sapientiæ, quæ tum sciuit, tum cognouit tam multas artes, quibus nutriret animalia, amplitudinem declarat.

Illud commune est, & omnibus notum, quod carduelis facit; qui cùm reperiatur super quadam tabula pedicis alligatus, à qua duæ paruæ situ'æ pendeant, altera granorum, altera aquæ plena, cùm esurit ad se illam, quæ grana continet, cùm sitit, quæ aquam, trahit. Aliud ego artificiosius vidi, situla, quæ continet aquam, exhausta est, sed sub illa quædam adest capsula aquæ plena, cùm autem bibere vult, situlam in illam capsulam demittit, & toties rostro funiculum, de quo pendet situla, commouet, vt tandem hauriat aquam, & ad se trahat. Hoc igitur quis non mirabitur? Quis Creatori non aget gratias, cùm in tantulo corpore tantam cernat industriam, quam tum Creator, tum necessitas rerum omnium magistra docet? Herinaceus pariter, licet grauis sit, suum habet artificium, vt sibi victum paret. Nam si sub arbore reperiat poma strata, se super illa volutat, & suis spinis defixa secum illa fert, & ex illis sibi cibum parat, & suum penu instruit. Et si quis eum lædere vult, seipsum in suas contrahit spinas, & sic inimici manus effugit.

Mira etiam est industria, & artificium cuiusdam piscis, qui Tremelga dicitur, qui duabus artibus sibi à natura tributis, & cibum quærit, & tuetur: altera est, qua se sub limum recipit, & paruos pisciculos somno afficit, qui ad se accedunt, (quod de strigibus dici solet) tunc illa marina strix de limo exit, & eos capit, atque conficit. Altera verò proprietas non minùs admiranda est. Nam si piscatoris hamo contingitur, tantam vim habet, vt per funiculum & arundinem ad piscatoris manum perueniat, & stupidam ita reddat, vt illi arundo de manibus cadat, & ita piscis liber euadit. Hoc modo Creator in tanta rerum varietate suam prouidentiam ostendit.

Neque solùm infirmiora animalia, verùm etiam fortiora suum adhibēt artificium, & industriam, vt sibi victum quærant. De tigre (cui neque vires, neque arma, neque velocitas deest) Ælianus refert, quòd se in eum locum recipit vbi simiarum copia sit, (illarum carnis auidissima est) & sub aliqua arbore, quò ipsæ conuenire solent, se prosternit, & tãquam mortua si esset, se accommodat, vt neque se moueat, neque spiret. Simiæ autem super arborem existentes, sibiq; ab illa cauentes, exploratorem præmittunt, vt ad illam accedens aliquantulum, mortua sit, necne, inuestiget, eo tamen modo, & experientia, vt illi minimè fidat. Iterũ & tertiò eadem exploratrix accedit, & paulò plus ad illam appropinquat, quoad adducitur, vt credat penitus esse mortuam: & dum alijs animum addit, securè descendunt, ac insultãt ei, quasi cum gaudio de hoste suo triumphantes. Tunc illa, cùm vndiq; præda circunuentã se cernit, subitò resuscitat, & quas expectabat, eas dentibus, & vnguibus lacerat, quascunque aggreditur, & illarum ludi in planctum conuertuntur, & suæ audaciæ pœnam luunt.

Hoc eodem artificio nonnulli magni feles, & venatores vtuntur. Nam in quodam horto vnus ex ijs se prosternebat inter arbores & legumina, & ita se distendebat, & collocabat, vt mortuus videretur, ibi immotus perseuerat suam fortunam expectans: simplices autem auiculæ hac simulatione deceptæ fidenter ad illum accedebant: tunc ille latro vnico saltu illas capiebat, & deuorabat. Vbi autem in felis mentionem incidimus, illud quoq; addam, quod cernimus quotidie: non tamen in eo omnes diuinæ prouidentiæ, quæ multis modis se nobis patefacit, curam contemplantur. Creauit hoc animal diuina ꝓuidẽtia, vt nostras defenderet domos, & penuarias cellas, à muriũ offensionibus: omnibus autem nota est illorum industria, vnguium instrumenta, & velocitas, quã ad id adhibere solent, & in primis (vti diximus) noctu oculis cernunt, quod tempus illis ad venandum accommodatissimum est: sed cùm ad ea munera hoc animal sit necessarium, non esset satis commodum, si tota domus illius ventris excrementa oleret: ob id ipse extremos domus angulos inquirit, & (quod nullum ex omnibus animal facit) terram vnguibus scalpit, & quidquid à se dimisit, ibi sepelit: & vt videat, vtrùm id bene tectũ sit, necne, locum odoratur, quòd si odorem percipit, iterum excauat, & cõtegit, quòd nullum odorem sentiat. Quamobrem quod populo Israel iussit Deus, dum in deserto erant, vt pala facerent, quam secum deferebant, illud hoc animal sine lege, & sine exemplo facit. Hoc quotidie facit, & Dei admonitiones, quibus nos admonet, vt nostras purgemus domos, & à malis odoribus arceamus, non intelligimus. Nam cùm nobis dederit Deus hũc venatorẽ, qui nostras domos muribus liberaret, quid prodesset, si hac conditione dedisset, vt illas quotidie tetro odore conspurcaret? Astutias autem, & insidias felis, quibus vtitur quotidie tum ad venandum, tum ad deprædandum, satis quotidie cernimus: operculum enim testæ amouet, & vnguibus carnem extrahit, & cum illa perfugit. Me intuente illud quoque quidam felis perpetrauit. Is ibat super quendam parietem, & lacertam persequebatur, quæ ab illo effugiebat, illa sub tegulam se recepit, quæ ibi fortè deorsum versa ore reperiebatur. Hic autem quid effecit? In animo sic volutabat: Si vngues in hac parte colloco, ipsa ab alia effugiet. Huic rei consulam. At quo modo? Ex al-

Ex altera parte manuum alteram,ex altera alteram apposuit, & ita venationem consecutus est,quam ipse appetebat.Quid amplius facere potuisset,si ratione præditus fuisset?

Mirabilis etiam est ars,qua lupi sibi victum quærunt;sed vnicam ab Æliano narratam tibi describam,quæ ex aliqua parte illi respondet quæstioni, qua quæritur, cur pauci reperiantur lupi,cùm lupa plures pariat catulos: & multi reperiantur arietes, & agni, licet ouis vnicum fœtum pariat,& in nostrum cibum tam multi quotidie occidantur?Hic autem auctor narrat,quòd cùm lupis deest,quod comedant,multi in eundem locum conueniunt, & in circulo alius post alium currit;primus,cui propter hanc causam in capite vires desunt,& in terram cadit,fit aliorum omniũ cibus. Hoc autem in causa est maxima,quòd pauciores reperiãtur lupi,quòd scilicet alius alium comedat. Quare animaduertenda est diuinæ prouidentiæ ratio,quæ illorum animalium multiplicationem impedit,quę nobis aliquod nocumentum, & damnum importatura essent, vt in scorpionũ partu licet videre. Fœmina enim vndecim oua parit, ex quibus decem comedit, & vnicum relinquit,ex quo qui nascitur,non tanti matris beneficium facit,quàm fratrum mortem,quòd de illa tam interimendo,quàm comedendo pœnam sumit.

Neque minùs illustris testis est ille anguis,qui reperitur in prouincia, quæ Brasil dicitur, qui cùm sit venenosus, quotquot mordet absque dubio intereunt,nisi membrum illud penitus rescindatur. Hoc autem statuit Creator, vt huius periculi remedio nobis suæ prouidentię, quæ præsertim remedijs, quæ nostris morbis parauit,cognoscitur,curam ostenderet. Remediũ autem illud est,creasse hoc venenosum animal cum tintinnabulo in capite, vt ignaris eo sonitu periculum imminere significaretur.Quis autem hoc loco diuinę prouidentiæ curam non agnoscit,tam in nostrorum periculorum remedijs, quàm in diuersitate mediorũ, quę ad id excogitauit? De vipera verò inquit sanctus Basilius, quòd mater ventrem in partu sibi laniat, quodq; leæna sibi ventrem pariter in partu suis vnguibus discindit. Hac ratione Creator ex altera parte rerum speciebus consulit,& ex altera (vt dicitur) de inimicis pauciores facit.

Quis fortasse dicet,ad quid hæc animalia Deus homini noxia creauit? Hoc erat Epicuri argumentum,qui diuinam prouidentiam negabat,vt Cicero refert. sic enim ille argumentabatur: Si hominis causa cuncta creauit Deus, cur viperas creauit? Cui sic respondetur: In optimo reipublicæ statu furcæ adsunt, carceres, verbera, carnifices, vt sontes puniantur. quamobrem non æquum erat in huius mundi republica, cuius gubernacula Deus tenet, carnifices,& iustitiæ ministros deesse.Hac ratione filios Israel in deserto affecit pœnis,cùm ad illos serpentes miserit,qui eos morderent: illi enim ministros sibi à Deo datos suis maledicis linguis momorderant. AEgyptios quoque locustis,culicibus, ciniphibus, quæ eos crudeliter feriebant, puniuit. Ita in mari magna cete creauit: in terra verò magnos,& horribiles dracones,de quorum magnitudine multæ historiæ narrant. Quod eò fecit,vt suę potentiæ magnitudinem declararet,& hoc modo humanis cordibus terrorem incuteret,cùm nobis ostendat, quàm durum esset in draconis inferni faucibus immorari, qui sua cauda tertiam stellarum cęli partem secum traxit.

Num. 21.

Apoc. 12.

Vt autem ad animalium victum reuertamur; videmus non solùm quanta sit in illis diuersitas, sed etiam in facultatibus, quas illis Creator dedit, vt sibi victum quærerent. In quo maximè illius prouidentiæ sapientia apparet. Nam si omnia vnicum cibum haberent, & vnicam naturam ad illum sibi comparandum, non tam mirabile videretur: sed cùm tot sint ciborum diuersitates, tam diuersæ tum facultates ad illum inquirendum, & membrorum instrumenta, quibus id efficiant, id vbique prædicat, & exclamat, quàm sit huius prouidentiæ summa sapientia, nosq; ad illius admirationem, & venerationem inuitat. Ex animalibus autem alia in terra pastum sibi quærunt, alia in aquis, in aere alia: ex his autem alia viuunt sanguine, alia herba, alia frugibus, alia alijs rerum generibus innumeris. Hæc autem omnia Creator huiusmodi membris efformauit, eiusmodiq; corporibus, quibus ad victum sibi parandum facilè vtuntur. Leonem enim, & tigrem, vnà cum cæteris huiusmodi, dentibus & vnguibus præduris ornauit, & illis velocitatem ad venandum, animos fortes & generosos, ne pericula timeant & aliorum vires, tribuit. Vt Leo, de quo Salomon inquit: *Leo fortissimus bestiarum nullius pauebit occursum.* Hic autem cum suis catulis noctu vagatur (vt ait Psalmus) & rugit, vt furetur, & à Deo cibum petat. Illam quoque habet cum generositate conuenientem proprietatem, quòd de hesterna præda nunquam comedit, optimates imitans, reliquias cœnæ nunquã admittentes. De quo Ælianus scribit, quòd vbi per ætatem illi vires effœtæ sunt & exhaustæ, & ad venationem ineptus, cum suis catulis exit, & eos certo quodam loco expectat, & ipsi prædam à se factam ad parentem senem perferunt, quos venientes complectitur, & vt illis se gratum, & cupidum ostendat, frontem lambit: postquam autem eos tam amanter accepit, sedent omnes, & venationem comedunt. Quid plura facerent, si vt homines ratione vterentur? Imò hac pietate facilè homines vincunt, cùm multi reperiantur filij in parentes pauperes, & senes, auari, & inhumani, quod neque inter feras vnquam contingit.

Prou. 30.
Psal. 103.

Diuinæ quoque prouidentiæ artificium in proprietatibus, & instrumentis, quæ auibus rapacibus dedit tum ad venandum, tum ad cibum, maximè apparet, in quibus rostrum artificiosissimũ est, & multum differt ab aliarum auium domesticarum rostris. In illis enim rostrũ habet superiorem partem acutam, & aduncam, vt hac ratione in carne figere, & frusta extrahere possit: inferior verò pars nouaculam refert, & cum superiori ita coincidit, & aptatur, vt incidat, & abscindat, quidquid pars superior rostri perceperit. Quis autem tantam rem, tam bene accommodatam ad suum munus, factam fortuitò, non autem maximo artificio, suspicari poterit? Hoc quoque maximè in cæterarum facultatum, & instrumentorum, quæ ad id conducunt, conuenientia apparet, vt vngues tam acutæ, & duræ, vt venationem capiant, & retineant, anteriores vngues cum posterioribus claudendo, & ita arctè teneant, vt nulla ratione effugere possit. Habent præterea magnũ in ventriculo calorẽ, vt fames eas ad venationem auidiores & velociores reddat. Habent præterea cor animosum, & fidens, cùm ferum accipitrem per paucis diebus ita mansuefacias, & fidelem reddas, vt eum vsque ad nubes ad erodium mittas, & illuc volet, illum ad te vocas, & imperas, & obediat. Cùm enim Creator hæc animalia creasset, non solùm, vt ipsa sibi victum quærant, sed ad hominum & volupta-

voluptatem,& vtilitatem, (vt aues rapaces sunt) huiusmodi arma, animum & fidentiam, illis tribuere oportebat. Cùm autem miluo hæc non tribuerit, (licet nec arma, neque alæ illi desint) euolat tantùm in paruos pullos, & inualidos, cùm in robustiores animum non habeat: in quo rusticorum, & pusilli animi hominũ mores refert, qui cùm tam sint in eos, qui vires habẽt, timidi, sunt in debiles crudelissimi, pauperes molestia afficiendo, illisque eripiendo, quod sibi ad viuendum compararũt. Vulturibus pariter, qui aues carniuoræ sunt, dedit Creator mirabilem proprietatem, & naturã, vt strages hominum, & cędes, quorum carnibus vescuntur, præuideant: & ita semper exercitus comitantur, cędem præsentientes, quę in illis futura sit: quodque admirabilius est, (vt inquit Commentator) quinquaginta millia passuum licet lõgè absint, cadauerum odorem percipiunt. Lib. 2. de Anima.

In ciconijs miram nobis filiorum in parentes pietatem, & parentum in filios, prę se tulit. Parentes, pręter filiorum nutritionem in nido, vt reliquæ aues faciunt, hanc in illos pietatem adhibent, vt, cùm Sol torret ita, vt filijs teneris aliquam lęsionem afferre possit, ipsæ suas distendunt alas, & in se Solis radios recipiunt, & illos obumbrant, & ita in se crudeles sunt, vt in filios piæ sint. In quo nobis apparent illa Patris ęterni viscera, & amor in spiritales filios, quibus Psalmographus eandem tribuit pietatem, cùm inquit fore, vt sub vmbra alarum suarum protegat eos. Neque minùs filij Dei charitatem refert, qui in suis humeris sacratissimis ea verbera accepit, quæ peccata nostra meruerunt: illo (vt ipse ait) soluendo, quod non debebat. Hanc autem pietatem, quam parentes in filios adhibent, filij parentibus longæuis, & ad cibum sibi parandum non idoneis, reddunt. Eandem enim gratiam, quam acceperunt filij, iisdem parentibus, eos in nidis nutriendo referunt: cùm autem aliò euolare illis opus est, boni & grati filij alas suas distendunt, & super illas patres senes suscipiunt, & eos eò transferunt, vbi commoraturi sint. In quo pariter nobis summi Patris charitatem, & misericordiam in suos filios referunt, de quo Propheta inquit: *Sicut aquila expandit alas suas, atque portauit in humeris suis.* Psal. 90 Psal. 68. Deut. 32.

Auibus autem, quæ vel fruges, vel herbas comedunt, vt gallina, & aliæ huiusmodi, acuta dedit rostra, quæ non solùm ad cibum sunt accommodata, verùm etiam illis tanquam armis vtuntur, cùm inter se contendunt; pedes verò, digitis & vnguibus ornatos, vt granum sub terra contectum, retegerent. Contrà verò ijs, qui in aqua cibum sibi parant, vt cygni, & anates, & anseres sunt, latos pedes, vt est remi palmula, quibus ipsæ mirificè nant, & remigant, & plantis suum corpus sustentant, & antrorsum impellunt. Hinc ars naturam imitando sibi ad nauigandum aditum aperuit. Naturales enim remi artificialibus priores fuerunt. Aliud quoque illis rostrum dedit, non acutum, sed planum, & nonnullis paruis dentibus tanquam serræ, vt pisces, qui lubrici sunt, faciliùs capiantur, & contineantur.

Auibus longa crura habentibus, longa quoque colla tribuit, vt faciliùs de terra cibum sibi sumerent. Idem quoque animalibus altiores humeros habentibus, vt sunt cameli, collum longum datum fuit, vt faciliùs in terra pastum sibi quęrerent. Aliud quoque in illis animaduerti, quòd cùm homines, & omnes bestiæ duas habeant in cruribus iuncturas, alteram in genu, alteram in illo magno osse, in quo totũ corpus in coxam flectitur: hæc animalia, cùm sint

Digitized by Google

sint altiora, tres fortita sunt, ita dispositas, vt illorum crura articulosa partitio videatur, ita illa flectunt, & colligūt, cùm, vt suscipiant sarcinam, seipsa demittunt, vel humi, cùm dormire volunt, seipsa prosternunt. Elephātus autem cùm sit altior, non erat æquum, vt tam longum collum haberet, quanto illi opus esset, vt sibi cibum sumeret: ob id data fuit illi proboscis, qua tanquam manu non solùm ad comedendum, sed etiam ad bibendum vtitur. Intus enim inanis est, & aliquando per illam situlam aquæ exhaurit, & aliquando præsentes per iocum aspergit.

Crurum fabricam miratur sanctus Basilius, cùm videat, quàm ad tantum corporis onus sustentandū sint accommodata. Sunt enim tanquam columnæ ad tantum onus sustentandum proportione respondentes, pedes sine articulis sunt, vt firmiores sint: inde fit, vt eos in bellis videamus turres ferre ligneas, quæ animatæ, vel montes ex carne constructi videntur, & ita in hostium agmen impetum faciunt, & pro suis fortiter pugnāt. Hoc autem animal (mirabile dictu) tanta magnitudine præditum, homini subditum ita est, & obediens, vt, si quid illud doceamus, addiscat; si castigamus, non molestè ferat. In quo facilè apparet pro hominibus fuisse creatum, cùm homo ad Dei imaginem creatus fuerit. Hoc tamen seruitio trecentos, & amplius annos viuit. Hæc Basilius.

Est item quodam naturali pudore, quo cum fœmina in abdito loco rem habet, & si fortè quis illac transeat, hoc ita molestè fert, vt eum penitus dilaniet. Cum hac autem alias habet nobiles affectiones. Qui ex Orientali India veniunt, de hac bestia illud cognitione dignum narrant: Cùm amore captus est, immanissimus est. Hoc autem furore affectus, in via incidit in quendam infantulum nondum ablactatum, & eum proboscide suscepit, & super quoddam tectum, vt eum periculo liberaret, incolumem collocauit; qui puer valde vagiebat, cùm se eo loco cerneret: elephātus illo vagitu in puerum pietate affectus, proboscide iterum in eundem locum reuersus infantem suscepit, & pristino loco collocauit: tantum dedit Creator huic animali sensum, vt hac ratione meliùs suum seruitium hominibus præstaret. Alia mirabilia de eo narrantur, quorum historiæ plenæ, & diuersorum hominū diuersi libri pleni sunt, è quibus quisque per se colligere poterit: hoc satis est ad id, quod nobis propositum fuit.

Aquilæ autem, cuius proprium est in sublime volare, tanquam auium reginæ, quæ in sublimiori loco habitat, præcipuum tribuit visum Creator, vt inde venationē, qua se ipsa nutrire solet, perspicere posset: sic de ea ipse Creator ad S. Iob inquit: *In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt.* Illi aūt neque vis, neque industria ad venandum deest. Nam si fortè testudinem capit, vel terrestrem, vel marinam, vnguibus in sublime eam defert, deinde eam super aliquam petram cadere permittit, vt ita illius testa frangatur, & ipsa, vt lubet, faciliùs discerpat: & propter hanc causam celeberrimum poetā Æschylum mortuum esse scribitur. Cùm enim esset caluus, & capite detecto, quædam aquila existimans petram esse, testudinem in illum cadere permisit, & eo vulnere mortuus est.

Iob 39.

Venationis autem vsus nō solùm auibus rapacibus vtilis est, verùm etiam homi-

hominibus. Propter hanc causam ille sanctus Patriarcha filium suum Esau magis, quàm Iacob diligebat, quòd de illius venatione comedebat: & ita cùm ei benedicere vellet iussit, vt arcum sumeret cum pharetra, & ad venandum iret, & ex eo, quod caperet, sibi eo modo cibum pararet, quo sibi placere illi notum erat, vt vbi comedisset, ei benediceret. Ad venationem autem multæ canum differentiæ conducunt, quos quidem efformauit Creator, licet venatores propter hanc causam illi nullas gratias agant: & quemadmodum multa venationum genera reperiuntur, ita quoque canum. Adsunt enim venatici, crasso & pulchro corpore, & forti animo, qui feras aggrediuntur: alij quoque illis similes, & pulchro etiam corpore, & veloci, qui lepores persequuntur: alij demissiori animo, qui cuniculos persequuntur: adsunt molossi, qui greges, & armenta custodiunt: adsunt odori canes, qui suo odoratu pręstanti feras retegunt, & inueniunt percussas: adsunt canes ad perdices accommodati, qui pariter odoratu eas inueniunt, & ita, vt nihil illis desit, nisi manu ostendere: adsunt canes natantes per lacus, & stagna, vt auem à te fixam inueniant, & ad te deferant. Hæc omnia animalia efformauit Deus his proprietatibus prædita, vt hominibus auxilio essent vnà cum rapacibus auibus, quę nobis eundem vsum pręstant. Cùm venationem creasset pro hominum cibo, æquum erat, vt instrumenta illis pararet, quę ad venandum essent necessaria. Gen. 27.

Cùm autem cibi necessitas nos ad canum tractatum impulit, illud hoc loco addam, quod licet non omnibus, ijs tamen, qui ad vitæ Christianæ perfectionem aspirant, maximo vsui fore confido: in venatico enim cane maximè illius imaginem ita conspexi, vt nihil ad hanc rem accommodatius reperiri, nedum excogitari possit. Tria enim in eo vidi, quę narraturus sum. Primum, quòd nunquam à domini sui latere discederet. Alterum fuit, quòd si quando suis famulis iubebat dominus, vt illum à se procùl amouerent, querebatur, & latrabat, imò penè vagiebat; quòd si illum sinu deferendum complecterentur, crura iaculabatur, & à seruis se ipse defendebat. Tertium fuit, quòd Augusti mense cùm in itinere esset, & quindecim millibus passuum iam confectis ante prandium, maxima siti linguam ex ore emitteret: iussit tunc dominus cuidam à pedibus, vt illum in vicinum diuersorium ad bibendum perferret. Ego præsens vidi eum quolibet aquæ haustu ad viam oculos conuertere, si fortè dominum suum videret, vt vel bibens ibi totus non esset, vbi corpore aderat, sed cor, & oculi, & appetitus cum suo domino versabantur: & vt primùm illum apparere conspexit, licet nondum satis bibisset, tamen de serui sinu desiluit in terram, vt dominum suum comitaretur. Multa hic philosophari licet. Non enim solùm creauit Deus animalia, vt nobis seruirent, sed vt nobis præceptores, & exemplaria essent, vt turturis est castitas, columbæ simplicitas, ciconiarum filiorum in parentes senes pietas, & cætera huiusmodi. Sed vt redeamus ad rem; si perfectionis amator hæc tria in suum Creatorem haberet, quæ illud tam gratum animal in suum dominum habebat, quòd cibum illi sua manu porrigeret, is ad summum perfectionis iam peruenisset.

Ex quibus autem illud erat primum; vt nunquam se ab illo abesse pateretur, sed semper (quoad liceret) coram illo versaretur, vt nunquam illum

oculis non cerneret, & nunquam coniunctionem ſui ſpiritus cum illo reipſa deſereret, & in terris obſequendo quemadmodum in cælis Angeli morem gerunt, (quod faciunt ſupremam illam maieſtatem ſemper colendo, venerando, adorando, & laudando) hoc ſi faceret, ad ſummum perfectionis gradum, & felicitatis præſtantiam perueniſſet. Hanc perfectionem S. Auguſtinus à Deo poſtulabat in quadam ſua meditatione his verbis: In te ſemper ego cogitem die, in te nocte dormiendo ſomniem. tecum loquatur ſpiritus meus, tecum ſemper anima mea verſetur. Fortunati quidē ſunt illi, qui nihil aliud amant, nihil aliud quærunt, nihil aliud niſi te cogitant. Fortunati ſunt illi, ſpes quorum tu es, quorum vita eſt perpetua oratio. Hęc eſt prima opera nobis tradita ab illo animali, quod nunquam à domini ſui latere diſcedebat. Altera eſt, quòd quemadmodum illud animal ſic ægrè ferebat dominum ſuum longè abeſſe; ſic perfectionis amator maxima ab eo moleſtia afficiatur, quòd ſe ab illa perfectiſſima cum Deo coniunctione ſeparare poteſt. Quod expertus eſt ſanctus Gregorius Papa, qui (cùm videret, quòd paſtoralis muneris occupationes eum aliquantulum ab hac coniunctione ſegregabant) de ſeipſo initio ſuorum Dialogorum his verbis conqueritur: Infelix anima mea occupationibus, quas ſecum paſtorale officiū trahit, percuſſa recordatur illam quietam vitam, qua in monaſterio fruebatur: quemadmodum omnia huius vitæ bona ſub pedibus cōtinebat, quemadmodum altior ſtabat, quàm cuncta, quę eum fortuna circunferuntur; quemadmodum nihil aliud, niſi cæleſtia cogitabat; quemadmodum mortem, quę omnibus odioſa eſt, appetebat, vt ad fruendam vitam ęternam perueniret. Hic igitur expreſſam habetis ſecūdam actionem, qua hic referebat canis, cùm rugiebat, & crura iaculabatur, quòd illum à ſuo domino ſeparabant. Tertia autem, in qua tota huius rei vis conſiſtit, eſt aſperior, quæ eſt, quòd quemadmodum ille canis bibendi voluptatem ſpreuit, ne quid temporis pręterire permitteret, quo ſui domini ſocietate non frueretur: ſic perfectus Dei ſeruus omnes voluptates, affectiones, curas, cupiditates, negotia, & occupationes ſuperuacaneas debet deponere, & abijcere, quæ ſibi impedimento ſunt, quo minùs hæc vnio cum Deo fiat, niſi cùm vel obedientia, vel charitatis neceſſitas id poſtularet, tunc quoque illi elaborandum eſt (quoad eius facere poteſt) ne vnquam animæ oculos ab ipſo Deo

Psal. 76 ſeparet. Hoc tertium ſe feciſſe Dauid oſtendit, cùm inquit: *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & deficit ſpiritus meus.* Hoc eſt præcipuè mori mundo, vt Deo viuas. Hoc eſt omnia relinquere, vt in eo vno omnia inuenias. Hoc ſi facit ille canis, quòd de manu domini ſui fruſtum panis accepit; quid tibi homini faciendum eſt pro eo Domino, qui te ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauit? qui te ſuę prouidentiæ beneficio conſeruat? proprio ſanguine redemit? gloriam ſuam tibi parauit, niſi te tua culpa perdideris?

Cùm autem in hoc capite omnes canum ſpecies deſcripſerimus, non poſſum non admirari ſuauitatem & illecebras diuinæ prouidentię, cùm aliam canum differentiam creauerit longè à ſuperioribus diuerſam: & ſunt catuli nobiles, qui ſinu continentur, quos manu Dei eſſe creatos nemo negare audebit. Nam licet indiuiduum ab indiuiduo generetur, & canis à cane: huiuſmodi tamen canum ſpecies, aut aliorum animalium, ſola Dei omnipotentia creare

creare potuit. Quod autem maius argumentum reperiri potest immensę illius bonitatis, & suauitatis, quã hoc genus deliciarũ creare voluisse, quo Reginæ, Principes, & nobiles matronæ vtũtur? Hoc enim tantulũ animal nullũ nobis vsum, ex eis quos suprà enumerauimus, nisi hunc posteriorẽ præstat. Vt quẽadmodũ mille varietates, tum purpureorũ florũ, tum margaritarum, tũ pretiosorum lapillorum creauit, quorum multa ad nihil aliud valent, nisi ad visum reficiendum, & Dei pulchritudinem nobis declarandam: sic hoc tã paruum animal creauit, vt honesta mulieres animi relaxatione fruerentur. Eò enim cùm creatæ sint mulieres, vt pueris, quos educãt, blandiantur, & illecebris ad se alliciant; cùm illis non adsunt filij, illã animi propensionem in hos catulos referunt, qui tam sunt suis dominis fideles, vt nunquam ab illis discedant; & cùm illi domo exeunt, molestissimè ferunt; cùm verò regrediuntur, illis blandiuntur maxima voluptate perfusi; dum absunt, per totam exquirunt domũ, neq; vnquã conquiescũnt, quoad eas penitus reperiant. Quamobrem quædam studiosa & nobilissima mulier mihi dixit, se valde perturbari, cùm videret non tam diligenter, & assiduè Dominũ suum perquirere, vt quædam catula se inquirebat. Illud igitur cernebat Creator, minimè fieri posse, vt homines viuerẽt, nisi quã illis adesset animi relaxatio, atq; remissio: & ne hæc propensio, quæ in nobis multũ potest, ad pestilentes voluptates nos perduceret, propter honestam animi remissionem tam multa, & penè infinita creauit, vt illis recreati, & penè cibati, omnes turpes voluptates, illecebras, atque delicias effugeremus, & aspernaremur. Hæc hactenus de animalium victu.

DE ANIMALIVM DOTIBVS, VT SVOS MORBOS curent. Cap. XV.

CVM animalium corpora ex quatuor qualitatibus contrarijs, frigido, & calido, humido, & sicco constent, vt mortalia, & diuersis morbis, vt nostra sunt, obnoxia sint necesse est. Cùm enim proportio, quæ inter illas quatuor qualitates reperitur, in qua nostra sanitas consistit, dimouetur, statim consequitur morbus. Homines in suorum morborum remedijs ratione, & discursu vtuntur, & ex multis laboribus, & experientijs medicinæ scientiam inuenerunt. Cùm autem hac ratione bestiæ prędítæ non sint, hunc defectum summa diuina prouidentia suppleuit: quæ licet multum omnibus in rebus eluceat, quas hactenus narrauimus; tamen apertiùs in hac apparet, cùm de Deo naturali propensione plura bestiæ sciant, quàm homines studio & multorum annorum laboribus consecuti sunt. Multæ enim reperiuntur mala corporum nostrorum affectiones, quibus adhuc Medici remedium non excogitàrunt: nulla tamen bestiæ laborant, quam meliori præceptore ductæ atque doctæ non curent. Quare minimè mirandum est, nobis in nonnullis medicinis ab eo acceptis, fuisse præceptores. Chelidoniæ virtutem ad oculos sanandos docuit hirundo, quę à suo Creatore edocta hanc conquirit herbam, vt suorum filiorum oculos vel malè affectos, vel cæcos curet. Fœniculi virtutem, quæ ad idem confert, ab anguibus, qui eã sibi oculis medentur, didicimus. Ibis auis ciconiæ similis clysteris vsum nos docuit; quæ cùm ventrem nimis onustum sentit, rostro marinam aquam assumit, & hoc pro clystere

vtitur, & ita ventrem exonerat. Venam secare, & sanguinem elicere didicimus ab equo marino, qui Græcè ἱπποπόταμος dicitur: qui cùm se mala valetudine laborare sentit, eò se confert vbi arundines recentes succisę sint, & acutiore cuspide sibi venam (vt Plinius refert) in crure secat. Quo autem remedio vtitur, ne penitus sanguine destituatur? Quidquid in nobis ingenij est, arbitror, id remedium minimè inuenire posset: Hoc tamen animal diuina prouidentia, quæ nunquam fallitur, edoctum, id optimè tenet. It enim in eum locum vbi fimus, & cœnum sit, & ibi peruolutatur, quodque ad vulnus adhærescit, vittæ officio fungitur, & sanguinem sistit. Quis alius præceptor docuit suem morbo laborantem, vt se in litus maris conferret, ibi cancrum inueniret, vt se ipse curaret? Quis docuit testudinem, vbi aliquam comedit viperam, vt origanum perquirat, vt se à veneno liberet? Et quod mirabilius est, quis docuit capras montanas & agrestes in Creta, vt dictamum comederent, vt à se sagittam extraherent? si id ad vulnus sanandum esset accommodatum, non tantæ admirationi esset; sed herbam reperiri, quæ tantam habeat vim, vt sagittę palmum in corpus defixæ extrahat, hæc est Creatoris opera, qui huic animali, quod venatores tantopere persequuntur, remedium afferret.

Canis autem cùm nimis flauæ bilis plenus est, nisi sibi medeatur, rabiem contrahit: diuina prouidentia, cui tum ille, tum nos curæ sumus, docuit herbam, quæ in vallibus oritur, quæ rhabarbari vsum illi præstat: hæc enim illi vomitum mouet, & ita quidquid flauæ bilis in eo est eijcitur. Quòd si fortè vulnus accipit, nulla alia re indiget, nisi suæ linguæ medicina: nam si ibi est, quò lingua peruenire possit, & vulnus lambere, nihil ei chirurgi manu opus est. Mustela autem in prælio aduersus mures percussa, ruta se curat; apes, hædera. Vrsus si fortè in morbum incidit, quòd aliquam venenosam herbam comederit, quæ mandragora dicitur, si formicas comedit, sanatur. Quis crederet tantum animal tam parua re, vt formica est, sanari posse? Omnibus autem rebus vel minimis Creator suam tribuit virtutem, cùm nihil frustra faciat. Draconem, licet fera sit tam horribilis, & damnosa, sine suis medicinis non reliquit: cùm enim se minimè valentem sentit, pro rhabarbaro, succo lactucæ agrestis vtitur, & curatur. Leopardus æquè immanis, & damnosus, stercore humano pro medicina vtitur. Munda est medicina coturnicis, cornicis, & palumbis, quæ laurearum esu sibi medentur. Hæc Plinius lib. 8.

De canibus autem ait Albertus Magnus, quòd cùm se vermibus laborare sentiunt, herbam frumenti comedunt, & sanantur. Idē ait, quòd ciconia percussa in vulnere sibi origanum imponit, & pristinam valetudinem recuperat. Ex his exemplis statuendum est, nullum animalium morbum sine suis remedijs passum esse Creatorem: cùm omnes illius actiones sint perfectæ, & absolutæ. Communes autem hominū medicinę sunt, rhabarbarum, & agaricon; beluæ autem singulis morbis singula remedia adhibent. Hæc autem remediorum varietas magis protomedici huius mundi sapientiam nobis ostendit. Neque illud nouum est, imò iam oculis tritum, feles alias quærere herbas, cùm dolentes, & indigesti, se purgare & exonerare volunt.

Leo ob magnitudinem fortitudinis suæ, & Delphinus ob incredibilem suam

suam velocitatem vocantur Reges; ille animalium terrestrium, hic piscium qui in mari sunt. Prouidētia autē diuina disposuit, vt vterque idem haberet pharmacū, quo sanaretur. Leo enim cùm ægrotat, esu simię terrestris se confirmat; Delphinus item simiæ esu, sed marinæ. Vrsa pariter (vt S. refert Ambrosius) herbam quærit, quæ Græcè πλόμος dicitur, quæ si vulnus tātummodò contingit, sanatur. Neque vulpi suum debet deesse remedium, quo sanetur, cùm tam multis in rebus callidissima sit: & hæc (vt idem Sanctus refert) est pini gummi, quo suis morbis medetur.

Ad hanc medicinæ sentētiam locorum mutatio pertinet, quam tum aues, tum pisces prosequuntur, vt suam valetudinē tueantur. Quodam Lusitaniæ loco iuxta mare, qui Domina nostra del Capo dicitur, Septembris mēse congregatur magna auicularum copia, vt in Africam traijciat, quòd illic hyems temperatior est. Propter hanc causam illuc multi concurrunt venatores, qui paruo labore, & leui industria maximum ex illis numerum capiūt. Illud autem maximè notandum est, quòd tanquam boni & fideles comites se inuicem expectant, vt vnà illum diem conterant, atque iter conficiant. Hyeme autem elapsa, nimios Africæ calores fugiendo, iterum in Hispanias transmittunt, quòd ibi cælum temperatius est. Idem iuxta genus suum multa pisciū in mari genera faciunt, qui loca mutant, præsertim cùm ad oua generāda se conferant; ad id enim & maria, & cæli, & aer benignior requiritur. Propter hanc causam glomerantur in vnum locum, & ex diuersis conueniunt oris multa piscium genera, & omnes tanquam magnus exercitus vnà ad Euxinum mare, quod ad Septentrionem vergit, se conferunt, vt illic tum ipsi, tum eorum filij ver temperatius traducāt. Ad quod sanctus Ambrosius exclamat dicēs: Quis hæc loca piscibus ostendit? hæc tempora? hæc mandata, & leges tradidit? quis hunc progrediendi ordinem? quis tempora, & terminos regrediendi? Homines suum habent Imperatorem, cuius mandatum expectant, qui edicta illis mittit, & regia præcepta, vt milites omnes certo die & tempore sint in armis parati: multi tamen ex vocatis desiderantur. Quis autem imperator piscibus præcepta dedit? quis magister eis hanc tradidit disciplinam? quis illis in tam longo itinere, ne aberrent, dux est? In hac re illorum imperatorem agnosco, qui diuina dispositione horum animalium sensibus hoc edictū notum dedit, & multis sine verbis huius doctrinæ ordinem tradidit. Non enim solùm ad res magnas illius prouidentia peruenit, sed vel ad minimas. Hæc S. Ambrosius.

Idem Sanctus aliud cognitione dignum refert, in quo illud apparet, quod iam tractare desinimus: nihil scilicet esse tam paruum, quod sit à diuina prouidentia destitutum. Inquit ille, quòd marinus herinaceus, qui paruus pisciculus est, tranquillitatis tempore, naturali propensione ab ipso Creatore accepta, futuram præcognoscit tempestatem, & ita ad illam se præparat. Quonam modo? O mira Creatoris virtus: eo tēpore sibi saburram facit, lapidem ore percipiens, ne vndæ tam facilè eum loco dimouere, & modò huc, modò illuc impellere possint. Quod cùm nautæ vidēt, ab hoc pisce illud percipiūt, quod ipsi per se minimè consequi poterant, & ob id ad futuram tempestatem & anchoras, & funes, & seipsos parant, vt tempestati resistere possint. Quisnā Mathematicus, quis Astrologus, quis Chaldæus esset in stellarū cursibus tam

peritus,& in cælorum motibus versatus,& signis,vt paruus hic pisciculus est? Qua ingenij acie id cognouit? quo præceptore edoctus? Quis hoc augurium interpretatus est? Homines sæpe aeris mutationes, temporum quoque mutationes diuinant,& sæpe falluntur: hic autem herinaceus fallitur nunquam; neque signa, quibus mouetur,falsa sunt. Quanam ratione hoc animal tantam consecutum est sapientiã,vt futura diuinet? Quo igitur hoc animal est abiectius, hoc magis hanc cognitionem sibi à diuina prouidentia tributam esse declarat. Quòd si illa tanta pulchritudine agrorum flores, si illa dotem araneis dedit ad suam contexendam telam, quid mirum huic pisciculo futuri diuinationem tradidisse? Nullius rei obliuiscitur, nihil est, cui non prospiciat, atque consulat: omnia qui potest, omnia prospicit: cuncta qui summa sapientia facit, eiusdem sapientiæ omnia replet. Hæc S. Ambrosius.

Illud mihi compertum est,aues quoque futura diuinare: corui enim marini,& milui, qui libenter in alto versantur,natura tempestates diuinant,vt hic herinaceus ad littus se recipit,vbi tutiores sunt. Et quæ garzæ Italicè dicuntur, quæ stagnis, quorum piscibus vescuntur, valde delectantur,cùm magnas futuras pluuias præuideant,& aeris tempestates, ab ijs se liberant super nubes volando, vbi aer & cælum serenum est. Herinacei tamen exemplum pluris facio, quòd quò est hic pisciculus minor,& abiectior, & remedium artificiosius,quo se ipse tuetur, hoc magis Creatoris sapientia, & prouidentia declaratur,qui,vt eam in omnibus rebus videamus, veneremur, & glorificemus,summopere cupit:vt illi faciũt supremi spiritus,qui perpetuò eum laudant Creatorem, & dicunt: Pleni sunt cæli, & terra maiestatis gloriæ tuæ.
Isa. 6. Quidquid enim in illis est,manuum suarum opus est, illius gloriæ testimonium, illius laudum præco: id omne nobis illius bonitatem,& prouidẽtiam declarat, quæ tam vniuersalis est, tamque perfecta, vt nulli creaturæ vel minimæ desit. Quo nos ad se laudandum, seruiendum, & glorificandum allicit, atque trahit,cùm tam multis rationibus se nobis ipse manifestet.

DE PROPENSIONIBVS, ET ARMIS, QVIBVS AD SE tuenda animalia vtuntur. Cap. XVI.

EXPOSITA animalium custodia, reliquum est,vt de armis,& propensionibus, quibus ad se tuenda vtuntur,verba faciamus. Omnia enim vniuersim habent arma, quibus seipsa defendant, & offendant, & alias artes, & dotes, quibus pro armis vtuntur, neque in vnico genere,sed vario,atque diuerso. Alijs enim Creator dedit vngues,dentes, & adunca rostra; alijs pedes cum vngulis, vt equis; alijs arma, quibus se defendant,vt habent illa animalia,quibus coria dura data sunt, vt sagitta vix traijci possint:alia conchas habent, vt terrestres, & marinæ testudines,& nonnulli serpentes, & dracones, & cete, & aliæ huiusmodi marinæ beluæ. Huiusmodi sunt conchæ illius magnæ beluæ, quam Scriptura Leuiathan vocat:cuius arma tam particulatim in libro Iob idem Dominus describit, qui illa ei dedit, inquiens: *Corpus illius quasi scuta fusilia,compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Reputabit quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs. Non fuga-*
Iob 41.

bit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam. Hæc, & alia huiusmodi arma Creator illi immani beluæ dedit, vt tam in magnis, quàm in paruis rebus nobis suæ sapientiæ, & potentiæ magnitudinem ostendat.

Arma verò ad defendendum accommodata, in paruo corpore admirãda sunt, vt sunt ea, quæ locustæ marinæ, & cancris pariter marinis tribuit. Sũt hi pisces lorica penitus induti, vndiq; armis circunsepti, quę lorica tam dura est, & tam perfectè elaborata, vt in omnibus officinis Mediolani, nec inueniri, nec cõfici possit perfectior; oculos tantummodò, vt cerneret, detectos esse oportebat: in illorũ summitate, vt propugnaculũ habent tanquam adamantis elaboratam & perpolitam cuspidem, vt nihil impunè ad eos peruenire possit. Habet præterea aliquid melius, si cum nostris loricis conferatur, quòd est desuper quasi clauis, & acutis cuspidibus exornata, & munita, quo nullus piscis eos mordere possit, quin sibi os offendat. Et quoniam illis opus erat aliquod habere secretum orificium, per quod excrementa emandaret, ad hoc munus habent ostiolum tam appositum, & angustum, vt nullo modo per illud aqua ingredi possit. Et quoniam hæc arma erant ad nandum grauiora, huic quoq; rei Creator prospexit atque consuluit, duodecim remos, in vnaquaque parte sex, quibus mirificè tum aquam findunt, tum natant. Neque eis arma, quibus offenderent, licet quibus se tuerentur, dedisset, profectò negauit; habent enim duo brachia duabus fortissimis forcipibus in illorũ extremitate, quas, vt sibi lubet, tum adaperiunt, tum claudunt, quibus, quidquid volunt, comprehendũt. Et ne quid illis necessarium deesset, horum forcipum, vel chelarũ partes non sunt leues, sed vt serræ denticulatæ sunt, ne si fortè piscem capiãt ab illis effugere possit. His autem chelis cibum sibi ad os admouẽt, & vt nos homines comedunt, & manibus ad id vtuntur, quod nullus piscis, neq; aliud animal (præter simias) facere solet. cætera enim animalia ore tantummodò vtuntur ad comedendum, aut pascendum: sed hic suis manibus ad os cibum admouet. Quod absque admiratione quotidie cernimus in cancris, qui cùm illis similes sint, idem quoque faciunt.

Hæ sunt rationes, quibus Creator multis prouidit animalibus, tum vt se defendant, tum vt alia lædant. Quibus autem arma tribuere noluit, ijs velocitatem ad inimicorum fugam largitus est, vt ceruo, damæ, lepori. Alijs autẽ eximiæ donantur artes, & industriæ, vt periculo euadãt, & inimicos suos persecutores irrisos derelinquant; vt vulpibus, quæ mille habent stratagemata, & artes, quibus effugiant; neq; minùs lepori, quæ nonnunquam seipsa venatico cani se persequenti subtrahit; aliás maiori artificio, cùm hostem propè cernit, pedibus commouet puluerem, vt illi obturet oculos, quo minùs eam conspicere possit. Quid autem, cùm aquilam in se volantem cernit? Neque in hac re est industria destituta, se enim in pedes eleuat, & quantum in se situm est oculis erigit: aquila verò volando descendens eam partem corporis, quam eminentiorem cernit, insultat, & illa tum eam demittit, & ita vincendo vim hostis sua industria, periculum euadit. Et re ipsa ostendit, quod Sapiens scriptum reliquit: *Pluris est sapientia quàm vires, & prudens homo, quàm fortis.* Sap. 6.
& alibi: *Ciuitatem fortium ascendit sapiens, destruxitq; robur fiduciæ eius.* Prou. 21.

Aliam

Aliam quoque habet industriam hoc animal, quòd saltu se in sua lustra demittit, ne videatur vllum vestigium, per quod ingressum fit. Animalia quoque fortia & armata huiusmodi pariter industriam adhibent. Vrsus enim, ne suum reperiatur lustrum, hac vtitur arte: in illud cùm ingreditur, os sursum vergit, & armis progreditur, ne suorum pedum vestigium ibi relinquat. Leo tamen in hac re est longè præstantior: retrò enim vadit, & ad dexteram, & ad sinistram, & sursum, & deorsum, & horum vestigiorum partem puluere contegit, vt hac viarum confusione & venator cõfundatur, & ita nesciat conspicere, vbi inhabitet, & filios suos educet. Quòd si robustissima animalia vtũtur hac arte, & industria, quid infirmioribus, cùm armis careant, faciendum est? Sic coturnix volando in nidum non ingreditur, ne cognoscatur; sed multò ante se in terram demittit, & progrediendo ad illum peruenit.

Hæc tandem omnia inermia animalia Creator timiditate, quæ securitatis est mater, instruxit. Hæc enim in causa est, vt tacita sint, & à locis periculosis declinent, & tutiora persequantur; vt cerui, & damæ faciunt, qui per rupes cùm eunt, alto capite proficiscuntur, vt, quidquid sibi detrimentum afferre possit, & cernant, & odorentur. In quo nos profectò admonent, nostrarũ animarum securitatem sic in Dei timore consistere, vt suorum corporum in periculorum metu. Propter hãc causam inquit Salomon: *Beatus est homo, qui semper timidus viuit*. Hic enim timor illum cautum reddit, ne in pericula eorum corpora incidant. Et Ecclesiasticus inquit: *Serua timorem Dei, & in illo veterasce.* Illud significat: Licet Dei domus sis seruus vetus, & tua virtus sit perspecta, & cognita, non ob id tamen debes timorem omittere.

Prou. 28. Eccli. 2.

cap. 28. Illud quidem est admiratione dignum, quod Solinus scribit de Elephanto, qui cùm valde venatore se premi cernit, à se cornua deijcit, & humi relinquit, vt illi ebur tribuendo, quod maximè postulat, vita sibi largiatur, & ita vnius partis corporis iactura totum conseruat. Idem auctor capite 23. aliud simile refert de castore, à quo castratum nomen deriuatum videtur: ipse enim se suis dentibus castrat, cùm se oppressum, & circunuẽtum à venatoribus cernit, illã corporis partem humi relinquit, quam venatores nacti vt voti compotes eum ampliùs non persequuntur. Hæc admiranda videtur illis, qui longiùs non prospiciunt, sed in ijs tantummodò insistunt, quę ab huiusmodi animalibus expectari possunt. Qui tamen animaduertit diuinam prouidentiam animalia gubernare, & illis tribuere propensiones, & proprietates ad sui custodiam necessarias, ei id minimè mirandum videbitur. Nam si diximus diuinam prouidentiam cunctis animalibus defectum rationis suppleuisse, illis naturales proprietates tribuendo, vt illis id efficiant, quod ratione, si ea vterentur, efficerent, & cernimus omnes homines permittere, vt sibi vel brachium, vel crus abscindatur, vt sibi vitam tueantur: non est incredibile, si hęc animalia, vt suam conseruent vitam, permittunt, vt aliqua sui corporis pars deperdatur.

Neque illud erit incredibile, quod dicturus sum de pugna elephanti & monocerotis, vel rhinocerotis, pro cibo. Monoceros enim super nares habet cornu, vt ferrum durum, cùm illi opus sit cum elephanto decertare, quod animal est longè maius, quàm monoceros, suis armis fretus sese ad pugnam aptat,

Digitized by Google

aptat, & suum cornu in aliquo lapide acuit, vt illum melius feriat. Cùm autē campum ingreditur, & fit suo aduersario minor, sub illius ventrem se recipit, & vnico sui cornu ictu eum occidit: quòd si fortè ictus fallitur, elephātus, qui viribus longè præstantior est, eum penitus lacerat: elephantus tamē cùm hostis armorum præstantiam agnoscat, vehementer eum timet. In Lusitania compertissima omnibus est pugna, quæ inter hæc duo animalia fuit, regnante serenissimo Emanuele Rege, in quo eo timore affectus fuit elephātus ab hac belua, vt se fugæ dare decreuerit, & cùm nullū aditum sibi ad fugam patere videret, in fenestram transenna ferrea munitam ita impulit, vt illam deijceret, & per illam effugeret. Hæc est huius historiæ veritas, & qui aliter scripserunt, falluntur.

Venatoribus est accipitrum pugna cum erodijs satis nota: nō tamē omnes ad philosophandum, & diuinam prouidentiam contemplādam, tam in hac, quàm in cæteris rebus, se conferunt. Tantam habet hæc venatio voluptatem, vt multi nobiles viri in eam plura impendant, quàm illorum facultas ferat: non tamen in animis suis euoluunt vnquam, quòd illa voluptas, quam tanto pretio atque defatigatione emūt, nihil aliud est, quàm quærere & vti proprietatibus, quas diuina prouidentia in his animalibus inesse voluit, in alijs, vt fortiter aggrediantur, in alijs, vt se prudenter defendant. Pugnant igitur accipitres aduersus hanc auem, ex quibus alij tantùm plumas carpunt, & hoc modo eos maxima molestia afficiunt, alij sunt huiusmodi, vt tantùm occidant. Ex quo illud maximè mirandum consequitur: quòd si à se venator dimittit illum qui occidit, licet valde ab eo distet, scit tamen eum esse, qui futurus est, vt eum occidat, & statim pipiat, & quā potest suæ vicinæ mortis vindictam sumit. Non tamen animum demittit, sed quantum in se situm est, in eo inuigilat, vt suam sibi vitam conseruet. Quamobrem aliud quoque remedium tentat admirandum. Cùm enim cibi onus sibi ad volandum impedimento esse cernat, eum eijcit, & exoneratur, & venatores frusta ei decidere, quæ comederat, conspiciunt. Vbi autem postrema huius pugnæ hora iam peruenit, tanquam fulgur accipiter in erodium cadit: ei tamen neque industria, neque arma, quibus se defendat, desunt. Inter alas enim rostrum sursum dirigit, & nisi accipiter sit satis cautus, quò maiori impetu in eum tendit, eò maius periculum imminet, ne illius rostrum in pectus sibi infigat: sic illi accidit sæpe vitam profundere, qui, vt alium interficeret, in pugnam descendebat, & sua ipsius morte audaciæ pœnam dare. Aliàs autem alijs vtitur artibus, quod est, se ad quosdam lacus recipere, si fortè eos inuenit: accipiter timet aquam, & ita se incolumem præstat. Quis autem tantas industrias, & artes huic aui tradidit? accipitrem timere aquam, quis narrauit? ex multis autem accipitribus, qui eum persequuntur, quis hunc mortem illi allaturū dixit: idq; cùm à venatore dimittitur? quis eum docuit cibum eijcere, vt facilius euolaret? quis hostis impetum expectare in illius spiculi aciem sibi à Creatore datam, quod nihil aliud est, quàm si diceret; Si ad me accedere vis, id tibi per ensis mucronem faciendum est? Hæc omnia sunt diuinæ prouidētiæ opera, quæ hanc auem penitus, neque armis, neque industria, qua se ab hoste suo defenderet, destitutam esse noluit; Regibus autem, & nobilissimis viris, honestam animi remissionem esse statuit. Ad illos tamen spectat, hæc cùm cernunt,

nunt, ad Creatorem animum, cuius hæc sunt omnia, quæ eos recreant, & in exercitatione continent, eleuare, atque inuigilare, ne ita huic se tradant voluptati, vt interim suæ conditionis munera, & officia deserant: vt de Rege Antiocho scribitur, cuius subditi de eo querebantur, quòd cùm nimium se dedisset venationibus, regni rationibus minimè consuleret.

Vult Deus suæ sapientię magnitudinem quàm plurimis rebus, ad idem tamen tendentibus, nobis manifestare. Quis adduci posset, vt crederet herbarum species reperiri, quæ ad pugnandum auxilium ferrent? In nostri cœnobij horto nonnunquam conspiciebatur scorpius, & felis quidam magnus & magno animo præditus cum eo confligere statuit, ad id autem se ruta instruxit, & ita armatus, & his armis fretus, ad hostem se contulit. Quidam monachus de suæ cellulæ fenestra hæc omnia conspiciebat. Vtrinque concurritur, neque semel: vbi verò iterum atque iterum concurrerunt, felis tandem scorpium vnguibus comprehendendo in aere interfecit, & lacerauit.

In hanc sententiam aliud admirabilius narratur; In insula Ceilan angues reperiuntur magni, qui pileati dicuntur, quòd eorum caput, & collũ huiusmodi videtur: qui ita venenosi sunt, vt vigintiquatuor horarum spatio interficiant. Diuina autem prouidentia, quæ nihil sine remedio esse passa est, effecit, vt in eadem insula arbor quædam nasceretur, qua pro theriaca aduersus hoc venenum vtuntur: illius enim tantummodò odor, & halitus eius, qui ex illa comedit, illum anguem soporat, & debilem reddit. Quare quoddam paruum animal vt mustela, cùm velit cum hoc animali congredi, ita huius arboris folijs satiatur, vt in illum efflando, hoc odore soporetur, & ita victor euadit. Alia quoque singulari vtitur industria: in suo enim cubili duos efficit aditus, alter latus, alter angustus est: in certamine verò ad hoc effugit cubile per latum aditum, per quem & anguis ingreditur illud persequens: cùm autem intrò maximo ingrediatur impetu, in angustia aditus capitur ita, vt dimidium eius corporis extra aditum remaneat: tunc autẽ illud animal maxima celeritate exiens, in angusto aditu anguẽ aggreditur, & eum in duas partes diuidit. Aliud hic habemus exemplũ, quo demonstratur apertè, plus industriam, quàm vires valere; aliudq; argumentum, quo facilè probetur, nihil diuinam prouidentiam creasse vel minimum, quod sine armis, vel sine remedio esse cõuinceretur. Quid enim vilius, quid abiectius, quàm parua cochlea? Hæc caret oculis, non tamen armis, quibus se ipsa tueatur. Illorũ enim loco habet duo cornicula, & valde tenuia, & valde sensibilia, quibus prætentat iter suum, & inuestigat, num adsit aliquid, quod sibi detrimento esse possit: quòd si fortè quid reperit, quod sibi molestiam afferat, statim contrahit cornicula, & se totam in suum cubiculum, quod est illud perfugium, quod illi dedit Creator, suo corpori accommodatissimum.

Armorum diuersa genera in animalibus, & defensiones à Creatore paratæ vulgò cernuntur, in quibus multa nostris similia descripsit: quòd tamen in nobis ars imperfectè operatur, id natura in illis perficit. Mercatores ad alienas terras per mare suas merces comportant, & vt tuti à latronibus nauigẽt, militum manum secum ducunt, à quibus ipsi nauigantes defendãtur. Huius rei exemplũ simile de ciconijs refert sanctus Ambrosius, quæ certo anni tempore in vnum congregatæ, orientem Solem versus euolant, eo ordine, & concordia,

cordia, quo militum exercitus omnibus armis instructus iter haberet. Quoniam autem in hoc itinere ab alijs auibus inimicis periculum illis semper imminet, voluit diuina prouidentia, vt aliæ aues amicæ, quæ illis fideles in itinere comites essent, reperirentur, quæ illis auxilium ferrent, & hæ sunt cornicum magna manus. Hoc autem verum esse, ex eo probatur, quòd eo tempore anni hæ aues nusquam apparent, cùm verò reuertuntur, sauciæ cernûtur, quæ in defensione amicarum vulnera acceperunt. Quis autem eis tantã præstitit constantiam, & fidelitatem, vt libenter pro amicis vulnera accipiant, & sanguinem profundant? Quis illis tulit leges, quibus punirentur, si militiam desererent: cùm illarum nulla terga dederit, nec agmen dereliquerit? Hinc homines hospitalitatis leges addiscant, ab auibus fidelitatem, & humanitatẽ percipiant, quam hospitibus præstare debent: cùm hæ aues pro illis pericula subeant. Nos verò contrà illis ostium claudimus, quibus aues suam vitam tradunt. Hæc sanctus Ambrosius.

A ciconijs ad grues pergamus, quæ rationem aliam, vt se periculis liberẽt, admirabilem habent: quæ cùm sit notissima, tantæ rei admirationem ab hominibus penè amouit; quæ nisi sic esset nota, multis penè incredibilis videretur. Quis sibi persuadere posset, fore, vt, cùm iter habent, ex illis vni vigiliarum munus committatur, vt reliquæ tutæ dormiant; & si quod incidit periculum, eas cornicando excitet, vt in tutum locum se recipiant? Illud autem quis crederet, hanc vigilantem pugno lapidem comprehendere, ne somno complectatur, vt si fortè dormiret lapide cadente excitaretur? Cùm autem æquum sit, vt labores in omnes distribuantur, cùm beneficium etiam sit commune; cùm hæc conquiescere vult, aliam demissiore voce excitat: quæ sine querela, vel quòd somnum interruperit, vel cur potiùs sibi, quàm alij, hanc curam committat, in vigiliarum munus succedit, & item lapidem vnguibus capit, & fideliter suum vigiliarum tempus consumit.

Hac ratione, huiusmodiq; artibus Creator harum auium securitati consuluit. Id autem ad quid? Argumentemur, vt fecit S. Paulus super hâc legem in qua dicit Dominus: *Non obturabis os boui trituranti.* Nũquid (inquit Apostolus) de bobus cura est Deo? illud compertum est, hanc legem non pro bobus, sed pro hominibus esse latam. Sic ego: Nunquid est Deo cura de gruibus? illud notum est, hanc Dei de illis prouidentiam non pro illis, sed pro hominibus esse. In his enim rationibus, in quibus facilè apparet, Deum esse auctorem, illis ostendere voluit suæ prouidentiæ curam, & earum trium virtutũ, quas cum illa esse diximus, bonitatis, sapientiæ, & omnipotẽtiæ. Hæc enim cognitio illa est potissimùm, quæ nos magis excitat ad tantam maiestatem amandam, & timendã, ad sperandũ, ad colẽdum, atque obediendũ. In quo maximè ob nostri cordis cæcitatem dolendum est: quòd, cùm quotidie inter tot Dei admonitiones, & beneficia versemur, & inter tot illius admiranda opera, vbi ita planè nobis se manifestat, eum non agnoscimus, neque in illis veneramur: vt videntes non videamus, neque intelligentes intelligamus: eo enim cõtenti sumus, vt corticem intueamur, cùm illorũ auctorem scire negligamus; &, ne vlteriùs progrediamur, Creatorem, qui statim pòst sequitur, videre non curamus. Quid de tanta cæcitate dicendum est? Dicam nos esse, vt filios Israel recenter de AEgypto egressos, quibus dixit Moyses, quòd, cùm tot, tantaq; Deut. 29.

1. Cor. 9. Deut. 24

L 2 prodi-

prodigia, & miracula vidissent, quæ Deus pro illis fecerat, nõ habuerũt oculos, vt ea viderent, nec aures, vt audirent, nec corda, vt æstimarent, quæ pro illis Deus effecerat, illiqúe gratias haberent. Quod ita se habuisse paulò pòst compertum est, cùm vitulum vix Aegypto egressi conflassent, & pro Deo coluissent. Huiusmodi & nos videmus. Nam licet tot Dei beneficijs simus ex altera parte circundati, & ex altera tot testimonijs illius bonitatis, & prouidentiæ, inter tot illius creaturarũ voces surdi, & inter tot illius gloriæ fulgura cæci, & inter tot illectamenta atque inuitamenta ad illius laudes, quot creaturæ sunt, muti versamur.

Quod de his auibus scimus, vnà cum cæteris huiusmodi, quæ hic pertractauimus, nobis argumento sunt ad credendum illud, quod Franciscus Patritius Senẽsis in suo libro de Repub. narrat. In illo enim ait, quòd in mõtem Taurũ multæ aquilæ solent ire: cùm autẽ magna anserum turba, quæ clangoribus maximis valent, certo anni tempore eò se conferunt, ne ab aquilis sentiantur, optimum remedium adhibent. Quodnam id est? Quælibet in ore lapidem fert, qui in causa est, vt silentio illud iter conficiant. Hoc videtúrne incredibile? Qui memoria tenet, idem marinũ herinaceum facere, cùm tempestatem præsagit, neque id, quod hæ aues faciunt, incredibile existimabit.

Plin. lib. 9. cap 42. Aliud huc addam, nescio an dicam admirabilius, quàm, quæ hactenus narrata sunt, quod tum Plinius, tum Cicero in 2. lib. de natura Deorũ narrat: in quo multa in hanc sententiam cognitione digna scripta reliquit, existimãs hac ratione nobis Conditoris summam sapientiam declarare. Aiunt autem hi duo celeberrimi auctores, in mari esse quoddam concharum genus, quod Pinna dicitur, quæ cum parua squilla quasi societatem coit comparandi cibi. Pinna enim suas conchas aperit, in quas hiantes pisciculi parui, qui iuxta sunt, innatant: illa verò cùm neque oculis cernat, neque moueatur, audaciùs & certatim hac re freti ingrediuntur. Tũc explorator, (vt dixi) ille paruus pisciculus est, comprimit concham cæcam morsu, sic eam admonens, tutam iam esse piscationem; statim illa conchas claudit, & sic illos pisciculos occidit, qui innatauerint, & prædam cum socio diuidit, & ita vterque nutritur. Quis autem hoc loco diuinam prouidẽtiam non laudabit, quæ ita huic conchæ alienorum oculorum vsum, huic pisciculo cibum præstitit; huic mercedem laboris in seruitio ampliorem præbendo, quàm nostra memoria principes suis aulicis præbere solent? Quis hoc loco infinitam Creatoris sapientiam, quæ tam multas, atque diuersas proprietates excogitare potuit, vt suas creaturas nutriret, non agnouerit? Quæ quidem amplitudinis illius gloriæ in se ipsa apertissimum testimonium præbent: vt eam, quemadmodum est, veneraremur, atque adoraremus.

Huic capiti finem imponam, si priùs à Deo nostro petiero, vt nobis illam Matt. 10. serpentis prudentiam præbeat, quam nobis in suo Euangelio commendauit. Hi enim cùm se affici vulneribus sentiunt, qua maiori possunt arte atque solertia, caput contegunt, & reliquum corporis, quod minori est in periculo, deserunt, vt quod maioris est conseruent: & ita suam vitam tuentur. Quod si homines facerent, cùm in voluptates corporis cum animæ iactura incidũt, vellentq; quod minoris pretij est amittere, vt quod est pretiosius tueantur, permitterent potiùs corruptibile corpus, quod cum beluis commune habent,

bent,perpeti,quàm animam,quam Angelorum habent similimam. Ita quoque si quando sibi daretur occasio,qua aut Deum,aut facultates amittere necesse esset,eligerent potiùs, quidquid mundus dare potest, relinquere, quàm eum,qui vnus plus quàm cætera cuncta valet,& sine quo omnis copia inopia est,& omnis felicitas in maxima calamitate versatur. Alia quoque est in hoc animali quædam quasi prudentia: cùm enim Creator quotannis ei nouum vestimentum paret,fitq; ei necesse vetus & attritum deserere,hac industria vtitur; per angustum foramen ingreditur,& ita senectam sibi detrahit. In quo item nos admonet,quòd qui vult veterem hominem appetitibus carnis deditum exuere,ei necesse est per angustam viam mundificationis suarum affectionum ingredi,& crucis vitam asperam,& laboriosam complecti:natura enim corrupta si multorum dierum consuetudine confirmata sit,minimè fieri potest,vt vincatur,nisi maxima difficultate, hoc est,ieiunijs, orationibus, vigilijs,sanctis lectionibus,silentio,sensuum custodia,Sacramentorum frequentia,& alijs eiuscemodi rebus. Quod cum multis alijs sanctis viris sanctus Ioannes Baptista de deserto exiens asperitate vitæ suæ, suarumq; virtutum exemplo,suarumq; concionum vocibus adimpleuit,& mundum stupidum reddidit,quemadmodum Saluator testatus est,cùm dixit: *A diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cælorum vim patitur,& violenti rapiunt illud.* Matth.11.

DE DOTIBVS, ET FACVLTATIBVS, QVAS DIVINA *prouidentia omnibus animalibus ad suos filios educandos tradidit.* Cap. XVII.

QVARTVM in ordine nostræ diuisionis initio factæ est,vt tractemus de dotibus, quas Creator cunctis animalibus, vt suos filios educent,atq; tueantur,tradidit:in quo non minùs, imò magis diuina prouidẽtia apparet,quàm in cæteris rebus,de quibus hactenus locuti sumus. Superiores enim proprietates eò maximè tendunt,vt seipsa animalia,hoc est individua,tueātur:sed quod pertinet ad filios educandos,speciei,quę in illis est,conseruationem respicit,quod quidem maius est; cùm bonum vniuersale particulari pręstet: diuina verò prouidentia in rerum maiorum,quàm minorum administratione magis elucet.

Primum autem,& præcipuum,quod in hac re parauit,fuit quidam amor ingens,quo parentes in suos filios affecti sunt. Hoc enim in causa est,vt ieiunent,& elaborent pro illis,omnia pericula adeant, vel lanceas ipsas ingrediantur,vt eos incolumes præstent.Idem amor effecit,vt multę aues, & gallina in primis,quę semper hominem fugit,permittit vt ad se appropinquet, cùm ouis incubat,ne eis deferendis refrigescant.Illud quidem verùm est, in piscibus hunc amorem minimè reperiri; aliam enim habent rationem, tum multiplicandæ,tum conseruandæ speciei suæ,quod est de suo ventre oua parere, in quo quàm aptissimum locum requirunt, vbi id facere possint. Sanctus tamen Ambrosius nonnullos commemorat pisces,qui filios pariunt,ex quibus illud cognitione dignum narrat,quòd quidam piscis,cùm suis filijs aliquod periculum imminere intelligit,os aperit,& intrò illos abdit; periculo autem elapso,incolumes eijcit, vt Cetus, qui Ionam deuorauit. Magis igitur hic amor,de quo verba facimus,apparet in animalibus terrestribus: maximè

autem in auibus, propter rationem, quam superiùs adduximus.

Cùm tamen nulla sit regula, quæ perpetuò vera sit, de struthiocamelo ait
Iob 39. idem Creator cum Iob loquens, quòd hoc amore caret: idq́ his verbis: *Penna struthionis similis est pennis herodij, & accipitris. Quando derelinquit oua sua in terra, tu forsitan in puluere calefacies ea? Obliuiscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustra laborauit nullo timore cogente. Priuauit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Cùm tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum & ascensorem eius.* Hoc exemplum adduxit Creator, vt magis nobis suæ prouidentiæ curam declararet. Cùm enim huius auis amor deficit, & diligentia, ipse illius loco hoc munus subit, & sine matris beneficio vel calore oua excludit, quæ illa deseruit.

Huiusmodi prouidentiam quoque adhibet in filios corui nuper natos, Nam eo tempore cùm nondum illis plumę nigræ ortæ sint, non suos esse, & nothos pater existimat; & ob id illis cibū ferre negat, cùm suos non esse arbitretur, quoad pennis nigris induti non sint. Hoc autem tempore diuina prouidentia patris officio fungitur, & eos nutrit. Quo argumento vsus est regius
Psal. 146. Propheta ad gloriam Dei celebrandam, cùm inquit: *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.*

Nec minorem prouidentiam præ se fert in aquilæ filijs educandis, quam nonnulli aiunt, educationis labore defatigatam, vnum de nido extrudere: ille autem Dominus, qui nulli deest, aliam parauit auem, quæ educandis illius nobilis fœtus munus suscipit, quoad ipse euolare, & necessaria ad victum per se parare possit. Verum & illud est, quòd S. Ambrosius non admittit in aquila reperiri posse; quòd Dominus in scriptura amorem, quo est in spirituales suos filios affectus, cum amore aquilæ in suos comparat. Ob id ait, quòd huius expulsionis alia causa est admiratione digna: inquit enim, quòd efficit, vt filij sui in Solem immotis oculis intueantur, quòd si fortè quem reperit ita infirmo visu, vt radiorum vim nequeat perpeti, de nido extrudit, vt ineptum, & aquilæ regali nobilitate indignum. Quo exemplo Creator parentes nobiles admonet, quanti facere debeant filios, qui perditis moribus suæ familiæ nobilitatem commaculant.

Neque illud obliuioni tradendum est, quod in suorum educatione ad venationem accipiter adhibet; vbi aliquantulum adulti sunt, & iam alis vti possunt, ante illorum oculos auem alis, à quibus ex dimidia parte pili ablati sunt, offert; ipsi autem famæ adducti illam persequuntur: quo sępius facto, cùm primùm pennæ omnes creuerunt, sunt ad venandum accommodati.

Quando autem in aquilę mentionem incidimus, illud de ea dicam, quod minimè nouum est, & omnibus compertum, sed parum animaduersum, atq; consideratum. Noctibus hyemis longioribus & frigidioribus in eo indulgilat, vt aliquam capiat auem, vt per totam noctem eam vnguibus tenens se ipsa calefaciat. Hæc igitur vna prouisio est. Aliam quoque procurat, vt cùm ante lucem surgat, fame adducta, quòd nox fuerit longa, cumq́ue tum ipsa, tum cęteræ aues rapaces habeant in ventriculo maximum calorem, vt fames eas ad venandum impellat, licet pastum vnguibus contineat, non tamen eum comedit, sed incolumem à se dimittit, quòd ab ea aue illud beneficium consecuta sit. Hæc altera prouisio est. Tertia illa est, quòd manè, cùm ad inquirendum

rendum cibum volat, non eò, quò dimissa auis euolauit, ne in illam incidat, sed in oppositam partem tendit. Ex hac nobilitate illud prouerbium ortum est, quo dicitur, Hidalgo, hoc est nobilis, vt accipiter, & vt huiusmodi regiæ leges eum omni vectigalium & portuum solutione liberant, vnà cum tota eius familia, quæ sunt omnes aues cum eo volantes, licet iam mortuæ perueniat. Illud autem nunc peto, quid melius in hanc rem nobilis vir præditus virtute, & gratus faceret? cùm hæc accipiter efficiat, licet non ipse, sed qui eum his facultatibus, & nobilitate creauit, qui nobis veræ nobilitatis conditiones in scripturis tradidisse non contentus, huius quoque auis exemplo eandem nobis tradere voluit: quæ licet fame laboret, cibum vnguibus contineat, eam tamen comedere nolit, sed incolumem dimittat, quòd illud beneficium ab ea acceperit. Ad hunc vsque nobilitatis gradum non peruenit Octauiani Imperatoris nobilitas, qui ex omnibus Romanis Imperatoribus illustrissimus fuit, cùm M. Tullij caput, per quem & dignitatem, & auctoritatem, quam possidebat, consecutus erat, vt inimicum vlcisceretur. Glorientur igitur, qui suum genus in Reges, & Imperatores referunt. Nam quę pulchritudo in ramis arboris esse potest, cùm illius radix corrupta est? quæ limpiditas in riuulis, cùm turbidus fons est? Reliquum igitur est, vt vera nobilitas in Dei timore sit: hic enim vbi est, ibi nullum scelus, nullaq; ignominia esse potest.

Cunicula, cùm tempus pariendi accedit, lectum mollissimè substernit, ne filij teneri lædantur. Quare non solùm quàm mollissimas paleas sternit, verùm suum ventrem depilat, vt filiorum lectum mollissimum reddat. Hac materna charitate, quæ maior reperiri potest? Cùm autem ad pastum egreditur, ita operit sui cuniculi aditum, vt non facilè ad filios suos conspiciendos quis accedere possit. Lupus, licet inexplebilis sit, si lupa moritur, ipse catulos educat, de ventriculo illud hauriendo, quod prius comederat, & id filijs impertitur.

Vt autem ad filiorum educationem reuertamur: Ad id nidorum fabrica spectat, quos ædificant, vt in illis filios educent. Hæc autem est ita ad id accommodata, & filijs conueniens, vt Quintiliano quædam rationis species & imago visa sit: præsertim cùm illum mollissimum lectulum consideraret, quem sternunt, ne filij nuper nati, & teneri, asperitate nidi lædantur. Stupescit verò Aristoteles, & iure optimo, hirundinis nidi ædificationem: quod verò eam habet vim, vt Aristotelem stupidum reddiderit, id in nos nullam vim habebit? idq; aut, quòd cernimus quotidie, aut quòd oculis caremus, quibus Dei opera cernamus, & contemplemur. Quis sibi persuadere posset, nisi id vidisset, fieri posse, vt illa auicula nidum ædificet, tanquam fornicem parieti hærentem sine columnis, quæ illum in aere sustentent, & paleas cum creta misceat, vt simul opus conglutinet, atque construat, vt cæmentarij faciunt, cùm parietes incrustant, vt deinde dealbare possint? quòd præterea nonnullas plumas perquirant, aut huiusmodi quid molle, ne filiorum tenera corpora lædantur? Illud autem ab hominibus ratione præditis libenter sciscitarer, quid huic auiculę faciendum esset, si quãdo illi contingeret ibi nidum ædificare, vbi neque creta, neque limus reperiretur? Illud quidem me inuenire non posse meo iudicio fateor. Hæc tamen auicula cognouit,

Digitized by Google

alio maiori intellectu, quàm hominis recta: à Creatore enim regitur, qui dedit illi industriam, qua cretam efficeret, vbi non est. Propter hanc causam alas in aqua intingit primùm, deinde eas in puluere euoluit, & ita cretam efficit, & eadem actione sæpius repetita suã ædificationem perficit. Hæc autem sapienter intra nostros parietes suos construit muros, vt (quemadmodum sanctus Ambrosius inquit) hoc loco suos filios ab inimicis auibus tutos præstet, & incolumes. Neque hanc commoditatem à nobis gratis suscipit, sed nobis sui cãtus melodia, quasi horario, quę nos diluculò à somno excitat, nobis gratiam referre conatur: sed tam in hac, quàm in cæteris rebus, de quibus hîc agitur, illud sancti Pauli sæpius repetendum est: *Nunquid est Deo cura de bobus, & de hirundinibus?* Illud manifestum est eò fieri, vt se hominibus ostendat, vt eum adorent, ac venerentur. Quicunque enim eam haberet oculorum aciem, vt tam omnium animalium fabricam, quàm eorum proprietates, vt se tueãtur, apertè cognosceret; hæc omnia Dei sapientiam prędicare, & quot sunt creaturæ, tot etiam esse huius rei testimonia, apertè conspiceret.

1.Cor. 9.

Illud autem, quod de aue, quæ Halcyon dicitur, sancti Basilius & Ambrosius narrant, nõnne admirabile est? in qua apertiùs nobis suæ prouidentiæ perfectionem ostendere voluit, & quomodo nulla in re deest. Illi enim eam dedit propensionem, vt in litore apud mare, idq; hyeme, suum nidum collocaret. Quod autem remedium illi dedit, ne cùm mare est iratum illum vndæ demergant, & perdant? Quis fortasse diceret in eo defuisse Creatorem, cùm illud tribuerit huic aui, vt ibi sua pareret oua, vbi ea tutari non posset. Ne igitur id diceretur, quod remediũ? Illud profectò Deus excogitauit remedium, qui solus potuit auibus dare, quia; vt maris Dominus illi mandatum dedit, ne per quatuordecim dies (septem scilicet, quibus hæc auis suis incubat ouis, & septem dum filios educat, quoad euolare possint) commoueretur, neque suos fluctus extolleret, ne quis vlli rei diuinam prouidentiam deesse, verè dicere quis posset. Quàm admirabilis es Domine in omnibus operibus tuis? quàm es in illis omnibus dignus cognitione, adoratione, & reuerentia? Quàm cupis à nobis cognosci, cùm tuæ amplitudinis, & admirabilium rerum, tam multa nobis prębeas argumenta? Quis à te omnibus suis necessitatibus remedia non sperabit, cùm pro auiculis furioso & truci Oceano imperas, vt his omnibus diebus conquiescat, quos nautæ bene animaduerterunt: & hos dies Halcyones nominãrunt, & pro certo habent fore mare tranquillum quoad hæc suos filios educat.

Neque illud prætereundum est, omnes aues quandam matrimonij speciem præ se ferre, & educationis munus inter se dispertitum. altera enim oua fouet, altera escam quærit: hæc autem cùm reuertitur, idem munus suscipit, & alter item ad victum conquirendum vadit. Hoc in columbis quotidie, quos in nostris domibus educamus, cernitur, qui (vt ait Plinius) tam fœcundi sunt, vt quotannis decies pariant: eorum autem pulli (vt idem testatur) quinto mense ad generandum sunt idonei: tunc; sæpè accidere, vt in nido adhuc filijs existentibus oua quoque adsint ad futuram generationem. Semper quoque duo pariunt oua: ex altero quorum masculus, ex altero femella nascitur. sed masculus prior oritur. In hac mirabili fœcunditate facilè cernitur, voluisse Deum homini cibum parare. Propter hanc causam his auibus, perdicibus,

bus,& cuniculis tantam dedit fœcunditatem,& filiorum multiplicationem, vt tum hac ratione,tum alijs hominibus cibum pararet,& ita alij venatione suam vitam sustinerent,alij venationem nobis suppeditarent.

Vaccæ,cùm alicuius feræ periculum imminere sentiunt, omnes in orbem se recipiunt,in cuius medio vitulos claudunt,partes autem sui corporis posteriores ad filios conuertunt,& cornua(quæ sibi arma data sunt à Creatore) in exteriorem partem,& ita tanquam in acie sedisponunt,vt illos defendant: idem faciunt equæ in huiusmodi periculo,vt suos mannos conseruẽt.Sed hæc contra se accommodant, nates scilicet in exteriori parte circuli, & caput in interiori,quòd sua arma in pedibus habent.Cuncta enim animalia (vt diximus)sua cognoscunt arma,& in periculis illis vtuntur.

Iam ad animalium fœtus pergamus. Ante partum animalium fœtus per vmbilicum nutrimentum suscipiunt,quemadmodum & homines, neque illis deest instrumentum, quo illud paruum intestinum secent, cùm in lucem eduntur.Ad hoc enim munus dentibus vtuntur,vt à se illud deijciant: lingua deinde lambunt,& excrementa abstergunt, quæ secum de materno vtero ferunt.Quod potissimùm vrsa facit,quæ filios satis informes parit: lingua tamen deinde sæpius lambẽdo ita eos effingit,atque efformat,vt se habere conspiciuntur.

Neque in auibus deceptiones,adulteria, & furta, vt neque in hominibus desunt.De coccyce enim scribitur,quòd aliarum auium paulatim oua comedit,& ibi sua collocat,ex quo sua astutia duplex beneficium consequitur: alterum est, se alienis ouis nutrire; alterum est,fouendi sua oua, & filios nutriendi labore se leuare.Ex quo pariter duo damna illi,cui furata est,consequũtur: alterum,illius filios occidere, & munus educandi aliena illi imponere. Hęc est latronum, & tyrannorum conditio:hoc est suam semper vtilitatem cum aliorum detrimento procurare. Perdix quoque in suis educandis filijs aliam iniuriam patitur,non multum à superiori differentem, & quàm simillimam iniuriæ illius meretricis,quę cum altera eius conditionis fœmina coram Salomone litigabat,quarum altera alteri filium subripuit, suum esse cõtendens.Adest enim perdix,quæ aliæ perdici oua subripit, & illis incubat vt suis,filios excludit,& vt suos educat. Sed illud maximè mirandum hoc loco accidit,quod nisi cap.17.Hieremiæ legeretur,incredibile nobis omnino videretur: licet multi scriptores de hac re scriptum reliquerint,vt in hanc sententiam S.Hieronymus scribit: qui dicit perdicem perdici oua subtrahere, excludere, & educare: sed quando verę matris, quæ scilicet oua genuit, vocem audiunt,adulterinam deserunt,& veram prosequuntur.Quis hæc sibi persuadere posset, nisi idem auctor huius rei tam admirandę in sua scriptura idem testaretur? Qui hac in re Christi redemptionis mysterium & fructum nobis ob oculos ponit: cuius meritis homines, qui vsque ad illius aduentum alienos Deos colebant,cùm veri patris vocem per Euangelij prædicationem audierunt,falsis deis,quibus seruiebant,relictis,se totos ad veri Dei, & sui Creatoris cultum contulerunt.

3. Reg. 3.

In Pelicano etiam idem mysterium & beneficium nobis repræsentauit. De eo enim dicitur, quòd fouet filios mortuos in ouis,quodq; sibi pectus rostro fodit, vnde emittit sanguinem, cuius irrigatione eos resuscitat: ex quo

pro insignibus Lusitaniæ Rex inclytus Ioannes secundus sibi sumpsit: quo exemplo, quid inter Regem, & Tyrannum intersit, nobis significauit: Hic enim suorum sanguine se nutrit, ille verò & vitam & sanguinem suis subditis præbet. Hanc autem Ælianus refert humi nidificare, & propter hanc caussam venatores in illam auem hanc adhibent industriam: illius nidum paleis circundant, & in illis ignē accendunt, quo à patre cognito, celeriter eò accurrit, vt filijs suppetias ferat, existimans fieri posse, vt alarum motu flammam extinguat: quod non modò non facit, sed illum magis accendit, & sibi alas, vt suos filios tueatur, comburit, & in venatoris manus incidit, & ita pro filijs suam vitam in discrimen vocat. Quod non minùs, quàm perdicis exemplum, immensam filij Dei charitatem nobis ante oculos ponit: qui se ad mortem obtulit, vt, quos filios ipse creauerat, eorum vitam redimeret. Huius autem beneficij dulci recordatione huic capiti finem imponemus. Si quis præterea de hac re scire vellet, Aristotelem legat in illis libris, quos de Natura animalium conscripsit, & Plinium in 8. lib. 9. 10. & 11. Ælianum in sexdecim libris, quos de hac re scripsit. Sed quidquid attigimus hoc loco, eò fecimus, vt Christianum hominem doceremus, quomodo in his philosophandum sit, & quomodo per hęc spiritum ad illorum Creatoris cognitionem, & amorem erigere possit: qui si tam admirabilis est in suis creaturis, in seipso quid esse debet? Et si noster intellectus in suis creaturis contemplandis tanta perfunditur voluptate, quantam percipiet in eo ipso contemplando, & eius infinita sapientia, qui hæc omnia creauit: qui tam multa scit, & potest, vt in tanta creaturarum infinitate, quę ratione carēt, eas tribuerit proprietates, vt omnes suas actiones non aliter faciant, ac si ratione præditæ essent?

QVOD DEI SAPIENTIA ET PROVIDENTIA *magis in paruis, quàm in maximis rebus elucet.*

Cap. XVIII.

TAM multa sunt ea, in quibus immensa Dei maiestas se hominibus manifestare vult, tam multisq; in rebus eius sapientia & prouidentia elucet, vt non solùm in maioribus, verùm etiam in minoribus animalibus maximè appareat. Quod S. Hieronymus in Nepotiani Epitaphio his verbis dixit: Non solùm Creatorem admiramur in fabrica cæli, terræ, Solis, maris Oceani, elephantorum, camelorum, equorum, pantherarum, vrsorum, leonum; sed etiam paruorum animalium, vt est formica, culex, musca, & parui vermes; in his omnibus paruis animalibus, quorum corpora potiùs, quàm nomina cognoscimus, non minùs, quàm in maioribus, Dei, qui ea fecit, sapientiam & prouidentiam veneramur. Sed S. Augustino Creatoris artificium in his paruis rebus videtur admirabilius, quàm in maioribus. Qui sic inquit: Muscæ volātis velocitatem stupesco magis, quàm bestiæ gradientis magnitudinem; & magis formicarum opera, quàm camelorum. Aristoteles autem in primo libro de Partibus animalium inquit, quòd nullum est animal tam vile, tamq; abiectum, in quo non sit aliquid diuinum, & admirandum. Huius rei exemplum singulare adducit Plinius, cùm magis culicis, quàm elephanti fabricam admiraretur. In magnis siquidem corporibus, (inquit) aut certè maioribus,

Plin. lib. 11. cap. 2.

facilis

facilis officina sequaci materia fuit. In his tam paruis, atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio! Vbi tot sensus collocauit in culice? Sed vbi visum in eo prætendit? vbi gustatum applicauit? vbi odoratum inseruit? vbi verò truculentam illam & portione maximam vocem ingenerauit? qua subtilitate pennas annexuit? prælongauit pedum crura? disposuit ieiunam caueam, vti aluum, auidam sanguinis, & potissimùm humani sitim accendit? telum verò perfodiendo tergori, quo spiculauit ingenio? Atque vt in capaci, cùm cerni non possit exilitas, ita reciproca geminauit arte, vt fodiendo acuminatum pariter sorbendoq; fistulosum esset. Sed turrigeros elephantorum miramur humeros, taurorumq; colla, & truces in sublime iactus, tigrium rapinas, leonum iubas, cùm rerũ natura nusquam magis, quàm in minimis tota sit. Hactenus Plinius. Quis iure optimo, tam multos culicis sensus admiratur.

Sed in eo oculos adesse admirabilius est. Anatomici enim stupescunt Dei artificium, quo hunc præstantissimum sensum in hominibus formauit, per quem tam multa nobis addiscere contingit. Quis igitur non admirabitur eundem formatum esse à Creatore in tantulo culicis, & formicæ corpore? Odoratus quoque sensum maximè vigentem habet, quod nostro periculo quotidie experimur. Nam si dormit homo in aliquo magnæ aulę angulo faciè linteo tecta, ne ab eo lædatur, ab opposito aulæ angulo euolat phantasma paulatim, & rectà in eam partem tendit, sua melodia atque fistula, quæ detecta est: quod à visu non proficiscitur, cùm aula sit obscura, sed odoratu, qui in illo maximè viget.

Aliam quoque huius animalis proprietatem, quam ego expertus sum, adiungam: Vnus ex his apud vnguem pollicis meę manui insedit, & ita se disposuit, vt solet cùm carnem ferire vult. Sed cùm illa cutis pars sit durior, suo spiculo penetrare non potuit. Ego ex professo illud intuebar, & finem expectabam. Quid igitur fecit? Spiculum suum duabus manibus comprehendit, & maxima celeritate illud exacuere incepit, & modò hac, modò illa manu attenuare, vt faciunt illi, qui cultrum cultro exacuunt. Quo facto, iterum tentauit posséne ea diligentia id perficere, quod antè minimè potuit. De rhinocerote inquiunt, quòd vbi cum elephante pugnaturus est, suum exacuit in petra cornu: quod idem hoc paruum facit animal, vt nos feriat, illud suum rostrum paruis suis manibus acuendo, id omne nobis, quàm mirabilis sit Creator, non solùm in maioribus rebus, sed multò magis in minoribus, profectò declarat.

Ad id spectat, quod Hugo de S. Victore his verbis inquit: Multis rationibus res admirabiles esse possunt: nonnunquam quòd magnæ, nonnunquam quòd paruæ sint. Propter magnas admiramur, quòd sui generis creaturas magnitudine superent: hac ratione inter homines gigantes admiramur, inter pisces immania cete, inter aues gryphum, & inter animalia terrestria elephantem, & inter serpentes draconem. Propter paruas verò eas admiramur, quę inter omnia animalia minima corpora sortita sunt: vt tinea est, quæ vestimenta rodit, culex, vermiculi, & alia huiusmodi paruitate corporis animalia. Animaduerte igitur, vtrùm magis mirari debeas apri dentes, an tineæ; gryphi alas, an culicis; equi caput, an locustæ; elephãtis crura, an culicis;

M 2 leonem,

leonem, an pulicem; tigridem, an testudinem. In illis miraris magnitudinem, in his paruitatem. His Creator oculos donauit, quos vix oculi nostri discernere possunt, & omnia alia membra, quę ad sui conseruationem necessaria erunt, tamq; perfecta, vt nihil in maioribus animalibus reperiatur, quod in illis quoque inesse non cernamus. Hæc Hugo. Iacto igitur hoc fundamēto, incipiemus ab animali ex omnibus minori, quæ formica est, in qua, licet tam parua sit, multa tamen maxima cernemus.

De Formica.

POST illam vniuersalem iacturā, quæ à communi peccato profecta est, vt nudi relicti simus; præcipuum remedium, quod nobis reliquum fuit, diuinæ misericordiæ spes fuit, quemadmodum nobis
Psal. 4. Propheta significauit, cùm inquit: *In pace in idipsum dormiam & requiescam; Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Vt hanc virtutem in nobis augeamus, multas opportunitates habemus, (de quibus aliàs) ex his autem si dixero, neque mentiri arbitrabor, non parum hanc virtutem augeri proprietatum consideratione, quas Creator animali tam vili, abiecto, & penè nullo, vt formica est, dederit. Quę quò minor est, hoc magis illius potentiam declarat, qui eas in tam paruo animali inseruerit. Nam si illud verum est, quòd cætera animalia ad id solum mouentur, quod adest, quodq; præsens est, & paululùm admodū sentiunt præteritum, aut futurum, vt Tullius testatur; hoc tamen paruum animal, opera saltem in posterum longè prospicit, vt æstate alimentum hyemale sibi recondat. Quod vtinam hominum prouidentia imitaretur, vt in terris bonorum operum prouisione facienda illis in cælis
Eccles 9. fruerentur. Vt Salomon hortatur, cùm nobis præcipit, vt celeritate & frequētia operemur bona, cùm in futura vita non sint ea, quæ necessaria sunt, vt id perficere possimus: cùm autem id homines non operentur, quod formicæ fa-
Prou. 10. cere solent, illam diuini Salomonis prophetiam experiuntur, quæ inquit: *Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis*: cùm enim reddere rationem oportuerit, se deceptum esse cognoscet, & pœnitebit. Sic
Matt. 25. quinq; virgines Euangelij fatuæ se deceptas esse cognouerunt, cùm suis lampadibus tempore opportuno oleum non parauerint.

Vt autem redeamus ad rem, prima formicæ proprietas hæc est. Alia est, quòd sine vel ferreis instrumentis, vel cæmentarijs, suo osculo sibi horreum, vel scrobem fodiunt, vbi tum habitent, tum suum cibum sibi congregent: neque rectum hoc fabricant horreum, sed fornicibus huc atque illuc vergentibus, vt de Labyrintho Dędali scribitur; vt si fortè aliquod animal per ostium ingrederetur, non facilè eas inueniret, neque earum thesauro spoliare posset: & quibus osculis sua cubilia foderunt, eisdem extrahunt terram, & tanquam aggeres, & vallum ante ostium suæ domus conficiunt. Cùm verò ad segetum struem surripiendi causa accedunt, maiores altiùs ascendunt, & spicas detruncant, & ad minores demittunt, quę sine pala, aut alio ad triturandū instrumento, suis osculis grana ita ex aristis extrahunt, tanquàm è vaginis, in quibus triticum reconditum sit, & ita emundatum ad sua perducunt horrea.
Plin. lib. 11. ca. 30. Gerunt ea morsu, & auersæ postremis pedibus moliuntur humeris obnixæ, vt sarcinam faciliùs ferant. Quamobrem (vt ait Plinius) si quis comparet onera

corpo-

corporibus earum, fateatur nullis portione vires esse maiores. Vix enim fieri potest, vt homo reperiatur, qui per totum diem alium hominem humeris ferat: ipsæ autem tritici granum ferunt, quod quatuor formicis pondere respondet, & in hac actione non solùm totum diem, verùm etiam noctem perseuerant. Sunt enim ita laboriosæ, vt in plenilunijs diem cum nocte coniungant.

Quod autem remedium inuenerunt, ne semina è terra in fruges exeant, præsertim cùm pluit? Quod ostium, aut lumen huic loco particeps rationis homo daret, vbi intelligeret eodem loco fore, vt frumentum conditum seruaret? Ex me quidem id excogitare minimè posse fateor; formica tamen id à meliori præceptore edocta cognouit. Illam enim grani cuspidem vnde germen egreditur, arrodit, & ita sterile atque infructiferum reddit. Hoc autem effecto, quod remedium adhibet, ne humiditate, quæ corruptionis mater est, illud sub terra madefactum corrumpatur? Neque hoc remedium formicā fugit: suum enim depositum, cùm sudum est, ad Solem exponunt, & siccum iterum in horrea referunt. hac autem diligentia sæpe repetita, illud per totum annū conseruant. Alia quoque admirabilis industria de illis scribitur; quoniam non solùm ex frumento, verùm etiam ex multis alijs rebus viuūt. Hæ autem cùm tam magnæ sunt, vt eas minimè ferre possint, eas frangunt, vt faciliùs perferant.

Aliud quoque de illis admirabile narratur; cùm ex diuersis locis suam colligunt escam nōnullis diebus, qui illis notissimi sunt, altera alterius ignara, in vnum locum tanquam in nundinas se recipiunt ad mutuam recognitionem, vt quælibet sciat se vnius Reipub. eiusdemq́ familiæ esse membra, & ita ex diuersis partibus fit magna earum concursatio in hunc cœtū, & ita fit earum recognitio, & cum suis sororibus, & socijs collocutio, atque percūctatio. Rebus preterea dulcibus valde delectantur, & odoratus sensu tam acri præditæ sunt, vt vbicunque sint, licet tantum altæ essent, quantū lancea longa est, odorantur, & inquirunt. In quo aliam quoque admirabilem proprietatem habent, vt per parietem licet calce incrustatum, & leuigatum, tāquam per æquam terram deambulent.

Hic quoque illud narraturus sum, quod ego maxima cum admiratione expertus sum. In mea cellula quoddam habebam viride vasculum cum sacchari rosacei aliquātulo, quod ego ab illis timens, quibus maxima molestia afficiebar, charta duplici contexi, & circū bene ligaui, ne quà ingredi possent: ipsæ tamen in hac re satis peritæ aditum repererunt. Ad dulcis enim odorem congregatæ nonnullis post diebus, quòd illorum odoratus est tam acer, vt licet res dulcis sit satis tecta, odorem tamen percipiunt; quare ad eum odorem vbi conuenerūt, & omnibus vijs cōquisitis, per quas ingredi possent, & nulla inuenta, quid egerunt? Decreuerūt totis conatibus rem ipsam aggredi, & muros deijcere, & ita ingredi; & propter hanc causam aliæ ab vna, aliæ ex altera parte suis osculis duo fecerunt ostia in duplici charta, qua ego parietem tutum existimaueram. Cùm ego ad rosarum cōseruam me contuli, existimās in loco tuto esse, aperta inueni foramina: charta autem remota, in vase totum formicarum agmen inesse conspexi, vt illud saccharum in nullam deinde partem, nisi in formicarum cibum valuerit. Quamobrem illud verè di-

ei poteft, fua calliditate meam longè fuperaffe prouidentiam.

Sua cubilia præterea formicæ valde munda præftant, quod & apes facere folent, vt poftea dicturi fumus. Quare aliud quoque non minùs admirabile, quàm fuperius, recitaturus fum, quòd fcilicet ex omnibus animalibus ipfæ folæ inter fe fepeliuntur. Propter hanc caufam, vt Ælianus fcribit, in fuis cuniculis tria excauant loca diftincta: primum, in quo ipfæ morantur; fecundum, penoris vfum præftat, in quo victum conditum feruant; tertium, pro cœmeterio adhibent, in quo fepeliuntur. Quis hoc crederet, nifi vifui pateret? Vt (quemadmodum Plinius fcribit) viuentium omnium folæ formicæ inter fe fepeliantur. Aliud ad id addam fatis accommodatum, & penè ei confequens, quod Aelianus narrat, cui fidem præftare neminem cogo: ego tamen id credo, tum quòd fuperiori confequitur, tum quòd Deus ille eft, qui eas gubernat, quiq; in his paruis corpufculis nobis magis declarare vult fuæ prouidentiæ admirabilia. Hic igitur auctor narrat, quòd Cleanthes Philofophus, cùm in campis effet olim fedens, nonnullas confpexit formicas circum fe deambulantes: is autem vt Philofophus, & fecretorum naturæ ftudiofus, diligenter ad illas, & oculos, & animum conuertit. Animaduertitque nonnullas formicas aliam formicam mortuam trahere, vbi autem ad fui cubilis oftiolum peruenerunt, quod ibi erat, commoratæ funt aliquantulùm, quoad alia formica è cuniculo exiuit; quæ illas vidit, deinde in cuniculum regreffa eft; idq; fæpe fecit; tandem aliæ quoq; egreffæ funt, ex quibus vna fruftum vermiculi in ore portabat, & illis porrexit, quæ formicam mortuam comportàrunt, tunc illæ vecturæ præmium vbi acceperunt reuerfæ funt: aliæ autem vbi mortuam formicam fuam fororem effe cognouerunt, & vnam ex fua familia, eam fufceperunt, fecumq; tulerunt, vt domi fuæ de more eam fepelirent, & ita viuis & mortuis, quam debent, fidem præftant. Hoc formicarum officium tam vehementer hic Philofophus admiratus eft, vt dubitauerit, verùm haberent rationem & intellectum animalia, quæ huiufmodi in actionibus verfarentur, necne: intellectus quidem & rationis participantia funt, non fui, fed eius fupremæ prouidentiæ, quæ nullis in rebus deeft, & nullis fallitur, & in omnibus, vt in feipfa, admirabilis eft.

Nihil eft in tantulo animali, quod eius fapientiã, qui tam mirabiles proprietates tam paruo corpori tribuit, vbiq; non prædicet. Ex tam multis autẽ admirabilibus illorum oculorũ fabrica nefcio an fit maior. Anatomici enim viri illud contendunt, nihil in tota humani corporis fabrica effe potius, nihil aptius, nihil admirabilius, quàm oculorum compofitio, qui fenfus nobiliffimus, & ab hominibus plurimi omnium æftimatus eft. Quòd fi tam admiranda funt in hominum oculis, quænam fuit illa potentia, & fapiẽtia, quæ in tantulo capite, vt formicæ eft, duos oculos formare tãto artificio potuit? Hoc quidem longè cunctis admirabilibus præftat. Hoc exemplo Magnus Antonius Didymum cœcũ confolabatur, poftquam illum de Dei admirabilibus rebus pertractantem magno ingenio audiuit. Interrogatus enim, num magna afficeretur moleftia, quòd effet oculis captus; Senex ille, fibi moleftum effe, faffus eft: Sanctus ei dixit: Cur tibi moleftum eft, oculis, quos formicæ habẽt, carere, cùm tibi non defint illi, quos Angeli habent?

Iam finem huius capitis cum initio coniungamus: Quanta inuitamenta, quan-

quantasq́ occasiones habet hic Christianus homo petendi à Deo in suis calamitatibus auxilium, & suis necessitatibus remedium. Quanta spe dicere potest: Domine, cùm tam admirabiles formicæ proprietates ad suæ vitæ custodiam dederis, quæ penè nulla est; qui fieri potest, vt hominis, quem ad imaginem & similitudinem tuam creasti, tuæ gloriæ capacem fecisti, tui filij sanguine redemisti, obliuiscaris: nisi ipse tanto fauore indignum se præbuerit, quòd in perpetuo peccatorum cœno peruolutetur? Si tantæ curæ tibi res minores sunt, quantæ maiores esse debent? Quid interest formicam viuere, aut mori? Quò magis refert illam viuere creaturam, cui tuo sanguine vitam dedisti? Peccata de medio tollat homo, (hæc enim sunt, vt inquit Isaias, quę diuisionis murum inter Deum & hominem statuunt) tum certò sciet, quod eò maiori curæ ille Deo, quàm formica, quò est homo, quàm formica, creatura nobilior. Non enim est Deus, vt dicitur, cineris incubator, aut farinam absumens. Præsertim si animaduerterit, quòd quidquid facit Deus, & operatur in formica, non pro ea operatur, sed vt hominibus suam sapientiã & prouidentiam ostendat; vt hoc exemplo suam spem adaugeat, vt exemplum auicularum, quæ nec seminant, nec metunt, nos in Euangelio cohortatur, vt eandem spem in Deo solùm habeamus. Isa.59. Matt. 6.

Quanquam autem omnibus in his rebus diuina prouidentia admirabilis sit; multò tamen est admirabilior in eo, quòd nihil est tam paruum, tam vile, tamq́ abiectum, in quo huius prouidentiæ vis non eluceat. Quid pediculo est vilius? Huic dati fuerunt tum anteriores, tum posteriores pedes, suum & osculum, quo de nostris corporibus sanguinem sugit, & se ipse nutrit, & vestium suturas conquirit, vt in illis abditum & inuolutum se contineat: quodqúe maiori admiratione dignum est, quemadmodum & aues, sua pariunt oua, quæ lendes sunt, quæ nostrorum corporum calore animam sibi contrahunt, vt auium oua matrum calore naturali animantur, & nonnunquam artificiali calore. Quis non stupescet illam supremam maiestatem, quæ cùm huius mundi administrationis munus sustineat, non tamen obliuiscitur ea, quæ huic rei tam vili, atque abiectæ ad vsus vitæ necessarios conducunt?

De alijs animalibus formica minoribus.

CVM autem nobis hîc propositum sit de paruis animalibus tractare, neque ea, quæ formica minora sunt, nobis prætermittenda censuimus; in quibus maximum mysterium contemplatione dignum esse arbitrati sumus. In nonnullarum enim herbarum folijs vermiculi virides, & albi cernuntur, ex quibus nonnulli tam parua corpora sortiti sunt, vt vix sub oculorum sensum cadant, qui mutatione potiùs de loco ad locum, quàm suorum corporum quantitate percipiuntur, quodq́ eiusdem speciei reperiuntur alij, qui maiores sunt: ex horum autem maiorum membris minorum membra agnoscimus. Primùm enim sex habẽt pedes, ex vtraq́ parte tres: os habẽt, per quod se nutriũt: omne enim viuens, quàm diu viuit, comedit, & augetur; alia enim ratiõe minimè crescere posset: vt plurimũ etiã, vt cernat, & victũ sibi inquirat, oculos habeat necesse est. Talpæ tamen, quoniam semper os in terra habent, ❧ pus minimè sunt. Verùm verò plures habeat partes, & instrumẽta, his, ignoro. Hæc autem satis sunt, vt homo stupescat, eius

Condi-

Conditoris potentiam ponderās, qui tum hos sensus, & membra, & alia, quæ ignoramus, in tantulo corpore collocare non ignorauit. Nam si hoc animal oculorum sensu vix percipitur, quàm admirabile fuit in nulla penè quantitate tantam membrorum varietatem, & sensuum, & præsertim oculorum effingere? Hoc quidem videbitur multis non minùs nobis Creatoris omnipotentiam, & sapientiam manifestare, quàm cælorum fabrica. Nam quemadmodum quò hi maiores sunt, eò magis omnipotentiam declarant illius, qui eos creauit: sic & hi, quò minores sunt, hoc eius Conditoris sapientiam magis declarant. Illic magnitudinem, hic paruitatem; illic pulchritudinem, hic subtilitatem; illic lucis splendorem, hic summæ excellentiæ fabricam admiramur: itaque qui Dominus in omnibus suis operibus admirabilis, in hac quoque est, licet rationibus contrarijs.

Iam igitur ad mysteriū pergamus. Illud peto, ad quid Creator rem tam subtilem, tamq; artificiosam, vt hæc est, creauit? minimè enim fieri potest, vt id frustra fecerit. Hæc omnia inferiora existimauit Aristoteles seruituti hominum esse delegata: itaq; illud nobis cōpertum, alia alijs rationibus homini seruire: alia enim illum nutriunt, alia vestiunt, alia calceant, alia medentur, alia recreant, alia sui exemplo docent, alia etiam cùm id meriti sunt pœnis afficiunt. In nullam autem harum partium hæc animalia valere cernimus. Quemadmodum enim illius artificij subtilitas Dei opera esse nobis declarat; sic illorum paruitas, quòd ad nihil horum eos fecerit. Ad quid igitur Creator rem tam artificiosè constructam creare voluit? Minimè negari potest ad id rem conditam, quod nobis oculis patet, vt scilicet artificis infinitam sapientiam & potentiam declararet, qui in nullo penè corpore, tam mirabilem fabricam construere non ignorauit.

Hic autem aliud maiori consideratione dignum nobis se offert; quòd res omnes inferiores (præter illud, quòd nobis gloriam Dei narrant, & eiusdem maiestatem explicant) ad vitæ quoque vsum, & vtilitatem conducūt: animalia verò superiora (vt diximus) ad nihil horum valent, nisi vt hæc eadem nobis annuntient. Quamobrem illud verè affirmare possumus, inter hos duos creaturarum ordines, quæ tam præcipuæ sunt, illud interesse, quod inter literas ab aliquo nuntio consueto nobis allatas, & quas nobis agaso defert, qui ob id in ciuitatem se confert, vt in forum vel panem, vel aliud conuehat, qui in transitu eas nobis reddit. priores enim multò pluris, quàm hæ posteriores fiunt. Sic igitur nobis dicendum est, quòd creaturæ, quæ hominum generi seruiūt, literas quoque nobis reddunt, & de Creatoris prouidētia, & sapiētia nos certiores faciūt; sed vnà in forum panem vehunt, quod est, victum & pastum hominibus parare. Hi verò posteriores, scilicet vermiculi, sunt tabellarij, qui dedita opera ad nos festinant, qui nullū alium vsum nobis præbent, nisi vt nos de immensa potentia, & sapientia illius, quæ hæc perficere potuit, certiores reddant. Ad id autem & ad eundem finem de innumeris alijs vermiculis dicamus, in quorum corpusculis hoc idem artificium, & eadem subtilitas maximè lucet, qui propter corporis paruitatem nullum nobis vsum ad vitam præstant, sed ad id solum, quod diximus. Ad id quoque formicæ conducūt, cum suis mirabilibus proprietatibus superiùs à nobis adductis; cùm nullum alium vsum hominibus præbeāt. Et quò sunt illarū proprieta-

prietates maiores, & ipsæ inutiliores, hoc magis nobis ad id creatas esse testatur. Quid dicam de paruo pediculo, qui vix ad Solis radios cernitur? quis tantum potuit, vt in nullo penè corpore virtutem mouendi, viasq́; sibi aperiendæ inter carnem & cuticulam collocaret? osculum vt roderet, & viueret? Quàm magnus est Dominus, & admirabilis in omnibus operibus suis, & multò magis in minoribus, & abiectis, quàm in maioribus?

Quorsum igitur tam multa? quid hinc colligimus? Illud profectò, quod nobis maximum fructū afferre potest: nempe quòd si supremus ille Conditor innumera penè creauit corpuscula animata ad id solum, vt nobis immensam suam ostenderet omnipotentiam, & prouidentiam, cùm in nullas alias partes valeant; illud sequitur, velle Deum ab hominibus ita cognosci, vt in his apparet. Quòd si ita vult cognosci; ita quoque existimari, adorari, & coli cupit, in quo religionis summa est. Hoc eò valet, vt nonnullorū Philosophorum, qui diuinam prouidentiam negant, & ob id religionem, & Dei cultum, sententias penitus de medio tollamus. Quorsum ita mihi semper inuigilandum est, vt nullum vnquam spiritum quietum ducam, seruiendi Deo causa, si non pluris me facturus est, quàm si Deus lapideus, aut ligneus esset? Cùm autem contra illos Dei has virtutes allegamus, & perfectiones, quæ in cæteris creaturis apparent, & hominum generi ad vitam maximè conducunt; nobis respondent, eas iam suum finem adeptas esse, cùm hominibus res necessarias parant, ad quod solùm creatæ fuerūt. Hac autem prouisione disposita, tum vt homo, tum cætera animalia viuerent, nihil esse amplius, quòd vel de homine, vel de rebus suis solicitus sit. Isti verò quid respōdebunt illis, qui admirabilem hanc corpusculorum animatorum, quæ penè innumera sunt, fabricam ante oculos ponent, quæ quò minora, eò admirabiliora sunt, & eò magis sui Conditoris gloriam enarrant? Quid si nobis dixerint ad quid creata fuerint, cùm nullum vsum hominum generi præstent? Hîc vel obmutescent isti Philosophi stulti, qui diuinam prouidentiam negârunt, aut omnium creatarum rerum tam admirabilia Deum frustra, & sine proposito, & fine fine creasse fateantur, necesse est. Quod tum dementia, tum maxima blasphemia est.

Hinc videtur quidem nos non minùs esse Deo obligatos, quòd tam parua creauerit animalia, quàm quòd magna: cùm hæc ad nostrorum corporū vsum sint creata, illa verò ad animorum doctrinam: & si vtraque Creatoris gloriam & prouidentiam prædicant, id tamen apertiùs parua faciunt, cùm ad nihil aliud creata fuerint. Itaque ad aliam argumentationem Philosophi habuerunt, quod responderent, licèt malè: ad hanc verò nihil habent, quod dicant, nisi blasphemando, & affirmando, Deum tam admirabilia frustra condidisse.

De Araneis.

AD eundem vsum, eundemq́; finem, quem diximus, aranei quoq; conducūt, neque illorum dotes sunt paruæ, & proprietates, quas eis tribuit Conditor ad vsus vitæ necessarios. Earum cibus est muscarum sanguis, quas vt capiant, telam tenuiorem texūt, quàm quæ in toto Cambaiæ regno tenuissimæ sunt: eam nulla alia ex materia, quàm ea, quam

sibi de ventre suo extrahunt; qui licet paruus sit, suppeditat tamen filum ad eas telas perficiendas, quas magnas sæpe videmus. Hac autem tela sæpe foramen circundat, in quo ipsa moratur, vel potiùs vt explorator vel latro in insidijs collocatur, vt, cùm occasio cõmoda sese offerat, aggrediatur & furetur. Cùm autem harum artium ignorans musca in illam telam incidit, & paruos suos pediculos inuoluit; tunc ille latro celeriter accurrit, & iterum implicat vndique, vt eam tutiorem habeat. Quo facto illam aggreditur, & ex illa sanguinem, quo nutritur, penitùs exsugit.

Alij sunt, qui suas telas in aere texunt, vt eius latitudo inter duas arbores sit, longitudo fili à ramis ad truncum, super quæ contexunt telas circinato orbe subtegmina adnectentes, maculasq́ paribus semper interuallis, vt piscatoris sunt retia, vel venatoris pedicæ; in cuius medio in insidijs aranei collocati venandi occasionem expectant, quæ cùm in rete incidit, ad eam per illa tenuissima fila, tanquam per crassos funes accurrunt, & ita feram capiunt. Quamobrem est, quòd hoc loco consideremus ac contemplemur situm & locum, in quo insidunt, qui interior locus est, vel illius circunferentiæ centrũ: in quod omnes illæ lineę ab illis ductæ concurrunt, & coniunguntur. Ex quo fit, vt nulla pars illius telæ à muscis contingi possit, quin ipse araneus sentiat, quinqúe per eandem lineam accurrens feram capiat. Quàm multa hîc sunt consideratione & admiratione digna? quantum diuinæ prouidentiæ artificium? quàm perfectum rete? quàm tenuia fila? quanta proportione ille circulus contextus est? quàm accommodatus ad venationem situs? Id tamen mihi narratur, de hac re mihi verba fiunt. Ad nihil enim aliud Deo aranei curæ erant.

Alij sunt, qui sub terra suos construunt nidos, qui multa retia circum, & alia super alijs prætexunt; ne terra, quæ diffringi posset, corruat, & eorum cubilia cœca reddat, & eos viuos sepeliat. Illud quoque in illis animaduertendum est, quòd operculum, quo sui cubilis ostium cooperiant, effingunt, estq́ magnitudine dimidiæ glandis, quæ balista torquetur: hoc autem de terra fictum est, tam multisq́ telis, vel indusijs redimitum, & circundatum, vt ad amussim illi ostiolo accommodetur, itaque fit, vt vix à reliqua humo dignoscatur. Quod autem maioris est tum artificij, tum admirationis, illa tela, qua operculum cooperitur, ex vna parte cum illa, qua cubile totum vestitur, coniuncta est, vt sit tanquam cardo, quo operculum cum ostiolo coniungatur, & illa cum hac tela annectatur. Quis autem hoc tantulum animal docere potuit, quonam modo debeat suam instruere domum, & quasi auleis exornare, illis fores tanto artificio addere, nisi ille, qui illud creare potuit? At fortasse quis dixerit, hæc nimis minuta esse, cùm de mundi creatione tractare mihi propositum sit. Ad id respondit Aristoteles in suo libro de Animalibus, inquiens, in minoribus magis, quàm in maioribus animalibus speciem quandam intellectus elucere. Quare quò minores sunt creaturę, viliores, & abiectiores, hoc magis illius Domini, qui tantulis animalibus, tam admirabiles proprietates tribuit, omnipotentiam & sapientiam declarant: cùm tam abiectis creaturis, & penè nullis, non desit in illis rebus, quæ ad sui custodiam faciunt. Ex quo illud intelligere licet, quantæ ei curæ sint illa, quæ maiora sunt, cùm minora, & longè minora tantæ sint.

Illud

Illud quoque non minùs mirandum eſt, quanam aſtutia quidam aranei, muſcarum magnitudinem referentes, licet alis careant, muſcas tamen capiunt, quæ ſunt alis prædite. Nam cùm ipſæ ſtant, eas paulatim à tergo aggrediuntur, idq; tamen ea diligentia, vt, cùm muſca mouetur, ei viſum maxima cum celeritate eripiat, & quoties mouetur muſca, toties araneus idem facit: ita tamen, vt eodem itinere duo operetur; viſum enim ei ſubripit, & ad illam ſemper appropinquat, quoad tandem ita vicinus fit, vt ſaltu in illã incurrat, capiat, atque comedat. Hoc multi maxima cum voluptate, & induſtriæ & artis venatoris admiratione, conſpiciunt: quod & ſanctus Auguſtinus in ſuis Confeſſionibus narrat.

DE APVM ET BOMBICVM FRVCTV.
CAP. XIX.

TAM eſt Creator in ſuis creaturis admirabilis, vt ſi ſingularũ tum corporis fabricã, tum proprietates, quibus præditæ ſunt ad ſui conſeruationem, & prouiſionẽ, contemplari ſciremus; nũquam immenſam maieſtatem, & ſapientiam illius, qui eas informauit, admirari deſineremus. Huius rei veritas in omnibus animalibus, de quibus haſtenus locuti ſumus, & in cæteris omnibus, quæ reperiuntur, facilè cernitur, ſi qui oculis præditi ſunt ad hanc veritatem accommodatis. Ad hæc duo parua animalia accedunt, quæ ex numero minimorum animalium ſunt, & hancrem dilucidiorem reddunt; bombyx qui ſericum, & apes quæ mel conficit; de quibus hîc tractaturi ſumus, tanquam de re longè, quàm ſuperiores, admirabiliori. Nam (vt à bombyce incipiamus) nonne eſt maxima admirationẽ dignum, tam paruum vermiculum filã tam tenuia carpere, tamq; præſtantia, vt nulla ars, nullum hominis ingeniũ hactenus imitari potuerit? Nonne & illud maximè mirandum, tam paruo animali Creatorem tribuiſſe materiem, quam ipſam totius mundi venuſtati ſuppeditaret, quæ eſt holoſericum villoſum, vndulatæ veſtes, & innumera penè alia genera veſtium, quæ ex ſerico conficiuntur, quibus nobiles, viri Principes, Reges, & Imperatores veſtiuntur, vt illarum pulchritudine à populo ſecernantur? Nonne & illud mirandum eſt, nullam eſſe Aethiopum ciuitatem, nullam regionem tam barbaram, neque tam longè poſitam, vbi Reges non in eo maximè inuigilent, vt ſe veſte horum bombycum induſtria confecta conſpiciendos conſtituant? Neque ſolùm id gentes procurant, verùm etiam eccleſiæ, & altaria, & ſacerdotes, & feſta, & diuina officia celebrantur, & hoc ornatu maiori auctoritate efficiuntur.

Quid de apibus dicam, quæ licet minora corpora ſortitæ ſint, ſuauiſſimũ tamen liquorem, & omnibus hominibus ſalutiferũ parant; hoc mel eſt, quo ad cibos condiendos vtimur, ad officinarum prouiſionem, ad infirmorum ſtomachorum corroborationem, & tandem ad tam multa cõſeruanda, quàm multa in eo conſeruari ſolent? Quantam præterea vtilitatẽ cera, quam cum melle conficiunt, nobis affert? cera altaria ſplendent, proceſſiones cera maiorem auctoritatem adipiſcuntur, confraternitates cera vtuntur, funebres pompæ cera celebrantur, & mortuorum monumenta; Principum & Regum menſæ exornantur. Id autem omne eſt animalis, quàm muſca paulò maioris,

opus. Quis hæc crederet, si nunquam ea vidisset: præsertim si ordo illi narraretur, quo hæc animalia in sua Repub. & viuendi ratione vtuntur? Quàm mirabilis es Deus in omnibus operibus tuis, tam in operibus naturæ, quàm gratiæ. Nónne id maximè homines stupescere debent, cùm vtraque tua sint, vtraque eiusdem parentis filiæ, & propter hanc causam inter se quàm simillima sunt. In operibus gratiæ totius orbis terrarum debiliora instrumenta elegit, vt admirabilia perficeret. Duodecim piscibus totum terrarum orbem ad te conuertisti; vnius fœminæ brachio Assyriorum potentiam euertisti; cùm à pedibus Principum Israel Regis Syriæ exercitũ dissipasti; funda & calculo fecisti, vt paruulus pastor gigantem, vndique armis circundatum, interficeret; & bestiæ maxilla fecisti, vt Sampson amplius quàm mille Philisthæos occideret. Hæc tua opera sunt, hæc tua admirabilia, tam magna tantulis instrumentis perficere. Quem ordinem in operibus gratiæ seruas, eundem quoque in operibus naturæ seruare soles; cùm his duobus tam paruis animalibus mandaueris, vt alterum Regibus & Principibus pretiosissimas vestes pararet; alterum verò cibum omnium dulcissimum conficeret. Nam quò hæc animalia sunt minora, & abiectiora, hoc magis tuæ gloriæ amplitudinem declarant.

DE APVM REPVBLICA, ET ORDINE.
CAP. XX.

SI apum fructus nobis mirus videtur, multò magis in vitæ ratione ordinem, & concordiã admirari debemus. Qui enim optimè teneret, quæcunque grauissimi auctores de illis scripserũt, cerneret profectò in illis optimũ Reipub. statũ, in quo Rex adest, optimates & satellites adsunt, qui omnes in suis se exercent muneribus, & vulgus, quod illis seruit, adest; vbi sunt arma ad belligerandũ, supplicia & pœnæ, quibus afficiuntur, quæ à suo officio discedunt. Hic quoque bene administratæ familiæ speciem quandã videbit, in qua nemo otiosus est, & quisque pro meritis tractatur. Hic etiam cœnobiũ religiosorũ hominũ, in suis institutis perpetuò versantiũ referunt. Primùm enim suũ habẽt prælatum vel præsidem, cui omnes obediunt & sequuntur. Communis est illarum victus, nihil illis propriũ est. omnia enim communia illis sunt. Illarũ munera, in quibus versantur, inter omnes dispertita sunt. Habẽt supplicia, & pœnas, quibus sontes afficiuntur. Eodem tempore & loco omnes comedũt: sub nocte ad silentium suo bombo tanquam buccino signum dant, quo tempore silent omnes, ita vt nulla susurrare exaudiatur. Alio bombo manè omnes ad communem laborem excitantur, & quæ serò ad laborem se recipiunt, puniuntur. Suas habent vigilias noctu, vt domus custodiatur, & ne fuci illis mel comedant. Suos ianitores habent apud portam, vt aditum illis prohibeant, qui vellent ad furãdum ingredi. Habent præterea suos fratres laicos, quæ imperfectæ apes sunt, cùm neque mel, neque ceram conficiant, sed illorũ opera est, cibum & aquam comportare, & alia necessaria, & vilia officia præstare. Tanto ordine & prouidentia descripsit, atque disposuit id omne supremus ille Dominus, vt in maximam sui admirationem illos rapiat, qui in illius contemplatione versantur. Regina Saba, vt scriptum est, cùm Salomonis
3 Reg 10 domus ordinem, & conuenientiam cerneret, deficiebat; ita omnia huius re-

gia

git ingenio, & descriptione disposita erant. Neque mirandum est, hominem cæteris omnibus sapientia præstantem fecisse id, quod tantam afferret admirationem: sed tam paruum animal eadem in suę vitæ ratione efficere, atque disponere, facilè omnem hominis admirationem superat, licet consuetudo videndi eadem maximam admirationis partem detrahat. Plinius scribit, quòd Aristomachus Solensis tâta afficiebatur voluptate, & admirabatur tantopere, cùm in apum proprietatibus contemplandis versaretur, vt duo de sexaginta annis nihil aliud egerit potissimùm. De quodam alio præstanti viro scribit, quòd apud aluearia commorabatur in desertis, vt meliùs illarum proprietates, & secreta huius parui animalis perdisceret: & ambo multa cōscripserunt, quæ diuturna tum diligentia, tum experientia consecuti sunt.

Hinc colligam, quæcunque duo grauissimi auctores Plinius & Aelianus de hac re conscripserunt. In quo nihil est, quod admirandum non sit, quodq́ue illius supremi Conditoris, hæc cuncta qui fecerit, sapientiam, & prouidentiam non ostendat. Illud ab homine Christiano peto, ne hæc incredibilia existimet, quę illi scripserunt, ex altera parte in animo sibi euoluens auctoritatem, & experientiam eorum, qui scripserunt; ex altera, quòd non sunt apes, quæ operantur, sed Deus, qui se nobis ostendere vult, tam mirabilia cùm in illis operetur: Lectoris tamen deuotio, & prudentia suo vtatur iudicio. Singulis enim in his rebus si suam adiungeremus exclamationem, tractatio nimis diffusa esset. Illud tantummodò dicam, quòd cùm homo ad imaginem & similitudinem Dei creatus sit, in anima illud rationis lumen accepit, quo non solùm diuina complectitur, verùm etiam optimum Reipublicę statum disponere non ignorat, cum omnibus necessarijs partibus, & magistratibus, qui ad illius conseruationem requiruntur. Quod cùm ita se habeat, illud tamen perspicuum fiet, quòd quidquid homo hac diuina luce assequitur, hoc animal longè meliùs, quàm homo, describit & exequitur. Hæc consideratio satis sit omnibus rebus, quas hic tractaturi sumus, illud existimantes, vt dixi, Deum hæc omnia operari, vt illius potentiam agnoscamus, & prouidentiam, & sic eum colamus, & veneremur.

Ab eo autem incipiam, quod omnibus notum est, suum Regem apes habere; cui seruiunt, & quem quocunque it prosequuntur. Et quemadmodum inter homines Reges sua regia insignia habent, quę sunt corona, sceptrum, & cætera huiusmodi, quibus à suis subditis secernuntur: sic Creator hūc ab alijs differentē effecit, cùm illi pulchrius, & splendidius corpus dederit, quàm apibus. Quare quod ars inter homines inuenit, inter apes eadem natura effecit. Ex singulis examinibus tres, aut quatuor reges nascuntur, (ne Rex deficiat, si quis fortè interiret) illud tamen certò sciunt, sibi vnico Rege opus esse, ob id cæteros occidunt licet inuitæ: necessitas tamen & pacis amor iustum dolorem superant. Illud enim sibi faciendum esse intelligunt, vt bella & discordias euitent. Aristoteles autem in fine Metaphysices, existimans principatuum multitudinem improbam esse, illud statuit, vnicum esse in hac totius orbis terrarum Repub. Principem, qui Deus est. Apes autem, licet id ab Aristotele non didicerint, quantum detrimentum afferat, plures in Repub. principes esse, non ignorant, vnum deligunt, & cæteros occidunt: licet maximo cum dolore, & molestia id efficiant. In quo cernimus in tam paruo animali maximum

ximum iudicium, & maxima admiratione dignum.

Delecto Rege, de suis domibus ædificandis tractant: primùm fauis prima fundamenta quędam lento glutine per totum aluearе iaciunt, quod quidem ex amaris herbis conficitur. Cùm enim sciant multùm desiderari, quod ipsæ opus conficiunt, à multis paruis animalibus, vt sunt vespę, hirũdines, aranei, ranæ, angues, & formicæ; illud opponere volunt, quod amaritudine, quam primo aditu degustant, illos à furto deterreat. Propter eandem causam primi tres cellularum ordines, qui apud portam sunt, melle inanes relinquuntur, ne in promptu sit, quod inuitet ad furandum. Hæc est pariter prouidentia, atque iudicium.

Hoc munimento suis domibus confecto, Regi maximum construunt domicilium magnificum, & regiæ dignitati cõueniens, quod aggere circundant, tanquam mœnijs, tum vt locus maiorem authoritatem sortiatur, tum vt tutior sit; statim deinde suas construunt cellulas, vt in fauis cernuntur, quibus tum ad habitandum, tum vt in illis suos educẽt filios, tum vt in illis tanquam in vasis suam prouisionem, quæ mel est, conseruent. Quæ cellulæ tanta proportione, & perfectione dispositę sunt, vt omnes sexangulæ fiant, & ęqualia latera habeant, vt oculis patet: in quo nihil illis opus est neque regula, neque perpendiculo, neque alijs huiusmodi instrumentis, cùm id omne suo tãtummodo ore, & tenuissimis pedibus conficiant: vt vtrum magis admireris, aut operis perfectionem, aut instrumenta, quibus id conficitur, nescias. Neque suorum seruorum, qui fuci sunt, domicilia prætermittunt: licet eis minora statuant, quamuis illi maiori corpore sint.

Domicilio constructo, locis omnibus dispositis, & officinis, suum opus sequitur, & officiorum distributio ad laborem, vt infrà. Seniores tanquam emeriti, & à laboribus immunes, Regem comitantur, vt maioris æstimetur, magisq́ honoretur. Quę autem has ætate sequuntur, vt peritiores, & rerum vsu præstantiores, mel cõficiunt. Aliæ autem iuniores, & viribus robustiores, in agros exeunt, vt inquirant ea, ex quibus tum mel, tum cera conficitur. Singulæ autem quatuor secum sarcinas comportant: prioribus enim pedibus femina onerant, quæ propter hanc causam non læuia, sed scabra sunt, ne à se sarcina dimoueatur, quam in illis collocant; pedes verò priores rostro onerant, totæq́ onustæ quatuor his sarcinis, quas diximus, ad suos fauos redeunt. Alię eas ternæ, atque quaternæ excipiunt, atque exonerant, cùm reuertuntur. Alię hanc materiam illis, quę mel conficiunt, deferunt, & apud opus collocãt. Aliæ his ministris seruiunt, vt mel cõficiant. Aliæ struunt, alię poliunt, quod est quasi domum ædificatam calce incrustare. Aliæ cibum comparant ex eo, quod allatum est. Aliæ aquam ijs, quæ intus versantur ore, guttasq́ lanugine totius corporis deferunt, qua madefacta cùm domum redeunt, struentibus domi sitim extinguunt. Ad hoc autem munus tum aquæ, tum cibi deferendi, fucis potissimùm vtuntur. Aliæ ad portas, tanquam vigiliæ & excubiæ latronibus impedimento sunt, quo minùs ingredi possint. His omnibus Rex præsidet, & ad singulas se cellas recipit, munera, & labores subditorum animaduertit, suaq́ regali pręsentia ad opera omnes adhortatur, ad opera tamen nunquam se accingit. Non enim ad seruitium natus est, sed vt omnes sibi, vt regi seruirent. Cum eo autem alię apeș progrediuntur, quarum munus est eum, vt regem, comitari.

Ex

Ex dictis, quàm admirabilis sit Creatoris potentia & sapientia, cernitur, qui eum ordinem, & officiorum diuisionem in illis posuerit, vt hunc tam suauem & gratum liquorem pararent hominibus, qui suis improbis actionibus tantam illi molestiam afferunt. Ad hæc autem alia accedunt admirabilia, ex quibus illud vnum est, quòd intus in aluearibus tanquam in cœnobijs secretiora quædam loca habent, vbi omnes ventres exonerant. Cùm enim Creator voluerit, vt hic liquor esset hominum cibus, quorum multi minimis de causis nauseantes sunt; propter hanc causam, vt esset purissimus, & mundissimus, voluit. Illud quoque præstantis prudentiæ signum est, quòd turbidis diebus in agros cùm non exeunt, de aluearibus has immunditias exportant, & proijciunt. Nolunt enim propter hanc causam diem operis & laboris absumere, neque in otio degere, cùm ad opus suum exire nequeunt, & quod melius est, in melius quoque tempus deferunt, quodq; peius est, temporibus huiusmodi conficiunt.

Aliud quoque admirabile, aliaq; prouidentia de illis scribitur, superiori non minor; illæ enim saburra vtuntur, vt diebus tempestuosis ventis resistere valeant: lapide, quem manibus portant, se in aere librant, & corpus suum grauius, & minùs ventis obnoxium reddunt. Quis autem in omnibus his rebus non cernit illius supremi principis prouidētiam, qui horum animalium prouidentiam hominis prudentiæ æquare potuit? Aliud quoque habent admiratione dignū. Quòd si fortè illas in agris nox deprehēdit, supinę dormiūt, ne alę rore matutino madefactæ, sint sibi impedimento, quò minùs volare possint. Quid prętereà dicam? Omnes eodem tempore comedunt, vt quietis & laboris tempus æquale sit. Eodem tempore cubitum discedunt, cùm scilicet aduesperascit: quo tempore in alueo maximè strepunt, donec vna circumuolet, & gemino aut triplici bombo quietem capere imperet, quæ tam obedientes sunt, vt statim omnes conticescant, & silentium ritè custodiant. Postero verò die, cùm lucescit, & iam operandi tempus adest, eadem apes ijsdem bombis omnes excitat, vt ad sua munera, quæ sibi contigerunt, omnes se recipiāt; & cessantium inertiam notant, castigant, & morte puniunt. Ex hoc autem rigore pœnæ colligitur, apum Rempublicam meliùs, quàm hominum administrari, cùm in hac multi reperiantur, qui otiosi rebus ab alijs partis fruuntur, qui quidem Reipublicę pestis sunt: horum munus est, de aliena fama detrahere, turpibus negotijs se implicare, animorum perturbationibus hærere, & inter strepitus versari, quæ consequentia sunt: in alijs quoque vitijs implicantur, quæ ab otio proficiscuntur: quibus quidem carent ij, qui nulla in alia re versantur, nisi vt totum diem in suis negotijs terant.

Noctu pariter suas habent vigilias ad portas, quæ domum custodiunt, ne quis ingrediatur, & earum thesaurum furetur; præsertim fuci, qui domestici latrones sunt, qui cùm apes dormire conspiciunt, tacitè surgentes aliorum labores absumunt, & deuorant. Sin autem excubiæ in furto eos deprehendunt, eos quidem plectunt, neq; tamen morte, primam illorum culpam condonantes: non tamen ob id se ab illo vitio continent: sunt enim natura heluones, & aliorum labores vsurpantes: quæ vitia maxima sunt. Propter hanc causam cùm apes in agros exeunt, ipsi domi se continent abditi, (quò enim sunt magis imbelles & inermes, eo maiori astutia, & insidijs vtuntur) tunc fauos aggre-

aggrediuntur, & illis, vt lubet, fruuntur. Apes autem cùm domum reuertuntur, & suæ domus direptionem conspiciunt, ampliùs cum illis mitiùs non agunt; sed iratæ, & furore percitę illos inuadunt, & interficiunt: & quemadmodum in hos heluones, & otiosos rigorem & iustitiam adhibent, ita etiam in suas sorores ęgrotantes charitate vtuntur: eas enim ad Solis radios exponunt in aluearis ostio eas collocantes, quò illis cibum deferunt, & assistunt: nocte verò iterum eas domum suam deferunt, ne noctis vitio lædantur. Dum autem ægrotant, illis operari non conceditur, quoad penitus cõfirmentur, & pristinas vires recuperent: si de vita decedunt, eas comitantur, exportant, vt eas in sepulturæ locum deferant. Videbor fortasse hic nugas, ac puerilia narrare: nihil narro, nisi quod à grauissimis auctoribus collegerim, vel (vt veriùs dicam) illius principis laudes narro, qui quemadmodum sine pane in deserto filijs Israel pastum administrare potuit; ita potest facere, vt duæ creaturæ rationis expertes, tam perfectas suas actiones efficiant, quàm homines, qui ratione vtuntur, imò longè illi pręstant, vt infrà videbimus.

Non procedunt vnquam sine suo Rege, vnà est totum examen, circaque eum conglobatur, cerni non patitur, in eo singulæ inuigilant, vt propiùs accedant, & in officio conspici gaudent: cùm autem senex est, & volare minimè potest, humeris suis deferunt. Vbicunque ille considet, ibi cunctarum castra sunt: si quando deficit, vel aberrauit, illum inquirunt, & odore, quo maximè vigent, persequuntur, inueniunt, & suis subditis reddunt. Eo enim deficiente, totus exercitus distrahitur, & dissipatur. Aculeo sit præditus, nec ne, hactenus nemo scire potuit: illud tamen scitur, quòd si eum habet, tamen vtitur nunquam: est enim maiestate Regia indignum illud exequi, quod carnificis proprium est. Illud enim Philosophorum non ignorat, qui aiunt summam Regum in eo esse, vt ipsi per se beneficia conferant, & per alios supplicijs coerceant: & nihil in Rempublicam capessentibus laudabilius placabilitate, atque clementia, nihilque esse, quod eos amabiliores, vel in statu & vita tutiores reddat. Propter hanc causam apes ita sunt sui Regis studiosæ, & fideles, vt si moriatur, omnes eum circundant, & comitantur; nec cibum, nec potum contingunt, tandem nisi ab illarum oculis remoueretur, ibi & ipsę cum Rege suum diem obirent, adeò sunt fideles, & in suum regem propensæ.

Neque hæ parua animalia Creator sine armis esse voluit, imò pro corporis magnitudine nulla reperiuntur arma robustiora, quæ sunt ille aculeus, quo pungunt, & feriunt, qui illis deprędari sua bona conantur: cùm enim in suis aluearibus tantum thesaurum contineant, tamque multis desideratũ, consentaneum fuit, vt illis arma tribueret, quibus eum defenderent. Propter eandem causam ad portas habent vigilias, ne quis ad furandum nullo sentiente ingrediatur, & illi quoad eius fieri potest resistatur.

Non omnibus anni temporibus in agros exeunt, sed cùm in illis flores adsunt. Omnibus enim floribus insident, & ad suum munus aliquid inde colligunt. Niuosis autem, & frigidis temporibus domi se continent, & vt formicæ laboribus æstiuis fruuntur. Nõ vlteriùs quàm sexaginta passus à suis aluearibus progrediuntur, quo spatio confecto, præmittunt exploratores: vt regio recognoscatur, & de pascuis sibi referant. Ne quid autem esset vel bonum, vel malum in hominibus, quod hoc animal non imitaretur; inter pascẽdum

acies inter se confligunt, licet plures cadant in acie, cùm alicuius aluei cibus deficit: tunc enim in proximas impetum faciunt rapinæ proposito. At illę contra dirigunt aciem; illæ vt furentur, hę vt furtum prohibeant: concurritur, confligitur, multæ cadunt, tam potens est necessitas, vt propter eam omnibus humanitatis & iustitiæ legibus abrogetur.

Quidquid hactenus dictum est, ciuilis scientiæ, & humanæ prudentiæ est apertissima imitatio, quę si in causa est, vt admiremur, tam parua animalia ea operari, quæ homines solent, quàm maiori admiratione dignum est, nonnulla illas scire ex ijs, quæ scit Deus? Hic enim solus futura cognoscit, idq; scit hoc animal ex illis, quæ ad sui conseruationem spectant. Prædiuinant enim imbres, & tempestates, & tunc non egrediuntur ad pastum, sed domi se continẽt: quod cùm videant illi, qui illarum curam gerunt, futuram tempestatem colonis prædicunt, vt & ipsi, quemadmodum apes, se domum recipiant, & cætera necessaria prouideant. Ex quo licet videre, quàm humana prudentia apum cognitione inferior sit, cùm illud assequantur, quod homines minimè possunt. Cui videbitur ergo incredibile illud apes imitari, quod fit ab hominibus, cùm longè maiora faciant, quod est futura præuidere, quod Dei proprium est?

Quod autem in hac re stupesco, est mellis fructus, ad quod hæ omnes proprietates diriguntur. Omnibus enim notum est, quanta diligentia, quot instrumenta adhibenda sint, vt citria, vel aliud huiusmodi condiamus. Igne enim opus est, & coctione sępius repetita, vasis, instrumentis ad id accommodatis, & artificibus in hac re peritis: Illud autem peto, quæ instrumenta habet hoc animal præter pedes, vt tenuissimum filum, & aculeum eadem tenuitate? Quomodo tam tenuibus instrumentis sine igne, sine coctione, hoc suauissimũ condimentũ, & hanc metamorphosin florum in mel tam suauissimum, nonnunquam fuluum vt cera, nonnunquam vt nix album conficiat: neq; id parua quantitate, vt videtur à paruo animali esse sperandum, sed tanta quantitate, quãta suo tempore ex aluear i extrahitur? Quis chymicam artem hoc animal docuit, vt substantiam in aliam substantiam tam diuersam conuerteret? in vnũ conueniant, quotquot condiendi periti artifices reperiuntur, suis omnibus instrumentis, & coctionibus, & flores in mel conuertant. Non solùm humanũ ingenium eò non peruenit, sed ne intelligere quidem potuit, quonam modo hæc tam mirabilis mutatio fiat. Homines tamen stulti cæli mysteria inuestigare volunt; cùm sui ingenij acie id, quod ante pedes habent quotidie, assequi minimè possint.

Neque illud minori admiratione dignum est, quonam modo ex ea materia, quam pedibus domum deferunt, & manibus, partim ad mel, partim ad ceram conficiendam accommodatam esse sciant. Quonam modo ex eadem materia, tam diuersa, vt est mel, & cera conficiunt? Quòd si in illis sunt partes differentes, quis illis tradidit hæc secretiora, quę nos intelligere nequeamus? Quis illis partem tenuiorem ad mel, & crassiorem ad ceram ostendit? Quid non poterit facere is, qui hæc operatur? Est quidẽ admirabilis in omnibus operibus suis ille supremus Conditor, neque minùs in paruis, quàm in magnis est.

Hoc autem loco quid reliquum est, nisi Creatori gratias agere, quòd hæc

tantula animalia tantis proprietatibus instruxit, non tam pro illis, quàm pro nobis, qui illarum laborum fructum capimus. At homines huiusmodi sunt, vt hoc fructu vtantur: pro eo tamen nullas gratias agunt, neque in eo immensam Creatoris potentiam, & sapientiam contemplantur, qui in tãtulo capite artem & sapientiã collocauerit: quod Ecclesiasticus non prætermisit, cùm inquit: *Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Propter hanc causam initio dixi, quòd cùm homines inter tot Dei mirabilia versentur, neque oculos habent, quibus ea cernant; neque aures, quibus audiant, quod silendo prædicant; neque cor, quo ad Conditoris notitiam per suarum creaturarum mirabile artificium se erigant.

Eccli 11.

DE BOMBYCIBVS. Cap. XXI.

TAM admirabilia sunt summi artificis opera, vt omnia penè inter se, quodnam sit admirabilius, certare videantur. Omnia enim & singula in suo genere admirabilia sunt, in quo numero sunt bombyces, qui sericum filant. Ex morũ fructu, iam dictum est, omnem mundi venustatem, omnia ecclesiarum ornamenta, esse huius parui animalis opera. De illorum autem artificio, quo vtuntur cùm sericum filant, Hieronymus Vida elegantissimus Poeta duobus libris scripsit. Cuius summam huc transferam. Hi vermes ex paruis ouis generantur, quæ fœmina parit, quæ vel ad Solem exposita, vel in sinu cõtenta, minori spatio quàm trium dierum animantur, & vitam cum omnibus sensibus, qui ad illorum vitam sunt necessarij, accipiunt. Quod S. Basilius allegat, vt nobis persuadeat hoc exemplo, vniuersalis resurrectionis mysterium non esse incredibile. Nam qui vitam tam paruis seminibus, tam breui spatio dare potuit; pulueri quoque, & ossibus nostrorum corporum, vbicunque fuerint, idem dare poterit. Nata hæc parua animalia statim maxima fame edere incipiunt, & comedẽdo crescunt, & augentur. Vbi autem nonnullis diebus comederunt, dormiunt. Somno autem (quo fit concoctio, & ille cibus in animalis substantiam conuertitur) confecto, expergiscuntur, & iterum comedunt, eadem fame & appetitu. Bombus autem, qui ab illis efficitur dum comedunt, suis denticulis folia attondendo, illum strepitum refert, quem, cùm pluit in tecto, audire solemus. Hoc ter efficitur ab illis, ter enim comedunt, & ter dormiunt, quoad penitus adolescant. Vbi autem adoleuerunt, omisso cibo, se ad opus accingunt, & cibi pretium hospiti soluunt. Propter hanc causam colla extollunt, & aliquem conquirunt ramum, quo possint vtrinque sua fila annectere, quæ de sua ipsorum substantia extrahunt. Vbi autem ramum his filis occuparunt, in illorum medio statim suam domum, vel opus, instar oui, ordiuntur, & texunt: ita enim fila modò huc, modò illuc, & modò sursum, modò deorsum traducunt, vt parietes duriores efficiant, non aliter, ac si ex membrana constructi essent. Et quemadmodum vbi homines suas ædificarunt domos, parietes calce incrustant, vt leues, & pulchri sint: sic & illi hoc domicilium constructum intus perpoliunt suo rictu, vel rostro, quod super os suum habent, satis læue, & ad hoc munus accommodatum, ex quo fit, vt folliculi tam solidi sint, vt licet in aquã demittantur, innatent tamen, quòd illos aqua penetrare minimè possit. Hæc autem est Creatoris singularis prouidentia.

Quòd

Quòd si aliter se haberet, totum hoc opus sine fructu esset. Nam si folliculus integer est, & solidus, & in aqua calida ponatur, filũ ex illis detrahitur, quod calore ab altero filo expeditur, ac liberatur. Quod minimè fieri posset, si penetraretur ab aqua, quemadmodum spongijs accidit. Artifex, qui illam construxit domum, illa feruenti aqua interimitur, & hoc est, quod pro tanto opere illi pro præmio soluitur. Qui verò bombyces in prolem reseruantur, hanc iniuriam non ferunt: illi enim in tam paruo carcere cùm se diutius contineri non patiantur, suis oscillis sibi aditum patefaciunt, vnde exeunt, & meliori conditione exeunt, & adulti: nonnullis enim corniculis, & alis instructi exeunt, & ex vermibus aues iam facti sunt. Inter hos autem adsunt mares, & fœminæ, & cùm sint inter se quàm simillimi, mares fœminas cognoscunt, & simul in caudis se coniungunt, in qua cõiunctione quatuor dies perseuerant. Quo tempore videtur quidem in his corpusculis adesse sexuum differentia, vt inter mares & fœminas. His elapsis diebus, masculus moritur, fœmina illa minuta parit oua, de quibus initio diximus: quo facto, & fœmina moritur: & illa semina linquit, vnde eius soboles iterum renascatur, & renouetur. In quo facilè apparet, ad id solum diuinam prouidentiam illud animal creasse. Hoc igitur munere expleto, nemine illa animalia occidente, suo tempore de vita decedunt, & hac naturali & celeri morte testantur, ad id solum creata esse, quo completo, cum illo viuendi finem habent.

In hoc quidem opere facilè apparet, summum illum Conditorem omnia hominis causa creasse: cùm hæc tam vtilia animalia non sibi nata sint, nec sibi vixerint, sed hominibus, quo munere expleto ad vitæ finem perueniunt. Quo fine hominibus dicere videntur: Non mihi natus sum, neque vixi, sed tibi; ob id hoc munere expleto à te facultatem exeundi peto. Ex eo quoque id magis apparet, quòd illa domicilia, quæ tanto artificio construunt, nullũ vsum artifici præstant, sed hominibus solis conducunt: illis enim perfectis, aditum sibi parant, & exeunt, & nunquam preterea illis vtuntur, tanquam sit fabrica, quam non sibi, sed nobis ædificârunt: in quo diuinæ prouidentiæ diuitiæ, & illecebrę facilè apparẽt. Non enim satis sibi visum est, nobis ex ouibus lanam, & ex alijs animalibus coria parasse, & alia huiusmodi, vt nos vestiret: sed voluit hanc quoq; mollissimã materiam illis, quibus illa opus esset, suppeditare.

Hîc etiam illud animaduertendũ est, quòd cùm illius folliculi sint quàm capilli tenuiores, & ex tam molli materia, & debili, vt est huius vermis humor, & spuma: sunt tamen ita tenacia, vt possint facilè colligi, glomerari, texi, & tandem per sexcenta supplicia deuolui, antequam ex illis tela conficiatur: vt apertè cernatur, quàm sit mirabilis ille cælestis artifex in omnibus operibus suis. Neque minùs hîc suæ potentiæ magnitudinem declarat, cùm vermiculo, qui duobus nascitur diebus, duos menses viuit, proprietates tribuit, quibus opus tam molle, tam pretiosum efficiunt, vt cuncta hominum ingenia id facere nescirent.

Inter hęc autem & Plinium inseram, cùm de hoc animali verba faceret, ait olim texere telas araneorum more ad vestem, luxumq; fœminarum, deinde etiam in vsum virorum peruenisse, qui cùm iam thoraces ferre dissueti essent, communes vestes indui molestè ferebant, ob id ad fœminarum vestes confugerunt.

De alijs paruis animalibus, & hominibus molestis.

IN fine huius capitis, in quo de paruis animalibus agimus, quis fortasse à me sciscitaretur, cur ille, qui pro hominibus cuncta creauit, tam multa genera paruorum animalium creauerit, quæ non solùm nullum vsum illis præstant, sed maximam molestiam afferunt, maximeq; lædunt, vt muscæ, culices, pulices, & cætera huiusmodi, quæ quietis, & somni tempore, quo à curis & laboribus diurnis conquiescimus, sæpe nos excitant, & illam quietem interrumpunt. Ad id respondeo, Quemadmodum omnes pœnæ, curæ, labores, vnà cum morte nobis primo peccato contigerũt, in quo nos omnes illius parentis filij continemur: sic & horum animalium plagæ eadem culpa nobis accidunt, & meritò. Nam quemadmodum homo (qui, si cum Deo comparetur, minor est, quàm pulex, vel culex) in Deum se mouit, & illi obedire noluit; sic ipse voluit, vt culex, & pulex, & cętera huiusmodi animalia minima, in hominem excitarentur, & eum molestia afficerẽt, & humilem redderent, cùm videret tam parua animalia tantam habere vim, vt creaturam tam mirabilem, quàm homo est, ita molestarent, vt nullo modo se ab illis defendere posset. In omnibus tamen rebus Deus bonus est, & misericors. Hęc enim pœna huiusmodi est, vt vnà & medicina sit. Nam tum hæc, tum sexcentæ aliæ huius vitæ calamitates, & angores sunt tanquam aloe in vberibus, & lacte huius mundi à Deo posita, vt eum aspernemur, & ab illo abhorreamus, & nos ad illius Domini vbera perfugiamus, quę suauiora quàm vinum, scilicet omnes huius mundi voluptates, sponsa experitur. Quod ita verum est, vt Eucherius verè dixerit, se nescire, quid maiorem vim haberet trahendi, & alliciendi hominem ad Deum, vel malorum acerbitas, qua in terris afficimur, vel bonorum dulcor, ad quem noster cælestis Pater nos inuitat.

Cant. 1.

Hoc autem capite declarato, quàm mirabilis sit Deus in horũ animalium fabrica; æquum est, vt quàm mirabilis sit in maiorum quoque animalium fabrica ostendamus: vt facilè appareat idem esse in omnibus operibus suis, vtq; intelligatur, iure optimo illum Angelum cuidam interroganti, quod sibi nomen esset, respõdisse: Cur meum nomen interrogas, quod admirabile est? In hanc sentẽtiam possem ego huc adducere duas feras, quarũ magnitudinem describit idẽ Creator in cap. 40. & 41. Iob sub his nominibus Behemoth, & Leuiathan, sic & cete, quæ notissima sunt: attamẽ his prætermissis, hic mirabilem cuiusdam piscis magnitudinem referam, qui anno M. D. LXXV. 10. Kal. Maij ad Benichæ stationem perueniẽs, hunc iam mortuum ad litus mare proiecit. Hoc nihil admirabilius visum fuit vnquam: erat enim eius longitudo quadraginta cubitorum, in dorso eius corium erat nigrũ, in ventre album: caudæ verò longitudo ab extremitate pinnæ, ad aliam extremitatem, erat quinque cubitorum, & eius latitudo quindecim palmorum: erat tanta corporis crassitudo, vt duo homines satis grandes in vtrisque partibus collocati vix se conspicerent: vterque oculus vnius cubiti longitudine erat: caput in sublime ferebat altum quatuor cubitos. Os non, vt alij pisces, habebat in capite, sed in ventre: maiores illius dentes erant singuli octo cubitorum. In ore præterea habebat sexdecim dentes, & quilibet erat in circuitu dimidiũ cubiti, spatium inter dentem & dentem erat vnius palmi. Cuius figuram hic adesse volui, quę ab Henrico, qui sempiterno fruitur æuo, allata fuit.

Iudic. 13.

In hu-



In huius piscis fabrica diuinæ prouidentiæ artificium animaduertendum est, qui altum fert caput, vt pisces prospiciat, quibus nutriendus erat: sed cùm distantia inter caput & aquam magna esset, ei os in ventre accommodauit, vt vicinius, & accommodatius ad piscandum esset, quod oculis iam esset assecutus. Illud quoque audiui, hunc piscem in ventre vnguentum ad medendum satis accommodatum, & pretiosissimum, habuisse.

DE ALIIS DIVERSORVM ANIMALIVM PROprietatibus cognitione dignis. Cap. XXII.

POST hæc quinque capita, in quibus aliquo ordine de hac re egimus, hoc addam, in quo nonnulla de animalibus extra ordinem narraturus sum: vt tam in hac re, quàm in superioribus, eius potentis manus splendorem, & sapientiam cernamus, qui totum hunc mundum, tam mirabilibus rebus, tam multis testibus & suæ gloriæ concionatoribus repleuit: nostrum enim cor, penè sine sensu, his omnibus testibus indigebat.

Ab eo verò incipiemus, quod rarum, & mirabile est, & extra rerum ordinem: hæc autem Phœnix est. De qua dicit sanctus Ambrosius, hanc auem in Arabia habitare, & quingentos annos viuere: quæ cùm sibi viuendi finem imminere sentit, tanquam sepulturam, vel domum sibi thuris, & myrrhæ, & aliarum huiusmodi bene olentium rerum construit, in cuius medio se collocat, & moritur: ex illius autem corporis carne corrupta nascitur quidam vermis, qui paulatim crescit, quoad eò perueniat, vt instar auis, de cuius carne genitus fuit, alas habeat: & ita renouatur, & pristinam suam formam & figuram recuperat. In fide nostræ resurrectionis hæc auis nos confirmat, quã nos diuina prouidentia expectare & credere voluit. Propter hanc causam disposuit, vt hæc auis tam mirum modum renouandi sui haberet, quo nos in hac fide firmiores redderet. Quare hæc nouitas pro nobis, & nobiscum loquitur, cùm non pro auibus homo, sed pro homine aues creatæ fuerint. Hoc exemplum ad id nobis conducit, vt intelligamus non permissurum esse Creatorẽ, vt eius Sancti in æternum pereant, cùm non sit passus, vt hæc auis moriendo penitus periret. Iam verò videamus, quisnam ille fuerit, qui huic aui diem suæ mortis annuntiauit, vt sibi sepulturam pararet, & suauissimis odoribus impleret, in eam ingrederetur, & ibi diem suum obiret, vt bonorum odorum suauitate corruptæ carnis molestum odorem à se remoueret? Hæc S. Ambrosius. Hoc autem exemplo intelligimus, quàm multas, quamq; diuersas rationes habeat diuina sapientia, vt creaturarum species conseruet, cùm hic tam

noua, tamq; mirabili ratione vtatur, tam nouis circunstantijs coniuncta, vt dictum est. Neque illud minùs animaduertẽdum est, quòd cùm sit naturale in corrupta carne multos vermes oriri, in hac vnicus nascitur, & vnica fit Phœnix. Nemo venator vnquam hanc auem consequutus est, nec balista fixit, nec fixa est: hic enim diuina prouidentia supplet, ne species in mundo, quam ipse creauit, licet in ea vnicum indiuiduum sit, desit vnquam.

Hinc autem ad animalia nobis cognita proficiscamur: in quorum multis diuina prouidentia, virtutem amans, multarũ virtutum exempla nobis dedit. Nam vt nos ad proximos diligendos, eisq; in suis calamitatibus opem ferendum (quod ad charitatis virtutem pertinet) excitaret, Eusebius Emissenus ceruorum exemplum adducit, qui, vt aliquod flumen tranare possint, omnes se in regulam, & versum reducunt, & quilibet vt se labore leuet, caput suũ super clunes eius, qui ante se proficiscitur, reponit, & ita mutuò sibi auxilium ferunt; ille solus, qui ordinis & processus est dux, suum caput in sublime defert, & hũc patitur laborem, vt socios labore leuet: qui tamen, vbi defatigatus est, ex primo fit vltimus, & qui post eum nabat, in munus ducis eadẽ charitate succedit. Quòd si homines vicissim in proximos hac charitate vterentur, paucioribus in molestijs nostra vita profectò versaretur.

Aliud charitatis exemplum huius simile de gruibus animaduertit Aristoteles, quod Tullius maximi facit; quæ, inquit, cùm loca calidiora petentes maria transmittunt, trianguli formam efficiunt, cuius summo angulo ab ijs aer aduersus pellitur, deinde sensim ab vtroque latere, tanquam remis, ita pennis cursus auium leuatur: & hæ in tergo præuolantium, colla & capita reponunt, vt minore labore volent. Quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet vbi nitatur, reuolat, vt ipse quoque quiescat: in eius locum succedit ex ijs, quæ acquieuerunt: eaq; vicissitudo in omni cursu conseruatur.

Neque lupis (licet tam insidum animal sit) similis industria deest: diuina enim prouidentia omnibus consuluit. Cùm igitur aliquod rapidum flumen tranãt, ne cursus eos secum trahat, alij aliorum caudas mordicus tenent, & ita tanquam in acie omnes dispositi viribus simul iunctis cursui resistunt, & tuti ad vlteriorem ripam perueniunt.

Idem charitatis exemplum in alijs quoque animalibus habemus, licet fera sint, quæ mutuò vulnera sibi lambũt, vt sunt boues, canes, feles, leones, vrsi; qui mutuò quoque se scalpunt, cùm ipsi per se id facere minimè possunt. In quam sententiam nõ prætermittam, quod ego in duobus animalibus, quæ hic nominare non decet, vidi: quorum alterum suis dentibus alterius corpus totum à capite ad calcem scalpebat. Quod autem hoc beneficio afficiebatur, præ se tulit in crure maximo pruritu molestari, & illud crus distendit: benefactor autem statim intellexit, quidnam sibi illud signum vellet, & statim illi molestiæ auxilium tulit, & illius crus scalpsit. Quo peracto, benefactor cùm eodem beneficio affici desideraret, se constrauit, manibus & rictu humi positis; tum quod beneficium acceperat, eadem seruitute illi morem gessit, & gratiam quo modo acceperat omnino retulit. Hoc autem quidnam aliud est, nisi exemplum, quo Creator tenuem hominum charitatem, & ingrati animi vitium omnino condemnat? Hoc autem quidnam aliud est, nisi nobis os adaperire

aperire, vt confiderantes, quàm latè illius prouidentia pateat, cum Seraphin dicamus, Plena eft terra maieftatis gloriæ tuæ. Isa.6.

A charitate ad caftitatem pergamus: cuius exempla in alijs animalibus habemus. AElianus fcribit, Scytharum Regem perpulchram equam habuiffe, & equum illius filium maximè generofum: Cùm autem nullus reperiretur tam boni generis, vt hic erat, qui equam afcenderet; eam cautionem adhibuerunt, vt ita matrem tegerent, ne à filio agnofceretur, & fic ab ea bonam sobolem haberent. Qua re confecta, & ftragulo detracto, cognitoq; inceftu, ambo fe præcipites dederunt, & interfecerunt. In quo facilè cernitur, quàm cupierit Creator in cordibus altiùs radices agere honeftatis leges, cùm & eam in beluis imprimere voluerit. Semiramis Regina Nini regis Babyloniæ filia non fic cafta fuit: ille enim eam morte affecit, & ita meritam mercedem illi confilio, & fceleri tribuit. Eiufdem generis exemplum de quodam camelo, & eius matre, idem auctor narrat. Paftor enim illarum cooperuit matrem, ne à filio dignofceretur. Vbi verò ftragulo remoto matrem agnouit, & inceftum, in paftorem ira percitus, & eum tum pedibus, tum dentibus omnino lacerauit, & tandem fibi ipfi manus intulit, feipfum præcipitem dando, & occidendo. Quod cùm verum fit, nunquam camelus cum matre rem habet. Aliam quoque honeftatem habet, vt idem auctor fcriptum reliquit, quòd nunquam fœminam comprimit alijs intuentibus, fed occultè, vt facit & Elephantus. Quare maiorem præ fe fert honeftatem hoc animal, quàm Maffagetæ, qui eò impudentiæ peruenerunt, vt cum mulieribus publicè coirent. Ex quo licet videre, quòd gentes barbaræ, & Deum ignorantes, raptim ad naturã euertendam ita cucurrerunt, vt immaniores, quàm feræ fe ipfæ præbuiffent.

Exemplum caftitatis turturis minus non eft, quæ poft mariti mortem vidua remanet femper, & nullum amplius virum admittit: in quam rem ait fanctus Ambrofius: Hinc difcite fœminæ, quantus fit viduitatis tum honor, tum gratia, quæ vel in auibus laudatur. Quifnam (ait hic auctor) hanc legem turturi dedit? Si homines quæro, non inuenio. Nullus enim homo hanc legem fœminis fanxit, cùm neque fanctus Paulus hanc fancire audeat. Imò dixit bonum effe fœminas viuere matrimonio folutas; quod fi facere non poffint, nubant: melius enim eft nubere, quàm vri. D. Paulus cupit in mulieribus, quod in turturibus perfeuerat. Alio quoque loco confulit fœminis, vt nubant, fi in caftitate perfeuerare non poffunt, in qua hæ aues perfeuerant. Solus igitur Creator fuit, qui in his animalibus eam impreffit caftitatis propenfionem, & hanc proprietatẽ, qui folus eas poteft leges promulgare, quafq; omnes feruent. Turtur non fuæ iuuentutis flore accenditur, fed matrimonij illecebris fidem primo marito datam non fallit: fcit enim in caftitate perfeuerare. Hæc S. Ambrofius. Ex dictis facilè apparet, quàm fit Creator omnium virtutum amicus, cùm tam multa illarũ exempla nobis in omnibus animalibus reliquerit. Accipitres enim nobis nobilitatem tradunt, leones generofitatem, fubijci & obedire elephanti, fortitudinem & animofitatem (vt poftea dicemus) equi, fidem in fuos dominos canes, charitatem (vt diximus) cerui, prudentiam formicæ, reuerentiam & feruitium in parentes ciconiarum filij; tandem caftitatem hæc auis, de qua tractamus. 1.Cor.7.

Inter autem tot animalium differẽtias, ac proprietates, facere nõ poffum, quin

quin de diuinæ prouidentiæ illecebris mentionem faciam, qui murem odoriferum creauit, cuius Zapetium ad mixturam omnium vnguẽtorum odoriferorũ conducit, cùm fine illo suam perfectionem minimè sortiri possint. Præterea cùm sit calidissimum, ad multos morbos expellendos cõducit. Sciendum igitur est, eum duas quasi crumenas habere inter duo loca, vnde venter exoneratur, in duos sinus distributas, in quos hæc res tam pretiosa paulatim ita demittitur, vt quarto quoque die hanc crumenam eburneo cochleari euacuare necesse sit: cùm enim id non fit, idem mus se ipse per terram trahit, vt se hoc onere leuet; quòd, cùm calidissimũ sit, eum maxima molestia afficit. Hoc autem modo quolibet mense vnciam huius vnguenti ab illo percipiunt, quæ hoc tẽpore Lysbonæ decem, aut duodecim aureos scutatos valet. Illud præterea addam, quod, nisi esset omnibus notum, scribere nõ auderem. Adest hic in eadem ciuitate quoddam patrimoniũ à patre suo primogenito relictum, qui sunt vnus & viginti huius generis mures, ex quibus sexcẽta millia, vt hic dicitur, marauidis quotannis percipiuntur, qui mille & quingenti aurei scutati sunt, expensis omnibus detractis. Hoc autem patrimonium ita dispositum est, vt semper hic murium numerus integer sit: quòd si quis defecerit, hæres teneatur pro pœna Xenodochio misericordiæ tria millia Scutatorum soluere. Quis igitur in hoc perfectionem, & illecebras diuinæ prouidentiæ non cernit, quæ tam multa creauit hominibus non solùm ad viuendum, verùm etiam ad liberaliter viuendum? Quis non cernit media, quæ ad id inuenit? Quis posset existimare, ex sudore vel illuuie huius animalis rem tam pretiosam prouenire posse, vt hæc est, & suam habere crumenam, ne disperdatur? Quis autem non videt, hoc beneficium esse potiùs pro hominibus, pro quibus facta sunt omnia, quàm pro animali, quod illud producit, quod illo nunquam vtitur? Sed illud iam vetus est, & iam consuetudine tritum, vt Dei donis homines ita vtantur, vt nunquam ad Creatorem oculos dirigant, vt si hæc omnia sibi iure, & hæreditate debeantur.

Muribus odoriferis omissis, ad canes pergamus. Cùm autem Creator hoc animal creasset, vt domesticum seruitium homini præstaret, (qui creatura rationalis est) propensiones rationi tam conuenientes illi tribuit, vt post elephantem (qui in hac re omnibus præstat) nullum sit animal, quod huius dotis sit magis particeps. AElianus, & Plinius de canum fide, & seruitute multa cognitione digna scribunt. Ex omnibus autem illius dotibus illam tantummodò referam, quam AElianus scriptam reliquit. Quidam mercatoris puer, cùm ad nundinas negotiationis causa se conferret, & aliquantulum de via declinaret, vt ventrem exoneraret, eo insciente crumena, quam secum cum nummis deferebat, in terram decidit: is ad nundinas profectus est, canis autẽ, quem secum ducebat, ad crumenæ custodiam ibi remansit: famulus autem vbi ad mercatum peruenit, seq; nummis destitutum esse cognouit, per eadem vestigia regressus, nũmos, & canem qui eos custodiebat iam fame exhaustum inuenit, & cùm primũ eò famulus peruenit, canis mortuus est. In quo, quàm firmæ & constantes sint propensiones, quas Creator animalibus ad sua munera obeunda tribuit, facilè cernitur. Quàm autem turpe est, homines fide, qua animalia in suos dominos affecta sunt, superari?

Initio autem tanquam huius rei fundamentum diximus, Creatorem pro ratione,

ratione, qua solus homo præditus est, omnibus animalibus propensiones tribuisse ad id, quod ad se pertinebat, rationi ex altera parte respondentes: in quam sententiam inquit Aristoteles (vt superius diximus) quòd animalium opera sunt hominum operibus quàm simillima. Ad quod illud nunc addamus, quòd non solùm operibus, sed etiam perturbationibus animi sunt hominum similia. Quod non solùm in ira, amore & odio, quæ in illis quotidie (quæ sunt affectiones inferiores, & materiales) cernitur, verùm etiam in alijs præstantioribus, & magis spiritalibus, vt illæ sunt, de quibus hîc locuturus sum. Canis venaticus boni generis suam ingenuitatem & nobilitatem cognoscit, qui si per aliquam viam progrediatur, & exeant quotquot canes adsunt, & oblatrent, neque se defendit, neque latrat; vt animal, quod suũ genus præcognoscit, quod non decet cum tam humili gente contendere, sed pro nihilo ducere debet. In quo homines magnanimos, & fortes viros docet, non decere barbarorum & immanium hominũ voculas curare, neque propter ipsas sua honesta consilia, & vtiles actiones prætermittere. Ad id spectat, quod de præstanti viro Q. Fabio Maximo scriptum legitur, quem suorum militum vulgus timidum appellabant, quòd cum Annibale confligere nollet. Ille autem optimus vir, & imperator, nihili has voces faciebat. sciebat enim ipse quid faceret. His autem respondebat, eum non audere contra hostem arma ferre, qui vulgi voces negligere non posset. Illud tandem referam in hanc sententiam, quod quidam vir fide dignus mihi narrauit, se magna cum admiratione vidisse. Quidam pulcher canis venaticus in litore maris fuit, ad quem accessit quidam catulus, & eum allatrare cœpit, circumire, & vndique aggredi, ille tamen canis penitus immotus permansit. Catulus autem ita importunus fuit, vt canis patientiam fregerit, & ita illum vindicare decreuit. Quo autem modo? noluit sua arma in sanguine tam abiecti generis intingere, sed eũ mordicus cepit, & in aqua demersit, & tam diu sic eum continuit, quoad penitus suffocaretur. Hæc, & cætera admirabilia, ab illa summa prouidentia & sapientia expectanda sunt.

Equus etiam suam cognoscit ingenuitatẽ, & cùm equus bene natus, & bene educatus, & non fessus è stabulo exit, vix tota via capitur, modò huc, modò illuc transuersè se recipit, & cùm vel ad currendum, vel ad saliendum se accingit, sub pectus caput demittit, vt melius domitus, & formosior videatur. Quodq; magis est, phaleras pulchras agnoscit; & cùm huiusmodi sunt, se acriorem & pulchriorem præbet. De Bucephalo Alexandri equo scribit AElianus, quòd neminem præter Alexandrum se ascendere patiebatur: cùm autem equitare vellet, se demittere, vt ascensus facilior esset. Phaleris autem remotis, quolibet mediastino contentus erat. Potiùs ad bellum, quàm ad laborem creauit Deus hoc animal, licet ad vtrunque valeat. Est enim animal superbũ, acre, audax, fidele, bellicosum, robustum. Quibus in proprietatibus ita diuina sapiẽtia elucet, vt idem Dominus, qui illud creauit, ex professo cum S. Iob loquens his verbis eum describit: *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum? Terram vngula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatus. Contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus. Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit, Vah. procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlula-* Iob 39.

tum exercitus. Hæc omnia sunt Dei verba, qui tam studiosè huius animalis proprietates describit. Qui præterea est satis fidelis, & docilis, si quid illo docetur. Silentium quoque addiscit, cùm noctu equitatur, vt illi narrant, qui in Africæ stationibus commorantur. Est præterea visu gratior, quàm cætera animalia magno corpore prædita, & pulchrioribus coloribus, & diuersis ornatior. Alij enim sunt, qui à capite ad calcem candidissimi vt nix sunt; alij diuersis coloribus quasi depicti; alij spadiceo colore deaurato; alij diuersis tergis, & pilis. Habent suas pulchras iubas, quæ cristam naturalem referunt. Quodq; plus est, cùm sit animal magnum, & ferox, & elatum, est ita domabile, & mansuetum nonnunquam vt ouis: homini subijcitur, & paret tum eundo, tum redeundo, currendo, consistendo, vt suo domino videtur. Quàm esset consentaneum, vt homo disceret à suo equo, quonam modo suo Creatori parendum sit, cùm equus ita sit in omnibus obediens. Cùm autem hoc animal creatum sit à diuina prouidentia, vt homini in itineribus, in laboribus, & in periculis seruiat, vt sessorem suum honoret, & auctoritatem ei tribuat; æquum profectò esset, vt qui ab eo tanta consequitur commoda, is Creatori immortales gratias ageret. Conquiescit in muneribus cor nostrum, & donatorem obliuiscitur, cùm hæc creata sint, vt ad eum tenderemus. Tantũ temporis in itinere conterimus, vt nunquam ad finem perueniamus. Hoc autem peius est, quòd ex equi pulchritudine, vt vani, leues, & stulti eum ascendamus, occasionem sumimus.

Leo quoque animal generosum est, & se ipse cognoscit, & propter vires se magnifacit. Et cùm quis eum persequitur, vt Ælianus refert, nunquam fugæ terga dat: sed sensim, & paulatim proficiscitur, & vultu suos persecutores intuetur, eis suis feris rugitibus minatur: cùm autem se in aliquem locũ abditum refert, ex quo à suis persecutoribus minimè cerni possit, celeriter fugit: suam enim existimationem ibi non amittere videtur, cùm à nemine conspiciatur. Habet præterea aliam amplitudinem, quod est, de hesternis reliquijs non comedere; aliam quoque maiorem, quod est, esse in victos clementem; (quę propria virtus est ingenui cordis, non autem, vt fœminarum vindictæ cupidi) sic etiam, vt Solinus inquit, maiorem pietatem in fœminas, quàm in viros adhibet; & multò magis in pueros, quos, nisi cùm fame laborat, non attingit. Omnes enim leges necessitate franguntur.

De Pauone.

INTER omnia generosa animalia, nullũ esse, quod magis suam pulchritudinem videatur cognoscere, quàm pauonem omnibus compertum est; cùm illum videamus suas pennas quasi in illa perpulchra rota recensere, quam licet sæpe videamus, nobis tamen intuentibus semper voluptatem affert; præsertim dum illius agilitatem, qua illas distendit plumas, contemplamur, cumq; illas ostentat videatur suam venustatem plurimi facere. Quod, vt plurimùm, facit fœmina præsente, vt hoc modo eam sui cupidiorem reddat: cùm autem suam rotam colligere vult, alis strepitat, vt cum pulchritudine agilitatem suam ostendat. In quo quamdam rerum humanarum imaginem cernimus.

Huius auis pulchritudo est profectò magna admiratione digna: consuetu-

suetudo autem videndi, rebus magnis admirationem surripit. Homines enim non satis eruditi non magna, sed noua, & rara admirantur, quod & superiùs diximus. Quod vel in huius auis exemplo cernitur; quæ ab India in Græciam delata (vbi nunquam antea conspecta fuit) tantam hominibus admirationem attulit, vt (teste AEliano) qui eam deferret, sine pretio nemini ostenderet. Quidam autem homo ex proceribus (vt idem refert) mille drachmas (quæ maxima pecunia est) in duos, masculum & fœminam, erogauit, vt inde sobolem procrearet. Alexander autem ille Magnus edixit, ne quis illam auem interficeret: adeò sacra illa noua, & extra rerum ordinem pulchritudo illi visa est. Cùm autem verum sit, in rebus præstantioribus magis etiam summi illius artificis elucere sapientiam, non ab re fuerit, si in huius auis pulchritudine, & conditionibus describendis, aliquid temporis consumpsero.

Et primùm inuestigabimus finem, ad quem creata fuerit: videtur enim, quòd quemadmodum in paruorum animalium fabrica (vti diximus) suæ potentiæ amplitudinē, & sapientiæ aciem (qui in tam parua re potuit tam multa formare) ostendit, sic in huius auis pulchritudine quandam paruam suæ pulchritudinis speciem, vel vmbram, nobis ostendere voluit. Ad id, vt credam, adducit, cùm video hunc puluinum (qui est longitudinis cubiti cum dimidio) neque eò vtilem esse, vt animalis corpus tegat, cùm tantum illius corpus superet; neque ad volandum, cùm illi potiùs pondere impedimento sit: cùm autem debeamus hic aliquam finalem causam inuestigare, nullam aliam inuenio, nisi quam dixi. Cùm enim sit amor illud maximè, quòd à nobis Deus postulat; & pulchritudo sit illa, quæ maximè ad se hominum corda allicit, atque trahit: inde fit, vt multa formosa creauerit, vt per ea (quemadmodum testatur Sapiens) factoris pulchritudinem, vt infrà declaraturi sumus, dignosceremus. Et ne qua in re aliqua vmbra, aut vestigium illius pulchritudinis deesset, propter hanc causam multas quoque creauit aues varijs coloribus depictas. Ex his autem omnibus primum locum tenet Pauo, qui ad hunc finem solum, vt diximus, creatus est.

Vt autem aliquid de eo dicamus, necesse erit pro ijs, qui Philosophiam ignorant, duas supponere sententias, quæ ad id maximè conducunt. Quarum prima est, quòd omnia corporalia ex materia & forma constant, quæ illorū partes essentiales sunt: & materia quidem subiectum est, quod formam suscipit; forma verò est principium, & causa omnium accidentiū, & proprietatū, & actionū, quæ in qualibet re insunt. In creaturis autem, quæ animā habent, anima forma, & corpus materia est. Itaque videmus in homine animam esse principium, & causam omnium proprietatum, & actionum, quæ in illo sunt; propter hanc causam anima deficiente, statim & illa deficiūt. Altera autem, quæ supponenda est, quòd anima illa est, quæ cibum cōcoquit, quem animalia comedunt, & in illorum substantiam conuertit: quod autem ex illo cibo superuacaneum est (quod est, vt reliquiæ, & quod superest) in suum vsum conuertit; in auibus in plumas scilicet, & in cæteris animalibus in pilos, & lanam, quibus vestiuntur; in hominibus verò in capillos, vngues, barbæ pilos, & pro quātitate eius, quod superest, sic & hæc, vel plura, vel pauciora sunt, quæ inde generantur. Sic scribitur, illum gloriosum Ioannem AEgyptiacum

raros habuisse in mento pilos,cùm maximæ enim esset abstinentiæ,nihil illi supererat ex cibo, quo pili generarentur.

Vt autem veniamus ad rem: Pauonis anima,est illius forma, quæ (mediantibus instrumentis, quibus ad id ornata est)qua cibum in carne substantiam pauonis conuertit, quod ex hoc cibo reliquum est (quæ sunt crementa, & quædam superuaçanea,vt dixi) in illum pulchrum puluinum quem cernimus,penè totum conuertit; & præsertim in plumas, quæ circa eius collum,& in cauda sunt. In hac autem re illud maximè mirum est,quod anima ità hæc disponit,ac distribuit excreméta,vt licet eiusdé generis omnia sint, efficiat tamen, vt tam varios colores sibi contrahant, & figuras in diuersis pennarum partibus,neque confusas (vt in iaspide cernitur)sed dispositas, & ordinatas, & varijs,& pulcherrimis coloribus depictas, vt intuentibus maximam admirationé pariat. Hic quoque animaduertendú est, omnes pennas caudæ maximam inter se similitudinem habere; in quo videtur casu distributos esse illos colores, vt inter se concurrunt, sed firmam & constantem causam habere, quæ sic illos distribuit,ac in eam partium conuenientiam dispertitur, vt inde illæ figuræ conficiantur.

Omissis autem illis ramusculis,aut capillis,qui vtrinque ex pennæ caudæ hasta oriuntur, vsque ad suum caput, qui omnes sunt minutim incisi,& pulchris coloribus depicti,ad illum accedamus oculum,quem in illarum extremitate effectum habet,tanta colorum varietate, eorumq; tam optimorum & visui gratorum,vt nullum tincturæ genus ab hominibus inuentum horum colorum insigni pulchritudine cóparari possit. In medio huius oculi adest quædá figura oualis viridi colore,sed ad album vergéte,& in eius medio alia quoq; eiusdem descriptionis figura purpureo colore: hæ auté figuræ circulis formosissimis circundantur, quæ iridis colores & figuram maxime referút:his autem vndiq; quædam quasi cæsaries oritur diuersis pariter coloribus, in qua penna desinit. In hoc auté oculo, vel circulo, quem diximus, aliud quoque nó minùs admirabile conspicitur,id est,quòd capilli,aut rami, ex quibus hæc figura componitur,ita sunt inuicem cóiuncti,tamq; æquales in hac coniunctione, vt illa figura non videatur diuersis filis confecta, sed quædam pars serici continuati,atque ibi dispositi.

Quid autem dicam de colli pulchritudine, quod à pectore ad caput ascendit? & de illo viridanti colore, qui omnem insignem orbis terrarum viriditatem facilè vincit? Quodq; maiorem admirationem affert; omnes illæ plumæ,quibus hoc collum vestitur,ita inter se pares, & æquales sunt, vt ne quidem vel minor, vel maior adsit, quæ illum ordinem peruertat. Ex quo fit, vt illa viriditas potiùs quoddam (vt diximus)serici frustulum videatur, quàm aliquid ex his minutissimis plumis confectum. Huic aui nihil nisi regia corona deest: sed illius loco habet illas tres tenues plumas,quæ quoddam diadema conficiunt, quod est huius auis pulchritudinis finis. Cùm autem tres tenues plumæ habeant tantam venustatem, & ad nihil aliud conducant, quàm ad illius pulchritudinem, & venustatem; facilè conspicitur,quòd consultò,atque cogitatò se ad hanc auem formosissimam depingendam Creator accinxit. Quod autem hìc narrauimus, melius ab eo intelligetur, qui oculos suos ad aliquam harum pennarum conuertit: oculi enim magis,quàm verba

ad

ad hanc rem conducunt. Neque illud prætermittendum est, quòd pulchritudo & colores huius puluini non est, vt florum, quæ breui pereat, sed perpetua atque stabilis est, & propter hanc causam ad alia quoque, quæ ex illis plumis conficiuntur, maximè conducit. Hoc satis sit de huius auis pulchritudine.

Quod autem ad eius proprietates spectat, illud solum dicam, quòd pauo fœminæ societate maximè delectatur: propter hanc causam, si fortè oua reperit, quæ ipsa fouere velit, ea frangit, ne ob id fœminę consuetudine careat. Diuina autem prouidentia, quę nulla in re deest, huic quoque remedium parauit. Ex quo illud maximè animaduertemus, quòd multis in rebus passus est inesse necessitatem, vt in remedijs, quàm diuina prouidentia cauta sit, cerneretur apertiùs. Quod in hac re facilè apparet. Fœmina enim locum maximè secretum, vbi sua oua pariat, exquirit, ne à pauone reperiatur. Vt autem illum decipiat, mirabili vtitur arte: cùm è nido vult egredi, quàm longissimè potest à nido, vnico volatu, se recipit, idq; tacitè: cùm autem ad nidum reuertitur, crocitat, vt pauo existimet ibi nidum esse, vnde discedit, & sic illum fallit, & ambiguum reddit, ne reperiat nidum. Quis autem hoc loco consilia non videt, quę ille summus artifex excogitauit, vt illius sapientiam, & prouidentiam cognoscamus, & adoremus, ad eumq; profugiamus in nostris necessitatibus? hac spe, fore, vt homini non desit, cùm neque rebus, quas pro hominibus creauit, aliquatenus desit.

Vt autem ad huius auis pulchritudinem reuertamur, diximus superiùs, tam pulchram Deum creasse, vt per illam ad eius pulchritudinem contemplandam animum nostrum erigeremus, qui propter hanc causam illam creauit. Diximus præterea, illud in primis Deum à nobis postulare, vt illum amemus; & pulchritudinem illam esse maximè, quæ nos ad diligendum allicit, atque trahit, neq; solùm hanc corporalem, verùm etiam, & multò magis spiritualem, vt est Angelorum, & eorum spirituum, qui in gratia degunt. Quemadmodum enim boni oblatione voluntas mouetur, sic & amor pulchritudine accenditur. Quamobrem Creator cùm tantopere cupiat à suis creaturis diligi, aliquod suæ infinitæ pulchritudinis vestigium, vel vmbrã, in illis omnibus à cælo vsque ad abyssi centrum adesse voluit: quæ primùm in stellifero cælo relucet in serenis noctibus, vbi videmus illam ingentem fornicem cæli innumeris flammarum fulgoribus, longè splendidioribus, quàm adamantes, & cæteri pretiosi lapilli sunt, tantoq; numero, vt illorum Creator solus eos dinumerare possit. Resplendet etiam in duabus præcipuis stellis, Sole, & Luna, de quarum virtute & pulchritudine superiùs diximus. Resplendet quoque in agrorũ viriditate, fontium limpiditate, florum varietate, qui viridantia prata maximè exornant; in quibus quid tibi maiorẽ afferat admirationem nescias, vel colorum diuersitas, vel tam præstans artificium, quo fabricati sunt. Quid de vnionum pulchritudine dicam? de gemmis? de illarum pulchritudine? de colorum varietate? de virtute? de tanto pretio? Quid de metallis, præsertim de auro, & de argento, quod in omnibus gentibus vel barbarorum tanti sit propter illius splendorem & pulchritudinem? Quid de hominũ corporum pulchritudine, præsertim de illorum, quos sacra scriptura narrat; Ioseph, Absalon, Thamar, Iudith, & Hester? Nolo enim hîc de Regina Helena, per quam Troia excisa fuit, sermonem habere. Ex quo facilè apparet, voluisse

luisse Creatorem in omnibus creaturarum speciebus aliquam suæ pulchritudinis partem inesse, cùm vel in auro, vel in gemmis, quę in terræ visceribus innascuntur, aliquod illius vestigium reperiretur. Ex his autẽ omnibus quid de illis animabus dicam, quæ in gratia sunt? Quid de spiritibus beatis, in quibus Creatoris pulchritudo maximè elucet? Vnius autem solùm visus & splẽdor effecit, vt prę timore Daniel Propheta in terram caderet. Qui spiritus quidem plures quàm cæli stellæ sunt.

At hæ omnes pulchritudines, quas cernimus, & multę aliæ innumeræ, quas non videmus, longè præstantiori modo sunt in illarum Creatore, quàm in illis. Nam vt præceptor in suo intellectu habet scientiam, quam suis auditoribus tradit, longè perfectiùs, quàm illi: sic qui pulchritudinem visibilibus & inuisibilibus rebus dedit, necessariò præstantiori quadam ratione & gradu eandem in seipso habere debet: cùm nemo det, quod non habet ipse. Hac autem ratione, quæ illorum erit beatitudo, qui has omnes pulchritudines in Dei facie cernunt, vnà cum multis alijs, quæ sunt illius propriæ, quas nulli creaturę communicauit? Quòd si S. Petrus, cùm huius pulchritudinis scintillam in Domini transfiguratione vidit, ita stupidus, & extra seipsum penitus remansit, vt illius lætitiæ magnitudine raptus, & tanquam ebrius, quid ipse diceret, penitus ignoraret; qua voluptate perfundentur illæ beatæ animæ, cùm in Domini fruitionem ingredientur, & ex illius iucũditatum diuiti fonte ebibent? Quòd si alicuius creaturæ pulchritudo (quæ nil aliud est, quàm parua cutis, vel alba, vel roseo colore aspersa, quæ extrinsecus apparet) eam sæpe vim habet, vt mentes hominum peruertat, & in causa sit, vt in maximas ægritudines incidant, & nonnunquam occidant; quid tibi fore videtur, cùm animæ gloriosæ illam infinitam pulchritudinem videbunt, qua hi fruuntur omnes. Fortunati quidem illi futuri sunt, qui illuc peruenerint: cùm illis bonis fruituri sint, quæ nec oculi viderunt, nec aures audiuerunt, nec in cor hominis ascenderunt.

Matt. 17.

Isa. 64.
1. Cor. 2.

PRAEFATIO IN MVNDI MINORIS, QVI HOMO EST, fabricam, & præcipuas illius partes. *Cap. XXIII.*

CVM de maiori mundo hactenus egerimus, & de eius præcipuis partibus; nunc ordo postulat, vt de minori, & eius præcipuis partibus agamus: hic autem homo est, cuius cognitio ad Dei cognitionem non minùs, quàm superior conducit. Quare illud primùm nobis supponendum est, hanc cognitionem omnis nostræ felicitatis principium, atq; fontem esse: cumq; multa sint, quæ in eo cognoscere possimus, quod tamen magis ad nostram salutem, & beatitudinem refert, est illius prouidentiæ cognitio, quæ (vti diximus) illas tres continet præcipuas perfectiones, bonitatem, sapientiam, & omnipotentiam. Quidquid autem hactenùs de huius maioris mundi fabrica dictum est, huius prouidentiæ apertissimum testimonium nobis affert, vnà cum his diuinis perfectionibus, quæ cum illa sunt; ad id etiam refertur, quidquid de minoris mundi fabrica, qui homo est, hactenus dictum est. Quamobrem Theodoretus in duodecim Sermonibus, quos de Diuina prouidentia conscripsit, ex mirabili artificio partium nostri corporis argumenta petit, quibus diuinam

prouidentiam demonstret. Ratio autem, cur homo minor mundus dicatur, illa est, quòd quidquid in mundo maiori est, illud idem in minori quoque, licet minori etiam & contractiori forma, reperiatur. In illo enim primū est suum (vt dicunt) esse, vt in elementis; vita, vt in plantis; sensus, vt in animalibus; intellectus, & liberum arbitrium, vt in Angelis. Quapropter sanctus Gregorius hominem omnem creaturam dixit, cùm in illo omnium creaturarum proprietates, & naturę reperiantur; & propter hanc causam illum creauit Deus die sexto post alias creaturas, cùm vellet in eo summā omnium, quæ creauerat, reponere: quemadmodum faciunt hi, qui rationes in scripta referunt, qui tandem in fine, & vnico versu, quidquid in multis folijs distributū est, in summam collectam describunt. Idem videtur fecisse Deus in suo genere, in hominis formatione, in quem vnum, quæcunq; creauerat, contulit. Inde fit, vt faciliùs ex homine diuinas perfectiones cognoscamus, quàm si in omnes mundi partes nos conuerteremus, quod longum temporis spatium postularet. Propter hanc causam Cosmographi quandam describunt tabulam, in qua omnes præcipuas mundi partes, & nationes depingunt, vt vnico intuitu id depictum cernatur, quod multis seculis in sua natura minimè conspici posset: sic dicere possumus hominem paruam quandam esse tabellam, in qua ille summus artifex descripsit, non figuris, sed veritate nobis ob oculos posuit, quidquid in mundo erat. Ex quo hęc tabula minor, & magis nobis nota, (cùm semper nobiscum sit) hoc maiorem nobis Creatoris notitiam prębet.

Ex omnibus autem Dei mirabilibus, & operibus ob oculos nobis ponamus virtutem, quam in plantarum seminibus collocauit. In paruis enim animulis, vel semine mali medici eam impressit virtutem, vt inde malus generaretur, & succresceret; in pineo nucleo, vt maxima pinus oriretur. Hoc parum est, si cum virtute, qua humanum corpus generatur, comparaueris. Ex vno enim horum seminum nihil aliud oritur, quàm arboris radices, trūcus, & rami, cum suis folijs, & fructibus. Sed ex materia, ex qua humanum corpus componitur, cùm sit simplex substantia, tantā membrorum varietatem, ossium, venarū, arteriarū, neruorum, aliorumq; innumerabilium organorū, & instrumentorum, & ita ad vitæ vsum accommodatorum, vt si quod ingenium ita penetraret, vt particulatim & minutim singula inuestigaret, & cognosceret, attonitū & stupidum sæpissime fieret, Creatoris sapientiam & prouidentiam in illis contemplando, quę ex tam simplici materia, tam multa, tamq; diuersa, & formare potuit, & sciuit. Nihil enim in illis est, quod non exclamet: Quis præter Deum id efficere potuit? Quis potuit in fœminæ visceribus, absq; vlla illius industria, domū tā multis cubiculis, vestibulis, aulis, penetralibus, officinis, & artificibus præter Deum ædificare? Quod ostendit infinitæ sapientiæ fuisse huius operis descriptionem, quæ nulla in re vel fallitur, vel deest. Quod Philosophi, & Medici hac demonstratione confirmant. Inquiunt ipsi, in toto hominis corpore amplius quàm trecenta ossa magna, & parua esse; & ita in quolibet latere haberet ampliùs, quàm centū & quinquaginta ossa; & quodlibet illorum decem habere proprietates, quas anatomici scopos vocant, id est, huiusmodi figuram, situm & coniunctionē, asperitatem, lęuitatē, & alia huiusmodi. Quòd si has decē proprietates in centum & quinquaginta

quaginta ossa duxeris, mille & quingentæ proprietates in ossibus vnius lateris, & totidem in ossibus alterius erunt.

In his autem ossibus tria opera, & Dei admirabilia contemplanda sunt. Primum est, ossa inter se inseri, aptari, atque colligari inuicem suis funibus, & ligamentis fabrefactis, vt diximus. Alterum est, similitudo, quam ossa vnius lateris cum ossibus alterius habent, non solùm quantitate & magnitudine; verùm etiam his tribus, de quibus hic loquimur, proprietatibus: vt, cùm ætate ossa crescunt (exempli gratia) alterius manus, eodem circino & mensura ossa etiam alterius augeantur, & ijsdem proprietatibus, quas habent, vt nihil penitus inter has partes differat. Idem de costis, de brachiorum ossibus in vtraq; parte intelligatur. Tertiũ auté, & magis admirabile, quàm supradicta, est, videre proprietaté, quam vnũquodq; habet in eo loco, vbi est, & ad eum finé & vsum, quem exercet. Hoc artificialiũ rerum exemplo illustrabimus, vt in naturaliũ operum per artis opera, quæ illa imitatur, quòd manifestiora sint, cognitionem perueniamus. Cernimus autem in fabri officina adesse serram, secãdi causa; dolabram, vt asciet; aliud instrumentum, vt læuiget, aliud, vt coniungat; circinum, vt metiatur, & alia eiusmodi instrumenta. Videamus quàm apta, & bene fabricata sint hęc instrumenta ad vsum, & munus suum. Hoc idem, & perfectiori ratione effectum esse videmus in his trecentis nostri corporis ossibus, quorum singula habẽt illas decem proprietates, quas diximus, sic aptas, & accommodatas suis locis, & muneribus, quæ exercere debent, vt omnes hominum, & Angelorum intellectus maiori perfectione illa reformaré non possent: quòd si ipse Creator (vt ita dicam) mille annos consumpsisset in consideratione fabricæ singulorum ossium, & ad dictum finem, nulla alia ratione ea formasset, quàm ea in creatione formauerat.

Hic autem huius admirationis finis non est: quidquid enim hactenus diximus de proportione, & similitudine ossium vnius lateris cum ossibus alterius, idem est dicendum de cartilaginibus, ligamentis, & coniunctionibus ossium; de musculis, de neruis, de venis, de arterijs vnius lateris, cum ijs, quæ in altero latere reperiuntur: & hæc omnia instrumenta ad nostræ vitę cõseruationem necessaria sunt: quæ ita apta, & accommodata ad sua munera sunt, vt neque annulus ita sit digito accommodatus, neque vagina suo ensi ita respondeat, vt quęlibet harum partium ad sua munera præstanda. Quid autem præterea illius summi artificis sapientiam sic nobis declarat, vt tam multa instrumenta, quę tanta perfectione, tantoq; artificio ad suos vsus fabricauit, vt ne capillus quidem adsit, quin ad suum finem satis accommodatus sit?

In quo facilè apparet, quàm fuerit beluinus ille Epicurus, qui nostra corpora casu esse facta affirmare non dubitauit. Quæ enim casu fortuito facta sunt, rarò prosperè succedunt; quod tamen, si quando accidit, vt bene facta sint, id sit in tribus, aut quatuor rebus. At in tam multis millibus, & hæc omnia tam bene fabricata, vt hominum intellectuum facultatem facilè vincant, minimè fieri potest, vt fortuitò sint constructa, sed diuina mente fabricata. Quid stultius esset, quàm dicere, quòd si aliquã in fornace ferri massam poneremus, inde horarium cum omnibus suis rotis dispositum exiret; aut arma, quibus posset penitus se vndique armare, & ea satis probè elaborata? Multò maioris dementię profectò esset, dicere hominis corpus fortuitò esse

esse confectum, vt in matris vtero consistitur; tum quòd ossa, & reliquæ partes, quibus constat, sunt longè plures numero; tum quòd longè meliùs, & perfectiùs fabricatę sunt, quàm vel horarium, vel armorum partes. Si magnum est, hoc in centum, aut ducentis nostri corporis partibus reperiri; multò magis erit, id in tam multis partibus reperiri, & his omnibus ad sua munera tam appositis, & accõmodatis, vt facilè cætera superet, quæ nobis admirationem afferunt, quęq; nobis eximiè eius omnipotentiam, & sapientiam declarant, quæ virtuti formatiuæ nostrorum corporum tantam vim largiri potuit.

Propter hanc causam anatomiæ facultatis professores rectè affirmãt, hanc nobis esse tanquam ducem certissimam, quæ nos ad Conditoris agnitionem perducit, & ad illius præcipuas perfectiones, quas hoc loco per suas creaturas exquirimus. Propter hanc causam nonnulli tum hanc, tum humani corporis fabricam, Dei librum esse dixerunt: In qualibet enim particula, vel minima, & legitur, & cernitur summa Dei sapientia, & artificium. Etsi maioris mundi fabrica, & partes ad id multum nobis conferant, (vt superiùs diximus) eas tamen videmus nonnunquam nonnullis in rebus raris, & præter ordinẽ, quæ nobis illius apertius testimonium afferunt: vt in hoc minori mundo, qui homo est, & præsertim in eius domo, quod corpus est, nihil est tam minutum, nulla est vena, nulla arteria, aut paruum officulũ, quod plena voce eximiam præstantiam, & artificium eius non prædicet, qui ea fabricauit.

Quid autem de maioribus partibus dicam? Quid anatomici de nostrorũ oculorum fabrica dicũt? Quid de nostri corporis adminiculis, ossibus, officulis, deq; medulla, & reti mirabili cerebri nostri? Quid de nostrarum manuum fabrica, & artificio? ex quibus alius artificialis mundus profectus est, in quo penè rerum omnium in naturali mundo à Deo creatarum varietas, & multitudo reperitur. Quamobrem ex aliqua parte beatos existimo eos, qui se huic Philosophię parti dediderunt, quæ de humani corporis fabrica pertractat: si enim vellent aliquando ad Deum oculos extollere, & in ea factoris sapientiam, & omnipotentiam contemplari, facere non possent, quin sæpius in maximam admirationem raperentur: cùm tam multa, tamq; artificiosa, prudenter prouisa, & admirabilia conspicerent. Dauid inquit, quòd, qui descendunt Psal. 106. ad mare in nauibus suis, viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Idem dico ego de illis, qui seipsos ingrediuntur, & in contemplatione eorum, quæ Deus in illis operatus est, sæpissimè versantur: ij profectò in se tam multa cõspicient admirabilia, quibus homini omnia necessaria, ad vitæ conseruationem instrumenta prouidit, idq; tam perfectè, vt nihil in illis superuacaneum, nihilq; diminutum sit.

Neque minùs admirabile est, videre situs, & loca corporis, vbi omnes hæ partes collocatæ sunt. Nullum enim aliud nec formosius, nec magis aptum, maioriq; proportione accommodatum ad id, ad quod fuerit conditum, excogitari potest. De Platonis eloquentia dixerunt antiqui, quòd si quis sapiens aliquod verbum amoueret, & maxima diligentia aliud reponeret illius loco, illius elegantiam tolleret; & si fieret idem in orationibus cuiusdam magni oratoris, qui nomine Lysias dicitur, de sententia aliquid detraheret: in quo alterius elegantiam, & alterius verborum proprietatem laudabant. In hanc quoque sententiam dicere possumus, (licet comparatio sit humilior, cùm hu-

Digitized by Google

mani intellectus opera cum operibus diuini comparemus) quòd si omnes vniuersi terrarum orbis sapientes vellent minimam partem, aut membrum, aut sensum humani corporis describere, aut alia ratione efformare, aut alio loco collocare, non solùm illius munus & officium tollerent, verùm etiam omnem eius venustatem & pulchritudinem. Quamobrem Galenus cum illo beluino philosopho Epicuro disputans, qui diuinam negabat prouidentiam, & dicebat nostri corporis fabricam fortuitò, non autem consilio (vti dicimus) esse constructam, hoc illi proponit, se daturum illi centum annorum spatium, vt mutet figuram, vel situm alicuius particulæ nostri corporis, eamque alio situ & modo collocet, quàm se habet: apertè conspiciet minimè fieri posse, vt alio modo conficiatur meliori, quàm constructa sit. Quod admiratus est Salomon, cùm videret, quàm humanum ingenium hebes ad huius diuini artificij summam præstantiam, & excellentiam cognoscendam esset: ita quemadmodum aeris viam ignorabat, & quomodo in vtero fœminæ grauidæ membra fabricarentur, sic Dei opera, qui rerum omnium Conditor est, penitus ignorat.

Rex Dauid huius operis artificium non Philosophiæ humanæ studio, sed Dei præcipua reuelatione cognouit: & sic in Psalmo 138. qui totus de Dei sapientia tractat, (vbi ait, omnia præterita & futura illi præsentia esse, tenebras ante illum esse luce clariores) particulatim de nostrorum corporum fabrica tractat, vbi (iuxta aliorum interpretum versionem, quę ad nostram intelligentiam conducit) breuiter sic inquit: Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, & tuæ sapientię magnitudinē declarasti in mei corporis fabrica: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Non est occultatum os meum à te, cùm in occulto vteri matris meæ corpus meū formabatur, cuius mirabili artificio in eo connectebatur: Imperfectum meum viderunt oculi tui, vt organorū perfectionem adipisceretur, & in libro tuæ sapientiæ omnia mea membra scripta erant, quæ paulatim diebus labentibus formabantur, nullumque ex illis erat, quod antè, quàm formaretur, tibi non esset cognitum. Tuę autem cogitationes in me, tuaque consilia, quàm pretiosa, & quàm multa sunt, quę si numerare vellem, maris arenam numero vincere contenderem. Declarat Propheta his verbis mirabilem Dei sapientiam, quæ in fabrica & singulari nostri corporis artificio maximè lucet. Ex quibus verbis illud in primis animaduertendum est, (Terribiliter magnificatus es) quòd illud verbum, terribiliter, videbatur magis accommodatum ad diuinæ iustitiæ opera amplificanda, quàm diuinę sapientiæ opera, de quibus Propheta hic loquitur. Sed illud in causa est, quòd vbi diuinę sapientiæ profunditatem contemplatus fuit, quę tam multiplex in hoc opere conspiciebatur; potentiamque magnitudinem, quæ ex simplici materia tam multa, & diuersa membra, & organa fabricare potuit; Propheta (vt diximus) stupore & terrore Dei maiestatis, & amplitudinis, quā in hoc opere conspiciebat, affectus, hoc verbo (terribiliter) vsus est. Qua in re illi cōtigisse videtur, quod solet homini, qui aliquam rupem conscenderit, vel aliquam altissimam turrim: qui si despicit, & illam maximam profunditatem intuetur, videntur sibi in capite sensus deficere, & metu afficitur, licet in loco tuto sit. Hoc modo timebat hic vir sanctus, huius operis profunditate artificis altitudinem cognoscens.

Sed

Sed quid mirum est, Prophetam Dei plenum tantopere hoc admiratum opus,& ad eum laudandum ob id, & honorandum moueri; cùm huius admirationis partem in Philosopho gentili inueniamus? Galenus enim Medicorum princeps,qui decem & septem libros de hac admirabili humani corporis fabrica conscripsit,cùm videret in ea Dei sapientiam elucere,dixit,Hoc suum opus esse hymnum,& laudem,quam in Dei honore,& laude componebat:cùm illius honor, inquit ille, non consistat in thure, aut alijs huiusmodi rebus odoriferis, quas illi offerimus, neque in centum boum sacrificijs; sed vt per mirabile huius fabricæ artificium illius sapientiæ magnitudo, quæ hæc describere sciuit,cognoscatur;& potentia,quæ hęc omnia efficere potuit; & bonitas,quæ tam copiosè omnibus creaturis necessaria ad sui conseruationem absque vlla inuidia prouidit. Hæc Galenus, qui mirabili huius operis artificio adductus, & edoctus,illam altissimam Theologiam consecutus est. Illud enim dicere est,quod Propheta Osea Deum dixisse,dixit: *Scientiam Dei plus quàm holocausta volui.* Hęc enim cognitio omnium virtutum(vt superiùs diximus)origo,& fundamentum est. Cùm igitur hoc sit tam vtile ad mentes nostras in Dei cognitionem eleuandas,opere pretium erit,de hoc opere aliquid dicere,vt aliquid in eo videamus ex illis,quę hic Philosophus gentilis videbat; licet hanc rem fusiùs tractaturi non simus, (hoc enim opus infinitum est,& à nostro proposito alienum) sed satis sit communiora,& cognitione faciliora,ita in medium afferre,in quibus magis huius diuini artificij sapientia apparet. Osee 6.

DE HVMANI CORPORIS FABRICA, ET PRImùm de ossibus. Cap. XXIIII.

DOCTRINAE ordo postularet,vt primùm de humani corporis fabrica, & ossium armatura (quę in ossium, quibus constat, situ,& ordine cōsistit)tractaremus;sed in hac re tam multę sunt subtilitates, tot secreta, tot admirabilia, vt neque illorū declaratio mihi facilis esset,neque Lector id capere posset. Nam illi quoque,qui huic facultati ex professo operam nauant,nō sunt eo contenti,quod illorum doctrina tradit,sed imaginibus quoque,& figuris, quę eandem rem referunt,vtuntur. Neque id illis satis est, sed eò perueniunt, vt ipsa humana corpora nuper mortua incidant; vt non intellectus solùm, sed & oculi sint huius doctrinę testes. Quamobrem illud aduertendum est, antiquos Medicos existimasse maximi esse horroris,id in humanis corporibus experiri. Propter hanc causam animalia magis humana corpora referentia incidebant. Vt formosorum hominum, & mulierum elatio & superbia demittatur,& videant quibus glorientur, sciantq́; quòd corpora,quæ magis nostris similia antiqui repererunt,fuerunt(licet id dicere iniuriæ sit)simię,& suis corpora. Itaque Galenus,qui hanc rem fusiùs pertractauit, quidquid diuino ingenio conscripsit,id omne ex simiarum corporibus cōsecutus est. Propter hanc causam recentiores Anatomici,qui re ipsa compererunt nonnullis in rebus nostra corpora à simiarum corporibus differre, illius scripta corrigunt,atque reprehendunt.

Cùm igitur hæc materia sit tam varia,tamq́ue subtilis, non debeo hanc

rem tractare, vt illi faciunt; existimans non adesse vllum in illis os, neque paruum, neque magnum, quod Creatoris, qui ea sic disposuit, sapientiam, & prouidentiam non prædicet. Illud tantummodò dicam, quòd corporis humani ossa quàm plurima sunt, & omnia inter se articulis connexa, vt homo possit ludere, & membra sua incuruare, & mouere absque difficultate, neque existimet quisque paucos esse horum artus, vel ossa. Nam (vt superiùs attigimus) quàm plurima sunt hæc ossa, quæ omnia sunt inuicem connexa, inserta, & ita accommodata, tamq; perfectè commissa & commensurata, vt nullus artifex id efficere, nec tam mirabiles commissuras, tantaq; proportione inter se respondentes inuenire posset.

Et ne ossa de loco suo dimouerentur, effecit Creator tendones, & ligamenta tam firma, quibus artus continetur, vt ossa ab ossibus dimoueri, aut luxari, nisi maxima vi, non possint. Hæc igitur ossium connexio, & suis ligamentis implicatio, figura tam ad stabilitatem apta, & ad motum, & ad omnem corporis actionem accommodata, sunt voces, quæ illius summi artificis sapientiam prædicant, qui sine circino, sine regula, aut alio instrumento in huius mulierculæ visceribus sine illius opera id omne descripsit.

Quòd si quod adest exemplum, quo aliquid artificij huius operis intelligere possimus, illud est, quod posuimus ex armis, quibus totum corpus armatur, & à capite ad calcem totum contegitur: sic ex multis partibus constant commissuris, vt homo tum demittere se, tum erigere, tum dimouere, tum brachia complicare, hastam & ensem manu corripere possit. In quo quidem ars naturam quantum in se situm est imitatur, cùm penitus non possit. Quod quidem (cæteris omissis commodis) cognoscitur, cùm cernatur, quàm difficilè armatus homo sua moueat membra, quantaq; agilitate humani corporis membra moueantur, (vt in illis cernitur, qui currunt, qui se in gyrum ducunt, quique saltant) cùm longè plura sint humani corporis ossa, & articuli, quàm armorum partes.

Cum domus altæ fabrica, duabus columnis nixa, hanc humani corporis fabricam comparare possumus: hic enim crura instar columnarum sunt, in quibus totum hoc ædificium nititur; quarum bases pedes sunt, super quibus nituntur; reliqua est domus fabrica, quæ cum spinæ ossibus, per humeros vsque ad caput ductis, & multis officulis, tanquam annulis, vt catena constrictis, mirabilibus commissuris connectitur, & implicatur: à qua spinę costę proficiscuntur, vt in superiori ædificij parte culmen, à quo exeunt costæ, aut illæ trabes, quæ transuersò collocantur, & tabulata sustinent, quibus tegitur, & perficitur ędificium: super hæc autem ossium adminicula carnē, & cutem distendit Creator ad humani corporis pulchritudinem; quemadmodum vbi domus parietes constructi sunt, calce incrustamus & polimus, vt domus formosior videatur. Qui enim huius fabricæ formam effecit, tam sapiens erat, vt duas maiores perfectiones, vtilitatem & pulchritudinem, simul posuerit, quæ difficiliùs copulantur, quàm reliquæ omnes; tanta excellentia, tantoq; artificio, vt, quod sit formosius, id etiā vtilius esset: vt in fabrica, & situ omniū sensuum, & earum partium, quę in humanis vultibus conspiciūtur, quæ neq; ad suos vsus, neq; ad pulchritudinem, neque aliam figuram, neq; alium situm, quàm habent, habere possent. Hæc quoque ossium adminicula non solùm ad sta-

ad stabilitatem, & corporis staturam, verùm etiã, vt quod est infirmius cum robustiore conseruaret, quod (vt postea dicemus) huius summi artificis alia prouidentia est. Qua in re nos docet, quòd potentiores in Republica, nõ euersores eorum, qui sunt infirmiores, esse debent, sed defensores, atque conseruatores. Hæc hactenus de ossibus, & adminiculis, & fabrica humani corporis: iam de nutritionis operibus, quibus sustentantur, dicemus.

DE NONNVLLIS REBVS, QVAS SCIRE OPORTET ANTE *tractationem de prima nostra animæ parte, quæ ad nutritionem, & conseruationem corporis spectant.* Cap. XXV.

NTEQVAM de vegetatiuæ animæ facultate tractare incipiamus, nonnulla vniuersalia præcepta animaduertenda sunt, quæ ad huius facultatis cognitionem maximè conducunt. Illud igitur sciendum est, in anima nostra tres inesse potentias, aut facultates: quarum prima vegetatiua dicitur, cuius officium est corpus enutrire, & cibare: altera verò sensitiua dicitur, à qua sensum, & motum habemus: tertia intellectiua est, qua differimus à bestijs, & Angelorum similes reddimur. Has tres facultates simplici substantiæ, quæ anima est, tribuit Creator, quod tam admirabile est, quàm si creaturã effecisset, quæ Angelus & equus esset: cùm anima nostra harum duarum creaturarum, quæ tantum inter se differunt, munera exerceat; cùm intelligat, vt Angelus; & vt equus comedat, & generet. Quamobrem nõnulli Philosophi id negârunt, & has nostræ animæ tres facultates, tres esse animas asseruerũt, quas in tribus diuersis nostri corporis partibus collocârunt; vegetatiuam in hepate, sensitiuam in corde, in capite intellectiuam. Hãc autem postremam hominem esse Plato affirmabat: cùm tam humilem partem, vt nostrum corpus est, hominis essentialem partem esse negaret; sed quid, in quo anima nostra versaretur, aut candelabrũ, in quo nostri intellectus candela poneretur.

In hac igitur tractatione hanc sequemur diuisionem; primùm agemus de animæ vegetatiuæ facultate, quam cum plantis communem habemus, quæ quidem, vt nos, viuunt, & nutriuntur: deinde de reliquis duabus, sensitiua, & intellectiua tractabimus. Hoc illud est, quod primum intelligi oportet.

Secundum autem illud sit, quod omnibus notum est, cibum quotidianũ ad vitam esse necessarium. Huius autem rei illa causa est, quòd naturalis calor (quo viuimus) non minùs est nostræ mortis, quàm vitæ causa: suis enim viribus substantiam hominis, & carnem consumit, vt in ægrotis conspicitur, qui vel curis, vel inedia non comedunt, quos certis diebus elapsis infirmos, & penitus macros cernimus. In lampade huius rei exemplũ cõspicitur, cùm semper eam ardere volumus, vbi flammæ ardor sensim oleum, quo sustentatur, consumit. Quamobrem eam continuò cibare necesse est, vt, quod semper cõsumitur, resarciatur, atque reponatur. Naturalis calor idem in nostris corporibus operatur, quod flamma in lampade, qui semper nostrum humidum radicale consumit: ob id, quod ita deperditur, cibo, quem sumimus, resarciendum est. Quare illud sciendum est, nostrum corpus, vt se enutriat, à cibo sumere, quod pingue, & oleaginosum est; vt si pomum comedas, natura, vt reficiat quod deperditũ est, oleaginoso tantummodò vtitur. Cùm autem non

sit tam perfectum, quod reponitur, quàm illud, quod prius aderat, inde fit, vt humidum radicale paulatim suas amittat vires; & vbi eas penitus amiserit, cum eo vita quoque finitur, nisi quid priùs violentum acciderit, quod hominem ante hoc tempus interficeret.

Tertium autem illud est, quòd cùm totum corpus cum omnibus suis partibus nutriendum sit, necesse est in eo vias esse, per quas tum nutrimentū, tum spiritus, tum calor in omnes partes proficiscatur: propter hanc causam in totum corpus nerui, venæ, & arteriæ maiores, & minores ad id, vt ducerentur, Creator dispsosuit. Quamobrem est tanquam ciuitas, viarum plena callium, & semitarum, qua eunt, & reuertuntur, qui eam habitant: quanquam nescio, an illud accommodatius exemplum fit, si ad aliquod minutissimū rete comparauero; sic enim implicatum, & annexum, & contextum nostrum corpus est, totumq; plenum non vnius, sed quatuor generum retium, vt infrà expo-siturí sumus: quod in arborū folijs planiùs apparet, præsertim si magna sunt, in quibus tam multa cernimus fila, alia maiora, alia minora & subtiliora, vt capilli, & hæ sunt viæ per quas folium sustinetur, & enutritur. Præterea Creator voluit, vt totum corpus, vt Medici aiunt, esset porosum, meatuum scilicet plenum, vt inter omnia membra adesset communicatio.

Quartum autem illud est, sapientissimum artificem in singulis membris tres inseruisse facultates; attractiuam, commutatiuam, & expulsiuam, vt corpus nutriretur. Quodlibet enim membrum ex venis, quæ nutrimentum deferunt, attrahit, quod sibi ad nutritionem opus est; deinde in suam substantiam cōuertit, & si quid superuacaneum est, id à se expellit. Ex his autē omnibus facultatibus prima, quæ attractiua dicitur, admirabilior est. Cùm enim quatuor humores, quibus nostra corpora constant, sanguis, phlegma atra, & flaua bilis, in illam sanguinis massam cōcurrant, quodlibet membrum (tanquam si mentis & rationis particeps esset) illud ad se trahit, quod ad naturam suam spectat, reliquis omissis. Ob id os, quod durum & solidum est, & nutritur, & augetur, vt cætera membra, (vt in ossibus puerorum, qui crescunt, cernitur) ex illa massa humorem frigidum & siccum ad se trahit: id enim magis suæ substantiæ tum naturale, tum accōmodatum est. Idem cętera membra in suo genere faciunt. De Magnete sumitur exemplum, quæ licet apud se habeat diuersa metalla, ferrum tamen solum trahit, cæteris omissis. Qui ergo talem huic lapidi vim tribuit, singulis etiam membris suam dedit, vt singula ex illa massa illud sibi attraherent, quod magis esset suæ substantiæ accommodatum. Idem cernimus in delectione ciborum animalium. Nam, si vnà adesset frustum carnis, frumēti aliquantulum, & manipulus herbæ: ouis ad herbam, canis ad carnem, & gallina ad frumentum se reciperet. Animalibus autem hanc ciborum cognitionem sibi appositorum qui tribuit, hanc quoque proprietatem, & naturam singulis membris ingenuit, vt ex illa massa sibi sumerent, quod sibi esset vtilius.

Illud autem quintum est, inter hæc membra eam adesse coniunctionem, quam Apostolus toties nobis commendat. Singula enim membra & sensus mutuam operam sibi præstant, omnesq; ad communem vtilitatem, id est, ad totius conseruationem. Id tamen eo fit ordine, vt quæ minùs nobilia sunt, nobilioribus deseruiant: itaque prima concoctio, quæ fit in ore; secunda, quæ

quæ fit in ventriculo, deseruit, & hæc intestinis; illa verò hepati, & hepar cordi, & cor cerebro, quod nobilissimum membrum est (in quo Senatus & Consules, id est, sensus tum interiores, tum exteriores residēt) hoc quoque omnibus membris suppeditat. Eo exemplo conspicitur, quonam modo superiores, & optimates ad inferiorum, & popularium administrationem & vtilitatem suas actiones referre debent.

Adest hic quidem alia Creatoris prouidentia, qui in hac sua domo quidquam vanum, aut inutile esse non patitur: quemadmodum etiam in mūdo locum vacuum esse noluit; neque panis frusta, quæ in miraculo de quinque panibus superfuerunt, vt perirent passus est. Ea autem ratione ad hunc finem nostrorum corporum administrationem ita disposuit, vt quod alicui parti reliquum erat tanquam superuacaneum, idem alteri esset necessarium: vt cernimus in atra bile, quam hepar à se depellit, & splen ea pro nutrimento vtitur, quod quidem membrorum minùs nobile est: quod in diuitum domibus fieri solet, vbi famuli reliquijs dominorum suorum vtuntur. Idem fit in reliquis superuacaneis, quæ tum hepar, tum ventriculus à se depellunt. Ioan. 6.

Ad ea, quæ dicta sunt, illud accedat cognitione dignum, quodq; non minùs diuinæ prouidentiæ consilium declarat, quòd (vt Aristoteles testatur) non facit natura (id est, illius auctor) sua opera, quemadmodum cultellus, qui in insula Delpho reperiebatur, quo ad multa munera vtebātur, vt si multa instrumenta essent: sed singulis membris singula instrumēta ad suū munus esse voluit: oculos ad visum, aures ad auditum, nares ad odoratum, & cætera ad sua munera disposuit. In quo quidē nostri corporis domus quàm sit simplex & fidelis cernitur, quam quidem ipse Creator domiciliū esse voluit animæ nostræ, quam ad imaginem & similitudinem suam creauit. In domibus autem vel alicuius pincernæ, vel alicuius nobilis viri, sed tenuis, non plures, quàm vel vnus, vel duo reperiuntur famuli, qui in omnem partem suum seruitium præstant: in magnis autem palatijs, magnus adest aulicorum, & munerum numerus, & singulis muneribus adscripti sunt. Cùm enim Rex sit diues, atque potens, eam habet facultatem, qua vniuersum hunc aulicorū numerum sustinere possit. Iam igitur nulla regia domus in terris fuit vnquam (neque ipsius Salomonis, quam obstupuit Regina Saba) quæ tot haberet aulicos, tot seruos, quot regia nostri corporis domus à Creatore (vt dictum est) fabricata, vt esset nostræ animæ domiciliū: in quo cùm tam multa munera sint, nullus reperitur famulus, qui duo munera simul iuncta exerceat, sed singulis suum tributum est officium: quòd si qui plura munera habere videatur, id ex partium diuersitate oriri videtur. Hoc non solùm in quinq; exterioribus sensibus, verùm etiam in interioribus membris conspicitur. Sic ille ventriculum fabricauit, vt cibum concoqueret; intestina, vt eundem reciperēt, & defæcarēt; hepar, vt sanguinis massam conficeret; cor, vt vitæ spiritus crearet; cerebrum, vt animales spiritus concoqueret; venas, vt sanguinem distribuerent; arterias, vt spiritus vitales deriuarent; neruos, vt spiritus animales cæteris membris impertirent. Sic de alijs multis, quæ enumerare possemus. Id autem omne eò spectat, non solùm vt diuinæ prouidentiæ ordo declaretur, verùm etiā, vt ad medicā artem homines instruantur: cognita enim quali- 3. Reg. 10.

Digitized by Google

qualitate, & conditione singularum nostri corporis partium, & quomodo aliæ partes ab alijs partibus pendeant; cui parti medicamenta adhibenda sint, quæ vena incidenda, vbi cauteria inurenda, & cætera huiusmodi, non ignorant. Grauem enim ischiadicum dolorem, qui in coxendice fit, curari vidimus facto in aure cauterio, cùm illa inferior pars à superiore dependeat.

His igitur vniuersalibus rebus cognitis, ad præcipuarum partium nostri corporis vsum, & munera tractanda accedamus; vt, quàm apta, & accommodata sint ad animæ vegetatiuæ facultatem, quæ ad vitæ custodiam facit, intelligamus. In his autem partibus describendis, ac celebrandis, diuinæ prouidentiæ, quæ ea descripsit, ac disposuit, artificium, & sapientiam facilè cognoscemus.

DE MEMBRIS NECESSARIIS AD CIBI CONCOCTIOnem, atque defæcationem. Cap. XXVI.

CVM autem ad nostræ vitæ conseruationem cibus necessarius sit, multos Creator parauit seruos ad hanc alchymiam, (si hoc verbo vti licet) ad tantam enim transmutationem, vt est ex pane, vel alio quouis cibo, carnem humanã efficere, multi serui opus erant, multæ concoctiones, & cibi alterationes, vt priore forma dimissa in nostram substantiam commutaretur.

Prima igitur concoctio, & primus artifex, quo ea fieri debet, est os, quæ concoctio ita necessaria est, vt (quemadmodum Medici testantur) si quid in prima digestione peccatur, id in secunda minimè corrigi potest: sed omnibus membris sua munera præscripta sunt, & sunt inter se eo iure coniuncta, vt alterum alterius munus minimè vsurpare velit. Instrumenta verò, quibus os hanc primam efficit concoctionem, dentes sunt: in quorum fabrica iam diuinæ prouidentiæ artificiũ apparere incipit: eorũ aduersi acuti sunt, vt morsu cibum diuidant; interni verò in vtraque parte plani sunt, tanquam molares lapides, vt cibum extenuent, & molant, quod alij diuiserunt. Illud quoque est in illis, quod silentio prætereundum non est, quòd quemadmodum molendinarij malleis suos lapides percutiunt, vt melius grana conficiant; pro hac molari asperitate fecit Creator dentes non omnino planos, nec leues, sed ex aliqua parte inæquales, quod est instar illarum percussionum & scissurarum, idq; est ita firmum & diuturnum, vt per totũ vitæ tempus permaneat, neque id renouare opus sit vnquam, licet dentibus semper manditur. Cùm autem nonnulli reperiantur cibi duri, quiq; difficilè inciduntur, propter hanc causam construxit Creator in ore maiores dentes, vt hanc duritiem & difficultatem superarent. Cùm autem in his maior firmitas sit opus: voluit, vt quilibet tres radices haberet, quibus in mandibula radicarentur, cùm priores duas tantummodò habeant, quòd minorem laborem ferant, vt inde nulli rei Creator vel minimæ defuisse conspiciatur. Hæc autem confectio lingua, quasi clibani pala adiuuatur, qua modò in hanc, modò in illam partem conuertitur cibus, vt penitus extenuetur, & molatur.

Post os autem sequitur stomachus, qui ad se trahit cibum, & ad ventriculum demittit, qui est cæterorum membrorum vniuersalis coquus. Sed antequam ad alia procedamus, illud animaduertẽdum est, quòd ab illa oris parte,

quæ

quæ gulæ proximior est, duæ fistulæ ducũtur: altera est stomachus, per quem cibus & potus ad ventriculum perducitur, quæ semper clausa est, ne per illam ingrediatur vel aër, vel frigus, quod sit illi impedimento, quò minus perficiatur concoctio; sed aperitur & dilatatur cibo, quem ad se ventriculus trahit. Altera verò fistula ad pulmones pertingit, per quam spiramus, & loquimur, & semper aperta est, vt per illam semper spiremus: propter hãc causam ex annulis illam Creator construxit, cùm sit quibusdam circulis quasi annulis constructa, licet non tota, sed ex tribus partibus duæ tantùm, vt ita semper dura, & aperta ad suum munus relinquatur. In illius tamen ore est quædam lingula tenuis, tantoq; artificio collocata, vt idem aer, quo spiramus, illam adaperiat, & claudat, vt pistrini ostium maris fluxu, atque refluxu, dum crescit, atque decrescit. Hæc autem lingula eum vsum præstat, ne per pulmonum fistulam, vel puluis, vel aer malè affectus, eis aliquod impedimentum afferre possit.

At fortasse quis à me sciscitaretur, cur ex tribus partibus duæ tantùm huius fistulæ sint annulis constructæ, reliqua verò non, sed ex materia molli, & flexibili sit? Hic iàm diuinæ prouidentiæ, quæ nullius rei obliuiscitur, artificiũ apparere incipit. Nam si tota illa fistula esset annulis compacta, & distẽsa semper esset, neque duplicaretur, periculum immineret, ne aliqua magna buccea suffocaretur; at cùm certa pars sit mollis, in ea scilicet parte, qua cum stomacho iungitur, dilatatur, & cedit, vt buccea inde sine hoc periculo pertransire possit.

Hic autem alia est admirabilior prouidentia. Dicet enim fortasse quis, si fistula, quæ ad pulmones pertingit, aperta esse debet, per eam cibus & potus ingredi poterit, & ita homo suffocabitur. Re enim cernitur, quòd si qua guttula aquæ per illam intrat, maximis opprimimur angustijs, & tussis excitatur, vt illud, quod illuc ingressum est, eijciatur. Quod autem huic periculo remedium? Illa infinita sapientia id quoque inuenit.

Illud autem sciẽdum est, quòd hæc fistula in superiori parte est cum stomacho coniuncta. Vnde fit, vt cùm ventriculus ad se cibum iam mansum trahit deorsum, & cum illo stomachus quoque demittitur, & quò magis hic deprimitur, eò magis se erigit fistula pulmonum; vt fit, cùm duæ sunt fitulæ ad aliquem puteum accommodatæ ad aquam hauriendam, vt quò magis alteram demittas, eò magis alteram extollas. Hæc igitur cùm extollatur facit, vt nihil, neque cibi, neque potus per illam ingredi possit. Quod prudens lector per se ipse experiri potest, si ad nucem, vel pomum, quod in gula habet, manum apposuerit, & saliuam deglutierit. Statim enim sentiet, hoc os se erigere, & ad superiorem partem extolli, vnà cum fistula, cum qua iunctum est. Hoc est illius summi artificis præcipuum opus, qui rationem inuenit, quam nullo modo humanum ingenium assequi posset, cùm has fistulas ita collocasset, vt stomachus duplicem vsum præstaret, cibum ad ventriculum deferre, & efficere, vt os fistulæ pulmonum extolleretur, ne hac ratione quidquam ab homine sumptum per illam ingrederetur, & sic suffocaretur. Ad quod conducit etiam illa lingula, de qua diximus, vt nihil per illam ingrediatur.

Iam igitur ad ventriculum reuertamur, qui statim cibum alterare incipit,

pit, & in aliam formam conuertere, quo loco fit secunda concoctio. Hæc autem cùm sine calore, & sine igni perfici non possit, ad id cor cōducit, quod quidem illi proximum est, & ita huic ventriculi testæ ignem administrat. Hepar quoq; illi proximū, & calidum membrum, suum calorem suppeditat. Flaua quoq; bilis, quæ tanquam ignis ad id conducit, & id admirabilius est. De vesicula enim, vbi commoratur, ducitur vena ad ventriculū, qua decurrit flaua bilis, vt ventriculum calefaciat, qui duabus tunicis constructus est. Illa autē bilis per venam istam inter vtranque tunicam ingreditur, & tanquam ligna accensa huic testæ supponitur, vt illam calefaciat. Quis hoc loco Creatoris summam prouidentiam non adorat, & admiratur? Cætera quoque membra, tanquam si iudicium haberent, & scirent, quòd ventriculus omnibus cibum porrigit, sic omnia suum calorem suppeditant, vt hæc concoctio perficiatur. Inde fit, vt à cibo tum pedes, tum manus frigescant. Horum enim membrorum calor ad cibi concoctionem se recipit, & auxilium fert, quo quidem & ipsa enutriuntur. Id autem fit per virtutem, quā Medici totius corporis vel regentem, vel regitiuam appellant: quæ est tanquam alicuius magnæ domus magister, ac distributor huius regiæ domus, in qua nostra anima inhabitat. Hæc autem illa est, quæ has (vt ita dicam) applicationes facit, & alia huiusmodi opera, quæ ad vitæ conseruationem necessaria sunt.

Ex ventriculo statim cibus ad intestina defertur, ex quibus innumerabiles, & tenues venæ ducuntur, quæ ita dilatantur, & in ramos distribuuntur, vt tandem in vnicam desinant venam, tanquam truncum, quæ vena porta dicitur, quæque inferiorem hepatis partem pertingit. Quare eandem figuram, quam arbor habet, nisi quòd in hoc differunt, quòd in arbore à radicibus humor ad truncum, & à trunco ad ramos ascendit: hic autem contra fit; nam quò sunt intestinis viciniores, hoc etiam sunt tenuiores: quòd eo factum est, ne quid crassum per eas vel exeat, vel ingrediatur ad hepar, (in quo fit tertia concoctio) sed multò tenuia solum, & liquida. Ad id quoq; conducit potus, vt cibus liquidior, & tenuior fiat, vt eò per has tenuissimas venas duci possit.

Vt autem redeam ad rem, ab his tenuissimis venis ab intestinis nascentibus, & præsertim ab illis, quæ ventriculo proximiores sunt, hepar trahit cibum concoctum, & confectum, & in intestinis, quod impurius est & crassius, ad nutriendum relinquit. Ne quid (vt diximus) in hac Dei domo disperdatur: quod autem alicui membro superuacaneum est, alij necessarium est. Vt autem ad id meliùs fieri possit, hic summus artifex voluit, vt intestina longas haberent orbium ambages, (sunt enim longitudine amplius, quàm sexaginta palmis) vt tam longo spatio tantum temporis haberet hepar, quod ad trahendum, quod sibi vtile est, satis esset. Quod ad vitam quoque ciuilem homini conducit. Nam si vnicum intestinum, & breue esset, non satis probè hepar cibo vti posset: & ita homo semper fame laboraret, & tertio quoque gressu ventrem exonerare illi opus esset. His omnibus rebus Creator, qua ratione diximus, prouidit.

Vbi verò intestina hæc munera præstiterunt, exerementa, quæ ad nihil aliud conducunt, per suum orificium depellūt, quod in secretiore nostri corporis parte, & à sensibus procùl, fabricatum est. Quod Tullius & animaduertit,

tit,& amplificat,cùm inquit: Vt in ædificijs architecti auertunt ab oculis, & à naribus dominorum ea,quæ profluentia necessariò tetri essent aliquid habitura; sic artifex ille summus nostrorum corporum domus, in qua morantur animæ, procul amandauit ab oculis,quod nobis molestiam, & ingratũ odorem, si alio loco esset collocatum,afferre posset. Hoc autem loco Theodoretus exclamat, Deumq; glorificat,quòd tanti fecerit, quod homini conueniebat, vti (cùm esset omnis puritatis fons) ad nostram vilitatem oculos suos conuertere non dedignatus sit, suasq; manus in ea re ponere, quam nostris oculis indignam esse existimamus; vt inde in omnibus esse admirabilis facilè videatur.

Neque hic prætermittendum est, quàm sit in nostra intestina benignus. Cùm enim sint tenuia,& lubrica substantia,(licet vilia,& ad sua munera accommodata) non neglexit tamen ea, imò illis telam parauit satis mollem, & pinguedine refertam,quæ tanquam culcitra est,qua inuoluuntur, & circundantur, vt meliùs custodiantur.

Iam ad hepar,in quo tertia fit cõcoctio & alteratio cibi,reuertamur; quod ad se liquidiorem cibi partem trahit per illas tenuissimas venas, de quibus diximus, & eam reponit in suos sinus, foramina & poros, quibus refertum est. Hoc autem sanguineo colore cùm sit, ex albo in suum colorem conuertit. Neq; prima purgatione contentum, in qua purum ab impuro separauit, hoc aliam addit perfectiorem, suo naturali colore præterea coquendo cibo,quẽ susceperit,& impuriore à se depellendo, vt testa fit in qua concoquitur caro, cùm ad ignem bullit. Cùm autem in cibo, quem ad se traxit, sint quatuor humores, phlegma,sanguis,atra,& flaua bilis; quod de bili atra superest, ad splenem amandat, quam per suas fistulas & canales ad se trahit, & se ex ea nutrit. Flauæ autem bilis reliquias ad fellis vesiculã,quæ eidem hepati affixa est,mittit, quæ quidem ad se hunc trahit humorem,quo pariter nutritur. Habet ipsa etiam suas venas,& vias; quæ si fortè obturentur,& oppilentur, hic biliosus humor per totum corpus dispergitur, & homo fit flauus,& ictericus. Sed cùm in sapientis domo,vt dicitur,nihil sit otiosum, superiùs duo dicta excrementa, atra, & flaua bilis,alias quoque opportunitates habent, vbi depulsa sunt. Flaua enim bilis nonnullas habet vias, quibus ad intestina descendit,quæ sua acritate mordet, suiq; caloris vi efficit,vt excrementa descendant, & intestina eo onere leuentur. Intestina enim nullam per se habent vim,qua id efficere possint. Atra verò bilis, quæ in splene moratur, famem excitat, & cibi cupiditatem,sine qua penitus animal periret,nisi haberet hunc excitatorem, qui solicitaret. Id autem fit,cùm erigit se,& eam ventriculi partem, vbi fames excitatur,crispat. In quo duo admiratione digna sunt;alterum, flauam bilem descendere, quæ cùm natura ignea sit,ascendit; alterum est,atram bilem ascẽdere, quæ cùm sit terrea,deberet descendere naturali conditione. De quo Auicenna magnus Philosophus admiratus, licet Mahometanus, facere non potuit,quin diuinam prouidentiam laudaret, quæ hæc duo admiranda facit, vt nostram conseruet vitam, ignem descendere,& terram ascendere. Quod si Mahometanus facit, quid Christiano homini iure,tum in hoc, tum cæteris mirabilibus faciendum est?

Aliud excrementum reliquum est præter duo, de quibus diximus, aquositas,

tas, & humiditas eorum, quæ bibimus, quam diximus eum vsum præstare potissimùm, vt faciliùs cibus & potus per omnes corporis venas, quarũ multæ tenuissimæ sunt, penetrare & permeare posset. Sciendum igitur est, quòd vbi id confectum est, hunc humorem à se, tanquam inutile pondus, dimittit; cuius pars, cùm homo exercetur, in sudorem conuertitur; pars verò per eadem vestigia ad venæ magnæ truncum, quæ ab hepate procedit, vnde egressus est, reuertitur: sub quo collocati sunt renes, qui suas continent concauitates & sinus, vbi vrina deriuata, quam ad se per quasdam venas trahunt, quas emulgentes vocant, ad hoc officium accommodatas, conquiescit. Cùm autem tantam huius humoris quantitatem continere nequeant, receptaculum, quæ vesica est, in quam hic humor colligitur, Creator præparauit. Ratio autem, qua vrina in hoc stagnum influat, ita mirabilis est, vt Galenus gentilis Philosophus nos adhortetur, vt diuinæ prouidentiæ artificium maximopere admiremur. Nam ex his duobus renibus duæ ducuntur venæ, quæ vreteres vocantur, quæ ab vtraque parte renum pertingunt ad vesicam. Quæ cùm valde tenues & molles sint, maximum dolorem pariunt his, qui renum calculo laborant, quòd per illas lapis in vesicam descendit, ex quo fit, vt illorũ dolores sint parientium doloribus similes. Iam ad ostium, per quod tum hic humor, tum lapis in vesicam descendit, veniamus. Illud sciendum est, hanc vesicam binas tunicas, vel subuculas habere inuicem coniunctas, & quæ venæ vreteres dicuntur, quælibet per se in harum tunicarũ primam pertingit, idq; fit tenui quodam foramine, quod ad id tantummodò habent: in altera verò tunica interiori alterum adest foramen, non huic è regione positum, sed inferiùs, & per has venas, quas diximus, quæ in itinere multas habent ambages, vrina inter vtranque tunicam permanat, donec ad foramen interioris tunicæ perueniat, qua in vesicam influit, quo loco minimè fieri potest, vt reuertatur, cùm ambæ tunicæ valde inter se coniunctæ sint. Id in folle, quo luditur, videre licet, cùm idem vetus ostium, per quod ingressus est, claudat aliquantulo corij, quod illi oppositum est. Hoc igitur modo cùm vrina ingrediatur per primæ tunicæ foramen, & cùm inter vtrasque ducatur ad secundum secundæ tunicæ foramen, quod (vt diximus) à primo longè abest, regredi minimè potest: quoniam hoc secundũ foramen prima tunica cooperitur, quæ ita secundæ tunicæ accommodata est, vt hoc foramen ita obturet, vt neq; vrina reuerti, neq; aer per illud ingredi possit. Id quotidie videmus re ipsa: pueri enim animalium vesicas per suam fistulã inflãt, & eam vento implent, quæ deinde bene ligata, ita aeris plena permanet, vt ne minima pars illius regredi possit. Hoc loco, qui hoc sciunt ab ipsis, quæ ignorant quærere solẽt, qua via tum vrina, tum lapis ingressus fit, qui in vesica reperitur, cùm ita in omnibus suis partibus clausa sit, vt ne minima quidem pars aeris, vel ingredi, vel regredi possit? Huius rei illa causa est, quam diximus, quæ infinitæ sapientiæ descriptionem, & artificium nobis declarat, cùm hæc tam sapienter disposuerit. In quo quidem videmus, quòd quemadmodum tam longa intestina esse voluit, vt cibi concocti excrementa retinerent, ne tertio quoque gressu ventrem leuari necesse esset; ita quoque hoc parauit stagnum, ne illi semper mingere necesse esset. Ad os autem huius vasis suam posuit seram, qui quidem est quidam paruus neruus, qui stringit illud ostium, atque claudit,

dit, tanquam si duobus digitis collum illius follis, quo defertur vinum, stringeremus, ne quod intus est deflueret. In qua re non minùs, quàm in superiori, diuina prouidentia relucet, quæ ita hunc paruum neruum imperio nostræ voluntatis subiecit, vt quotiescunque velit aperiatur, vt ille humor deijciatur; cùm autem eundem retinere velit, clauditur, & stringitur. Pro quibus rebus omnibus Conditor tam multarum rerum admirabilium & prouisionum sit benedictus.

De Iocineris munere.

IAM ad iecur reuertamur, prædictis excrementis iam purgatis, & ad sanguinis distributionem, qui iam in illo generatus est. Illud præsciendum est, iecur esse tanquam alicuius magni domini promum, qui omnibus suæ domus iusta præbet; vt, quemadmodum ventriculus est coquus, sic iecur sit promus, & distributor. Totam igitur sanguinis massam in duas præcipuas diuidit partes: quarum altera, est ad omnium membrorũ, & ossium nutritionem, qui sanguis per omnes totius corporis venas, quæ suam originem ab hepate ducunt, digeritur. A quo truncus oritur, id est vena magna, quæ caua dicitur, quæ tanquam arbor in ramos, sic in diuersas venas distribuitur, quarum aliæ sunt maiores, aliæ minores, vt in arborum ramis & folijs facilè cernitur. Hę igitur ita per totum corpus sparsæ deferunt sanguinem, cum cæteris humoribus permixtum, & in singula membra distribuunt ita, vt nulla pars neque superior, neque inferior sine sua portione relinquatur: quam quidem partem per virtutem attractiuam, de qua diximus, ad se trahunt, & reuocant, quod suę naturæ sit maximè accommodatum. Itaq; ossa, quę sunt dura, ex quatuor humoribus ad se trahunt, quod est frigidum & siccum: hi enim duo humores sunt illorum naturæ, quæ solida est, accommodati. Ex quo fit, vt aliud admirabile appareat, quòd cùm sanguis sit corpus graue, quod natura deorsum tendit; tamen ab hepate ad caput, vt illud cum omnibus ossibus, & os basilare, quod in illo est, enutriat, ascendit. Ex hac autem massa supersunt reliquiæ, & excrementa: quæ vt essent inutilia, Creator passus non est. Ex illis enim capilli, & pili in virorum barba fiunt.

In hanc igitur rem maior sanguinis pars consumitur: altera verò pars in cor ducitur, quod cùm duos habeat ventriculos, vel sinus distinctos, hũc sanguinem in priore ventriculo recipit, & ibi maxima sui caloris vi ille iterum concoquitur, & purgatur, & per pulmonũ fistulam à se depellit, tum fumum, tum caliginem, quamcunque habet. Ex hoc autem primo ventriculo ad secundum defertur, vbi aliam recipit concoctionem, & ex sanguine venali arterialis fit, qui sanguis tenuissimus & calidissimus est, qui ad spiritus, quos vitales appellamus, generandos conducit. Hi enim sunt, qui calorem, & vitam nostris membris afferunt. Hac ratione illa infinita sapientia, & prouidentia, ita omnia suauiter disponit, vt quæ imperfectiora sunt, & rudiora, gradatim perfectiora, & tenuiora, & (vt ita dicam) spiritaliora euadant. Ad id aũt sua vasa, suos sinus, cum suis præcipuis proprietatibus & viribus parauit, vt id satis commodè fieri possit; vt in his duobus cordis ventriculis, & in omnibus, de quibus infrà dicturi sumus, videre licet. Quod si diligẽter in animo euoluerimus, nos quidẽ obligabit sæpe illud cum regali Propheta dicere:

Digitized by Google

Psal. 103. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.*

Post hoc autem statim sequuntur arteriæ, quæ ab eodem corde proficiscuntur, quæ in se ipsæ trahunt sanguinem, quem arterialem diximus, & spiritum vitalem, & per totum corpus ducunt. Quemadmodum venæ à iocinore originem ducunt, quæ sanguinem trahunt, qui nutrit, vel nutrimentalem, quo nutrimur: sic & arteriæ diuiduntur, & in ramis per totum corpus, vt & venæ distribuuntur. Quod fit eo ordine, vt sub venis sint arteriæ collocatæ, quod huius fabricæ maior architector ita disposuit, tum vt arteriæ, quæ maioris dignitatis sunt, habeant hoc opertorium, vt meliùs custodiantur; tum quòd ita sub venis positę, suum calorem sanguini impertiuntur, sine quo sanguis congelasceret, & cogeretur. Nam hic sanguis arterialis, qui à corde promanat, est calidissimus, cùm & fons, à quo manat, sic se habeat. Cùm autem hic sanguis maximè vigeat, maximeq; agat, has arterias muniuit Creator duabus tunicis, tam robustis, vt si membrana constructæ essent: ne hic sanguis erumperet, & de suo loco efflueret. Hic autem sanguis arterialis per truncum cuiusdam magnę arteriæ, quæ in corde radicata est, influit: qui truncus in brachia distribuitur primùm, deinde in plures ramos ita per totum corpus dispergitur, vt faciunt & venę, quoad in tenuissimas diuisæ pen itus sint: horum autem ramorum alter ad omnia membra pertingit, quæ subter præcordijs sunt, vsque ad pedes; & alter ascendit ad superiora, vsque ad caput, neque solùm, vt his altioribus partibus calorem, & vitam impertiatur, sed vt ex illo spiritus animales, de quibus hic tractaturi sumus, generentur.

De Corde.

CVM autem hic sanguis in corde generetur, & de eo agamus necesse est. Hic autem tanquam rex sedet in pectoris medio, alijs præcipuis membris stipatus, quę ad vitæ gubernationem conducunt. Membrum autem calidissimum est: huiusmodi enim esse oportebat illud, quod cæteris membris vitalem calorem infundere debebat. Tantus est illius calor, vt si statim aliquo animali occiso instar bouis immitteres manu in corde illius, calorem ferre minimè posses. Duos habet in se ventriculos, vel sinus; alterum in dextera, alterum in sinistra parte accommodatum: sunt autem inter se quodam paruo quasi pariete ex cordis substantia, quæ caro quædam dura est, diuisi. Huiusmodi autem à Creatore facta fuit, quòd sanguinem contineat calidissimum, & vigentem in eo genitum, ne per illius parietes exsudaret. Ex horum ventriculorum primo influit sanguis in secundum, vt ibi perficiatur, vt diximus: in quo alia summi artificis prouisio cernitur, id est, foramina, per quæ vterque sanguis influit, & refluit, in quibus suas collocauit fores, quæ aperiuntur, & clauduntur, & extolluntur. Illæ autem sunt nonnullæ tenues telæ similes foribus molendinarijs, quæ in mari fiunt, de quibus suprà diximus, quæ ab eodem mari cùm fluit, & refluit, clauduntur, & aperiuntur. Nam sanguis hoc quoque loco cùm influit, eas aperit, & claudit, ne refluere possit.

De Pulmonibus.

CVM

CVM autem cor sit calidissimum, vt diximus, sapientissimus ille artifex parauit pulmones ad id, vt perpetuò illud refrigerarēt, ne suo calore suffocaretur. Hoc quidem in officio, tum cùm vigilat homo, tum cùm dormit, semper se continet: in vtroque enim tempore respiramus. Propter hanc causam in pulmonibus raritatem, & assimilem spongijs mollitudinem, esse voluit, (ex quo in Hispanijs nomen, Liuiano, ortum est) vt faciliùs mouerentur, dilatarentur, ac contraherentur. Vt hoc membrum tanquam folles semper dilatentur, & contrahantur, & frigidum aerem in dilatatione trahāt, in contractione verò calidum, qui à se prouenit, depellant: cor autem, vt illis præmium huius officij tribuat, suæ mensæ cibis eos dignos efficit. Cùm enim cætera membra venarum sanguine nutriantur, (qui tanquam omnium panis communis est) hi soli mensæ sui domini accumbūt: nutriuntur enim sanguine arteriali, qui in corde conficitur, qui purissimus, & perfectissimus est.

Hi pulmones præterea ad vocem suum officium pręstant: cùm enim aer, quem à se depellunt, aliquo impetu exeat, & lingulam, quam in eius introitu habemus, attingit, tum vox efficitur. Inde fit, vt si quo crasso humore inflata sit, vix illius voces audiamus, qui hoc morbo laborat, & multò minùs cùm corrosa, & corrupta est. Hîc autem animaduertendum est, quòd os fistulæ pulmonum neque magnum, neque rotundum est, sed vt fissura illius vasculi fictilis, in quod pueri solent suos nummos demittere, quod maximè ad vocem conducit: hoc autem modo & tibiarum, & fistularum ora accōmodata sunt: hac enim ratione cùm aer tenuis ingrediatur, vox efficitur. In quo quàm optimè conueniat ars cum natura, quàm Deus creauit, licet natura prior fuerit quàm ars, facilè conspicitur.

Hîc autem maxima consideratione dignum videtur, Creatoris omnipotentiam, & sapientiam potuisse carneam tibiam conficere, quæ ad canendum esset accommodata. Tibiam, aut tubam ex aliqua solida materia conficere, vt est lignum, aut metallum, mirum non est: materiæ enim durities ad emittendam sonis vocem est accommodata. Id autem ex carne conficere, (vt est pulmonum fistula) eaq; nonnullas voces tum fœminarum, tum virorum cōfici, quæ magis Angelorum, quàm hominum esse videntur; has autem tanta tonorum varietate, ac punctorum, sine tibiarum foraminibus, quę ad hanc rem perfecta sunt; hoc illius summi artificis, qui hac ratione huius fistulę carnem disposuit, vt in ea vocem dulciorem & suauiorem, quàm voces tibiarū, cęterorumq; instrumētorum, quæ humana industria excogitare potuit, emitteret, potentiam & sapientiam penitus declarat. Neque sine admiratione est varietas, quæ in ea fit, cùm emittuntur voces, quæ cum alijs vocibus consonent, & modulationes fiunt: reperiuntur nonnulli meatus tenues, in quibus acutè soni fiunt, in alijs ita grauiter, vt tota ecclesia circumsonare videatur; quod si deesset, æquabiliter concentus minimè fieri possent. Quod ita descripsit, & ordinauit diuinus ille artifex, vt hac suauitate, & melodia diuina celebrarentur, & sibi suę laudes canerentur, & fidelium mentes ad pietatem excitarentur.

Illud quoque hîc animaduertendum est, quòd si ad vocem, quæ hinc egreditur, linguę instrumentū additur, vox inde articulata fit, & distincta, &

sermo

Digitized by Google

sermo efficitur: adhibemus enim linguam ita, vt nonnunquam ad dentes pellat, nõnunquam in nostri oris partes interiores: in quo videre licet, quonam modo ars naturam imitetur in illis instrumentis, quæ excogitauit, vt sunt tibiæ, & organa. Vt enim in organis (vt ab illis exemplum sumamus) adsunt nonnulli folles, qui aerem ad illas fistulas emittunt, sonator verò nonnullis paruis lignis tangendis varios facit æquabiliter sonos: Sic etiam cùm pulmones aperiuntur, & clauduntur, follium officio funguntur; qui cùm contrahuntur, per suam fistulam hunc eijciunt aerẽ, quem à se depellunt: lingua verò vibrando in partes oris prædictas, tanquam in illa organi parua lingua, vox articulata fit, & sic diuersa formantur verba, quibus homo (vt ciuile animal, & politicum) sua consilia, & animi conceptus, cum hominibus tractat, & exponit. Idem exemplum ex tibia sumere licet, per cuius fistulam, tãquam per pulmonum arteriam aer discurrit, qui ab illis proficiscitur: diuersis autem illius foraminibus tangendis, est, vt cùm lingua ad diuersas oris partes intus pellit; & quemadmodum tibia diuersos emittit sonos, diuersis foraminibus tangendis, sic & lingua diuersis nostri oris partibus tangendis diuersa verba format. Hac ratione Creator loquendi facultatem, communicandi hominibus, quid sentiamus, nobis tradidit. Quod cùm ex omnibus animalibus sit hominis proprium, sic est Creatoris singulare beneficium, quo quidem multi carent. In quo quidem maximè diuina prouidentia elucet, cùm calido aere, quem à se depellit, quod sit noxius, vtitur ad rem tam vtilem, vt vox hominis est, atque sermo. Noluit enim ex suis operibus quidquam reperiri, quod esset inutile, & abiectum; quod licet ad hanc rem non conduceret, ad aliam tamen (vt dictum est) accommodatum esset.

Habent præterea aliam facultatem & vim pulmones, vt aerem, qui per illos ingreditur, ad spiritus vitales (quos diximus) disponant, qui ex vaporibus arterialis sanguinis, vnà cum aliqua huius aeris parte efformantur. Qui cùm per omnes sinus, & meatus pulmonum diffundatur, ab eo virtutem ad hunc vsum accipit. Qui spiritus non solùm nobis vitam suppeditant, verùm etiam ad alios vsus non minùs vtiles conducunt; sunt enim materia, ex qua alij nobiliores spiritus generantur, qui animales dicuntur, per quos mouemur, & sentimus, vt mox dicturi sumus.

Consideratio in prædicta.

IAM tempus est philosophandi in ea, quę superiùs à nobis dicta sunt. Differemus quidem, quonam modo omnia diuina sapientia ordinat, atque disponit (vti diximus) suauiter, quod est à causis ad suos effectus procedendo, & causas cum effectuum dignitate, quos producũt, ea proportione coniũgendo, vt quò forma, quam introducere vult, est nobilior, eò perfectiùs disponit materiam, in qua recipiẽda est: ne inter causam & effectum disconuenientia sit, & ne inter materiam, & formam, quæ ab ea proueniet, proportio desideretur. Vt autem à prima nutritionis, sustentationisq; nostræ causa incipiamus, cibum mandi cernimus in ore, & ita disponi, vt in ventriculum tritus & confectus descendat: quo loco illam sibi formam contrahit, quam Medici chilum vocant, qua ab excrementis, quæ per intestina depelluntur, segregatus disponitur ad iecur, in quo sanguinis formam,

formam, quæ perfectior est, consequitur. Hic autẽ iam defæcatus, & segregata atra, & flaua bili, cum reliquijs eorum, quæ comedimus & bibimus, disponitur, vt in priorem cordis ventriculum influat. Hic autem iterum perficitur, & purgatur, vt ad sinistrum ventriculum promanet, vbi spiritus vitales formãtur: hi verò ita dispositi, sunt accommodata materia, ex qua nobiliores spiritus, quos appellari diximus animales, conficiuntur.

Ex prædictis intelliget prudens Lector, quod iam docuimus, ordinem scilicet, quem diuina maiestas seruat in rerum creatione, cùm materiam formæ dignitati, quam receptura est, respondentem ita constituat, vt quò forma est nobilior, ita maior sit materiei dispositio, quæ ad formam recipiendam paratur. Hunc autem eundem ordinem spiritalibus rebus si tribuerimus, facilè intelligemus, nos debere ita parare & disponere animum nostrum, vt statui, & gratiæ, quam impetrare cupimus, proportione respondeat. Hac ratione pœnitens, si cupit Confessionis effectum & fructum percipere, suorum peccatorum dolore, pœnitentia, & suæ conscientię examinatione dispositus, & paratus accedere debet. Quòd si fructum quoque Sacramenti altaris capere velimus, aliam quoque perfectionem & dispositionem adhibere debemus. Hoc enim Sacramentum est præstantius, & diuinius, ad quod pietate, & deuotione actu, non solùm peccatis liberi, sed etiam ab omni cogitatione, quæ amouere illius deuotionem, vel imminuere possit, accedere debemus. Neque solùm ad Sacramenta, verùm etiam ad reliquas gratias, & spiritalia dona, vt suę dispositiones, & præparationes precedant, necesse est. Huius autem rei illud caput sit, quòd quicunque Spiritus sancti consolationibus, & iucunditatibus frui desiderat, à se procùl voluptates, & illecebras huius mundi amouere debet: quemadmodum & Dauid facere solebat, cùm inquit: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Psal 76.

Ita etiã qui ad Dei amoris perfectionem aspirare vult, omnes huius mundi amores inordinatos à se depellere debet. Quòd si ita ad Deum accedere cuperet, vt cum illo vnus spiritus fieret, quod est spiritalem hominem, & diuinum fieri: debet, quantum in se situm est, quidquid in se carneum est, & terreum, deprimere, & quasi extinguere, si diuinis rebus impedimento est. Quòd si cuperet illi Domino similis euadere, qui vnicum, & summum bonum est; quatenus bonum est, debet ab improbis longè discedere; quatenus verò summum est, non debet se in humilibus rebus continere, licet improbæ non sint; quatenus vnicum est, non debet se multis rebus implicare, licet bonæ sint: si nimiæ sint, & huiusmodi, quæ tum propter multitudinem, tum nimiam occupationem, deuotionis & pietatis spiritum penitus obruerent. Vt autem id assequi possit, debet se ad contemplatiuam vitam conferre, imaginatiuamq; quietam, cùm ad Deum suas cogitationes cõferre vult, continere debet; atque vt Sancti inquiunt, debet in rebus huius mundi esse cæcus, mutus, atq; surdus, quod si fecerit, suæ animę domum expeditiorem, & puriorem, & curarum tumultu liberiorem habebit; quòd si contrà fecerit, facere non poterit, quin ab illis maxima molestia afficiatur. Qui tandem ex animo Deum inuenire cupierit, is ex animo quoque eum inquirere debet: & quicunque ab eo magna dona obtinere contendit, laborem, diligentiam, & vigilantiam rerum desideratarum dignitati æquare debet. Vt is, qui maximè literatus esse cupit, valde

Digitized by Google

Prou.2. etiam diligens in studijs esse debet. Hoc docuit Salomon, cùm inquit, quòd si veram sapientiã consequi studemus, eam eo ardore quæramus, quo conantur homines sibi numos comparare, eorumq; cupiditate, qui terram defodiunt, vt thesauros inquirant. Ad quod & illud Moysis spectat, quod inquit, nos in-
Deut 4. uenturos esse Deum, si eum toto corde, & tota mente nostra inquisierimus.

Hæc autem est Dei consuetudo communis, & ordinaria, qua sua dona, & gratiam suis creaturis communicare solet, vt priùs illas ad id disponat, atque præparet. Illud tamen verum est, quòd cum non sit ille agens naturale, his legibus, quas ipse consuetudine seruat, non subijcitur. Ipse autem sæpe, nulla præcedente dispositione, neque temporis interuallo, maximas mercedes & gratias, subitò, quibus vult, concedit, vt suam liberalitatem, & munificentiam patefaciat, sicut in sanctorum Pauli, Matthæi, Ioannis, & Iacobi vocatione animaduertere licet, qui dum sua retia reficiebant, ad Apostolatus dignitatem vocati sunt. Hæc autem satis de anima vegetatiua, quę ad vitam degendam conducit.

INTRODVCTIO AD ANIMAE SENSITIVAE, ET *spirituum animalium tractationem.* Cap. XXVII.

INITIO huius, de nostri corporis fabrica, tractatus diximus, Philosophos tres animæ nostræ differentias posuisse: primam dicunt vegetatiuam, quã & plantę habent; secundam sensitiuam, quam beluæ; tertiam intellectiuam, cuius homines participes sunt: eo tamen modo, vt cùm sit simplex, & spiritalis substantia, has tres facultates habeat. Illa enim est, quæ per sua prædicta instrumenta nostrum corpus sustentat; illaqúe, cuius causa nostri sensus, & motus, & nostri intellectus ratiocinatio fiunt. Cùm autem hactenus de inferiori parte, quæ vegetatiua est, quam plantæ possident, egerimus; iam ad illius tractationem nos accingemus, à qua vitam sensitiuam, vt beluæ, habemus. In qua eò magis diuina sapientia relucet, quàm in superiori, quò est etiam illa nobilior.

Propter hanc causam igitur sciendum est, quidquid hactenus dictum est, ad nihil aliud, quàm ad nostrorum corporum nutritionem, & vitam conducere. Sed cùm eo non possit homo de loco ad locũ moueri, nec rerum diuersitates, quæ in mundo sunt, videre, sine quarum cognitione fieri non posset, vt homo naturaliter ad Creatoris notitiam perueniret, fabrica imperfecta esset, non minori liberalitate in hac re, quàm in cæteris, in homines rerũ Conditor vsus est: imò in illis, præter hepar, & cor, tertium creauit principium, in quo tanquam in fabrorũ officina fabricantur atque elaborãtur spiritus, per quos videmus, audimus, gustamus, tangimus, & mouemur, propter hanc causam à Latinis animales dicti, qui ex vitæ spiritibus, quos fieri in corde diximus, generantur. Hoc tertiũ principiũ cerebrũ appellamus, cuius sedes in superiori nostri corporis parte collocata est; non quòd hic situs esset illi vel tutior, vel melior, sed vt esset oculis proximior, qui quidem nullo modo alio loco esse potuerunt, cùm exploratores (vt quidem sunt) nostri corporis, & speculæ vice futuri essent. Propter hanc causam rerum Conditor illũ errorem emendauit, qui in situ erat, cùm illud contexerit tum capillis, tum corio, testaq; vel crusta

fictia

fatis dura, atque robusta, quę tanquam galea illud munit, vt non facilè feriri possit: duabus præterea telis, altera crassiori, quæ dura mater; altera tenuiori, quæ pia mater dicitur, cerebrum, & eius caudam, & omnes neruos circundat. Cùm autem dixerim, caudam; illud sciendũ est, tanquam caudam cerebrum habere, quam vt plurimum spinæ medullam vocamus, quæ ab inferiori cerebri promanat parte, & cùm exeat per maius foramen, quod in occipitis osse sit, per spinam vsque ad finem magni ossis descendit, & semper tenuior fit.

Quòd autem hîc de spiritibus animalibus, qui in cerebro generãtur, tractaturi sumus, & de vitalibus, qui in corde fiunt, tractatio finitur; operæ pretium me facturũ esse video, si rationes adduxero, cur tum omnes Medici, tum Philosophi hos spiritus sic reperiri testantur. Propter hanc causam necesse est illorum, quæ paulò antè dixi, memoriam renouare; Creatorem scilicet omnia ordinasse, & disposuisse suauiter, causas suis effectibus dignitate respondentes facientem, & materiam formæ conditioni per præparationem accõmodantem, (vt in superioribus vidimus) sic etiam pręcipuo agenti instrumentum proportione respondens, quo operari debet, vt mox dicturi sumus. Quapropter alius ensis adolescẽtulo, alius viro forti, alius giganti, vt quo Philisthęus cingebatur, qui cum Dauid pugnauit, accõmodatus est. Hac ratione, vt præstantissima opera efficias, præstantissima quoq; instrumenta, & tenuia cõquiras, necesse est; vt ad crassiora rudioribus quoq; instrumentis opus est. Id autẽ si ad naturales causas referimus, inde fieri cernemus, quòd intelligentiæ, quæ per cælorum motum hunc inferiorem mundum regunt, (quæ quidem nobilissimæ, & incorruptibiles substantiæ sunt) nobilissimis, & incorruptibilibus instrumẽtis vtuntur, quę sunt eadem cęlestia corpora cum omnibus suis stellis, & planetis, quorum influentijs totum mundũ administrant. Vt igitur ad rem nostram reuertamur; illud compertum est, nostram animam, quam in nostris corporibus habemus, esse vitę, quã degimus, & sensuum, & motuum, quos habemus, primum principium, & causam. Quod ex eo maximè patet, quia cùm anima deficit, hæc omnia munera, & motus deficiunt: cùm tamen neque artus, neque sensus, quibus vtebatur, deficiant; cùm visui ipsa figura, & materia oculorum, & aurium, reliquorumq; sensuum, & organorum à suis officijs immunium, reliqua sit. 1.Reg.17.

Cùm aũt anima spiritalis sit, vt Angeli sunt, necesse erat, vt instrumẽta, quibus sine medio vteretur, eadem conditione ornata essent, vel scilicet essent penitus spiritalia, vel saltem cõditione & nobilitate essent quã proxima, vt sunt spiritus, quos adhibet anima, vt nobis vitam tribuat; & multò magis animales, qui sunt tanquam lucis radij, per quos sensus, & motus nobis tribuitur. Id enim si aliter se haberet, non adesset proportio; si substantia purè spiritalis (vt anima est) proximo & immediato instrumẽto nostrę carnis frusto, aut aliquo magno osse vteretur. Hæc est igitur ratio, qua spirituum generationem ponimus: quòd sint proximiores, & maiori proportione animę nostræ dignitati, & naturæ respondentes, quę quidem (vti diximus) spiritalis est.

De spirituum, spiritaliumq; rerum omnium dignitate, & efficientia.

HIC autem animaduertendum est, quòd cùm omnis nostra cognitio ab exterioribus sensibus originem ducat; (rerum scilicet corporalium, quas audimus, videmus, tangimus, &c.) & spiritualia neque

 videa-

Digitized by Google

videamus, neque audiamus, neque tangamus: inde fit, vt multi homines (& illi maximè, qui rudi Minerua sunt) aut spiritus esse non credant, & illorum vim, & efficientiam in agendo penitus ignorent. Huiusmodi erat Sadducæorum hæresis, de quibus in Actis Apostolorum mentio fit: qui tam rudi intellectu erant, vt neque Angelos, neque Spiritus reperiri crederent: multi quoque hac nostra tempestate sunt, qui licet horum fide præditi sint, quomodo tamen esse possit, quod non habet corpus, penitus ignorant. Inde fit, vt suarum animarũ dignitatem, præstantiam, & facultates non intelligant; cùm eam esse tanquam aliquantulum aeris, vel aliud huiusmodi, sibi persuadeant. Hos autem volo ego quasi per manum ducere, & illis paulatim dignitatem, & efficientiam illorum spirituum declarare. hinc enim ad suę animæ dignitatem, & excellentiam, atque vim cognoscendam se ipsi attollent.

Act. 5. 23

Propter hanc causam igitur sciendum est, omnia corporalia, quæ in hoc inferiori mundo sunt, ex quatuor elementis constare; licet id minimè cernatur propter mixturarum varietatem, & compositionum ex illis. Omnium autem elementorum infimum, & crassissimum, & materię maximè particeps, terra est; si quod suum est proprium consideramus. Post hoc elementum secundum dignitatis locũ possidet aqua, quę in causa est, vt terra fructus ferat: quæ terra per se est tanquam calx, quæ sterilis, & sicca est. Perfectior autem aer est, quàm aqua, quo viuimus, & respiramus, & qui maris aquam ad terras impellit, & multa alia beneficia in nos (vt superius docuimus) confert. De subtilitate autem, & efficientia ignis, quam quotidie experimur, nihil est, quod verba faciamus.

Nunc autem sciendum est, quòd cùm omnia corporalia ex his quatuor elementis constent, quæ tamen minorem terræ portionem, & pondus sortita sunt, nobiliora, maiori´q; vi & efficientia sunt ad operandum. Hoc exemplo rem ipsam illustremus, & primùm in elementis. Terra ad agendum nullam habet vim, sed ad patiendum tantummodò, & recipiendum tanquam donum, quidquid vel cætera elementa, vel naturales causæ illi porrigunt: vt neque ad nostra corpora sustentãda vtilis esset, nisi duritiem, quam habet, à cæteris elementis acciperet, vt superiùs declarauimus. Reliqua tria elementa cõsequuntur, ex quibus superiora spiritaliora etiam sunt, & ad agendum magis accommodata: vt aer, & aqua, & multò magis ignis, qui minùs est materiæ particeps, & magis ad agendum accommodatus. Hoc idem in aquis cernitur, quas ponderare solemus, vt grauiores, quæ magis terrestres sunt, reijciamus, & leuiores ad bibendum deligamus. Idem in vinis quoque conspicitur: ex quibus turbidiora & spissiora, sunt etiam viliora; & suauiora & clariora, sunt etiam pretiosiora. Idem in carnibus, & præsertim in pane, cernimus; qui enim ex farinæ flore fit, tenuior est, & ita dominorum mensæ apponitur: qui autem niger est, & ex tota farina conficitur, familiæ relinquitur. Idem in metallis est. fabri enim in suis officinis, ferrum ab eo, quod terrestre est, quod recrementum dicitur, separant, & eo vtuntur, quod iam ab his terrestribus sordibus purum est. In pretiosis quoque lapillis id verum est: ex quibus puriores, & splendidiores, quæq; minùs terræ conditionis participes sunt, pluris æstimamus, & in annulis, & alijs rebus adornamus, & gerimus: crassiores verò, & magis terræ participantes, ad ædificandum adhibemus.

Illud

Illud autem in primis argumentum, quod à luce cæli ducitur, maximam vim habet: ex omnibus enim corporeis rebus hæc est subtilior, & spiritalior, cùm per vitrum ingredi cernatur, per quod nec aer, nec ignis ingredi potest: tantam tamen habet vim, & efficientiam, vt per eam cæli, quidquid in mari & terra fit, operentur, vt eius vi aurum, argentum, & reliqua metalla generentur.

Illud præterea adiungo, quòd quò magis res sunt spiritales, minùs materiæ sunt participes, minusq; visibiles, eò maiorem habent vim, tam ad id, quod vtile est, quàm ad id, quod est damnosum. Pro exemplo satis sunt illæ destillationes, quæ penè totam Europam infestarunt anno 1580. Quo anno cùm esset aer eadem serenitate (vt videbatur) & puritate, qua semper esse solet, quoddam aeris vitium, quod minimè cernebatur, in causa fuit, vt tam multi è vita excederent, vt omnibus compertum est. Idem exemplum fit de aere corrupto pestis tempore: quod vitium licet minimè sub sensum cadat, est tamen communis omnium hominum generi calamitas, atque pernicies. Sin autem de purè spiritalibus substantijs agimus, vt sunt Angeli, & dæmones, quàm sint illi ad iuuandum, hi verò ad lædendum potentes, facilè cernitur: cùm illorum vnus (vel bonus, vel malus qui fuerit) vnica nocte centum & octoginta quinque millia hominum in Assyriorum exercitu, qui Hierusalem obsidebant, occidere potuerit. 4. Reg. 19

Hæc omnia, quæ hactenus dicta sunt, eò tendunt, vt intelligamus, quòd quò res sunt grauiores, & magis terræ participantes, hoc sunt viliores, & ad agendum minorem vim habent; & quò magis (secundùm genus suum) ad spiritalium rerum conditionem accedunt, eò nobiliores sunt, & ad agendũ efficaciores. Hinc aliquo modo nostrarum animarum dignitatem cõspiciemus, quæ sunt purè substantiæ spiritales, vt Angeli; & propter hãc causam non mirabimur, cùm tam multa munerum genera, & officiorum varietates in nostro corpore exercere viderimus, vt apertiùs in sequentibus declaraturi sumus. Quod enim Deus in hoc maiori mundo, id anima nostra in minori, qui homo est, operatur: cuius immediata instrumenta hi spiritus sunt, tum vitales, tum animales, quòd sint spiritaliores, & illi similiores.

DE SPIRITIBVS ANIMALIBVS, QVI IN CAPITE generantur. Cap. XXVIII.

CVM igitur de his spiritibus animalibus tractare incipiamus, sciendum est, quòd vt vitales in corde, sic animales in cerebro generantur; quod cùm sit nostri corporis pars nobilior, sic ad hos spiritus formandos ita præstantes conducit, vt vitam nostram vitæ plantarum, quæ vt nos viuunt, longè antecedere faciat. Et quemadmodum cor duos sinus, vel ventriculos habet, in quibus vitales spiritus perficiuntur; ita in cerebro duo alij sunt, in quibus animales elaborantur. Quo verò modo id fiat, minimè fieri potest, vt id hominum intellectus capere possint. Inde fit, vt infirmi, ac debiles sint homines, qui se ad scientiarum speculationem, aut diuinarum rerum cõtemplationem conferunt. Cùm enim vitales spiritus tanquam serui suppeditent materiam, ex qua conficiuntur animales, qui superiores sunt; & exercitationis interioris

Digitized by Google

calore, & labore resoluantur, & consumantur; spiritibus vitalibus remanet corpus pauper atque destitutum, & ob id cùm ab illis vitam & calorem non recipiat, languidum fit, & debile; ex quo in eo phlegma, & excrementa indigesta generantur, à quibus hæc infirmitas, & alij morbi proficiscuntur.

Hic tamen notandum est, quòd horum spirituum alij ad motum, alij ad sensum conducunt. Ad quæ munera Creator meatus, & canales effecit, qui nerui sunt, per quos per vniuersum corpus distribuerentur; per alios ducuntur spiritus, qui sensum; per alios, qui motum efficiunt: quæ differentia in paralyticis cernitur, quibus cùm nerui, qui motum efficiunt, sint obstructi, eam corporis partē, quæ soluta est, & (vt ita dicam) paralytica, mouere non possunt; eos tamen si vel tangis, vel pungis, sentiunt. Hoc Tullius in secundo libro de Natura Deorum maximè admiratur, cùm in eo Conditoris artificium, & sapientiam contemplatur, qui totum corpus, tam multis viarum differentijs, atque canalibus in multos ramos diuisis colligauit; vt sunt venæ, quæ sanguinem; arteriæ, quæ vitales spiritus ducunt; & nerui, quorum alij motum, alij sensum efficiunt. Quod rete ab hominibus fieri potest, quod habeat tot maculas, alias super alijs collocatas, per totum corpus diuisas, atq; disseminatas?

Quòd autem locus, vbi hi spiritus generantur, est in cerebri massa, quæ per totam spinam distenditur, præduris ossibus sæpitur, & defenditur, vt cerebrum capitis à craneo, & illis tunicis inuoluitur, quas cerebrū habere diximus; hoc est, dura mater, & pia, quæ cum illo coniuncta est. Res enim tam tenuis, tamq; pretiosa, vt suprà dictum est, voluit Creator, vt non solùm esset ossibus defensa & munita, verùm etiam his tunicis tecta, & molliter tractata. Pretiosam autem voco, quòd ex illa massa alba, quæ per spinam ducitur, quā spinalem medullam dicimus, vigintiquatuor paria neruorum nascuntur, quorum duodecim animales spiritus per eam corporis partem ducunt, quæ est supra eam partem, vbi cinguntur homines: alij verò inde vsq; ad pedes, & ita distributi, vt duodecim per alterum corporis latus, & duodecim per alterum distribuantur. Et ne quid huic operi deesset; voluit ille summus artifex, vt in omnibus spinæ ossibus adessent parua quædam foramina, vnde hi nerui egrederentur, vt sua munera exequerentur. Aliud quoque artificiosius parauit, quod est quædā mollissima tela, quæ has duas medullæ spinales partes diuidit, & ab altera parte huius telæ nerui alterius lateris, & ab altera alterius oriuntur, vt alteri alterius partis, neque indigeant, neque eam lædant. Quis autem hoc loco illum summum Conditorem non collaudabit, qui ex tam simplici substantia, ex qua nostra corpora finguntur, tantam partiū diuersitatem perfecerit, alias duras, alias molles, & omnes ad sua munera obeunda tam appositas, & accommodatas?

Si quis autem hos spiritus, qui tantum possunt, intelligere vult, sciat, tanquam lucis radios esse, qui per horum neruorū meatus, & per totum corpus distribuuntur. Quod vt apertè intelligamus, illud sit argumento, quòd si in capite aliquo ligno percutitur ita, vt capitis nerui premantur, & stringātur, dici solet, quòd oculorum lux è suo loco egreditur, quæ lux nihil aliud est, quàm hi spiritus; qui cùm tenuissimi sint, ex hac molliori parte nostrorum oculorum, qui tam lucidi sunt, exiliunt. In quo Creatoris mirabilis proportio

tio & descriptionis ordo facilè cernitur. Nam quemadmodum cæli sunt causæ omnium motuum, & alterationum, quæ in hoc inferiori mundo fiunt, per Solis & reliquorum planetarum lumen; sic cerebrum, quod nostri corporis pars est altior, tanquã minoris mũdi cælũ, per radios huius lucis omnes motus, & sensus in nostro corpore efficit. Hac autem ratiõe summus artifex, qui (vt diximus) omnia suauiter disponit, huius minoris mundi administrationem, cum administratione maioris in hac re proportionẽ habere voluit.

DE INTERIORIBVS SENSIBVS, QVI IN capite sunt. Cap. XXIX.



CVM autem dictum sit, animales spiritus, nõ solùm motũ, verùm etiam sensum efficere; vt hic de sensibus tractetur necesse est: quorum alij sunt communes, alij particulares; alij interiores sunt, & ob id non videntur; alij exteriores, & cernuntur. Cùm autem exteriorum vis ab interioribus pendeat, de ijs priùs sermonem habebimus. Exteriores verò, & particulares quinque numero sunt, quos omnes cognoscimus; qui omnes in sensu Communi desinunt, quem in prima cerebri parte habemus. Hinc enim oriuntur nerui, per quos spiritus, qui sentiendi vim his quinque sensibus præstant, ducũtur; & per eosdem neruos rerum, quas senserunt, species, & imagines ad communẽ sensum referunt, & illi narrant, quidquid sensibus perceperunt; & hac ratione beneficij accepti gratiam referunt, qui tanquam famuli, & nuntij, suo domino seruiunt, & de omnibus rebus, quæ extrinsecus accidunt, rationem reddunt. Hoc autem est (vt Philosophi inquiunt) omnis nostræ cognitionis principium, quæ ab his sensibus originem ducit.

Post autem hunc sensum, alius adest sensus paulò anterior, qui Imaginatio dicitur, quæ has omnes imagines suscipit, retinet, & fidelissimè custodit. Communis enim sensus est in interiori cerebri parte, & propter hanc causam magis idonea, in qua hæ imagines imprimantur, non tamen in qua retineantur, & conseruentur, quòd nimis mollis sit. Propter hanc causam aliũ ventriculum parauit Creator in alia cerebri parte duriore, quæ post illam est, quæ has imagines omnes suscipit, & tuetur, ob id imaginatiua dicitur. Qua potentia, cùm sit organica, & corporea, noster aduersarius sæpe nobiscum terribiliter pugnat; cùm nonnunquam formosissimas res effingat, nonnunquam turpes, vt illius malitiæ conuenit: quorũ vtrunque in Amnone Dauidis filio cum Thamar eius sorore cernimus. 2.Reg.13.

Post hanc potentiam, & paulò vlteriùs in eodem cerebro, est alius ventriculus, qui in bestijs æstimatiua dicitur, & in hominibus, (quod in illis hæc facultas est præstantior) dicitur cogitatiua. Quæ potentia est, quàm superiores spiritalior, ob id, quod non habet nec figuram, nec corpus, complecti potest. Hac de causa ouis cùm lupũ cernit, inimicitias concipit; contra verò cùm molossum videt, amicitiam. Idem aues debiles, & imbelles faciunt, cùm aues rapaces cernunt. Amicitia enim & inimicitiæ sunt res huiusmodi, vt sine corpore, & sine figura sint. Hanc autem facultatem tribuit Creator omnibus animalibus ad sui custodiam, & conseruationem.

Postremũ in posteriori cerebri parte, quæ in occipite est, memoriã posuit, quæ

it, quæ magis hominis, quàm bestiarũ propria est, licet nonnullæ illius participes sint: vt in cane cernitur, qui panem abscondit, & loci, in quo posuerit eum, recordatur, & illuc reuertitur, vt illum recipiat. Eandem rem dicunt de vulpe, quæ vbi sanguinem gallinarum, quas occidit, exsuxit, scrobum in terra fodit, in qua illas sepelit, deinde ad eas comedendas reuertitur. De leone quoq; scribitur, quòd est beneficij accepti memor, & pro illo gratiam refert; & iniuriæ quoque, & illam vindicat. In homine tamen est perfectior, & communior, vt inferiùs docturi sumus: vbi exemplum satis notum adduxerimus, ex quo horũ quatuor sensuum interiorũ cognitionis origo intelligatur. Illud igitur dico, quòd quemadmodum in lingua posuit Creator facultatem, qua ciborum sapores perciperent, & inter dulce & amarum discernerent, & inter sapidum & insipidum, (quod nulla alia nostri corporis pars sentit) sic idem artifex suæ virtutis omnipotentia in his solis quatuor nostri cerebri partibus, non autem in alia parte prædictas facultates imprimere potuit, atque impressit.

Ad memoriam autem reuertamur, quæ est singulare Dei beneficiũ, & magnum naturæ miraculum. Beneficium, inquam, quòd est scientiarum repositorium; cùm illud tantummodò sciamus, quod memoria tenemus. Est ipsa prudentiæ fidelis adiutrix, quæ præteritarum rerum memoria præsentium, & futurarum euentus, & consequentia cernit. Est experientiarum conseruatrix, quæ non minùs ad scientias, quàm ad prudentiam cõducit. Est eloquentiæ mater, & loquendi magistra, cùm in se rerum voces conseruet, quibus nostros exprimimus conceptus, & vt intelligamur, efficimus: inde fit, vt dicendi magistri, qui Rhetores sunt, quintam artis suæ partem, dicant esse memoriam. Hæc nos ad omnes artes, & scientias idoneos reddit; cùm illarũ regulas, & præcepta in se contineat, sine qua libros legere, vel ad scholas se conferre nihil aliud esset, quàm, vt aiunt, aquam cribro haurire; sine quibus artibus, & disciplinis hominum vita, barbarorum, vel ferarum vita esset. Et in primis eò cõducit, vt homines Deo gratos efficiat, cùm illos ad beneficiorum acceptorũ memoriã trahat, vt pro illis gratias agãt. In his igitur omnibus rebus facilè cernitur, quantum Deo pro hoc singulari beneficio debeamus.

Non minus autem est huius potentiæ miraculum, quàm beneficium. Homines enim historiam memoria tenere, in qua res tanquã catenæ annuli inuicem continentur, non multum est: sed videre puerum centũ vocabula vel Græca, vel Latina, memoria sæpire, quorũ significata non intelligit, neq; alia ab alijs pendẽt, quodq; si septies, aut octies memoria repetat, ita in illa hærent, & imprimuntur, ibiq; ita vsq; ad senectutẽ permanẽt custodita, vt si quãdo eadem repetere opus sit exeant ex sinu, vbi collocata fuerunt, & memoria fideliter depositum reddat, nonne hoc est maxima admiratione dignum? Quid de illis dicam, qui quatuor linguas sciunt, Latinam, Græcam, Hebraicam, & Chaldæam: in quo necesse est, vt qui eas addiscere vult, & loqui, tam innumerabilia vocabula memoria teneat, quàm in illis linguis sunt, sintq; in promptu illis, quotiescunque loqui volunt. Quid autem de nõnullis memorijs mirabilibus dicam, qualis beati pontificis S. Antonini fuit, de quo scribitur, quòd cùm decimum quintum annum ageret, vnico anno totũ Decretũ memoriæ mandauit? Quid de Mithridatis Ponti Regis memoria dicã, quæ m

memo-

memoriæ proditum est viginti duas linguas intellexisse? Quis autem in tam parua cerebri cellula tot dotes, tantam capacitatem, tantumq; spatiũ, in quo tot vocabulorũ differentiæ distinctæ esse possent, vt alia ab alijs non confunderentur, imprimere potuit? Quis hoc efficere potuit præter illum Dominũ, qui tum in hoc, tum in cæteris rebus suæ omnipotentiæ, & magnificentiæ amplitudinem nobis ostendere vult? Sumus tamen huiusmodi nos homines, qui neque hoc perpendere miraculum, neque pro eo beneficio Creatori gratias agere scimus?

DE QVINQVE SENSIBVS EXTERIORIBVS, ET PRImum de oculis. Cap. XXX.

IVRE optimo quidem Dauid exclamauit, & toties confessus est, Deum in omnibus operationibus suis, quamuis minimis, mirabilem esse. Illud autem dico, quòd egredientes nunc de re admirabili, in aliam non minorem ingredimur, quæ nostrorum oculorum frabricatio est. Quam huius scientiæ professores fatentur esse artificiosiorem, ingeniosiorem, & admirabiliorẽ cæteris omnibus, quæ in nostro corpore à Creatore conditæ sunt: in qua, vt in prædicta, non est minus beneficium, quàm operis admiratio. Sanctus autem Tobias, qui tanta patientia visus defectum ferebat, cùm ab Angelo salutaretur, eique diceretur optare, vt illi Deus gaudium tribueret; respondit, Quod gaudiũ habere possum, cùm in tenebris degam, & cæli lucem non cernam? Tob. 5. Cùm igitur iam egerim de nostri corporis partibus, quæ abditæ sunt in nostræ carnis velo; nunc æquum erit agere de sensibus, & de exterioribus nostri corporis mẽbris, quæ in nostræ domus propugnaculis sunt, & ab omnibus conspiciuntur; & incipiemus ab omnium sensuum exteriorum præstantissimo, qui oculi sunt: quorum fabricatio, & artificium facilè aliorum membrorum, & sensuum artificium antecedit.

Primum autem, quod nobis admirationem afferre debet, rerum species sunt, & imagines, quæ requiruntur, vt eas cernere possimus. Quare sciendum est, quòd visibilia omnia, quæ sunt colorata omnia, & lumen habentia, suas imagines & figuras, quas Philosophi species dicunt, extra se in aerem mittunt, quæ quidem easdem res, quarum sunt imagines, valde propriè referũt. Huius rei ratio illa est, quòd secundùm Philosophiæ regulas, quæ aliquem effectum producunt, vt inuicem, vel sua ipsorum substantia, vel aliqua virtute, vel influentia, contingantur necesse est. Cùm autẽ hic de hoc effectu, quod est res videre, agamus, & ipsæ sint à nostro visu abiunctæ, vt aliqua tertia re coniungantur, necesse est. Ad id prouidit Creator mirabili quodam modo, vt scilicet res omnes extra se in aerem suas imagines, & species emitterent, quæ ad oculos nostros peruenirent, & easdem res, quæ nobis videndæ sint, repræsentarent, quod in speculo cernitur: quòd cùm rerum imagines, & species recipiat, & nequeant vlterius progredi, quod speculum translucidum non est, ibi consistunt, & quæcunque ante illud sunt nobis repræsentant: itaque in illis montes, valles, campos, arbores, totos exercitus, cum reliquis omnibus, quæ coram illis sunt, cernimus: quod si mille adessent specula per totum aerem distributa, in illis omnibus idem cerneretur. Neque id solùm in aere, sed etiam

etiam in cælo verum est. Nam si stellæ suas imagines, & species in nostris oculis non imprimerent, vt per illas cernerẽtur, cùm ab oculis nostris tam longè absint, minimè videri possent. Quid igitur est admirabilius, quàm, cùm videamus nos, pictores in aliqua imagine perficienda multos conterere dies; singulas res visibiles, sine penicillo, sine colore, sine temporis interuallo innumerabiles penè imagines in omnibus translucidis corporibus, vt aer, & cælum est, producere? Quis non videt hoc loco illius omnipotentiam, qui omnibus rebus visibilibus eam dare potuit virtutem, vt cerni possent?

Cùm autem de visus organo tractemus; illud sciendum est, quòd ex anteriori cerebri parte (vbi communem sensum esse diximus) duo oriuntur nerui, alter ab altero latere, per quos spiritus, quos animales diximus, vsque ad oculos ducuntur: hi autem videndi virtutem illis præstant, cùm sint primùm illis rerum speciebus, & imaginibus, vt diximus, informati. De oculorum autem fabricatione, tam multa, tamq; admirabilia scribuntur, vt ea minimè assequar, & ob id fieri non potest, vt ea perscribam. Sed quod mihi admirabilius videtur, est, quòd licet tam multa, tamq; admirabilia sint, quæ ad oculorum fabricationem requiruntur, tantam vim habuit ille summus artifex, vt in formicæ capite ea collocaret. Quanto est hoc admirabilius, quàm in capite vel hominis, vel elephanti oculos posuisse?

Sed alijs exquisitioribus omissis, illud silentio non prætermittam, tres in oculis humorum differentias esse, qui inter se tribus tenuissimis telis diuidũtur. Quorum primus crystallinus dicitur, quòd sit solidus & translucidus, vt crystallum: post hunc alius consequitur humor rubeus, qui est crystallini opertorium, & terminus: post hunc sequitur tertius, qui cælestinus est; is autem color eò conducit, vt illius vi rerum species, & imagines, quas diximus, in oculi pupilla meliùs colligantur, & confirmentur, quæ aliter nimia claritate læderetur, vt cùm Solem aduersum intuemur lædi solet.

Per vitreas autem fenestras prædictorum humorum (si hoc verbo vti licet) rerum species, & imagines ingrediuntur, & per prædictos neruos ad sensum communem ascendunt, à quo diximus hos neruos originem ducere. Vt ex illis spiritus animales, per quos videmus, descendũt, & per eosdem rerum imagines ad hunc ventriculum communis sensus ascendunt, & inde ad alios interiores producuntur. Hac autem ratione nobis verè licet dicere, totum hunc visibilem mundum, quantuscunque est, per hũc nostrorum oculorum aditum ad animam nostram penetrare. Et hæc est causa (vt inquit Aristoteles) quòd hic sensus tanti fiat ab hominibus. Cùm enim homo rationalis creatus sit, natura scire desiderat: hic autem oculorum sensus multas rerum varietates nobis manifestat: inde fit, vt plurimi æstimetur. Aliud quoque præstantius habet hic sensus, vt per eum mirabilia Dei opera cernamus, ex quo spiritus noster ad illius cognitionem extollitur, quod ostendit Dauid
Psal. 8. his verbis: *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum: Lunam & stellas quæ tu fundasti.* Hic vir sanctus visus beneficio meliùs vtebatur, quàm illi, qui eo vtuntur, vt iniuria afficiant Deum, à quo illum acceperunt; ad peccandum eo adhibendo, quod ad laudandũ tributum fuit; bellũ donatori inferendo eodem dono, quod ille dedit ipsi, huiusmodi præsertim dono, cuiusmodi hoc est? Quid enim homo faceret, hoc si amitteret? Quò non iret, vt remedium inuestigaret?

Quas autẽ gratias illi ageret, à quo id acciperet? Quod licet hoc modo se habeat, sciantq; homines se visum à Deo habere, Deumque illum conseruare, nunquam in animo euoluunt, suum esse, pro tanto beneficio vt Deo gratias agãt.

Iam à sensu videndi ad sensum audiendi pergamus, qui nobilis quoque sensus est, & ad sapientiam maximè conducit. De quo in Didymo exemplum habemus, qui licet cæcus natus esset, ad summum tamẽ Theologiæ gradum peruenit. Huius autem sensus duo nerui, qui à sensu communi proficiscuntur, in causa sunt, alter ab altera parte proficiscens, qui secum virtutem animalem, per quam audimus, ducunt: in auribus autem est quædam vesicula, quæ mirinx dicitur, aeris plena, quæ tanquam paruum crotalũ est, ad quod vocis sonum, aut alius rei cũm peruenit, hoc instrumentum ferit, & hoc modo auditio fit: quòd si hæc vesicula aliquo casu frangitur, auditus statim amittitur, quòd ex illa effluit aer. Propter hanc causam Deus formauit aures, vt palpebras in oculo, vt huius sensus essent custodes.

Eandem originem sensus odoratus habet, ad quem duo alij nerui descendunt, qui ab eodem fonte promanant, & ad nares pertingunt; quæ in se continent duo frustula carnis, vel quasdam eminentias satis molles, & spongijs assimiles quadam mollissima tela circunseptas, in qua prædicti nerui desinunt, ad quam aer tractus à rerum odoratarum speciebus fit causa odoratus.

Nares autẽ effecit Creator, vt essent huius sensus custodes, quæ ad vultus quoque pulchritudinẽ conducunt. Quid enim sine naribus videretur homo? In quo Creatoris sapientia animaduertenda est, qui in nostrorum sensuum fabrica duo difficillima simul iunxit, vtilitatem, & pulchritudinem, quæ ita descripsit, vt quod esset formosius visu, esset etiam ad vitam vtilius.

Nares quoque cum suis duobus foraminibus eum vsum præstant, vt non solùm per os, verùm etiã per eas, quod phlegma in cerebro generatur, efflueret. Cùm enim nostri corporis vapores ad altiora tendant, (vt terræ vapores ad aeris sublime ascendunt) effecit Creator hos duos canales, per quos hic noxius humor purgaretur. Hic præterea aliud admirabilius accidit: in parte enim capitis inferiori adest infundibulum, quod natura fabricauit, quodq; suam habet scutellam latam, & rotundã, & in angusta fistula desinit: hæc autem scutella recipit phlegma, quod à capite defluit, & per illam fistulã in prædictos canales influit. Quemadmodũ enim in aliqua magnæ domus cauea adest emissarium, in quod cùm pluit, aquæ currunt: sic Creator in hac nostra domo huiusmodi emissarium parauit, per quod effluit phlegma, ne nobis damnum afferre possit: in quo quidem cernitur, nulla in re fuisse negligentem Creatorem ex ijs, quæ ad nostram incolumitatem, & vitam pertinent.

Hinc autem inferiùs ad gustus sensum descendamus, quo quidem sapores gustamus, dulcem, & amarum, sapidum, & insipidum: cuius sensus causa sunt duo nerui, qui in medio linguæ sunt, & per ramos in totam linguam distribuuntur; quam Creator voluit humidam esse, & meatuum plenam, vt per illam saporum species penetrare possent, & ad prædictos neruos pertingere, qui huius gustus causa sunt. Necesse erat præterea, vt humida esset, vt cibos humidos redderet: illorum enim sapores sine saliuæ humiditate percipi non possent. Necesse erat præterea, vt sine vllo sapore esset, (vt audiendi organum sine vllo sono) vt omnes saporum differentias percipere posset.

Quòd si quem in se haberet, illum vnum sentiret, non autem alios; vt illi accidit, qui tertiana febre laborat, cui omnia amara sentiuntur, quòd flaua bile, quę amara est, illius lingua affecta sit. Illud autem interest inter hunc, & alios sensus, quòd rerum species, quæ vel videndæ, vel audiendæ, vel odorādæ sunt, per aliquod corpus translucidum, vt est aer, penetrare debent; nunquam tamen in hoc sensu, neque in sequenti, hæc ratio locum habet. Nam quod gustandum, vel tangendum est, vt cum nostra carne sit coniunctū necesse est, vt res sapida cum nostra lingua coniungenda sit, vt ex illa sapor percipiatur. In quo cernitur, quàm sit hæc voluptas breuis, cùm (vt quidam ait Doctor) gulæ voluptas vix in quatuor momentorum spatio reperiatur, & loci spatium vix quatuor digitorum sit. Quod licet ita se habeat, qui redditur, quot patrimonia in hanc voluptatem dilapidantur? Quamobrem exclamat Seneca dicens; Dij boni, quantum hominum vnus venter exercet.

Postremus autem sensus, tactus est, quo tangēdo quatuor primas elementorum qualitates percipimus, frigidum, humidum, calidum, siccum, durum, & molle, asperum, & læue. Huic sensui nullus locus præscriptus est, aut præcipuus in nostro corpore, vbi collocatus sit: est enim per totum corpus disseminatus, cùm necesse sit, vt animal vtile, & damnosum, sentiat; vt hoc fugiat, & illud sequatur. Huius autem sensus causa est, aliud neruorum genus, qui per totum corpus disperguntur, atque distribuūtur, & sensus causa sunt, vt alij sunt motus, vti diximus. Ad hæc omnia addo, quod Tullius de hac re scriptum reliquit.

QVID DICAT TVLLIVS DE NOSTRI CORPORIS exterioribus sensibus. Cap. XXXI.

VT extremam manū huic rei imponamus, adscribam quod Tullius de sensuum, & exteriorum partium nostri corporis conuenientia & pulchritudine scriptum reliquit, quo omnia ad vsum vitæ, & vtilitatem nostram à summa sapientia, & prouidētia creata esse confirmat. Primùm enim (inquit ille) diuina prouidentia eos (homines) humo excitatos, celsos, & erectos constituit, vt Deorum cognitionem, cælum intuentes, capere possent. Sunt enim è terra homines non vt incolæ, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque cælestium, quarum spectaculum ad nullū aliud genus animantium pertinet. Sensus autem, interpretes, ac nuntij rerum, in capite tanquam in arce, mirificè ad vsus necessarios & facti, & collocati sunt. Nam oculi tanquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plurima conspicientes, fungantur suo munere. Et aures cùm sonum recipere debeant, qui natura in sublime fertur: rectè in altis corporum partibus collocatæ sunt. Item nares, eò quòd omnis odor ad superiora fertur, rectè sursum sunt: & quòd cibi & potionis iudicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutæ sunt. Iam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua esculentis, & poculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est, vt omnes ictus, omnesque nimios & frigoris, & caloris appulsus sentire possimus.

Quamobrem quemadmodū sapientes viri pretiosis rebus maiorē custodiam

diam adhibent, quàm vilibus; sic artifex hic summus maiorem in oculis, quàm in reliquis sensibus adhibere voluit, quòd illi (vt videmus eos) plurimi fiant. Eos enim primùm membranis tenuissimis vestiuit, & sæpsit: quas primùm perlucidas fecit, vt per eas cerni posset: firmas autem, vt continerentur. Sed lubricos oculos fecit, & mobiles, vt & declinarent, si quid noceret: & adspectum, quò vellent, facilè conuerterent. aciesq; ipsa, qua cernimus, quę pupilla vocatur, ita parua est, vt ea, quæ nocere possint, facilè vitet. Palpebręque, quę sunt tegumenta oculorum, mollissimę tactu, ne læderent aciem, aptissimè factæ & ad claudendas pupillas, ne quid incideret, & ad aperiendas, idq; prouidit, vt identidem fieri posset cum maxima celeritate. Munitæq; sunt palpebræ, tanquam vallo pilorum: quibus & apertis oculis, si quid incideret, repelleretur: & somno cõniuentibus, cùm oculis ad cernendum non egeremus, vt qui, tanquam inuoluti, quiescerent. Latent præterea vtiliter, & excelsis vndique partibus sæpiuntur. Primùm enim superiora superciliis obducta sudorem à capite, & fronte defluentem repellunt. Genæ deinde ab inferiori parte tutantur subiectæ, leuiterq; eminentes. Nasus ita locatus est, vt quasi murus oculis interiectus esse videatur. Auditus autem semper patet. eius enim sensu etiam dormientes egemus. A quo cùm sonus est acceptus, etiam è somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex, & directum pateret. prouisum etiam, vt, si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium, tanquam in visco, inhæresceret. Extrà autem eminent, quæ appellantur aures, tegendi causa factæ, tutandiq; sensus, & ne adiectæ voces laberentur, atque errarent, priusquam sensus ab his pulsus esset. Sed duros, & quasi corneolos habent introitus, multisq; cum flexibus, quòd his naturis relatus amplificatur sonus. Similiter nares, quæ semper propter necessarias vtilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit peruadere: humoremq; semper habent ad puluerem, multaq; alia repellenda, non inutilem. Gustatus præclarè sæptus est. ore enim continetur, & ad vsum aptè, & ad incolumitatis custodiam.

Omnisq; sensus hominum multò antecellit sensibus bestiarum. Primùm enim oculi in iis artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis, fictis, cęlatisq; formis, in corporum etiam motione, atque gestu multa cernunt subtiliùs, colorum etiam, & figurarum tum venustatem, atque ordinem, &, vt ita dicam, decentiam oculi iudicant: atque etiam alia maiora. nam & virtutes, & vitia cognoscunt: iratum, propitium: lætantem, dolentem: fortem, ignauum: audacem, timidumque cognoscunt. Aurium item est admirabile quoddam, artificiosumq; iudicium, quo iudicatur & in vocis, & in tibiarum, neruorumq; cantibus varietas sonorum, interualla, distinctio, & vocis genera permulta: canorum, fuscum: læue, asperum: graue, acutum: flexibile, durum: quæ hominum solùm auribus iudicantur. Nariumque item, & gustandi, & apertè tangendi magna iudicia sunt. Ad quos sensus capiendos, & perfruendos plures etiã, quàm vellem, artes repertæ sunt. Perspicuum est enim, quò compositiones vnguentorum, quò ciborum conditiones, quò corporum lenocinia processerint.

Hęc scripta reliquit Tullius, & illius summam sapientiam, & consilium, qui hos sensus tam perfectè fabricauit, atque perfecit, munus, & vsum nostræ

vitæ, vt nulla in re fuerit negligens, licet minima, cùm illius prouidentia ad tam paruam rem peruenerit, quæ aurium sordes sunt, ad illum, quem diximus vsum. Quantæ igitur illi curæ erunt res maiores, cui tam præcipuæ curæ fuerunt minores?

DE CAETERARVM NOSTRI CORPORIS PARtium decentia. Cap. XXXII.

IVINAE prouidentiæ pulchritudo non minùs in aliarũ nostri corporis partium conuenientia, atque decentia, quàm in his quinq; exterioribus sensibus apparet. Primùm enim à summo capitis ad pedum plantam nostro corpori vestes prouidit Creator: has autem duplices, quarum prima est pellis tenuissima, quæ sæpe decorticatur, nihil nobis sentientibus, vt illis accidit, qui vel scabie, vel pustulis laborant: sub hac alia pellis durior est, quæ nonnullis in locis est firmior, vt in capite, vt illud tueatur; & in pedum plantis eorum, qui nudis pedibus eunt; in alijs tenuior, vt in facie. Neque illi satis fuit nobis hanc è pelle vestem tribuisse, multam quoq; pinguedinem prouidit, qua tanquam stragulo tota nostri corporis caro inuoluitur: quod non solùm in animalibus, in quibus abundat pinguedo, verùm etiam in omnibus hominum corporibus, nisi sint nimis macra, facilè cernitur.

Vt autem de singulis membris iam tractare incipiamus, caput primùm nobis sese offert, & in capite capilli, qui sunt illius tegumentum, & munitio; in mulieribus autem ad honestatem, & pulchritudinem faciunt; cùm capilli (vt Apostolus ait) illis pro velo, vt tegerentur, dati fuerint. Quàm rectè autem barbæ pili dati fuerint viris, qui mulieribus negati fuerunt? His enim deformitati essent, qui contrà viris partim decori, partim auctoritati sunt. Neque minùs vtiles sunt ad castitatem, cùm per illos fœminæ à viris dignoscantur. Quàm multi doli, & insidiæ fierent, nisi homines hoc signo dignoscerentur? (1.Cor.11.)

Post barbam autem sequitur collum, quod tãquam pulchra columna est, licet diuersis frustis constructa, diuersis scilicet articulis, vt facilè flecti, & in vnamquamque partem volui possit: quę pars non solùm ad pulchritudinem, verùm etiam ad duo munera conducit: per illud enim duo canales ducũtur, per alterum nutrimentum, quo viuimus, descendit; per alterum aer, quo respiramus. Sub collo autem adest pectus præduris ossibus constructum, vt cordis esset propugnaculum. Quemadmodum enim Creator prouidit, vt dura testa, vel craneum, esset tanquam galea, qua capitis cerebrum muniretur; sic hæc pectoris ossa prouidit, quæ sunt tanquam thorax, vt cor tutum esset. In quo, Deo maiori curę esse maiora, cernitur, quàm minora: cùm his duobus præcipuis membris hæc duo parauerit arma, vt illa penitus muniret, & conseruaret. In mulierum autem pectoribus binos lactis fontes collocauit, (pręter illas munitiones) vt ex se genitos enutrirent: binos autem, vt, si quando gemellos parerent, adesset vtrique nutrimentum. Licet in hac nostra ciuitate Olysippi paucis antè diebus quędam mulier nupta tres peperit, duos masculos, & fœmellam, & omnes vixerunt. Illud præterea admirabile est, qui sanguis ad fœtum enutriendum dum in vtero matris erat, eo edito, tanquam si men-

si mentis & rationis esset particeps, statim ad binas mãmas accurrat, & è sanguine fiat lac: qui cibus suauissimus, & delicatissimus est, in matris vberibus iam concoctus, & pueri nuper nati ventriculo satis accommodatus, qui antea per vmbilicum se nutriebat, nunc autem per os alimentum suscipit. Eadem prouidentia, quæ in mulieribus binas collocauit mammas, animalibus, quæ plures pariunt filios, plura quoque vbera tribuit, vt sunt canes, feles, cuniculi, & alia huiusmodi: quorum filij nuper nati clausis oculis adhuc, nullo prçceptore prçter Creatorem, statim ad eam partem os conuertunt, vbi lactis fontes sunt, vt inde nutrimentum exsugant. In ventre verò, qui sub pectore est, hunc ossium thoracem non collocauit: cùm enim intestina, quæ hunc locum occupant, molli carne sint, à vicinis ossibus duris læderentur, si ibi ossa collocata essent.

Quid autem de manibus dicam, quç rationis, & sapientiæ ministræ sunt? quas aliquantulum concauas effecit Creator, vt quidquid vellent complecterentur, & retinerent: cui adiunxit digitos, in quibus quid præstantius esset, statuere nescires, vtilitásne, an pulchritudo. Illorum autem numerus est perfectus, ordo, atque dignitas est satis decens: nodorum flexibilitas itidem, vnguium forma rotunda, & firma, & digitorum munimentum, ne carnis mollities assiduo vsu minueretur. Digitis autem pollicis vsus non minùs admirabilis est, minusq; vtilis, qui ab alijs seiũctus egreditur, vt illorum rector, & gubernator, ad eos suscipiendos, illisq; complectendi, & recipiendi potestatem relinquens.

Vt à manibus inferiùs descẽdamus; non vult Theodoretus Creatoris prouidentiam in duobus naturalibus puluinis, vt commodè sederemus, silentio prçtermitti. Nisi enim adessent, maxima molestia afficeretur homo, cùm super duris, & penè nudis ossibus sederet. Neq; minorem afferunt vtilitatem ad equitandũm surgẽ, ijs præsertim, qui hoc sedentes faciunt, quç tamen sua pulchritudine non carent: in omnibus enim nostri corporis partibus (vti diximus) Creator vtilitatem cum pulchritudine coniunxit. Idem in pedum fabrica cernitur, qui in suis digitis definunt, suis vnguibus muniti: in quos stãt homines firmi, &, cùm opus est, illorum auxilio & per hastam, & per funem deambulant.

DE EA SENSITIVAE ANIMAE PARTE, QVAE AD PERturbationes, & affectus pertinet, quæ in corde sunt. Cap. XXXIII.

CVM hactenus dictum sit de sensibus tam interioribus, quàm exterioribus, qui sensitiuæ animæ proprij sunt, & ad ea cognoscenda conducunt, quæ animali vel vtilitatem, vel detrimentum afferre possunt; nunc sequitur, vt de illis perturbationibus tractemus, quæ ad sensitiuam animam pertinent, vbi naturales affectus, & quas dicunt passiones, quç ad expetendas, & inquirendas res vtiles, contrariasqúe fugiendas, conducunt, quæ quidem non minùs ad nostræ vitç, quàm cçterorum animalium conseruationem pertinent. Ex his autem affectibus, & perturbationibus duæ prçcipuç sunt, quæ cæterarũ radices, & fũdamenta sunt, amor, & odiũ; amor particularis boni, quod nobis opem: & odium eius, quod detrimentũ afferre potest: vt hac ratione animal bonum, & vtile

& vtile ad sui custodiam inquireret,& pararet: malum effugeret, [illegible] detrimentum capere posset. Quòd si hi duo affectus in animali deessent, [illegible] aliter, quàm auis sine alis, vel triremis sine remis, se haberet; quod neque [illegible] quod sibi vtile esset, inquirere, quodq; damnosum effugere. Quamobrem [illegible] ne philosophi Stoici dixerunt, (vt Seneca testatur) hos affectus esse tanquam rectorem,& gubernatorem, quem diuina prouidentia homini dedit. Quemadmodum enim rector, cui creditus est puer, omnia bona illi procurat, [illegible] omnibus malis remouet; idem faciunt hi duo affectus, cùm bona [illegible] strantur.

Illud autem hoc loco animaduertendum est, quòd ex his duobus affectibus, tanquam ex præcipuis radicibus, cæteri proficiscuntur. Ex bono [illegible] quod amamus, cùm abest, desiderium; cùm adest, lætitia oritur: item [illegible] lo, quod odio persequimur, cùm longè abest, nascitur fuga, quæ est illius [illegible] tandi cupiditas; cùm verò præsens est, ægritudo, vel molestia generatur. [illegible] autem sex perturbationes, amorem, & odium, cupiditatem, & fugam, [illegible] titiam vel voluptatem, & ęgritudinem vel molestiam, vocant Philosophi [illegible] nostræ concupiscibilis animæ partem, quòd illius munus est, hæc [illegible] bona expetere.

Quòd si bonum, quod expetimus, huiusmodi sit, quod cum difficultate comparari possit, rei cupiditas facit, vt eam consequi posse speremus. Quòd si difficultas huiusmodi sit, quæ spem nostram vincat, tunc oritur desperatio, quę contrarius affectus est. Aliàs si cupiditas est magna, in cordibus [illegible] aliam generat affectionem, quæ est animositas,& confidentia, vt omnem [illegible] lat difficultatem, quæ nobis impedimento esse posset, quo minùs, quod [illegible]

1.Reg.23 mus, assequamur: cuiusmodi fuit illa, qua prędìti erant illi fortissimi [illegible] Dauidis, qui per media hostium regiorum castra iuerunt, vt, quam [illegible] aquam, illi deferrent. Sin autem tot sint difficultates, vt illas aggredi non [illegible] deant, fit alia perturbatio superiori contraria, qui timor dicitur, qui [illegible] ad animalis custodiam conducit, ne illud aggrediatur, quod assequi [illegible] potest; vtq; remedium inquirat, vel se in abditum locum recipiendo, vel fugiendo. Quod si prętereà aliquis nobis ita obsistit, vt penitus impediat, [illegible] minùs id nobis comparemus, quod expetimus, vel de manibus illud [illegible] queat, quod possidemus; tunc ira accenditur, quæ iniuriarum vindicatrix [illegible] citur,& eorum impedimentorum, quę nostris cupiditatibus obsistunt, [illegible] tanquam ensis fit, quæ hanc perturbationem, quæ sua soror est, defendit. Hi quinque affectus,& naturales perturbationes, ad nostræ quoque vitæ conseruationem necessarij sunt. Nam si anima nostra vnicum tantùm haberet [illegible] titum illarum rerum, quæ ad sui conseruationem spectant, confidentiam [illegible] spem non haberet, quibus difficultates tollerentur, quibus vt plurimum [illegible] iunctæ sunt; non assequeretur illas,& sic quod ad viuendū esset necessarium, homini sæpe deficeret. Quare diuinus ille Conditor, qui nulla in re [illegible] quinque affectiones prouidit, quæ sunt spes, desperatio, confidentia, timor, & ira; quę omnes in suo genere conducunt, vel ad difficultates tollendas, cùm possunt; aut ad timendum periculum,& laborem,& victoriæ desperationem, cùm non possunt.

Non est autem consentaneum, vt ad alia pergamus priùs, quàm ex hac

exemplo aliquam vtilitatem, ad spiritualis vitæ doctrinam quàm maximè accommodatam, percipiamus, quam quidem & alio loco tractauimus. Hinc enim intelligent ij, qui in bonis desiderijs sunt, quòd ad virtutem quam expetunt comparandam id non est satis; sed vt habeant fortitudinem cum unctam necesse est, qua difficultates superent, in quas incurrunt, dum, quod expetunt, sibi comparare conantur. Illud enim notum est, omnes virtutes difficultatibus esse circundatas, atque coniunctas. Vbi enim difficultas non est, ibi virtus esse non potest. Propter hanc causam vbi hęc confidentia, & hi conatus cum virtutis desiderio coniuncti non sunt, vt rem aggrediatur, ibi homo sine vllo fructu atque vtilitate, cum suis desiderijs, remaneat necesse est. Ex quo illud dicitur, Infernum bonis desiderijs esse plenum, Paradisum verò bonis operibus. Verum tamen & illud est, quòd magnum desiderium hanc iracundiam, & fortitudinem sibi contrahit.

Vt autem reuertamur ad rem, hic illud animaduertendum est, hos affectus non solùm ad conseruationem vitæ nostræ, & hominum generis conducere, verùm etiam, vt nonnullas virtutes exercere valeamus. Iram enim dicunt esse iustitiæ vindicatiuę excitatricem, eius scilicet, quæ ad hominũ scelera punienda spectat. Ira enim & indignatione, qua sunt iudices affecti in reos, ad puniendum excitantur. Ponamus autem illud verum esse, quod sapienter ait Aristoteles, militibus non autem ducibus, iram conducere. Ex ea quoque cupiditate, qua sumus affecti in rem, quam bonam existimamus, duæ oriuntur perturbationes, quæ si bene regantur, ad virtutes comparandas, & ad vitia declinanda maximè conducunt. Hæ sunt, honoris amor, & vitij verecundia. Cùm enim diuinus ille præsidens intelligeret, quàm ciuiles & ingenui homines sint honoris studiosi, cumq; desideraret, vt ęquè virtutis essent cupidi, quid in hac re fecit? Honorem in virtute posuit, vt hoc modo in virtutem bene afficerentur; cùm verus honor in illa sola consistat. Hoc nihil aliud fuit, quàm virtutem sacchari condire, & hunc cibum hominibus tradere, vt homines in virtutem propensos redderet, cùm illa non sit vera virtus, quæ propter hanc causam comparatur. Ex hac autem radice tum virtutes, tum magnæ res gestæ Romanorum hominum, qui tot difficiles prouincias aggrediebantur propter hunc honorem, originem traxerunt. Propter hanc causam tum Scipio, tum cæteri duces, & Imperatores Romani pulcherrimas virgines sibi oblatas non accipiebant, sed eas vel suis parentibus, vel maritis, si nuptæ essent, restituebant: & quemadmodum honoris amor, in virtutem cor propensum reddit, sic verecundia, quæ affectio est illius soror, à vitijs propter dedecus, atque turpitudinem, quam secum vitia trahunt, abstrahit. Quam ille sapientissimus administrator, & puritatis amator, in mulierum animis maximè impressit, & multò magis virginum, qui est illis tanquam castitatis naturalis murus. Maius enim munimentum vt ille sapientissimus artifex in eo poneret, vbi maius periculum immineret, quodq; à plurimis expeteretur, consentaneum fuit. Propter hanc causam præter sigillum virginale, hanc naturalem verecundiam prouidit, quæ tanquam frænum huius vitij est. Quæ & in fœminis parum pudicis cernitur. Hoc autem modo Ouidius quandam ex illis ita describit, quæ cùm cuidã adolescentulo, quem summopere diligebat, scriberet; inquit ter incepisse os aperire, vt illi loqueretur, & ter obmutuisse,

& linguam palato inhæsisse. Reginam autem Didonem tanto pudore, & honestate describit Virgilius, vt, cùm cuperet Æneæ nubere post primi mariti mortem, hæc dixerit:

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemq́; profundam:
Antè pudor quàm te violem, aut tua iura resoluam.

Quod vt confirmem, addam hic Plutarchi exemplum cognitione dignum. Scribit enim ille, quòd in quadam Græciæ ciuitate olim morbus huius generis sæuiebat, vt quotidie multæ virgines sibi mortem consciscerent, cui morbo nullum remedium, aut medicina reperiebatur. Quidam homo sapiens hanc naturalem affectionem, quam in mulierum pectoribus inseruit Creator, adhibuit. Operam enim dedit, vt ediceretur, quòd virgines omnes, quæ ita morerentur, ad sepulturam nudæ efferrentur in maxima populi frequentia. Tantum hæc naturalis verecundia, huiusq́; tam turpis pœnæ timor, in illis virginibus potuit, vt, quod nulla neque medicina, neque remedium potuit, hæc naturalis verecundia potuerit: ex quo tempore illa pestis cessauit.

Illud quoque hoc loco animaduertendum est, quòd licet nõnullæ harum naturalium affectionum, & passionum, quas enumerauimus, vel vitiorum, vel virtutum nomina consecuta sint, neutrum tamen sunt; sed naturales passiones, quę æquè ad virtutem, & vitium se habent, quatenus vel bene, vel malè illis vtimur. Cùm enim illæ perturbationes, quæ in inferiori animæ parte sunt, superioris partis suæ, in qua intellectus, & voluntas inest, præscriptum sequuntur, illo cõplectendo, quod illis ratio proponit, tunc illis bene vtimur, quod est illas adhibere ad eum finem, ad quem nobis datæ fuerunt. Hunc autem motum, ait Aristoteles, esse similem motui cęlorum inferiorum, cùm mouentur motu superioris, quod primum mobile dicunt, quod ab Oriente in Occidentem tendit, & totum terrarum orbem naturali die circuit. Quemadmodum enim decet, vt inferiores cæli superioris motum sequantur: sic fieri solet, vt hæ perturbationes inferioris animæ partis præscriptum & imperium superioris suæ partis sequantur.

Sed cùm aliam ducem sequuntur, id est, cùm ratione omissa, rerum sensualium imaginationem, & apprehensionem, quæ dux satis cæca est, prosequũtur, tunc rectam viam deserunt, quòd hanc cæcam ducem sequantur. Hunc autem motum Philosophus comparat cum contrario Planetarum motu, qui ab Occidente in Oriẽtem excitatur: in quo nobis significat, non decere inferiorem, cum suis superioribus non conuenire.

Vt autem hæc quasi monarchia spiritualis intelligatur; illud tibi persuadendum est, in nostrę animæ regno voluntatem tanquam regem se habere, quæ omnibus membris, & facultatibus, quæ sunt in nostro corpore, imperat: intellectus autem, cùm non est corruptus, est illius fidelis consultor, qui rerum spiritalium dignitatem, atque præstantiam illi ostendit, vt illas amore, & vitiorum turpitudinem, vt hæc odio prosequatur. Habet pręterea suos famulos, qui sunt omnia corporis membra, quæ mouentur, vt voluntas iubet, absque repugnantia, & illius imperio parent. In hoc pręterea regno adsunt sui adula-

adulatores, quemadmodum in cęteris regnis, qui regi, quod non decet, consulunt, & suadent; hi autem sunt hę, de quibus diximus, perturbationes, quæ in bona sensualia, & voluptuosa propensę, ad id quoque suum regem adhortantur, intellectu repugnante, & dicente illa bona esse damnosa & pestifera, cùm rationi repugnant. Cùm autem perturbationes, & appetitus sunt vehementes, rationi quasi nubem oculis offundunt, & voluntatem à bono alienant, & secum trahunt. Huius exemplum in hydropico cernimus, qui licet sciat quantum detrimentum sibi potus afferat, hic tamen appetitus tantum in eo potest, vt secum voluntatem trahat; quæ efficit, vt intellectus approbet, & iudicet tunc id fieri debere; quod membra penitus exequuntur.

Etsi hic digrediamur aliquantulum à nostro proposito, illud silentio non prætermittam, quòd nostrę animæ pars, in qua maximè originale peccatum cernitur, est hęc, in qua appetitus & perturbationes reperiuntur: quæ quidem in nostra prima creatione erant rationi obtemperantes, cùm essent dono iustitiæ originalis præditæ. Hoc verò dono propter peccatum amisso, statim contumaces effectæ fuerunt, & rebelles, & quibus cum negotium habeant, ostendunt. Inde fit, vt tum mundus, tum diabolus teterrimum bellum nobiscum gerat. Cùm enim caro nostra cum his omnibus suis appetitibus sit natura satis propensa in ea, quæ ad carnem spectant, quæ suæ naturæ conuenientia sint; hic hostis accurrit, & has perturbationes, & appetitus excitat, & ita distrahit, vt à rationis via & præscripto penitus dimoueat. Propter hanc causam de eo in Iob scribitur, quòd suo flatu prunas accendat, quæ prunæ, nostræ perturbationes, & appetitus sunt, vt huiusmodi flatu temperantiæ fines, & modum transgrediantur. Vt, quemadmodum mundi initio hominem per mulierem aggressus est, id est, fortiorem partem per infirmiorem, idem faciunt, qui aliquam ciuitatem oppugnant: sic noster hic communis hostis semper debiliorem aggreditur partem, cùm sit natura in terrena propensa. Hanc habet vt sociam, & fautricem, cùm idem appetat, quod & ille, quæ sunt hæc voluptuosa, & terrena bona. Is autem suis illecebris ita hos accendit appetitus, vt, quod alij ad vitæ conseruationem adhiberent, ad quod hi appetitus dati fuerunt, cùm nimis vehementer appetat, ab ijs peruertatur, & corrumpatur. Hinc enim nascitur amor, & nimia honoris cupiditas, à qua oritur ambitio; & pecuniarum, à qua proficiscitur auaritia; voluptatum, à qua gulę peccatum promanat, cum alijs turpibus cupiditatibus. Hinc quoque oritur odium, & excandescentia in eos, qui nobis impedimento sunt, quo minùs ea bona nobis comparare possimus; & inuidia in eos, qui in ijs, quæ nos cupimus, nobis præstare videntur. Hinc tandem tota vitiorum manus oritur, & ab hac radice à Diabolo accensa proficiscitur. Iob 41.

Propter hanc causam, quęadmodum qui ciuitatem ab hostibus obsessam tueri conantur, infirmiorem partē, quantum in se situm est, defendunt, quòd per illam aduersarius ingredi contendit: ita verus Dei seruus scire debet vitā Christianam perpetuum esse bellum; & vt scribit Iob, perpetuam militiam, vel perpetuam super terram tentationem, quę per totam penè hominis vitam perseuerat: sed strenuum militem profitetur, quodq; in hac appetituum infirmiori parte maior cura, maiorq; munitio adhibenda est, ne à recta declinent, cùm hic semper maius periculum impendeat. Iob 7.

Digitized by Google

Postremùm illud animaduertendum est, quòd sicut sensus exteriores, & interiores, qui ad res dignoscendas conducunt, in capite alij extrinsecus, alij intrinsecus collocati sunt, vt superiùs diximus; sic prędicti effectus, qui vel ad appetitum, vel ad fugam referuntur, in corde suã sedem habeant. Vt hæc duo munera sensitiuæ animæ, quorũ alterum ad cognitionem, alterum ad rerum appetitum accommodatum est, eo distribuit ordine Creator, vt illa in duobus præcipuis hominum corporis partibus, capite & corde, collocauerit. In hoc enim superiores vndecim affectus, vel naturales passiones ponimus, quod quidem experimur quotidie. Apertè enim in corde sanguinem ab ira accendi sentimus, tristitia premi, lætitia dilatari, qui duo affectus tantũ excrescere possunt, vt cor intemperie afficiant, & ob id, vt sæpe fit, homines mortem cum vita commutent. Hæc dixisse satis sit de sensitiua anima, quam homines cum beluis communem habent.

DE INTELLECTIVA ANIMA, ET EIVS muneribus. Cap. XXXIIII.



HACTENVS de duabus nostrę animæ inferioribus facultatibus egimus, quod est de anima, quæ vegetatiua dicitur, cuius officium est nutrire, & sustinere nostrum corpus; & de ea, quam dicunt sensitiuam, à qua quinque nostri corporis sensus exteriores, & quatuor nostræ animæ interiores oriuntur. Nunc quidem æquum est, vt de pręstantiori animæ parte agamus, quam intellectiuam vocamus: quæ substantia spiritalis est, vt Angeli sunt, & ob id nulli corporeo organo affixa est, vt sensus omnes, tam interiores, quàm exteriores sunt.

Vt autem de anima tractemus, deq; varietate, & multitudine illius munerum, necesse erit in memoriam reuocare, quod superiùs diximus, vbi de vi, & subtilitate spirituum animalium egimus, à quibus differendo tum de elementis, tum de cæteris rebus, quę ex elementis constant, statuimus, quòd quò res longiùs à pondere, & terræ conditionibus absunt, & magis ad res spiritales accedunt, eò perfectiores sunt, & maiorem vim & efficaciam ad agendũ consecutæ sunt. Hac autem ratione cùm anima nostra his omnibus rebus antecedat, & sit spiritalis substantia, illud sequitur, quòd illis sit perfectior, & maiorem vim & efficaciam ad agendum consecuta sit.

Vt igitur incipiamus de intellectiuę animæ dignitate & efficacia agere; dicamus primùm illam esse, qua differimus à cęteris animalibus, & Deo, ac illius sanctis Angelis similes sumus. Quod idem Conditor testatus est, cùm initio
Genes. 1. creationis dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* quam similitudinem propter hanc animam intellectiuam habere diximus.

Quare illud primùm notandum est, quanta auctoritate inceperit Creator de hominis creatione agere, cùm in aliarum rerum creatione illa verba tantummodò adhibuerit, Fiat hoc; & statim factum erat: Fiant luminaria cæli; & statim in lucem productus est Sol, & Luna, cum omnibus stellis. Cùm verò
Genes. 1. creaturus esset hominem, hoc nouo sermone vsus est, inquiens: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quæ verba non sunt vnius diuinæ personæ, sed plurium, totius scilicet sanctissimæ Trinitatis, quæ ad huius nobilit-

bilit

bilis creaturæ fabricam incubuit. Sed aliud maius nobis se ostendit, cùm dicat, *Ad imaginem & similitudinem nostram.* Imaginem enim Dei esse, ad hominē, & Angelum solùm pertinet. Reliquæ enim creaturæ, vel ipse Sol, Luna, & stellæ cum reliquis omnibus, non imagines nominantur, sed Dei vestigia, quòd paruu de illius amplitudine referunt. Quoniam autem Angelus & homo magis illam altissimam naturam referunt, ob id Dei imagines dicuntur: id quoque alia præcipua re, quæ in hominis formatione accidit, comprobatur. Cùm enim hominis corpus ex limo terræ formasset; cùm animam creauit, (vt scriptura inquit) spiritum vitæ in illum insufflauit. Quoniam autem flatus ex interiori parte illius proficiscitur, qui insufflat, in eo significare voluit, animam quid diuinum esse, quippe quæ ex Dei pectore profecta sit: non quòd sit illius diuinæ substantiæ particula, vt nõnulli hæretici dixerunt; sed quòd multis in rebus sit (vt infrà videbimus) Dei conditionum & proprietatum particeps.

Hic autem animaduertendum est, quòd ex omnibus creatis rebus nihil est, in quo maxima cum sapientum hominum admiratione, magis Dei potentiæ magnitudo, quàm in virtute ab illo in anima nostra posita, appareat. Nam licet in Angelis hæc potentia eluceat, tamen sunt ipsi substantiæ simplices, & purè spiritales. Nostra verò anima ex altera parte est spiritalis substantia, vt Angeli; ex altera est huius materialis corporis forma, quod sustentat, cuiq; vitam tribuit, vt cuiuslibet beluæ anima facit. Cùm autem tantum intersit inter substantias purè spiritales, & substantias purè materiales, nullaq; proportione coniungantur; inter Dei admirabilia numeratur, talem vim, & facultatem animæ nostræ tribuisse, vt ex altera parte altiora, vt Angeli intelligat; & ex altera, vt equus, generet, cùm sit illa, quæ ad generationem facultatem præstat. Quamobrem hoc idem est, ac si Deus creaturam effecisset, quę vnà equus, & Angelus esset: cùm hæc anima in se vim, atque facultatem harū creaturarum tam differentium contineat. Quare iurè S. Augustinus dixit: Ex omnibus rebus admirabilibus, quas Deus pro homine fecit, nihil est homine ipso admirabilius, vt superius dictum est.

QVOT MODIS HOMO AD IMAGINEM ET SIMILITVdinem Dei factus esse dicatur. Cap. XXXV.

NVNC quidem operæ pretium erit inquirere, quot modis homo ad imaginem & similitudinem Dei factus esse dicatur. Hoc enim cognito, suam quidem dignitatem cognoscet homo, vt erubescat, & pudore afficiatur, cùm hanc diuinam imaginem se fœdare, & obscurare senserit, cùm ad carnis vilitatem descendat. Hinc præterea, quantum Creatori debeat, qui tam pretiosam gemmam largitus est, profectò cognoscat. Primùm igitur homo Dei dicitur imago, quòd liberum arbitrium, & intellectum, vt Deus, & illius Angeli, habet. Nulla enim alia creatura hanc libertatem obtinet: sunt enim naturalia agentia, quæ facere non possunt, quin id faciant, cuius facultatē habent. Hoc modo ignis non comburere non potest, & non illuminare, & cætera eodem modo. Homo verò liber est, & suarum actionum dominus, & ita facere, & non facere, cùm vult, potest. Ex quo fit, vt homo dominus, & cæterę creatu-

creaturæ seruæ, & famulæ videantur, cùm ipsi solus sit [illegible] minus, illæ verò nequaquam.

Neque solùm voluntatis libertas, sed etiam intellectus facultas [illegible] à beluis differamus, & Deo similes reddamur, cùm & ipse sit intellectualis [illegible] stantia, licet alio & præstantiori modo. Hæc similitudo intellectus [illegible] num similitudine, quæ ab illis proficiscuntur, cernitur. Ex quo fit, [illegible] naturam quantum potest imitari dicatur: quod apertioribus verbis [illegible] cat, hominem in modo operandi Deum imitari. Quemadmodum [illegible] turæ auctor in omnibus suis actionibus media facit, quæ suis finibus [illegible] quos tendunt, proportione respondeant, vt dentes ad cibum incidendum [illegible] terendum; manus, ad laborandum; pedes, ad deambulandum [illegible] ris pondus sustineant: sic ars eandem proportionem in suis actionibus [illegible] vt cùm vestem talarem incidit, vt vestiat; cùm tibi alia, & calceos, [illegible] ficit, vt calceet; domos, vt habitet; nauigia, vt nauiget, & cætera eodem [illegible] Ex quo facilè cernitur, quàm bene hæc omnia sint ad finem, ad quem [illegible] tur, accommodata.

Quemadmodũ etiam naturæ auctor in omnibus rebus eò spectat, vt [illegible] tas & pulchritudo simul iungantur, vt in hominis facie cernitur, [illegible] & figura narium, oculorum, ciliorum, superciliorum, quæ [illegible] quæ omnia non solùm ad faciei pulchritudinem faciunt, verùm [illegible] harum partium munera obeunda: quæcunque enim harum partium [illegible] retur, vtrunque bonũ remoueret. Idem ars quantũ potest imitatur, [illegible] versetur, vt (quantum in se situm est) artificialia omnia pulchra, & vtilia [illegible] vt in omnibus diuitum hominum supellectilibus, & ornamentis [illegible] quibus omnia, quibus vtuntur, sunt huiusmodi, vt non solùm necessitati [illegible] rùm etiam pulchritudini seruiant.

Præterea quemadmodum penè innumerabiles sunt naturæ actiones [illegible] in suo genere sunt artis actiones. Quod illorum oculis pateret, qui [illegible] magna ciuitate, vt sunt Venetiæ, vel Olysippum, circunspiceret: in [illegible] enim huius ciuitatis vijs sexcentas diuersitates artium, & artificum [illegible] eorum cerneret: si in maritimis esset, tam multa negotia, & merces, [illegible] ta nauigiorum genera, magna, & parua, cum suis rudentibus fabricata [illegible] nauigandi vsum accommodata. Quòd si inde in armamentarium ingre[illegible] retur, vbi tam multa genera armorum, tum ad defendendum, tum ad [illegible] dendum cerneret: alia, vt cominus, alia, vt eminus pugnetur: fieri [illegible] posset, quin maxima admiratione afficeretur, cùm cerneret hominem [illegible] dum rationale animal à natura creatum, vt in pace, & in hominum [illegible] degeret, tantum habuisse ingenium, tantam audaciam, qui tam multa [illegible] ictuum, & tormentorum inueniret, vt hominum genus penitus [illegible] Quòd si inde ad bibliothecas, & publicas scholas se reciperet, sexcenta [illegible] rum genera inueniret, & artium, & naturalium scientiarum, & supernatura[illegible] lium ab hominum intellectu inuentarum. Tandem si quam cathedralem [illegible] clesiam ornatè fabricatam, & paratam solenni festo ingrederetur, ibi [illegible] inueniret, quibus oculi maximè delectarentur, ædificij pulchritudine [illegible] tarium ornamentis: aures quoque vocum concentibus, & instrumentorum musicorum modulatione, quæ ibi æquabiliter, & suauiter resonarent. [illegible]

autem, si quis vniuersales nundinas peteret, vt quæ in Medinæ agro celebrari solent, aut alijs huiusmodi, ibi tantam artificialium rerum varietatem, & multitudinem cerneret, vt ars cum natura, non solùm rerum fabricatione, & pulchritudine (vt diximus) verùm etiam illarum varietate & multitudine contendere videatur. Et quemadmodum Deus hunc mundum rerum naturalium plenum creauit: sic ars nouum alium mundum artificialium rerum plenum effecit.

In quo manibus vtitur: quas Creator mirabili artificio, & dotibus fabricauit, vt instrumentum optimum, & generalissimum præcipuarum partium animæ nostræ, quæ sunt voluntas & ratio, essent. Ratio enim per illas omnia prædicta operatur, & multa alia præterea. Ipsæ enim (vt ait Tullius) nobis vtiles sunt ad agrorum cultus, extructionesq; tectorum, tegumẽta corporum vel texta, vel suta, omnemq; fabricam æris & ferri: ex quo intelligitur, adinuenta animo, percepta sensibus, adhibitis opificũ manibus omnia nos consecutos, vt tecti, vt vestiti, vt salui esse possimus: vrbes, muros, domicilia, delubra haberemus. Iam verò operibus hominum, id est, manibus, cibi etiam varietas inuenitur, & copia. Nam & agri multa ferunt manu quæsita, quæ vel statim consumantur, vel mandentur condita vetustati. Et præterea vescimur bestijs & terrenis, & aquatilibus, & volatilibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones: quorum celeritas, atque vis, nobis ipsis affert vim, & celeritatem. Nos onera quibusdam bestijs, nos iuga imponimus: nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad vtilitatem nostram abutimur: nos è terræ cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam: nos æris, argenti, auri venas, penitus abditas, inuenimus, & ad vsum aptas, & ad ornatum decoras: arborum autem confectione, omniqúe materia, & culta, & siluestri, partim ad calefaciendum corpus igni adhibita, & ad mitigandum cibum vtimur, partim ad ædificandum, vt tectis septi, frigora, caloresqúe pellamus. Magnos verò vsus affert ad nauigia facienda. Quorum cursibus suppeditantur omnes vndique ad vitam copiæ: quasqúe res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus: maris, atque ventorum, propter nauticarum rerum scientiam: plurimisqúe maritimis rebus fruimur, atque vtimur. Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur: nostri sunt amnes, nostri lacus: nos fruges serimus, nos arbores: nos aquarum inductionibus terris fœcunditatem damus: nos flumina arcemus, dirigimus, auertimus: nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur. Hæc Tullius.

Hæc autem dignitatem, & similitudinem animæ nostræ cum suo Creatore nobis profectò declarant, cùm in modo operandi, cum illo tantam similitudinem habeat. Tria S. Dionysius tam in Creatore, quàm in creaturis ponit, quæ sunt esse, posse, & operari: in quibus ille est ordo, & ea proportio, vt, quale sit esse, tale sit posse; & quale posse, tales sint operationes. Et sic per opera potestatem cognoscimus, & per potestatem essentiã. Cùm autem (vt dictum est) tantam similitudinẽ inter Dei, & hominis actiones videamus, hinc similitudinem, & cognationem Dei, & hominis colligere possumus, & intelligere

gere iure optimo dici hominem ad imaginem & similitudinem Dei esse factum, quæ dignitas cæteris omnibus profectò antecedit.

Illa quoque est singularis Dei proprietas, in omnibus locis, & in mundo, & extra mundũ adesse: sic nostra intellectiua anima cùm vult in omnes mundi partes statim accurrit. S. Ambrosius ait, in Italia sumus, & in rebus Orientalibus, & Occidentalibus cogitatione insistimus: cum Persicis, cum Africanis, versamur, ibi cum amicis negotiamur, cum deambulantibus deambulamus, ad peregrinos accedimus, cum longinquis coniungimur; cum illis, qui à nobis longè absunt, loquimur: cum mortuis tandem resurgimus, eos complectimur, cum illis tanquam cum viuis versamur. Hinc autem intelligitur, hanc corporalem partem, quæ in nobis est, ad Dei imaginem non esse factam; sed illam, quæ visus acie absentes cernit, ad vlteriorem maris partem traijcit, & per omnes res suo visu currit, abditas inuestigat, & temporis momento ad omnes mundi fines suis sensibus accurrit, vsque ad Deum ascendit, & cũ Christo iũgitur, & descendit ad inferos, & ascẽdit ad cælum, & per illud
Philip 3. liberè deambulat, vt ille faciebat, qui dixit: Conuersatio nostra in cælis est.

Aliud quoque in eo admirabilius inest, quo nostra anima Dei vim, & potentiam imitatur, quo quidẽ & ipsis Angelis antecedit. Nam licet in illis Dei imago perfectiùs appareat, quod substantiæ purè spiritales, & ab omni materia seiunctæ sint: anima tamen nostra, præter quòd spiritalis substantia sit, alia ratione hanc imaginem refert, varietate scilicet munerum, quæ in nostro corpore vbi inhabitat exercet. Quod enim in maiori mundo Deus operatur, idem anima nostra in minori, qui homo est, efficit. In mundo autem maiori quàm innumerabiles creaturæ, naturalesq; actiones sint, videmus, & in his omnibus Deus operatur, cùm eas conseruet in suo statu, & illis tribuat ad sua munera vim, & facultatẽ: prima enim causa cum omnibus inferioribus concurrit, sine cuius vi, & influentia operari non possent. Tantum igitur imperium anima nostra in hac sui corporis ditione habet, vt in eo nihil fiat, cuius ipsa principiũ, & causa non sit. Quod facilè apparet in illius defectu, cùm scilicet per mortem deficit, quòd tunc omnis operatio cessat. Quare cùm ipsa sit simplex, & spiritalis substantia, est quoque omniũ vitæ munerũ principium. Est enim illa, quæ per oculos videt, per nares odoratur, in lingua gustat, cæteris membris tangit, ventriculo cibum concoquit; in iocinore sanguinem vertit, & in totum corpus per venas distribuit; in corde vitales spiritus creat, & in cerebro animales; illos per arterias, & hos per neruos in omnia corporis membra distribuit. Quæcũque vidit, in imaginatione pingit, rerum vocabula, & innumerabiles res in memoria conseruat, intellectu differit ac disputat, & volũtas odio, & beneuolentia prosequitur. Nihil est tandem in nostro corpore tam minutum, cuius ipsa principiũ, & præcipua causa non sit. Vt, quod in horario pondera sunt, hoc in nostro corpore anima sit; & quemadmodum his ponderibus remotis omnes horarij rotæ cõquiescunt, sic anima in nostro corpore deficiente, omnis nostræ vitæ artifices, & opera deficiunt.

Psal. 138. Hoc maximè Dauid admiratur, cùm inquit: *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.* Super quibus verbis, quæ in hunc sensum allegat Theodoretus, longam exclamationem contexit, & ita inquit: Cùm sum Domine in me ipso collectus, & exterioribus curis & negotijs vacuus

cuus in me ingredior, & meam naturam contemplor, & eam rationalis animæ facultatem, quam mihi dedisti, & scientias, quarum capax est, intueor, & artes ab illo inuentas, quarum mundus plenus est, cuius beneficio vita suauior & lætior fit, & illam infinitam vocabulorum copiā, quæ in illa concipiuntur, in qua distincta, & condita seruantur, quæ, cùm opus est, tam facilè offert; & animaduerto, quo modo hæc anima totū corpus administret, quoq; modo oculis commisit hoc munus, vt inter colores dijudicarent, linguę vt sapores, & suorum conceptuum interpretem per verborū vsum effecerit; naribus facultatem dignoscendi odores tribuit, auribus vim concipiendi verba, quæ proferuntur; eadem sensum tangendi per totū corpus dilatauit, quo tactu nonnunquam molestia, nonnūquam voluptate & lætitia afficitur: cùm igitur hæc omnia, & alia huiusmodi in animo euoluo, & animaduerto in animalis fabrica multa, quæ contraria videntur, conuenire, vnà cum illa admirabili duarum naturarum vnione, altera mortali, altera immortali; hoc tanto miraculo stupesco, & cùm ratio nequeat tantam rem assequi, me victum esse fateor: cumque Creatoris victoriam, & sapientiam prædicem, in vocem laudis meum sermonem conuerto, & cum Propheta exclamo illud inquiens: *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.* Hæc Theodoretus. Hæc alia est nostræ animæ præstantia, in qua suum Creatorē imitatur, omnia (vt diximus) in suo corpore agendo, quę Creator in hoc mundo operatur. Qua de re, præter ea quæ dicta sunt, Dei imago dicitur.

Quid autem sibi vult, vt non solùm ad imaginem Dei, verùm etiam ad similitudinem facta esse dicatur? Ad id sancti Bernardus & Ambrosius respōdent dicentes, Imaginē dici ratione naturalis, quod accepit, & similitudinem ratione gratuiti. Illud significare volunt, Imaginem dici ratione dotum, & facultatum naturalium, quas acceperūt ad hanc communem, & naturalem vitam degendam: sed similitudinem, propter gratiam, & propter virtutes supernaturales, quas in prima sua creatione receperunt, vt vitam viuerent supernaturalem, & vita æterna dignam. Quare videtur imago, quæ est naturalis, nunquam amitti, licet anima in inferno sit: similitudo verò amittitur, amissa gratia, quæ quolibet peccato mortali amittitur. Sed illud maximè dolendum est, hominem non solùm hanc perdere similitudinem, verùm etiam & magis illam, quæ huius loco succedit. Quæ verò sit hæc, Propheta declarat, cùm inquit: *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Psal. 48. Quid igitur magis dolendum est, quàm hic casus, in quo homo, qui in vitæ puritate Dei similitudinem referebat, Dei similitudinem in bestiarum similitudinem conuertit? Quò potuit magis cadere, & descendere humana infelicitas? Hinc cognoscit homo, quanta sit peccati improbitas, quod tam extremi mali causa est.

Hoc satis sit de intellectiua anima, & de illis, quæ ad mundum maiorem, & minorem, qui homo est, pertinent. Nunc operæ pretium est, vt quæcunq; dicta sunt in nostram vtilitatem conuertamus, & à creaturis ad Creatorem ascendamus.

DE PRAECIPVA DEI CVRA DE HVMANIS rebus. Cap. XXXVI.

QVIDQVID hactenus dictũ est, eò spectat, vt occasiones, & incitamenta explicentur, quæ Philosophi habuerunt, vt primã caussam, primum principium, primũ motorẽ, & gubernatorẽ huius mundi, qui Deus dicitur, cognoscerent. Eò quoque conducit, vt huius summi principis prouidentiam in omnibus rebus cognoscamus, cùm proprietates animaduertamus, quas omnibus animalibus prouidit, vt se conseruarent, quod est ad suam vitam; & vt contraria declinarent, & suos morbos curarent, & suos filios educarent: in nulla harum rerum Philosophi præstantiores vnquam dubitârunt. At quemadmodũ monstrosa corpora reperiuntur, quæ vel pauciora, vel plura membra, quàm fieri solet, habent: sic etiam (imò magis) & animi, & ingenia reperiuntur monstrosa, quæ dicunt non solùm, quæ sunt rationi contraria, sed contra id, quod penè omnes homines sentiunt: vt illi, qui cùm Dei prouidentiam de beluis faterentur, (propter ea quæ dicta sunt) prouidentiam de hominibus negare ausi sunt, propter confusionem, & ordinis peruersionem, quam in humanis rebus cernebant. Neque animaduertebant, quòd cùm beluæ sint neque virtutis, neque vitiorum capaces, ideo non sit, quod Dei prouidentiam permutet, quàm de illis habet: sed cùm sit homo vtriusque capax, eum tractat Deus, vt illius actiones merentur, cùm bono benefaciat, & malum pœnis coerceat.

Quod moralissimus Philosophus Seneca intellexit, cùm vnico verbo dicat magnam illorum partẽ, quæ nostra religio docet. Cùm enim verba faceret de Deo, inquit, Deũ ita tractare nos, quemadmodũ & nos tractamus illũ. Illud nobis significat, eos à Deo vt fideles seruos, & filios tractari, qui eum, vt verum Dominum, & patrem colunt, & venerantur. Quid maius hic Philosophus dixisset, si Christianus fuisset? Quanta doctrina, & quàm vniuersalis est hæc doctrina, quæ tam paucis verbis continetur? Hic tamen animaduertendum est, quòd cùm dicimus, Deum bonis benefacere, & malos punire; nõ hic intelligimus hæc bona esse temporalia, (quæ nec Philosophi quidem bona esse existimârunt) neque malum esse paupertatem, aut eorum inopiam; hoc enim verum mali nomen non meretur, quòd Sancti omnes illa sponte prosecuti sunt. Quamobrem prouidentia, quam habet Creator de omnibus bestijs, semper eadem est: sed de hominibus est diuersa, iuxta illorum actiones. Sed contra hos Philosophos delirantes se veri & graues Philosophi armârunt, & illi præsertim qui Stoici dicuntur, qui virtutibus satis dediti erant, grauissimis rationibus probantes diuinam prouidentiam, quam vniuersim ille summus Princeps de rebus humanis habet. Ex quibus nonnulla hic apponam.

Primùm enim quis illud absurdum esse non existimabit dictum, si quis dixerit bestias, non autem homines Deo curæ esse? Cùm bestiæ, & hæc omnia inferiora pro hominibus (vt iam dictum est) creata sint? Patri autem filij famulos, & seruos, non filium curæ esse, quis dixerit? Si ad prouidentiam, & bonam administrationem spectat, magis maiora, quàm minora curare; cùm homo sine controuersia sit cæteris animalibus nobilior, vt creatura ad imaginem & similitudinem Dei facta; qua ratione dici potest tam vilibus rebus consulere, & altiora, vt homines sunt, quos Deus propter sui ipsius similitudinem

Digitized by Google

dinem filios vocat,negligere? & si beluis prospicit,quæ beneficium non agnoscunt, nec pro ꝗeo gratias agunt; quantò magis prospiciet homini, qui eum agnoscit,adorat, & propter hanc causam laudat?

Illud etiam nobis compertum est, amorem esse in causa, vt creaturæ suis rationibus consulant, ac prouideant, & quò magis illas amant, eò maiori sibi curæ sunt: vt in cura bestiarum, & prouidentia in filios suos, quos amant, facilè cernitur: atqui Deus magis homines, quàm bestias amat, (quod cernitur ex illorum in beluas dominatu, & ex natura præstantiore, quàm illorum, sibi à Deo data) qui fieri potest, vt sibi curæ sit illud, quod minùs amat, & nō quod magis amat? Illud reipsa nobis compertū est, quòd si quis arborem serat, eam adultam cùm videt, & fructibus onustam, lætatur, & sic dum eam colit, & irrigat, voluptate perfunditur; sin contra, molestia afficitur. Quòd si homini tantæ curæ est arbor, & tantopere eam diligit, quam cōseruit: quanto maiori erit curæ Creatori homo, quem ipse formauit?

Neq; amor solùm, sed bonitas etiam est prouidentię causa. Inde fit, quòd homines singulari bonitate (vt quotidie cernitur) communibus rationibus libenter consulunt, ac communem vtilitatem desiderant, & vel suis incommodis sæpe procurant. Quòd si hoc singularis probitatis proprium est, quantò magis erit illius summæ, & infinitę bonitatis in hominis cura: præsertim cùm sciat, quòd si homo bene ordinatus fuerit, totum hunc mundum, qui homini seruit, bene quoque ordinatum fore: contrà verò, si inordinatus est, mundum quoque huiusmodi fore, cùm ei seruiat, qui rerum omniū Domino non seruit.

Quòd si omnium creaturarum perfectiones (quę absolutè perfectiones dicuntur) sunt in Deo præstantiori quodam modo: bona verò communia procurare, est ex illis perfectionibus vna: cùm Deus sit omnium perfectionum abyssus, & auctor, quis hanc in Deo esse negare audebit?

Illud quoque videmus, omnes causas suorum effectuum pręcipuam curam habere; vt & parentes suorum filiorum, & reges suorum subiectorum, & patresfamilias suæ familiæ. Quantò magis ille Rex regum, summus Pater, illa causarum causa illum nobiliorem effectum, quàm cæteros omnes, quos in terris produxit, qui homo est, sua cura complectetur?

Ad ea præterea, quæ dicta sunt, illud addo, quòd si Deus humana nō curat, id fit, vel quia non potest, vel quia non vult, vel ignorat, quæ in terris fiunt. Qui dicit, eum nescire, illi sapientiam adimit: dicere autem, scire, sed nolle; ab illo bonitatem, iustitiam, charitatem, misericordiam, & omnes perfectiones, & virtutes remouet, quod blasphemia est. Dicere autem, non posse; suæ potentiæ amplitudini, quæ infinita est, repugnat. Qui enim hunc mundum, tam magnum creare potuit, tamqúe formosum, tam bene ordinatum, & in temporum varietate, & in cælorum motibus tam constantem, tamqúe multis rebus ad hominum vitam instructum, quomodo, qnod creare potuit, id administrare non poterit? Et si spontè hunc mundum creare voluit, non autem quòd sibi opus esset, neque quòd ab vllo cogeretur, sed sua solùm bonitate, per quam rebus dare voluit, vt essent, quæ ante non erant; quid causæ est, cur nolit id conseruare, & administrare, quod creare voluit?

Ad prædicta illud addo præcipuum, & reipsa cognitum: inter omnes homines, cuiuscunque generis & nationis, illud conspicitur, quòd quotiescunque in aliqua calamitate, & angustia versantur, statim nullo præcedente rationis discursu, imò solo naturæ stimulo, oculos eleuant, & manus tendunt ad cælum, vbi ille primus Dominus residet, & ab eo auxilium petunt. Cùm igitur hæc propensio in eadem hominis natura à Creatore ingenerata sit, & hæc frustra esse non possit, neque vana, (iuxta illam Philosophorum sententiam, quæ dicit, neque Deum, neque naturam, quidquam frustra facere) eum prouidentiam humanarum rerum habere consequitur, cùm in illorum animis hanc propensionem inseruerit. Neque paruam vim habet ille communis omnium gentium, licet barbararum, & immanium consensus, in quibus semper aliqua ratio diuini cultus, licet falsi, & errantis, reperitur: id autem hac opinione, non futurum esse, vt diuinitati cultũ adhibeant frustra, sed quòd ab illo auxilium sperant: quòd si aliter existimarent, neque Deum colerẽt, neque illius templa, aut sacrificia curarent. Hoc autem est diuinã prouidentiam confiteri, Deum scilicet curare eos, à quibus honoratur, & colitur. Cùm autem hoc fit vniuersim in omnibus gentibus, illud sequitur, hanc propensionem & cognitionem vnà cum homine oriri, & in illius corde ab ipso naturæ auctore esse impressam. Qui vt in cordibus filiorum naturalem propensionem inseruit, qua parẽtes intuerentur, ac venerarentur; sic aliam quoque, qua Deum colerent, qui modo præstantiori est communis omnium Pater. Hoc ita est naturæ lumini manifestum, vt Aristoteles dixerit, in cõtentionem non vocandum, verùm nix sit alba, neque vtrùm parentes & Dij honorandi sint; sed dignum pœna sensus, & qui niuem albam esse negat, & verberibus afficiendum, qui honorem Dijs & parentibus debitum negat.

Hæ, & aliæ huiusmodi rationes præstantiores Philosophos, & sapientiores mouerunt, vt Platonem, & illius præceptorem Socratẽ, & præsertim Stoicos. Ex quibus vnus, qui Seneca fuit, de Diuina prouidentia totum vnum librum scripsit. De qua & in alijs suarum epistolarum locis mentionem facit. Qui in quadam epistola ad suum Lucilium, hæc eximia verba, & cognitione

Epist. 41. digna scripta reliquit: Propè est à te Deus, tecum est, intus est: sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumqúe nostrorum obseruator & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adiutus exurgere? Ille dat consilia magnifica, & erecta. In vnoquoque virorum bonorum (quis Deus incertum est) habitat Deus. Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quidquid timemus optamusqúe ridentem, cælestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. Itaque maiore sui parte illic est, vnde descendit. Quemadmodum radij Solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt vnde mittuntur: sic animus magnus & sacer, & in hoc demissus vt propiùs quidem diuina nossemus, conuersatur

Epi. 74. quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. Et in alia epistola sic inquit: Miraris hominem ad Deos ire? Deus ad homines venit, imò (quod propius est) in homines venit. Nulla sine Deo mens bona est. Hæc Seneca. Qui licet Euangelium non legerit, gratiæ necessitatem, licet quid sit gratia ignoret, & diuinæ prouidentiæ curam fatetur. Ex quo licet hic Pelagianorum cæcitatem, & de-

& dementiam admirari, qui diuinam scripturam admittentes, opinabantur, fieri posse, vt homo liberi arbitrij viribus solùm, sine gratiæ auxilio, seruaret ad vnguem omnia diuina mandata, & cæli regnum mereretur.

Ad hoc illustre Senecæ testimonium Tullij idem conficientis adiungam, qui inquit: Sin autem his consulunt, qui quasi magnam quandam insulam incolunt, quas nos orbem terræ vocamus: etiam illis consulunt, qui partes eius insulæ tenent, Europam, Asiam, Africam. Ergo & earum partes diligunt, vt Romam, Athenas, Spartam, Rhodum: & earum vrbium separatim ab vniuersis singulos diligunt, vt Curium, Fabricium, Metellum, Catonem, Scipionem, Lælium: multosq; præterea, & nostra ciuitas, & Græcia tulit singulares viros: quorum neminem nisi iuuante Deo talem fuisse credendum est. Quæ ratio Poetas, maximeq; Homerum impulit, vt principibus heroum, Vlyssi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, certos Deos, discriminum, & periculorum comites, adiungeret. Ex quo concluditur, Neminem virum magnum sine aliquo afflatu diuino vnquam fuisse. Hæc Tullius, qui vt Seneca diuini fauoris necessitatem, curamq; diuinæ prouidentiæ fatetur. Lib 2. de Natura Deorũ.

Quòd omnia quæ in mundo sunt, pro hominibus creata fuerint.

EANDEM prouidentiam idem Tullius probat particulatim narrando, quo modo hæc omnia, quæ videmus, à diuina prouidentia pro homine creata fuerint. sic ille inquit: Sin quæreret quispiam, cuiusnam causa tantarum rerum molitio facta sit, arborúmne, & herbarum? quæ quanquam sine sensu sunt, tamen à natura sustinentur. At id quidem absurdum est. An bestiarum? nihilo probabilius, deos mutarum, & nihil intelligentium causa tantum laborasse. Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundũ? Eorum scilicet, qui ratione vtuntur, qui homines sunt. Soli enim ratione vtentes, iure, ac lege viuunt. Vt igitur Athenas, & Lacedæmonem, Atheniensium, Lacedæmoniorumq; causa putandum est conditas esse: omniaqúe, quæ sint in his vrbibus, eorum populorum rectè esse dicuntur: sic quæcunque sunt in omni mundo, deorum atque hominum putanda sunt. Iam verò circuitus Solis, & Lunæ, reliquorumq; siderum, quanquam etiam ad mundi cohærentiam pertinent, tamen & spectaculum hominibus præbent: nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior, & ad rationem, solertiamq; prestantior: eorum enim cursus dimetiti, maturitates temporum, & varietates, mutationesq; cognouimus. quæ si hominibus solis nota sunt, hominum causa facta esse iudicanda sunt. Terra verò fœta frugibus, & vario leguminum genere, quę maxima largitate fundit, ea ferarúmne, an hominum causa gignere videtur? quid de vitibus, oliuetisqúe dicam? quarum vberrimi, lętissimiq; fructus nihil omnino ad bestias pertinent. neque enim serendi, neque colendi, neque tempestiuè demetendi, percipiendiq; fructus, neque condendi, ac reponendi vlla pecudum scientia est: earumq; omnium rerum, hominum est & vsus, & cura. Vt fides igitur, & tibias eorum causa factas dicendum est, qui illis vti possunt: sic ea, quę diximus, solisijs contendum est esse parata, qui vtuntur. nec si quę bestię furantur aliquid ex his, aut rapiunt, illarum quoque causa ea nata esse dicemus. Neque enim homines murium aut formicarum causa frumentum condunt, sed coniugum, & liberorum,

rorum, & familiarum suarum. itaque bestiæ furtim, vt dixi, fruuntur: domini palàm, & liberè. Hominum igitur causa eas rerum copias comparatas fatendum est. Nisi fortè tanta vbertas, & varietas pomorum, earumqúe iucundus non gustatus solùm; sed odoratus etiam, & adspectus dubitationem affert, quin hominibus solis ea natura donauerit: tantumq; abest, vt hæc bestiarum etiã causa parata sint, vt ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus. Quid enim oues aliud afferunt, nisi vt earum villis confectis, atque contextis homines vestiantur? quæ quidem neque ali, neque sustentari, neq; vllum fructum edere ex se sine cultu hominum, & curatione potuissent. Canum verò tam fida custodia, tamq; amans dominorum adulatio, tantumq; odium in externos, & tam incredibilis ad inuestigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid significat aliud, nisi se ad hominum commoditates esse generatos? Quid de bobus loquar? quorum ipsa terga declarant non esse se ad onus accipiendum figurata: ceruices autem natæ ad iugum: tum vires humerorum, & latitudines, ad aratra extrahenda. quibus cùm terræ subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, vt Poetæ loquuntur, vis nunquam vlla afferebatur. Tanta putabatur vtilitas percipi ex bobus, vt eorum visceribus vesci scelus haberetur. Longum est mulorum persequi vtilitates, & asinorum: quæ certè ad hominum vsum paratæ sunt. Sus verò quid habet præter escam? cui quidem, ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus. Qua pecude, quòd erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius. Quid multitudinẽ, suauitatemq; piscium dicam? quid auium? ex quibus tanta percipitur voluptas, vt interdum Pronœa nostra, Epicuréa fuisse videatur. Atque hę ne caperentur quidem, nisi hominum ratione, atque sollertia. Iam verò immanes, & feras beluas nanciscimur venando, vt & vescamur ijs, & exerceamur in venando ad similitudinem bellicæ disciplinæ, & vtamur domitis, & condocefactis, vt elephantis; multaq; ex earum corporibus remedia, morbis, & vulneribus eligamus, sicut ex quibusdam stirpibus, & herbis, quarum vtilitates longinqui temporis vsu, & periclitatione percipimus. Totam licet animis tanquam oculis lustrare terram, mariaqúe omnia cernere, & spatia frugifera, atque immensa camporum, vestitusq; densissimos montium, pecudum pastus, tum incredibili cursus maritimos celeritate. nec verò tantùm supra terram, sed etiam in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet vtilitas, quę ad vsum hominum orta, ab hominibus solis inuenitur. Hæc Tullius, qui prædictis exemplis apertè probat, omnia huius inferioris mundi cum cælo ad vsum, & commoditatem nostræ vitæ fabricata, & parata esse. Quod omne est prouidentiæ, quam pro hominibus Deus habet, euidens argumentum, cùm tam multa creauerit ad vsum, prouisionem, & delicias hominum accommodata, quarum bestiæ minimè capaces sunt.

Præter autem ea, quæ dicta sunt, quibus diuina prouidentia probatur, eandem in libro de Legibus his verbis fatetur: Sit igitur hoc iam à principio persuasum ciuibus, dominos esse omnium rerum, ac moderatores Deos, eaqúe, quæ gerantur, eorum geri iudicio, ac numine, eosdemq; optimè de genere hominum mereri, & qualis quisq; sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intueri: piorumqúe, & impiorum habere rationẽ.

Illa-

Illustrius autem existimo Plutarchi testimonium, qui cum diuina prouidentia vnà immortalitatem animę fatetur, his verbis: Vna est ratio, quæ confirmat, & probat diuinam prouidentiam, & animæ immortalitatem, neque alterum amplecti, alterum deserere possumus. Nam si post corporis obitum viua remanet anima, conuenit, & necesse est, vt punitionem, & præmium suarum actionum accipiat. Nam dum in hoc mundo viuit, sicut athleta pugnat; pugna verò vbi desijt, quod merita est, illi accipiendum est. Quo verò modo post hanc vitã vel pœnis, vel præmio afficiatur anima, nescimus quidquam, quod affirmare possimus nos, qui viuimus. Hoc enim secretum nobis abditum est. Hæc dixit hic maximus Philosophus, quibus nobis declarat, quanta veritatis sit vis, atque lux, cùm in gentilitatis tenebrarũ medio, illius radios, & splendores discerneret. Plutarch. lib. de sera Num. vindicta.

Iam ad Aristotelem veniamus, qui (vt diximus) non consentit, vt in discrimen vocetur, vtrùm Dij sint colendi, & amandi parentes, cùm id tam certum, tamq; notum sit. Idem in sua Politica, vbi dixit quatuor esse necessaria ad Rempublicam bene ordinatam, cibaria, arma, artes, & numos; ait, quòd primùm necessarius est Dei cultus, quem religionem dicimus. In Ethicorum verò decimo, sic inquit: Qui se regit ratione, & intellectu, & curat, vt hanc partem suæ animę pręcipuam perfectam reddat, & in bonum est propensus, is videtur fore Deo gratus, & acceptus. Quòd si Dij humana curant, vt rationabile videtur, vt rem tam bonam, tamq; illis similem, quod noster intellectus est; & qui hanc animæ suæ partem amant, in eo insistunt, vt virtutibus eam exornent, ęquum est, vt à Deo amentur; vt gens, quæ studiosè viuit, & id perficere conatur, quod accepit. Hęc Aristoteles, quæ diuinæ prouidentię fauent: cùm Deum bonorum amatorem efficiant, vt gentis, quę intellectus nobilitate, & vitæ puritate illi similis sit. Ad quod spectat quoque illud, quòd inquit hic Philosophus dandum primum locum in bene ordinata Repub. religioni, & Dei cultui, vti diximus.

Quamobrem ad quid hominibus colendi sunt Dij, si nihil homines eurant? Nunc autem cùm homines fide sciant pœnas improbis, & bonis æternam gloriam esse paratam, tam multi reperiuntur, qui parui faciunt Deum; quid facerẽt, si neque in hac, neq; in futura vita ab illo quidquam sperarent? Quidnam aliud esset mundus ab huiusmodi hominibus habitatus, quàm latronum conuentus, aut suum fimus, aut (vt veriùs dicam) inferni pars? Mundus si huiusmodi esset, quàm esset infinita illa bonitate & sapientia indignum, hos creasse cælos maximos, hæc splendidissima luminaria, hanc tãtam huius mundi molem administrare, tẽpestiuas pluuias mittere, vt terra fructus ferat, maris pisces, aeris aues, & terræ animalia parando, & id omne ad hominum vsum, & ipsi omni bestia sint peiores? quid huiusmodi sapiẽtia & bonitate indignius? Quamobrẽ cùm velit Aristoteles nos tantopere colere Deum, vult, vt aliquid ab eo speremus. Nam (vt ait Comicus) nemo frustra vult esse bonus.

Idem Philosophus in Philosophię summa, quam ad Alexandrum scripsit, (licet nonnulli dubitent vtrùm hic liber illius sit) apertiùs de prouidentia loquitur, vbi rem cognitione dignam refert. Ait enim olim montem AEtnam tantum euomuisse ignem, vt in omnes vicinos agros, & terram se diffuderit, quo iuuenes perterriti fugerunt subitò; cùm autem nequirent senes, nonnulli

fuerunt

Digitized by Google

fuerunt filij tam pij, qui eos super humeris secum efferebant, sed cùm id celeriter propter pondus facere nequirent, ignis tandem ad eos peruenit. Tunc Deus, cùm illorum filiorum pietatem in parentes acceptam haberet, fecit, vt illa flamma in duas partes diuideretur, & loco illis adolescentibus in parentes pijs cederet, & ita sine vlla noxa suum iter peregerunt. Hanc historiam refert in prędicto libro Aristoteles, in quo non solùm diuinam prouidentiam, verùm etiam miracula, quæ facilè omnem naturę vim superant, apertissimè fatetur.

Ad hoc autem exemplum alia addam non ab auctoribus Christianis relata, quibus infideles fidem minimè pręstant, sed ab alijs, qui aliam religionem secuti sunt. Et quoniam ad hanc prouidentiam non solùm bonos præmijs, sed etiam sceleratos pœnis afficere spectat; hic supplicia referemus tam magna, tamq; admirabilia in homines sceleratissimos, vt illorum magnitudo, esse diuinę prouidentię & iustitiæ opera, declaret. Ex his autem primum locum habebit ille Herodis sceleratissimus finis, qui sola regnandi cupiditate ductus, maiori scelere se obstrinxit, quàm quisquam vnquam: hoc autē fuit, tam multorum puerorum innocentum sanguinem, vnà cum filij sui effundere, cum multis alijs sceleribus, & tyrannicis actionibus, in quibus dum vixit se inuolutauit. Voces autem & clamores tum effusi sanguinis, tum infelicium parentum, qui vindictam expostulabant, vt ad aures summi iudicis peruenirent, ęquum erat, qui pręter futurę vitæ supplicia, tantum scelus nouo, & inaudito pœnarum genere puniret, quam refert Iosephus nobilis historicus Iudæus hoc modo: Herodem acerbior in dies excruciabat morbus, dum Deus pro nefarijs sceleribus, quibus se contaminauerat in vita, graue de eo supplicium sumeret. Ardor erat aliquanto lentior ac remissior, qui non tantum feruoris illis, qui eum manibus contrectabant, exeruit extrinsecus, quantum cruciatus intestinis eius & visceribus inussit. Nihil planè erat, quod inexplebilem eius alimenti capessendi auiditatem omnino posset saturare. Aspera viscerum vlcera, acutissima laxioris intestini tormina, humor purulentus, ac pręt umore pellucens, qui per pedes serpebat, grauissimè illum diuexauit. Assi ratio item sumen occupauit non dissimilis. Quinetiam tabida membri genitalis putredo vermes progenuit. Accedebat his ardua spiritûs & animi intentio, eaq; tum propter difficultatē expirandi, tum propter anhelitus crebritatem peracerba. Neruorum pręterea contractio per omnia membra peruasit: quę quidem vim & acrimoniam inflixit ei planè intolerabilem. Dicebatur igitur ab his qui diuinandi arte multum pollebant, quiq; in sapientia ac scientia rerum eiusmodi interpretandarum omne suum studium collocabant, Deum has pœnas à rege, ob variam suam & multiplicem impietatem, expetiuisse. At ille, licet cum eiusmodi cruciatibus luctaretur, adhuc tamen vitę teneri cupiditate, spem salutis animo capere, de curatione denique cogitare cœpit. Itaque traiecto Iordane balneis, quę prope Callirrhoen sita sunt, (ista quanquam in lacum Asphaltitim delabuntur, sunt tamen prędulcedine ad bibendum valde accommodata) vti cœpit. Ibi Medicis visum est, vt tepido oleo totum corpus foueret: quo quidem in solium plenum olei sensim demisso, oculi pręimbecillitate ei deficere, & more hominis iam iam morituri reuolui videbantur. Tandem seruorum strepitu, quos circa se tumultuantes

Euseb. lib. 1. Eccles. hist. cap. 8.

Digitized by Google

antes habebat, excitatus, tametsi aliquantum respirauit, de cætero tamen in vitæ & salutis suæ desperationem venit: ac propterea singulis militibus quinquaginta drachmas distribui, ducibus etiam & amicis grandem pecuniæ summam dispertiri mandauit. Ad extremum inde reuersus, Hiericho se contulit: ac iam insana quadam bile & furore incensus, etiam morti ipsi penè interminatus est, inq; cogitationem nefandi cuiusdam sceleris edendi impetu præceps ruit. Nam ex singulis vicis, viros insignes, & totius Iudeæ facilè principes simul coactos, in locum quendam, qui Hippodromus appellabatur, concludi iussit. Accersitis tandem ad se Salome sorore, & viro illius Alexandro: Noui, inquit, Iudæos de mea morte præ nimia quadam lætitia triumphos & festos dies celebraturos: verùm per alios quosdam perfacilè possum efficere (modò vos iussa mea exequi volueritis) vt non solùm lachrymis & mœrore deflear magnopere, verùm etiam funus splendidum & insigne assequar: viros illos, quos in custodia seruandos imperaui, simul ac ego animam efflaro, absque mora militibus vndique circuniectis interficite: vt cùm vniuersa Iudæa, tum singulæ ædes, etiam inuitę meam mortem acerbè lugeant. Rursus partim inedia & cibi auiditate, partim ardua & anhela tussi ita distinebatur, vt dolorũ magnitudine superatus, fati tempus anteuertere in animum induceret. Pomo igitur primùm in manum arrepto (consueuit enim id generis fructum, extremo putamine amputato, libenter comedere) poscebat & cultrum: deinde oculis vndiq; circunspiciens, ne quis sibi in eo facinore esset impedimento, dextera se ipse confodit. Ille ante extremum vitę suæ exitum, alterum filiũ suum ingenuum è medio sustulit: ac duobus illis, quos antea interemit, eum iã tertium adiecit. Exiguo autem temporis momento interposito, non absque magno dolore & afflictatione stamina vitę abrupit. Atque hoc exitu vita Herodis conclusa est. Hęc Iosephus. In quo illam Psalmi sententiam comprobari videmus: *Quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.* Psal. 10.

Hic etiam diuinę iustitiæ pulchritudo, & maiestas cernitur, quę permisit, vt hic tyrannus nec sibi quidẽ parceret, neq; filijs suis; cùm aliorum filijs non ignouerit. Et non solùm festinata morte, quam sibi suis manibus rabidè consciuerat, verùm etiã illo horribili, & diuturno morbo, quem sua ipsius morte redimere voluit, hoc debitum soluit. Cuius morbi malitia huiusmodi fuit, vt ijdem Medici, qui eum curabant, pro illius sceleribus hunc illi diuinitus datum faterentur. Hæc enim formula generalis, & vera nobis tenenda est, quòd cùm alicui tyranno aliqua extra ordinem contingit calamitas, si quod præcessit scelus & crudelitas extra ordinem, ab hoc supplicio diuinæ iustitiæ & prouidentiæ seueritas intelligenda est, quæ per hæc hominibus scandalizatis prædicandarum diuinarum laudum occasionem præbet. In quam sententiam Propheta inquit: *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam: manus suas lauabit in* Psal. 75. *sanguine peccatoris.* Illud significare vult, quòd huius supplicij exemplo, & diuinæ iustitiæ timore, in eo inuigilabit, vt animam suam iustificet, & mundam reddat.

Idem Iosephus aliud extra ordinem supplicium alijus Herodis, qui sanctum Iacobum capite damnauit, & S. Petrum in carcerem [illegible], vt & eum morte multaret, refert. Hic igitur cùm esset contra Tyri & Sidonis [illegible] Act. 12. [illegible] ira percitus, & ipsi venissent ad eum supplices, [illegible] quòd [illegible]

valde illius auxilio opus erat, locum quendam eminentiorem, & apparatu regali ornatum ascendit, de quo loquebatur cum hoc populo. Tunc illi plena voce Herodi adulari cœperunt, dicentes: Hæc Dei verba, non hominis sunt. Quo ille miser rex & demens ita fuit elatione & inani quadam gloria affectus, pro danda Deo gloria, eam sibi assumpsit, quòd sibi conuenire existimauit. Hunc ait Iosephus à Dei Angelo fuisse percussum; & sic vulneratus, & corrosus vermibus, miserrimè è vita discessit. Quare animaduertendum est illud potissimùm, quòd non dedit pœnas cùm alterum Apostolum occidit, neque cùm alterum in carcerem coniecit; sed maxima illa pœna fuit affectus, cùm Deo gloriam detraxit, & eam sibi arrogauit: vt intelligatur, quanto in periculo versentur, qui inani gloria, & præsumptione, & arrogantia ducuntur.

Cum his autem exemplis illorum Imperatorum exempla enumeremus, qui Ecclesiam persecuti sunt, & incipiamus à Nerone; qui vt plurimum infelices vitę fines consecuti sunt, vt in secunda huius tractatus parte narrabimus. Ex his autem dirum supplicium Maximini valde memorabile est, & miserabilis morbus, in quem incidit, & diu passus est, queḿque ijdem Medici diuinum esse supplicium fassi sunt, propter illius scelera, & crudelitatem, vt suo loco exponemus. Hæc exempla Scriptorum gentilium sunt pro ijs, qui Christianis fidem non præstant. Hic tamen exemplum Antiochi adducam, quod in sacris literis legitur, cuius scelera & crudelitas in Dei populum ea fuerunt, vt exprimi non possint, nisi dixerimus, ea omnia ad Dei cultus euersionem molitum esse, quæ contra Christi honorem Antichristus operaturus est.

Hic ille est, qui septem illos fratres Machabæos cum sanctissima illorum matre occidit, quiq́ templum lenis & meretricibus impleuit, & misit, qui Ioui illud dicaret, & idoli statuam, vbi arca fœderis seruabatur, collocauit. Ex omnibus autem necibus, quæ ab eo factæ scribuntur, illa est, quòd triduo octoginta millia hominum occisa, quadraginta millia captiua, & totidem alia vendita fuerunt. Diuina autem prouidentia, quę nunquam dormit, vbi sui populi peccata per hunc tyrannum puniuit, illum vltus est, & ita, vt illius scelera merita erant: non enim hæc, vt Dei minister, faciebat, sed vt crudelis tyrannus. Itaque eo morbo pœnas dedit, vt eum non naturalem, neque solitum morbum esse, sed diuina ira sibi missum, ipse facilè intelligeret. Cùm enim ex itinere esset reuersus, subitò illum percussit Deus incredibili dolore intestinorum, neque hic morbus desijt, sed totum corpus vlceribus tam horribilibus tectũ fuit, vt ex illis vermium riuuli, qui illius carnem diu noctuq́ corrodebant, promanarent, & ab illis ita pestiferus fœtor exibat, vt id totus exercitus, qui cum eo veniebat, molestissimè ferret, & ipse id minimè ferre posset. Cùm igitur Dei in se supplicium cognosceret, incepit, licet serò, se humiliare, & Dei potentiam cognoscere, & suorum peccatorum flagitium.
2.Mac.9. Et sic inquit: Iustum est, vt homo se Deo subijciat, & illi æquiparari nolit. Hac autem cognitione pœnituit, & pollicitus est, Hierusalem Athenis æqualem efficere, ad quam euertendam proficiscebatur; & omnes Iudæos, vt Athenienses immunes reddere, templumq́ pretiosis muneribus ornare; vasorum multitudinem augere, & ex prouentibus suarum tabernarum sacrificiorum impensam facere: & pręterea se ad Hebræorum fidem conuertere,

& vbi-

& vbique Dei potentiæ, & gloriæ amplitudinem prędicare.

Hęc in sacris literis: quæ licet & ad alia conducant, hic tamen adduxi, vt tum hoc exemplo, tum cæteris, quæ allegaui, vnà cum rationibus adductis, intelligatur, Deum non solùm bestijs consulere, verùm etiam hominibus, imò magis, tanquam pręcipuæ creaturę, omnia omnibus tribuēdo, vt meriti sunt, omnibus vniuersim in futura vita, & nonnullis in hac quoq; vita, vt superiora exempla testantur. Ex omnibus autem hæc est probis viris in aduersis rebus maxima consolatio, quòd præmij spe maximè lætantur; hoc est tepidis & negligentibus durissimum frenum, cùm certò sciant sibi pœnam & supplicium æternum esse paratum. Qui nollent (quatenus ad illorum improbitatem) Deum illorum scelera scire, aut punire velle, vt in vitiorum limo sine conscientię stimulo liberiùs volutari possent, & ita Deum cæcū in videndo, infirmū in puniendi potentia, & in iustitia iniustum faciunt. Et id (quatenus ad suum desideriū) est, velle Deum non esse: huiusmodi enim Deus, quatenus eum sine sapientia, sine potentia, & sine iustitia esse vellent, Deus esse non potest. Sed Salomon tum nos, tum hos ab hoc errore remouet, qui in suo Ecclesiaste totam hanc disputationem concludit, inquiens: *Finem loquendi, pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni abscondito, siue bonum siue malum sit.* Eccle. 12.

DE DIVINARVM PERFECTIONVM IMMENSITATE, *& magnitudine, ex testimonijs diuinarum Scripturarum.* Cap. XXXVII.

QVIDQVID hactenus dictum est, eò spectat, vt illæ quatuor altissimæ nostri Creatoris perfectiones intelligantur, quę sunt bonitas, sapientia, omnipotentia, & prouidentia: quæ philosophia est altior, magis necessaria, & vtilior, quàm vlla alia, quam hominum ingenium assequi possit. De cuius cognitionis fructu iam tractauimus. Nunc reliquum est, vt earundem perfectionum magnitudinem tractemus, (qui sunt, vt nonnulli Theologi vocant, modi illarum intrinsecus) non solùm propter fructum, quem hactenus declarauimus; sed etiam, vt corda in tantę magnitudinis admirationem trahantur, vt inde, quanta veneratione tantam maiestatem prosequi debeamus, intelligant, quantoq; scelere se obstringant, eam qui offendunt. Neque hic fructus erit ex hac re vnicus, sed alij, qui in fine cernentur.

Etsi in hac parte nobis propositum sit, à creatarum rerum admirabilibus ad Creatoris cognitionem procedere: tamen quòd sanctæ scripturæ maius lumen ad hanc cognitionem nobis afferunt, hîc nonnulla adscribam loca cognitione digna, quæ ad id maximè conducunt. In primo autem loco ea apponam, quæ in sancto Iob scripta leguntur. Nam sic amici, qui cum illo disputabant, de Dei mirabilibus magnificè tractant, quorum cognitionem assequebantur ex naturæ mirabilibus, quæ animaduertebant quotidie, de quibus hoc loco tractamus. Nam licet sanctus Iob præcipua reuelatione nostræ redemptionis & generalis resurrectionis mysterium cognosceret; amici

tamen cum eo disputantes, hoc mysterium non intellexerunt; propter hanc causam (vt diximus) à rebus creatis argumentabantur.

Diligentibus Deum hoc argumentum dulce, atque suaue est. Quemadmodum enim, qui diligit aliquem, illius laudum & præstantiæ auditione valde delectatur: sic qui ex animo Deum amant, maximam percipiunt voluptatem, cùm illius amplitudinem, & mirabilia audiunt, & cum hoc in illis tantę maiestatis reuerentia, & timor illius offendendi augetur. Primò igitur loco S. Iob verba ponemus, deinde illius amicorum, idque aliqua expositione, vt meliùs intelligantur: nonnulla sumendo, nonnulla relinquendo, vt meliùs conuenire videbitur.

Iam igitur incipit sanctus Iob de Dei potentia, & magnitudine tractare, sic
Iob 9. inquiens: *Verè scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit? Qui trāstulit montes, & nescierunt hi quos subuertit in furore suo. Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. Qui præcipit Soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo: Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri. Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam. Si repentè interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere ei potest, Cur ita facis? Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Et cum inuocantem exaudierit me, non credo quòd audierit vocem meam. Si fortitudo quæritur, robustißimus est: si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.* Hactenus S. Iob verba sunt, quæ quia altè de Deo sentiret, quāquam de se demissè & humiliter, ostendunt: in-
Iob 12. feriùs autem idem argumentum prosequens, sic ait idem: *Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam. Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subuertent terram. Apud ipsum est fortitudo & sapientia: ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem; & iudices in stuporem. Balitheum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum. Ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat, commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens. Effundit despectionē super principes, & eos qui oppreßi fuerant releuās. Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis. Qui multiplicat*
Iob 26. *gentes & perdit eas, & subuersas in integrum restituit. Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni. Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum. Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum. Qui tenet vultum solij sui, & expandit super illud nebulam suam. Terminum circundedit aquis, vsque dum finiantur lux & tenebræ. Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius. In fortitudine illius repentè maria congregata sunt, & prudentia eius percußit superbum. Spiritus eius ornauit cælos: & obstetricante manu eius, eductus est coluber*

tortuo-

*tortuosus. Ecce, hæc ex parte dicta sunt viarum eius: & cùm vix paruam stillam sermonis
eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Hæc omnia sunt
verba, quibus S. Iob declarat quidnam ipse de Dei omnipotentia, sapientia, &
iustitia sentiret.

Nunc autem videamus, quidnam illius amici de eadem re sentiant: quo- Iob 4.
rum vnus sic ait: *Nunquid homo, Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo puri-
or erit vir? Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.
Quanto magis hi qui habitant domos luteas,* quæ hoc corpus corruptibile est de li-
mo terræ formatum, *consumentur velut à tinea?* Hæc vnus ex amicis sancti Iob.
Alius autem cùm sermonem haberet de eodē Deo, sic inquit: *Potestas & terror
apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Nunquid est numerus militum eius?* Iob 25.
*& super quem non surget lumen illius? Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo,
aut apparere mundus natus de muliere? Ecce Luna etiam non splendet, & stellæ non
sunt mundæ in conspectu eius: Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?*
Alius amicus eiusdem Sancti de eadem re tractans, declarat his verbis Deum
comprehendi non posse: *Forsitan vestigia Dei cōprehendes, & vsque ad perfectum,* Iob 11.
*Omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde
cognosces? Longior terra mēsura eius, & latior mari. Si subuerterit omnia, vel in vnum
coarctauerit, quis contradicet ei? vel quis dicere ei potest, Cur ita facis? Ipse enim nouit
hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne considerat?*

Post hos autem Iob amicos illorum iunior suscepit, & de Dei magnitudi-
ne sermonem habens, sic inquit: *Oculi eius super vias hominum, & omnes gressus* Iob 34.
*eorum considerat. Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi, qui
operantur iniquitatem. Conteret multos, innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. No-
uit enim opera eorum: & idcirco inducet noctem, & conterentur. Quasi impios percus-
sit eos in loco videntium. Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias eius in-
telligere noluerunt, Vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audirent vocem
pauperum. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vul-
tum, quis est qui contempletur eum & super gentes & super omnes homines? Qui re-
gnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Suspice cælum & intuere, &* Iob 35.
*contemplare æthera quòd altior te sit. Si peccaueris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ
fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò si iustè egeris, quid donabis ei,
aut quid de manu tua accipiet? Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua: & fili-
um hominis adiuuabit iustitia tua. Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei si-* Iob 36.
*milis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias eius? aut quis potest ei dicere, Opera-
tus es iniquitatem? Omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procùl. Ecce De-
us magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inæstimabilis. Qui aufert
stillas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum. Qui de nubibus fluunt, quæ præ-
texunt cuncta desuper. Super hoc expauit cor meum, & emotum est de loco suo. Subter* Iob 17.
*omnes cælos ipse considerat, & lumen illius super terminos terræ. Post eum rugiet sonitus,
tonabit voce magnitudinis suæ, & non inuestigabitur, cùm audita fuerit vox eius. To-
nabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia. Qui præcipit niui*

 vt de-

vt descendat super terram, & hyemis pluuijs, & imbri fortitudinis suæ. Ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus. Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissimæ funduntur aquæ. Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum. Quæ lustrant per circuitum quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum. Siue in vna tribu, siue in terra sua, siue in quocunque loco misericordiæ suæ iusserit eas inueniri. Hic autem Iob amicus suam concludit orationem inquiens, nos debere propter magnitudinem illius maiestatis, eum cum timore, & tremore laudare: subdens, nullum intellectū posse eum cognoscere, quòd in omnibus rebus sit magnus; magnus in fortitudine, in iudicio, & iustitia, cuius magnitudo verbis exprimi non potest. Propter hanc causam homines eum timebunt, neque qui se sapientes esse putant, hoc sibi arrogent, vt eum audacter contemplentur.

Hæ sunt Dei magnitudines, quas homines consecuti sunt, cùm creatarum rerum proprietates considerarent, cælorumq; cursum, & motū, quæ Dei gloriam prædicant, & sapientiam, & mirabile artificium suorū operū declarant.

Audiamus in præsentia, post Iob & amicos eius, Prophetas. Inter quos

Isa. 40. Isaias, de magnitudine huius summi Domini loquens, sic inquit: *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera? Quis adiuuit spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientiā, & viam prudentiæ ostendit illi? Ecce, Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce, insulæ quasi puluis exiguus. Et Libanus non sufficiet ad succendendum, & animalia eius non sufficiēt ad holocaustum. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, iudices terræ velut inane fecit: Et quidem neque plantatos, neque satos, neque radicato in terra trunco eorum: repentè flauit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos. Et cui assimilastis me, & adæquastis, dicit sanctus? Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat. Quare dicis Iacob, & loqueris Israel, Abscondita est via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum transibit? Nunquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ: non deficiet, neque laborauit, nec est inuestigatio sapientiæ eius. Qui dat lasso virtutem: & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat* Hæc omnia sunt Isaiæ verba, quæ de Creatoris potentia, sapientia, & prouidentia testantur.

Hier. 32. Hoc modo Ieremias quoque loquitur, & inquit: *Domine Deus, ecce tu fecisti cælum & terrā in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum: Qui facis misericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in sinū filiorum eorum post eos, Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu: cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam: vt reddas vnicuique secundùm vias suas, & secundùm fructum adinuentionum eius.* Hæc Hieremias.

Iam

Iam ad ſanctum Regem Dauid veniamus, qui de eadem retractans, ſic inquit: *Quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filijs Dei? Deus qui glorificatur in concilio Sanctorum: magnus & terribilis ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt. Domine Deus virtutum, quis ſimilis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris poteſtati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas. Tu humiliaſti ſicut vulneratum, ſuperbum: in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos. Tui ſunt cæli, & tua eſt terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti: aquilonē & mare tu creaſti. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.* Pſal. 88. In Pſalmo autem 73. de eodem argumento tractans, ſic inquit: *Deus rex noſter ante ſæcula: operatus eſt ſalutem in medio terræ. Tu confirmaſti in virtute tua mare: contribulaſti capita draconum in aquis. Tu dirupiſti fontes et torrētes: tu ſiccaſti fluuios Ethan. Tuus eſt dies, et tua eſt nox: tu fabricatus es auroram et Solem. Tu feciſti omnes terminos terræ: æſtatem et ver tu plaſmaſti ea.* Hæc ſunt Pſalmi verba.

Hæ auctoritates, quas hic allegauimus, Dei potentiæ & ſapientiæ magnitudinem nobis declarant, quæ in pijs animabus tantæ maieſtatis admirationem, & reuerentiam excitant, timoremq́ꝫ ingenerant, quo affecti homines verentur, ne tantam maieſtatem offendant. Quod aūt hic Dominus non minor eſt in ſapientia eius omnipotentiæ ſocia, quàm in alijs ſuis perfectionibus, ob id neceſſe erit hic aliquid de ea attingere, aliquo ſanctæ ſcripturæ loco citando, vbi de ea tractatur. Ex quibus cognitione dignum illud eſt, quod in Pſalmo 138. ſcriptum eſt, in quo de immenſa hac ſapientia agit, cum Deo his verbis loquens: *Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longè; ſemitam meam et funiculum meum inueſtigaſti. Et omnes vias meas præuidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua: tu formaſti me, et poſuiſti ſuper me manum tuam. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, et non potero ad eam. Quò ibo à ſpiritu tuo? et quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, et habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi, Forſitan tenebræ conculcabunt me: et nox illuminatio mea in delicijs meis. Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, et nox ſicut dies illuminabitur.* Hactenus Dauid.

Aliud quoque teſtimonum non minùs illuſtre in Eccleſiaſtico legitur, quod ita inquit: *Omnis homo qui tranſgreditur lectum ſuum, contemnens in animam ſuam, et dicens, Quis me videt? tenebræ circundant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circunſpicit me: quem vereor? delictorum meorū non memorabitur Altiſſimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à ſe timorem Dei, huiuſmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum: et non cognouit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper Solem, circunſpicientes omnes vias hominum, et profundum abyſſi, et hominum corda intuentes in abſconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita.* Eccli. 23. Et idem Eccleſiaſticus alio loco, vt admoneat hominem, qui Deum offendere nihil timet, ſic inquit: *Non dicas, A Deo abſcondar, et ex ſummo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoſcar,* Eccl. 16.

sciat: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? Ecce, cælum, & cæli cælorum, abyssus, & vniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur. Et in omnibus his insensatum est cor: & omne cor intelligitur ab illo, & vias illius quis intelligit?

Heb. 4. Huius rei conclusio ea est, quòd omnia (vt Apostolus inquit) sunt nuda & aperta oculis eius.

Ita concludimus, quòd semper actu sunt illi præsentes hominum cogitationes, qui sunt, qui fuerunt, quiquê vsque ad nouissimũ diem futuri sunt, tam illorum qui salui erunt, quàm illorum qui damnabũtur. Neque illi magnum: has enim cogitationes cognoscit Christus Saluator noster, nõ solùm quatenus Deus, verùm etiam quatenus homo, cùm vtrorumque iudex futurus sit: sic necesse est, vt hominum acta & vitas sciat. Hoc eò spectat, vt homines vereantur Deum offendere, cùm meminerint, se coram æterno Patre, & eius vnigenito filio Saluatore nostro peccare, qui per Prophetam suum dixit:

Hier. 29. *Ego sum iudex & testis, dicit Dominus.*

DE DEI PERFECTIONVM IMMENSITATE, ET MAGNITUDINE, quod ex illius operum magnitudine colligitur. Cap. XXXVIII.



QVOD hactenus dictum est de Creatoris immensitate, & magnitudine, sanctæ scripturæ prædicant. Nunc autem eodem modo procedimus in hac re per opera, quæ in hoc mũdo operatus est, tum per ea, quæ scriptura sancta nobis reuelauit, tum per ea, quæ rationis lumine cognoscuntur: hæc enim sui auctoris magnitudinem apertè testantur. Sed antequam ad hæc opera veniamus, hic præcipuam animaduertam differentiam, quæ ex multis est inter Creatorem, & suas creaturas. Hæc autem ea est, quòd omnes creaturæ suos fines, & terminos obtinent, quatenus illorum natura, & virtus patitur. Quare suum esse, posse, scire, vires, & cæteras facultates ad suam essentiam spectantes terminatas habẽt. Hic autem terminus est mensuræ congruens, quam Creator vult suis creaturis impartiri, alijs plus dando, alijs minus, vt illius diuinæ voluntati placitũ est. Ille autem quemadmodum nullum habuit, qui eum crearet; sic essentiã, vel potentiam, vel sapientiam, vel bonitatem, vel felicitatẽ, vel aliam illius perfectionem qui terminis concluderet, non habuit. Propter hanc causam quemadmodum & termino, & fine caret; ita omnino infinitus est, vt illius essentia infinita sit, infinita potentia, sapientia infinita, bonitas infinita, & pulchritudo, & gloria, & diuitiæ, & misericordia, & iustitia, & omnes illius perfectiones infinitę sint, & propter hanc causam in se ipse incomprehensibilis, & ineffabilis est: cuius magnitudo nulla creatura, nec creata, nec creanda comprehendi potest quòd ipse solus seipsum cognoscit, & comprehendit.

Ad id autem habemus exemplum satis accommodatum in terrenis regibus, qui in suo regno diuersis viris sua munera, & magistratus distribuunt, vt sibi videtur, ita tamen, vt omnibus ditionum terminis ita conclusam dent, vt alius alij, dum sua vtitur ditione, iniuriæ non fit. Rex autem, qui hanc potentiam tribuit terminis inclusam, absolutam hic in suo regno potentiam, & nullis limitibus contentam habet, neminemquê, qui sibi imperet, cognoscit.

Propter

Propter hanc causam nullam ei ditionem, neque tantam facultatem ascribere possumus, quæ in plura se non extendat, & ita vt nullis terminis includatur. Hoc autem ditionis genus infinitum dicitur in hunc sensum, vt nullus ei terminus ascribi possit, in quo vlterius progredi in ea, quæ licet, ditione non possit. Hoc autem exemplo facilè intelligemus, quod dictũ est, si Creatorem ad suas creaturas comparauerimus, vt regem ad suos magistratus. Verum est, illud collationē esse deficientem: Regis enim ditio est quodãmodo infinita, vt declarauimus; sed Dei absolutè, & penitus infinita est. Quod alia quoque ratione probatur. Nam iuxta communem Philosophorum sententiam, & Theologorum, Deus tam magna res est, vt non solùm nulla sit, neque esse possit maior, sed ne maior quidem cogitari queat: cùm igitur maius sit, perfectiones esse infinitas, quàm finitas & limitatas; si Dei perfectiones essent hoc modo limitatæ, iam alias perfectiones cogitare possemus maiores, quàm suæ sunt, quod fieri non potest propter eam, quam diximus sententiam, quæ est, Deum esse tam magnum, vt nulla res maior excogitari possit.

Sed antequam hoc sacrarium ingrediamur, in quo tam admirabilia explicanda sunt, vnius Angeli verba, qui Dei verba referebat, tanquam thema & fundamentum mihi sumam, qui cùm à Sampsonis patre interrogaretur, quo nomine vocaretur, respondit: *Cur meum nomen interrogas, quod admirabile est?* Hoc verbum ita propriè Dei magnitudini, & omnibus illius operibus accommodatur, vt nullum sit tam paruum, quod in sui factoris admirationem non rapiat, si illud diligenter animaduertimus, & efficiat, vt nos dicamus: Cur de meo nomine interrogas, quod admirabile est? Tullius magnus orator, nihili faciendam esse eloquentiam, iudicauit, quæ non eò peruenit, vt auditores in admirationem rapiat. Cùm autem hominum ingenium, studio solùm & diligentia excultum, tam absolutam & perfectam orationem conficere possit, quæ auditores in admirationem rapiat; quid de operibus descriptis, & perfectis illius sapientiæ, in cuius comparatione Cherubin sapientia est ignorantia, existimandum est: præsertim in operibus maioribus, de quibus hic agere incipiemus? Qui ea considerando non stupet, qui attonitus non euadit, id fit, quòd ea non intelligit, quòd maiestas, & splendor illius visum adimit. Iudic. 13.

Vt igitur ab opere creationis incipiamus; illud affirmo, quòd licet verum illud esset, quod S. Augustinus inquit, & Ecclesiasticus sentire videtur, Deum creasse huius mundi fabricationem cum omnibus, quæ in illo sunt, vnà & coniunctim: tamen summo consilio Moyses creationis opera in sex dies distribuit. Nam cùm sit verum, Deum suo ipsius amore omnia creasse, scilicet vt suarum perfectionum magnitudinem manifestaret: noster intellectus tantam rem, quæ tanta, ac tam multa continet, complecti non posset, vt totus hic mundus est, & ita in harum rerum consideratione ac contemplatione penè deficeret. Propter hãc causam in plures partes illas distribuit: præsertim, quòd singula sex dierum opera per se tanta sunt, & tanta consideratione digna continent, vt quodlibet illorum in plures partes distribui posset, vt illæ perfectiùs considerarentur. Eccli. 18.

Illud etiam hoc loco animaduertendum est, quòd creare nõ est aliquid ex aliqua re facere, (id enim generatio dicitur) sed est ex nihilo aliquid facere.

Quod tam est Dei proprium, vt nulli creaturarũ, quantumuis perfectæ, communicari possit.

In transmutationibus enim naturalibus illud cernimus, quòd quò magis inter se distant, quæ mutantur, eò maiori vi opus est, vt hæc mutatio fiat: ex quo fit, vt sit difficilior mutatio terræ, vel aquæ in ignem, quàm aeris mutatio in eundem ignem. Cùm igitur infinitè distet esse à non esse, (nulla enim maior distantia excogitari potest) illud sequitur, vt ad id infinita potentia opus sit: id autem est Dei solius, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam si realiter essent.

Gene.1. Vt autem de sex dierũ operibus agere incipiamus, in quibus Deus omnia creauit: in primo dicitur, Creauit cælum, & terram. Ex quibus verbis intelligimus cælum, & quatuor elementa, quæ sub cælo sunt, id est, terra, aqua, aer, & ignis. Nolo hic potentiæ magnitudinem amplificare, quæ potuit ex nihilo, id est, ex nulla præexistente materia, in lucem hoc maximum terræ corpus, cum omnibus suis montibus, & collibus edere, (quod totũ hoc corpus est tanquam punctus, si cum cælo conferatur) sed illius magnitudinē solùm, quæ huiusmodi est, vt nisi tam multi reperirentur in Astrologia periti, qui hanc metiuntur, non esset fide digna. Verũ est, quod qui Dei potentiæ immēsitatem intelligeret, cùm hæc creauerit corpora, vt in illis suæ potentiæ magnitudinem ostenderet, non esset incredibile, quod de illius magnitudine scribitur, illud reputando, superius cęlum semper inferioris magnitudinē multis partibus superare: sic per omnes ascendendo, vsque ad empyreum cælum, (cuius magnitudo verbis minimè declarari potest) quod est regium Dei palatium, & omniũ electorum suorum. Quonam genere lapidum hos tam magnos cælos in lucem edidit? & vt inferiùs descēdamus, à qua abysso tam magna maria deduxit? de quo loco tantum terræ corpus exemit, & mundi medio collocauit?

Iob 38. Quis (ait Deus per S. Iob) terræ fundamenta parauit, & in suo situ, pondere, & mensura collocauit? sub quibus fundamentis iacet ipsa, & firmatur?

Ad cælum nonum, quod primum mobile dicunt, ne pergamus, (quod suo motu rapit, & mouet omnes inferiores cælos, & efficit, vt vnico die naturali totum mundũ semel circumeant) neque ad cælum empyreũ, quod super omnibus collocatum est; cuius magnitudo tam multis partibus inferiores superat, quò est in maiori loco collocatum: neque adsunt in Mathematicis scientijs argumenta, quibus id ostendi possit. In stelliferi cæli magnitudine tantummodò versamur, vbi tam multæ reperiuntur stellæ magnitudine diuersæ. Nunc illius potentiam consideramus, qui solo verbo suæ volũtatis ex tenebris abyssi, quæ nihil est, tantam molem in lucem, neque vnius cæli, sed tot cælorũ produxit. Hominibus, vt domum ædificent, opus est priùs materiam parare, ex qua domum conficiant; artifices, qui fabricent; operarios, qui artificibus materiam deportent; diuersas res ferreas ad opus accommodatas, descriptiones, & formam, & id omne antequam fabrica fiat: his autem omnibus paratis, opus tamen non conficitur, nisi multo pòst tempore. Salomon enim

3.Reg 6 in templi fabricatione septem consumpsit annos, ad quod opus centum &

3.Reg 5. quinquaginta millia hominum incumbebant, cum præpositis, qui præerant singulis operibus, numero trium millium, & trecentorum præcipientium populo. Hoc tamen toto apparatu ille magnus rex domum construxit, quæ

si cum

si cum toto mundo conferatur, vix est formicarum nidus. Ille autem omnipotens Creator, absque vlla huiusmodi re, in instanti, solo verbo, hæc tam incredibili magnitudine corpora creauit. Fit tamen credibile, si stellarum magnitudo consideratur: ex quibus nulla est tam parua, quæ non sit multò maior quàm tota terra; licet nostris oculis tam paruæ, propter magnum inter nos & octauam Sphæram, in qua sunt affixæ, spatium interpositum videantur, quod ex cælorum magnitudine intelligi potest. Ex quo inquiunt, qui hæc profitentur, quòd si Deus in stellam conuerteret terram, & eam non in octauo orbe, sed in sexto collocaret, viciniùs scilicet ab oculis nostris, minimè cerneretur, quòd tam parua esset. Iam igitur qui mentis & rationis est compos animaduertat, quàm multæ sunt cæli stellæ, ex quibus nonnullæ ea magnitudine sunt, vt centies terram complectantur: quàm magnum igitur erit cælum, in quo tam multæ reperiuntur stellæ, tantaque spatia, quæ multas alias capere possent? Et omnem hanc molem Creator ex nihilo, & hoc solo verbo, *FIAT*, creauit. Hoc huiusmodi est, vt id mundi Philosophi nunquam penitus crediderint: non intelligebant enim, quî fieri posset, vt ex nihilo quidquam fieret, illud præsertim cùm animaduerterent, quòd in omnibus naturalibus mutationibus semper aliquid præexistere existimabatur, ex quo fieret aliud. Ex quo vel mundum ab æterno extitisse sibi persuaserunt; aut Deum, & primam materiam, quam ipsi chaos dicunt, ex quo omnia facta esse existimabant, ab æterno fuisse dixerunt. Fides autem Catholica, à Deo tradita, illius potentiam esse infinitam prædicat, & eodem modo quoque ex nihilo aliquid facere potest, quodque hęc mille mundos in instanti, si vellet, creare posset. Ad id enim omne, & ad multò plura immensitas illius potentiæ se extendit. Hæc res huiusmodi est, vt omnes intellectus suspensos, ineptos, & rudes, & tantæ, tamque admirabilis rei non capaces reddat, & ad tantum pelagus nauigandum infirmos, & imbecilles efficiat. Ex quo fit, vt se ipsi reprehendāt arrogantiæ, cùm sibi persuadent, fieri posse, vt tam magna corpora metiantur, & ponderent, seq; ipsi illis Angeli verbis castigent: *Cur de meo nomine interrogas, quod admirabile est?* Hoc igitur est primi diei opus. Iudic 13.

Iam ad secundi diei opus veniamus. Hoc die tota terra cooperiebatur aquis, vt leuiori elemento; suam tamen sedem, & naturalem locum occupabat, & tanquam centrum suum, quod super terram est: sed quòd, si terra ita permansisset, nullus locus ad habitandū relinquebatur animalibus, ad quorum vtilitatem elementa cum cæteris creaturis creabantur; iussit Creator aquis, vt hunc suum naturalem locum relinquerent, & in sinus se reciperent, & terram detectam esse permitterent. Aquæ tunc tanquam si sensum haberēt ad cognoscendum, & aures ad audiendum, & pedes ad fugiendum, statim terra relicta, & situ naturali, qui illi maximè congruebat, eò se receperunt, vbi nunc adesse cernimus, qui neq; naturalis est, neque violentus dici potest: violentia enim ibi non est, vbi creatura Creatoris mādato paret. Et quod maius est, sine parietibus aut obstaculis, quæ sint aquis impedimēto, quo minùs ad suum naturalem locum influant, conquiescit nullo alio aggere, quàm soluta arena. Et quanquā illarū fluctus ita alter post alterū, vsq; ad nubes se extollāt, vt cùm cadunt, & ad arenam perueniunt, terram cooperire videantur: ta-

men suos cognoscũt fines, & legẽ sibi impositam, & ibi suum furorẽ frangẽdo vlteriùs non fluunt. Quam admirationem sæpe Deus in sacris literis adaugget, & præsertim in cap. 38. Iob superius allegato, & præcipuè in Ieremia in-
Hier. 5. quiens: *Me ergo non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenã terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud.* Cùm autem Creator sic huius potentiæ magnitudinem amplificet, iure hic Angeli verba repetere
Iudic. 13 possumus: *Cur de meo nomine interrogas, quod admirabile est?*

Ad tertij diei opus veniamus, quod plures rerũ differentias habet, quàm secundi opus: vbi iussit Creator, vt terra diuersas plantas, & arbores germinaret. Hîc autem solo mandato, nullis seminibus, nullo cultu, nullis vel Solis, vel planetarum, vel cæterarum stellarum influentijs, quæ nondum creatæ erant, terra tot species plantarum, herbarum, florum, arborum, ad tot vsus, & vtilitates hominum germinauit, quot superius narrauimus, ob id hoc loco de his nullam mentionem facimus. Illius Domini oculi, quibus futura præsentia sunt, viderunt omnia, quibus vita nostra indigebat, & omnibus remedium parauit. Ex tam multis autem arborum speciebus, quarũ numerus non est, vnam animaduerto, quæ pinus magna est, nobis quidem Dei prouidentiam manifestans, quæ nonnullis in locis nascitur, & præsertim in Germania, tanta proceritate, tantaq; crassitie, & tam recta, vt neque regula, neque perpendiculo rectior effici possit, quibus vtuntur pro malis in ijs nauigijs, quibus ab Occidente in Orientem nauigant, quod spatium quindecim millia passuum est, idq; mari satis procelloso. Ex quibus vnam tam magnam Olysippi in littore iacentem vidi, quæ me quidem in maximam admirationem traxit. Ex quo videtur, vidisse Creatorem, fore, vt hæc tam immensa maria nauigarentur, & mundi initio ex multis arborum differentijs hanc quoque creauisse tam magnam, tam rectam, tam pulchram, & ad finem, ad quem eam creauit, tam bene accommodatam, vt nihil addi posse videatur. Hoc enim medio vnà cum mercibus fides etiam vsque ad extrema terræ nauigat.

Gene. 1. Neque minùs admirabile est, imò multò magis diei quarti opus, vbi dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento cæli, vt terram illuminent.* Huius verbi vi, in lucem exierunt Sol, Luna, Lucifer, cum cæteris Planetis, & reliquarum stellarum innumerabili multitudine, & splendore, quæ magis, quàm omnes veris flores & rosæ hunc ingentem cæli fornicem exornãt: quarũ numerum, magnitudinem, vim, & efficaciam, quis exprimere poterit; & vbi expressæ sunt, quis eas exprimẽti credet? Quis credet Solem centies sexagies sexies terram continere cum aqua, cùm inde nobis tantus solùm videatur, quantum hominis caput est? Quis miram illius celeritatem, qua mouetur, illi à Deo datam credet? Manè enim cùm cœpit oriri, & nobis apparere incipit, minori tempore quàm quarta horæ parte totum illius corpus cernitur, quod est tot millia passuum percurrere, quot est terræ circuitus ductus in 166. quod est spatium à Sole occupatum. Quod autem fulmen à cælo cadit, quod tanta celeritate moueatur? Quòd si terræ (vt Mathematici testantur) circuitus est 21600. millia passuum: hunc numerum, qui hanc artem tenet, ducat in superiorem, & videbit quot millia passuum peragret hic planeta tam breui spatio

ſpatio, quo nobis, dum oritur, apparet. Quod ſi conſiderauerit homo, facere non poterit, quin ſtupeſcat, Dei omnipotentię magnitudinem cognoſcens, quæ tantam potuit illi planetę celeritatem, vel potiùs illi orbi, cui affixus eſt, cuiusq; motu mouetur, tribuere. Hic autem admiratio non quieſcit. Nam multò maior admiratio eſt, celeritatem in animo euoluere, qua mouetur nonus orbis, qui ſuper ſtellatum cælum collocatus eſt, quod primũ mobile dicitur, quod viginti quatuor horarum ſpatio totum mundum circuit, & omnes octo inferiores cælos ſecum trahit, atque mouet. Nam quò vnum cęlum eſt alio altius, eò maius ſpatium & locum occupat, & eò maiori velocitate mouetur: cùm igitur hoc primum mobile quinq; cælis ſit altius quàm Solis cælum, illud ſequitur, vt velociore, quàm dupla, celeritate moueatur, quàm Sol, qui in quarto cælo collocatus eſt. Quòd ſi Solis celeritate ſtupeſcimus, quid fiat noni orbis motu, qui hoc tanto celerior eſt? Quod fulmen erit, quod illius collatione non ſit teſtudinis greſſus, & tardior etiam? Quiſnã erit intellectus, qui non deficiat, ſi illius potentiã, quæ tantam celeritatem efficere potuerit, in animo euoluerit? Ad hanc autẽ admirationem accedit alia maior, vnicum Angelum illum eſſe, qui huic tantæ noni orbis moli ſuam vim adiungit: & à mundi initio vſque in hodiernum diem nulla mora, nulla defatigatione hunc mouet orbem, & ita, vt nullus hactenus huic labori ſucceſſerit, idq; ea menſura, vt poſtquam Creator hoc illi impoſuit onus, vſque ad hoc tempus, ne latũ quidem, vt aiunt, vnguem aberrauerit: neque hac cura quidquam de illius gloria detrahitur, quam ſui Creatoris viſione percipit. Huius autem menſuræ ratione Aſtrologi multos ante annos Solis & Lunæ eclipſes prædicunt, quòd hic motus tam ordinatus, & certus ſit. Quænam igitur eſt illa potentia, quæ tantam facultatem creaturæ dare potuit? Quis ſe non humiliabit, & humi proiectus, & abiectus tantam maieſtatem non adorabit? Quis tantum monarcham, tantum cæli & terræ Dominũ offendere audebit? Quis non videbit, illum Angelum iure optimo pro Deo dixiſſe: *Quid de meo nomine interrogas, quod admirabile eſt?* Iudic 13.

Solis magnitudinem homines aſſequi dicimus menſuris, & regulis, quibus Aſtrologi vtuntur ad id accommodatis. Quòd autem ipſe ſit terra maior, vnà cum aqua, hac experientia oculis cernitur: Si ante funale accenſum poſueris pileum, qui eſt lumine funali maior, illius vmbra, quò magis ab eo recedit, hoc latior ſit, & magis extenditur: quòd ſi illius loco repoſueris pomum, quod corpus minus eſt, quàm funalis flamma, illius vmbra contrà, quò magis à pomo receſſerit, hoc minor & ſtrictior fiet, quoad tandem in nihilum deducatur. Hoc igitur reipſa cognoſcimus, quòd cùm Sol noctu in inferiori hemiſphærio & ſub terra percurrit, illius vmbra ſit continuò ſtrictior, vt non vlteriùs progrediatur, quàm ad Lunæ cælum, propter hanc cauſam illam eclipſat, cùm ſub terra in illius oppoſito collocatur: ſed ibi hæc vmbra definit, & non peruenit ad ſtellam Veneris, quæ nonnunquam Lucifer dicitur, quę nunquam ob id eclipſatur, quòd terræ vmbra eò non peruenit. Quòd apertè declarat, Solem, qui tam paruus videtur, maiorem eſſe, quàm totum terræ corpus, cùm illius vmbra, cùm ſub terra eſt, ſemper fiat ſtrictior, ita vt Lunæ cęlum, quod omnium eſt nobis citimum, non egrediatur.

Illius autem virium, caloris, ſplendoris, magnitudinem quis explicabit?

Digitized by Google

Anaxagoras celeberrimus Philosophus huius planetę vim, & splendorem stupebat, qui interrogatus, Cur natus esset; respondit: Vt Solem videam. ita illius stellæ pulchritudinem, & efficaciam admirabatur. Quæ autem illius Domini fuit vis, qui solo mandato tantam accendit lampadē, quæ quidquid creatum est, præter infernum illuminat; terra enim ei impedimento est, & empyreum cælum; aliud enim luminis genus habet præstantius, quod Dei Agnus est, vt S. Ioannes testatur.

Apoc. 21.

Neque minorem affert admirationem, tot creasse numero stellas, quot ipse solus, qui eas creauit, numerare potest: quòd si quælibet stellarum maior est quàm hic mundus inferior, mare scilicet & terra simul; quid aliud erit innumerabiles creasse stellas, quàm innumerabiles creasse mundos, eò formosiores, & pretiosiores, quàm hunc, quò stellarum materia quàm elementorum est prestantior? At illæ omnes, cum Sole & Luna, vnico verbo creatæ fuerunt.

Genes. 1.

Iam ad quintum diem veniamus, cùm Deus inquit: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli.* Et multis omissis, quæ hic consideranda essent, de quibus iam antea aliquid diximus, illud vnum mihi exponendum duxi. Animaduertat homo, quàm multæ auium & volucrū species, diuersis conditionibus variæ per aerem volent: & inde ad maria descendat, & illam contempletur admirabilem fœcunditatem, varietatemq́; pisciū, aliarumq́; rerum marinarum, tam diuersis figuris, & formis; vt alia ita sint immania, vt magnitudine terrorem incutiant; alia tanto artificio constructa, vt in illis homo tum artem, tum figuram admiretur, cùm nonnulla sint ita, vt homo cùm est omnino armatus, alia ita inermia, vt alijs in cibum & nutrimentum sint. Animaduertat preterea piscium fœcunditatem, & multitudinem, qui sub vnica specie continentur, qui terrestrium animalium, & volucrum cæli numerum longè superant: hæ enim nonnullis tantùm locis reperiuntur; at mare est quasi totum piscibus coagulatum. Quòd autem de hac re aliquid iam diximus superiùs, nunc eam missam faciemus, nisi illud, quod omnibus alijs admirabilius est, quòd cùm piscium species, & terrestrium animalium, & aeris volucrum sint penè infinitæ, omnes totius orbis terrarum Philosophi nullam vnquam repererunt, quæ in sua specie non esset perfectissimè fabricata, vt nihil vnquam excogitauerint, quod illi vel deesset, vel superuacaneum esset. Ex quo illę quatuor Philosophorum famosę sententiæ originem traxerunt; quarum prima illa est, quòd naturæ opera ab intelligentia non errante, id est, à summa & perfectissima sapientia, fabricata sunt. Altera est, quòd naturæ auctor semper id facit, quod melius, atque perfectius est. Tertia, quòd natura in rebus necessarijs non deest. Quarta, quòd Deus, & natura nihil agunt frustra. Ex his duabus postremis illud colligitur, quòd ex tā innumerabilibus speciebus piscium, volucrum, & beluarum, nihil inueniri potest, quod verè superuacaneum dici possit, vel illi quidquam deesse: sed omnes species esse perfectas, & in suo statu, & conditione absolutas.

Lector igitur consideret, quanam sit illius Domini potentia, & sapientia, qui nullo labore, nullis instrumentis, nulla materia, nullo temporis spatio, solo verbo hanc infinitatem specierū volucrum, piscium, & terrestriū animalium tanta perfectione, tanta prouisione membrorum, qualitatum, & propen-

propensiorum ad sui conseruationem creauit, vt si in ea cogitatione mille (vt ità dicam) annos consumpsisset, quonam modo quamlibet illarum creaturarum fabricaret, nō aliam rationem in creatione prosecutus esset, quàm fecit, cùm illius sapientia, neque annis, neque tempore augeatur. Quòd si hanc perfectionem in vnica animalium specie collocasset, non tantam admirationem attulisset; sed in tam innumerabili multitudine animalium, quæ penè cæli stellarum numerum superant, & omnia in lucem prodijsse temporis momento, & solo verbo, Fiat, facilè omnem admirationem superat. Et si quarti diei opus, cùm cæli stellę, & planetæ creati fuerunt, quibus mundus regitur, sit admirabile: hoc tamen quinti diei opus longè admirabilius mihi videtur. Nam licet stellæ eximias habeant proprietates, & vires, quas in terrestria corpora infundunt: figura tamen, aut nihil, aut parum inter se differunt; sunt enim aliæ alijs, vel maiores, vel minores. At in piscium corporibus, & multò magis in auibus, inest tanta membrorum varietas, tanta organorum, & sensuum ad sui custodiam, vt penè illa membrorum multitudo, &, vt ita dicam, harmonia, quam in hominis corpore esse diximus, in singulis auibus reperiatur. Quòd si humani corporis, quod Deus sexto die formauit, fabrica ita admirabilis est, quid erit fabrica tot millium animalium, quæ quinto die vnico verbo creauit? Hęc res est tanta admiratione digna, vt hæc vna (quemadmodum existimauit Salomon) satis sit, quæ impellat homines ad tantæ maiestatis timorem, & reuerentiam. In hanc sententiam ille dixit: *Non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus vt timeatur.* Illud significare vult: opera Dei tam perfecta esse, vt nihil eis tanquam necessarium addi, nec tanquam superuacaneum demi possit: idq; cùm in tanta creaturarum infinitate reperiatur ita, vt nulla species animaduerti possit, in qua reperiatur error, vel quidquam quod vel superfit, vel desit; quis non videt hoc esse opus, quod homines in admirationem tantæ potentiæ, & sapientię trahit, & ad reuerentiam, & timorem tantæ maiestatis, quę quidquid voluit, tanta facilitate in cælo, terra, mari, & in abyssibus fecit? Eccles 3.

Hæc est cognitio, quam creationis opus, & præsertim cælorum, potentiæ, & sapientiæ magnitudinis Creatoris nobis præstat. De quo Propheta dixit: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Nulla est lingua, nulla tam barbara gens, quæ hunc sermonem non intelligat. Super quod dixit S. Chrysostomus: Quid est hoc? quomodo cæli enarrant gloriam Dei? Neque vocem, neque linguam, neque os habent. Hoc (inquit ille) faciunt, cùm nobis suam magnitudinem, altitudinem, pulchritudinem, situm, formam, & constantiam ostendunt. Qua tot millibus annorum non inueterati sunt, neque tam multis motibus, atque continuis, attriti, neque suum cursum quidquam immutarunt: id autem cùm cernimus, eum adoramus, qui tam formosa corpora creauit, & hoc visu huius maiestatis magnitudinem cognoscimus. Psal. 18

Videmus autem idem per generalis resurrectionis opus, quòd nobis fides proponit, quam S. Iob pręcipua reuelatione à Deo, ante Euangelium & Legem, cognouit, & his verbis memorabilibus testatus est: *Quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei? quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel certè sculpantur in silice? Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die* Iob 19.

de terra surrecturus sum: Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Apertioribus verbis hoc mysterium, neque efficacioribus nobis declarari potuit, quàm ab hoc sancto viro declaratum est, cùm id, quod nobis fides prędicat, ratio quoque testatur; cùm sit rationi consentaneum, & diuinæ iustitiæ perfectioni, vt, cùm corpus cum anima, dum in terris versarentur, in Dei seruitio, vel offensione fuerint occupata, in futura vita, vt iustitia postulat, vel pœnis, vel præmijs afficiantur.

Iam igitur consideremus, quàm magna sit illa potentia, quæ temporis puncto, & (vt Apostolus inquit) in ictu oculi excitabit omnium hominum corpora illo tremendo iudicij die, & cum suis animabus iunget; ex quo fit totus homo, qui ex anima, & corpore constat, vel ad pœnam, vel ad gloriam resuscitabitur. Quanta verò erit illius Domini vis, qua vnius Archangeli ministerio, & terribili tubæ sonitu, quæ per totum terrarum orbem sonabit, corpora resurgent; quorum alia erant in terram conuersa, alia in cineres, alia auium cibi fuerunt, alia piscium, & alia aliorum hominum. Et hæc omnia resurgét, & quę ab alijs hominibus comesa fuerunt, tam qui comederunt homines, quàm corpora comesa resurgent. Et dentes, & cadauera, & ossa, quæ tunc adhuc integra erunt, licet per totum mundum dispersa, se inuicem cognoscent, & in ijsdem suis locis, in quibus antè fuerunt dum vitam agebant, se ipsa inserent. Nunc autem nobis considerandum est, quàm multi dentes resurrectionis tempore in omnibus terræ regionibus, & terris erunt extra suas caluarias dispersi? Ac fortasse plures, quàm cæli stellæ, erunt. Deus autem scit, vbi sint, & ad quam caluariam pertineant, vt illi adhęreant. Etsi dentes sint inter se tam similes, non tamen commutabuntur inter se; sed omnes suos dominos, & sua loca, in quibus fuerunt, agnoscent, & in ea reuertêtur, & ibi se inserent. Quanta est autem hæc potentia, quæ hæc efficere potest?

1. Cor. 15.

Eusebius libro quinto Ecclesiasticæ historię narrat, quòd Lugduni & Viennæ Galliæ ciuitatibus ea persecutione, quæ fuit in Christianos Imperatore Antonino Vero, in quibus ciuitatibus innumerabiles martyres passi fuerũt: Tyranni autem non eo contenti, illorum sacra corpora in cinerem vertebãt, & ea in Rhodanum proiecerunt, vt ea secum duceret. Hoc autem modo existimabant se Deum & Dominum nostrum vincere, & nos de resurrectionis spe deijcere. Dicebant enim: Sperant isti fore, vt è monumentis excitentur, & hac vana superstitione decepti, se supplicijs, & morti offerunt. Videamus iam an ipsi resurgent, & illorum Deus eos à nostris manibus liberabit? Cùm igitur res ita se habeat, quænam vis, quæ sapientia tanta erit, quæ in tanta cinerum confusione, & multitudine discernere poterit, vt sciat, quæ pars ad hunc, & ad illum Martyrem pertineat, vt quodlibet corpus suum cinerem habeat? Quis non mente exhauritur, dum tantam potentiam, ac sapientiam consideraț?

At licet hoc tam magnum sit, vt omnem admirationem antecedat: fidem tamen, quam huic rei fideles præstant, minimè vincit. Ad quam veritatem
1. Cor. 15. conducit exemplum, quod allegat Apostolus de virtute, quam tribuit Creator omnibus herbarum & arborum seminibus, vt inde planta oriatur, à qua semina oriuntur, quodq́ue magis est, semen moriatur oportet, vt moriendo resusci-

resuscitetur, & fructus ferat. In sequētibus hoc exemplū apertiùs exponam, per quod facilè cernetur, quàm sit hoc mysterium fide dignum, licet id credere durum, & difficile videatur. Ad æquitatem enim, & perfectionem diuinæ iustitiæ (vt diximus) pertinet, vt idem corpus, quod animæ instrumentum fuit, & socius, tam in bonis, quàm in malis actionibus, fit etiā illius, tam boni, quàm mali particeps. Quod si aliter esset, possent quidem improbi homines (vt inquit Eusebius Emissenus) sua corpora omnibus delicijs, & vitijs inuoluere, existimantes fore, vt non sua, sed alia noua corpora pœnis, & vinculis coerceantur. Propter hanc causam necesse est, (vt Apostolus inquit) vt hoc corruptibile corpus incorruptibile resuscitetur, & quod nūc mortale est, immortalitatem induat, vt hac ratione vel præmium, vel supplicium debitum consequatur. In hoc autem opere non minùs, imò multò magis, quàm in superiori, Dei sapientiæ & potentiæ immensitas cernitur. Scire enim vbi sint cineres, & reliquiæ, & materia omniū corporū, quæ fuerunt ab initio mundi, vsque ad finem, & vbi sint illa, quæ demersa sunt in mari diluuij tempore, & in alijs naufragijs deinde, & quæ demergentur postea, quis ignorat, quàm sit hoc opus admirandum? Quòd si hæc corpora essent integra cum omnibus suis ossibus, vt Lazari quatriduani corpus fuit, aut viduæ filij, quem Saluator resuscitauit, non tantam admirationem nobis afferret: sed cùm iam sint comesa vel à piscibus, vel ab auibus, vel ab hominibus, & in illorum substantiam conuersa, hoc illud est, quod humanos intellectus facilè superat: & ob id cùm Athenis Apostolus hoc mysterium prædicaret, Athenienses eum illudebant, dicentes nouorum dæmoniorum prædicatorem esse. Ad id autem S. Augustinus respondet, inquiens: Illud concedamus, Deum aliquid facere posse, quod nos intelligere nequeamus. Salomon quoque respondet, & inquit: Quemadmodum non intelligis, quonam modo in fœminæ prægnantis vtero pueri corpus fabricetur, (vbi est tanta membrorum, & organorum, & sensuum multitudo, & hæc omnia ita inter se concordia, & ad vsum, & vtilitatem humani corporis accommodata) sic mirabilia, & secreta Dei operū, qui omnium rerum conditor est, intelligere non potes. Respondet quoque S. Iob, qui inquit, Deum tam magna facere, tamq; admirabilia, & talia, vt humanus intellectus, quomodo fieri possint, neque inuestigare, neque intelligere queat. Propter hanc autem admirationem, quę longè omnem intellectum superat, facilè intelligitur, quàm sit illius summi Domini maiestas, & amplitudo incomprehensibilis, qui talia facere & scit, & potest, vt iure optimo dixerit ille Angelus, qui Creatorem referebat; *Cur de meo nomine interrogas, quod admirabile est?*

1. Cor 15. Ioan. 11. Lucæ 7. Acto. 17. Eccles. 11. Iudic. 13.

Veniamus iam ad aliud opus huic ex aliqua parte simile, quod ad supradicti etiam confirmationem conducit. Hoc autem est virtus illa admirabilis, quam posuit Creator in omnium rerum seminibus, tam plantarū, quàm animalium, quæ (vt ait quidā celeberrimus Philosophus) vt superior omnes hominum intellectus exhaurit, & multum ad illius fidem, & ad credendum (vt dictum est) conducit. Quàm admirabile est, granum, vel animulam tam paruam, vt mali medici est, eam vim continere, vt ex sese arborem tam formosam, tam odoratam, vt est cùm floret, & tam pulchram visui, cùm suis pomis onusta est, emittat. Neque minor ea est admiratio, in nucleo pineo inesse

Digitized by Google

vim, qua tam procerã producat arborẽ, vt pinus est. Hanc admirationẽ quoq; adauget finapis granũ, (vt Saluator in Euangelio declarat) quod cùm tam paruum sit, eam habet vim, vt arborem gignat, in cuius ramis aeris volucres cõquiescant. Quis in tam parua re tantam virtutem collocare potuit? Hanc autem virtutem, quæ in feminibus est, adhibuit Apostolus, vt mysterium resurrectionis ostenderet. Iam ad animalia transeamus. Quàm admirabilis est virtus à Creatore posita in pauonis ouo, à quo breui tempore auis egreditur tam pulchra, vt pauo est, cum illa pennarum pulchritudine, quam superiùs declarauimus? Iam ad hominem pergamus, & omisso Absalone cum aureis capillis, illiusq; fratre Adonia non minùs, quàm ille erat, formoso, & Regina Helena, cuius causa Troia fuccensa est; ad sanctã Iudith oculos cõuertamus, & in tres Iob filias, quarum pulchritudinẽ sacræ literæ celebrant, & digrediamur per materiem, ex qua tanta conficitur pulchritudo, & hoc admirantes, quanta sit illius summi artificis potentia considerabimus, qui ex tam vili & abiecta re tantam pulchritudinem efformare potest, quæ sola ad multorum hominũ iudicia peruertenda satis est; quorum errores sunt Creatoris admirabilis artificij testes. Tanta enim est multorum hominum peruersitas, vt ex quo occasionem & incitamenta ad tantum pictorem glorificandum habent, inde arripiant occasionem ad illum offendendum, ad suum iudicium perdendum, vnà cum salute, & nonnunquam corporis & animæ vita.

Ad hoc exemplum aliud addam non minùs admirabile. In ouis, quæ quotidie comedimus, cernitur quædam alba particula, tam cum oui albumine, quàm cum vitello coniuncta: in hac tam parua re virtus formatiua pulli, qui ex ouo nascitur, inest: in qua penè omnia sunt, quæ in humani corporis fabrica posuimus. Quòd si colũbæ ouum intuemur, illa particula est eò minor, quò illud ouum est, quàm gallinæ minus. Quòd si ad hirundinis ouũ oculos conuertimus, erit profectò illa particula tanquã acus caput: in tam parua re eam vim posuit Creator, vt inde nouum auiculæ corpus fabricaretur, quæ licet tam parua sit, omnem tamen habet fabricam, & membrorum coagmentationem, & organa, & sensus, quæ superius in humano corpore posuimus, cum suo ventriculo, iocinere, splene, mesenterio, intestinis, venis, arterijs, & cum corde; in quo affectiones tristitiæ, timoris, iræ versantur, & cum imaginatione, & sensu in spiritali parte, quòd si ad accipitrem oculos cõuertit, esse suum hostem existimat, illumq; timet. Neq; defuturi sunt, qui eò maius miraculum existiment hoc, quàm nostri corporis fabricam, cùm hoc corpusculũ sit longè minus, & in eo maius artificiũ requiratur, cùm omnia membra sint longè tenuiora, vt in culicis fabrica superius demonstratum est. Huius igitur fabricæ artifex, & efficiens causa, est illa particula alba, de qua dictũ ante est. Nam quemadmodum ad arcam, vel aliquam sedem conficiendam, opus est lignis, materia ex qua conficiatur, & artifice qui conficiat, sic in hoc ouo vtrũque inest; materia est ouũ, & efficiens causa est prædicta particula: in ea enim inest huius corporis virtus formatiua. Quàm magna igitur est illius potentia, qui tantam vim tam paruæ rei tribuere potest? Quinã intellectus non exhauritur, dum tantæ potentiæ magnitudinẽ in animo euoluit? quis tantam maiestatẽ non veneratur, ac colit? quæ tam paruæ rei (vt diximus) vt acus caput, tantã facultatẽ dedit, vt dierum quindecim, aut viginti spatio tantam fabri-

fabricã pficiat, vt neq; Dædali Labyrinthus, neq; Salomõis palatia q̃ xiij. annis ædificauit, tot officinas, cubicula, antecubicula, aliasq; regiæ partes haberet, quot huius auiculæ corpusculũ habet? *Mirabilia* (inquit Propheta) *opera tua Domine, & anima mea cognoscit nimis.* Hæc igitur admiratio nobis declarat fieri posse, vt ex cineribus, qui reliqui sunt ex aliquo corpore, illud idẽ corpus excitetur, qui tam paruæ rei facultatẽ tribuit, qua tantam fabricam conficeret. Psa. 138.

Quid autẽ de paruo trissæ ouo dicã, ex quo nulla adhibita industria tã magnus, tamq; sapidus piscis nascitur? Quòd si nobis id affert admirationẽ, quid faciet Sardiniæ ouũ, quod paulò maius est, quàm acus pũctum, à quo oritur Sardinia, quæ in tãtulo corpore, tam multa instrumẽta habet, & sensus, tũ ad nandũ, tũ ad victũ sibi quæritandũ, vt cæteri omnes pisces: & quo minus est corpus, & ouum, hoc admiratio maior est. Neq; minorẽ affert admirationem huius piscis fructus, cùm sit (vti ante diximus) cõmunis maris & terræ cibus.

Hinc autẽ ad aliud admiratione dignũ non minus, quàm quod dictũ est, pergamus. Inquiunt Philosophi, quòd anima, quam habemus, deforis nobis aduenit, neq; educitur de potentia materiæ nostri corporis, vt cæterorũ animaliũ animæ educuntur. Cùm enim sit spiritalis substantia, vt Angeli sunt, ex re, vel materiali, vel corporea proficisci nõ potest: cùm nulla sit inter hæc duo pportio. At cùm dicãt, quæ ratio illis ostendit; vnde tamen hæc anima veniat, cùm deforis veniat, nõ docent. Hoc autẽ, quod ipsi nescierũt, Christiana religio nobis tradit, cùm dicat Deũ per se creare animas, & in nostra corpora infundere, vbi in vtero matris organizata sunt: & masculi corpus quadragesimo, fœminæ verò sexagesimo post cõceptionem die organizatũ existimatur: & quo tẽporis momẽto hæc perficitur fabrica, (quod est domũ cum suis officinis fabricare, in qua inhabitet anima) eo momento & puncto à Deo creatur, & infunditur. Iam igitur in hoc philosophamur: & iam in tres præcipuas terrarum orbis partes oculos conuertamus, in Asiam, Africã, Europã, & in quartam, quæ paulò ante in occidentalioribus Indijs cognita est, quæ tum America, tum nouus mundus dicitur, & per omnes AEgei maris & Oceani insulas, & per omnes barbarorũ, & Aethiopũ terras, quæ sub Zona torrida sunt, & tãdem per id omne, quod à Sole cõspicitur, & consideremus, quot fœminæ sint grauidæ in his omnibus locis, quotq; fœtus eò peruenerint, vt in eorũ corpora sit necesse animam infundere, & facilè statuimus fore necesse, vt Deus diu noctuq; in eo versetur, vt animas creet, & illas in corpuscula infundat, ita vt ne temporis quidẽ momento aberret, sed statim, vbi perfecta sunt corpora, animas infundat. Neque id hoc nostro solùm seculo, nostraq; ætate facit, sed à mundi creatione, vsque ad præsentem diem, id semper fecit. Accidet autem, vt eodem temporis puncto multa id generis corpuscula perficiantur, alia vbi Sol oritur, alia vbi occidit, id est, disiunctissimis locis, ad quæ omnia ita Deus accurrit, vt nihil penitus deficiat, neque alij desit, vt ad aliud pergat. Neq; id influentiarum cæli virtute, neque Angelorũ ministerio, sed ipse solus, & per se id peragit. Neque hac continua & perenni occupatione illam beatissimam pacem, & felicitatẽ, in qua viuit, amittit, neque modò huc, modò illuc accurrendi cura & solicitudine detinetur. Nunc autem peto, quænam sit huius Domini sapientia, qui omnium fœtuum, qui in fœminarum vteribus sunt in toto terrarum orbe, dispositionẽ cognoscit, vt præstò adsit cùm corpus orga-

Digitized by Google

vim, qua tam procerã producat arborẽ, vt pinus est. Hanc admirationẽ quoq; Matt. 13. adauget finapis granũ, (vt Saluator in Euangelio declarat) quod cũm tam paruum sit, eam habet vim, vt arborem gignat, in cuius ramis aeris volucres cõquiescant. Quis in tam parua re tantam virtutem collocare potuit? Hanc au- 1. Cor. 15 tem virtutem, quæ in seminibus est, adhibuit Apostolus, vt mysterium resurrectionis ostenderet. Iam ad animalia transeamus. Quàm admirabilis est virtus à Creatore posita in pauonis ouo, à quo breui tempore auis egreditur tam pulchra, vt pauo est, cum illa pennarum pulchritudine, quam superiùs declarauimus? Iam ad hominem pergamus, & omisso Absalone cum aureis capillis, illiusq; fratre Adonia non minùs, quàm ille erat, formoso, & Regina Helena, cuius causa Troia succensa est; ad sanctã Iudith oculos cõuertamus, & in tres Iob filias, quarum pulchritudinẽ sacræ literæ celebrant, & digrediamur per materiem, ex qua tanta conficitur pulchritudo, & hoc admirantes, quanta sit illius summi artificis potentia considerabimus, qui ex tam vili & abiecta re tantam pulchritudinem efformare potest, quæ sola ad multorum hominũ iudicia peruertenda satis est; quorum errores sunt Creatoris admirabilis artificij testes. Tanta enim est multorum hominum peruersitas, vt ex quo occasionem & incitamenta ad tantum pictorem glorificandum habent, inde arripiant occasionem ad illum offendendum, ad suum iudicium perdendum, vnà cum salute, & nonnunquam corporis & animæ vita.

Ad hoc exemplum aliud addam non minùs admirabile. In ouis, quæ quotidie comedimus, cernitur quædam alba particula, tam cum oui albumine, quàm cum vitello coniuncta: in hac tam parua re virtus formatiua pulli, qui ex ouo nascitur, inest: in qua penè omnia sunt, quæ in humani corporis fabrica posuimus. Quòd si colũbæ ouum intuemur, illa particula est eò minor, quò illud ouum est, quàm gallinæ minus. Quòd si ad hirundinis ouũ oculos conuertimus, erit profectò illa particula tanquã acus caput: in tam parua re eam vim posuit Creator, vt inde nouum auiculæ corpus fabricaretur, quæ licet tam parua sit, omnem tamen habet fabricam, & membrorum coagmentationem, & organa, & sensus, quæ superius in humano corpore posuimus, cum suo ventriculo, iocinere, splene, mesenterio, intestinis, venis, arterijs, & cum corde; in quo affectiones tristitiæ, timoris, iræ versantur, & cum imaginatione, & sensu in spirituali parte, quòd si ad accipitrem oculos cõuertit, eũ suum hostem existimat, illumq; timet. Neq; defuturi sunt, qui eò maius miraculum existiment hoc, quàm nostri corporis fabricam, cùm hoc corpusculũ sit longè minus, & in eo maius artificiũ requiratur, cùm omnia membra sint longè tenuiora, vt in culicis fabrica superius demonstratum est. Huius igitur fabricæ artifex, & efficiens causa, est illa particula alba, de qua dictũ ante est. Nam quemadmodum ad arcam, vel aliquam sedem conficiendam, opus est lignis, materia ex qua conficiatur, & artifice qui conficiat, sic in hoc ouo verũque inest; materia est ouũ, & efficiens causa est prædicta particula: in ea enim inest huius corporis virtus formatiua. Quàm magna igitur est illius potentia, qui tantam vim tam paruæ rei tribuere potest? Quinã intellectus non exhauritur, dum tantæ potentiæ magnitudinẽ in animo euoluit? quis tantam maiestatẽ non veneratur, ac colit? quæ tam paruæ rei (vt diximus) vt acus caput, tantã facultatẽ dedit, vt dierum quindecim, aut viginti spatio tantam fabri-

fabricā pficiat, vt neq; Dædali Labyrinthus, neq; Salomōis palatia q̄ xiij. annis ædificauit, tot officinas, cubicula, antecubicula, aliasq; regiæ partes haberet, quot huius auiculæ corpusculū habet? *Mirabilia* (inquit Propheta) *opera tua Domine, & anima mea cognoscit nimis.* Hæc igitur admiratio nobis declarat fieri posse, vt ex cineribus, qui reliqui sunt ex aliquo corpore, illud idē corpus excitetur, qui tam paruæ rei facultatē tribuit, quà tantam fabricam conficeret. Psal. 138.

Quid autē de paruo trissæ ouo dicā, ex quo nulla adhibita industria tā magnus, tamq; sapidus piscis nascitur? Quòd si nobis id affert admirationē, quid faciet Sardiniæ ouū, quod paulò maius est, quàm acus pūctum, à quo oritur Sardinia, quæ in tātulo corpore, tam multa instrumēta habet, & sensus, tū ad nandū, tū ad victū sibi quæritandū, vt cæteri omnes pisces: & quo minus est corpus, & ouum, hoc admiratio maior est. Neq; minorē affert admirationem huius piscis fructus, cùm sit (vti ante diximus) cōmunis maris & terræ cibus.

Hinc autē ad aliud admiratione dignū non minus, quàm quod dictū est, pergamus. Inquiunt Philosophi, quòd anima, quam habemus, deforis nobis aduenit, neq; educitur de potentia materiæ nostri corporis, vt cæterorū animaliū animæ educuntur. Cùm enim sit spiritalis substantia, vt Angeli sunt, ex re, vel materiali, vel corporea proficisci nō potest: cùm nulla sit inter hæc duo pportio. At cùm dicāt, quæ ratio illis ostendit; vnde tamen hæc anima veniat, cùm deforis veniat, nō docent. Hoc autē, quod ipsi nescierūt, Christiana religio nobis tradit, cùm dicat Deū per se creare animas, & in nostra corpora infundere, vbi in vtero matris organizata sunt: & masculi corpus quadragesimo, fœminæ verò sexagesimo post cōceptionem die organizatū existimatur: & quo tēporis momēto hæc perficitur fabrica, (quod est domū cum suis officinis fabricare, in qua inhabitet anima) eo momento & puncto à Deo creatur, & infunditur. Iam igitur in hoc philosophamur: & iam in tres præcipuas terrarum orbis partes oculos conuertamus, in Asiam, Africā, Europā, & in quartam, quæ paulò ante in occidentalioribus Indijs cognita est, quæ tum America, tum nouus mundus dicitur, & per omnes AEgei maris & Oceani insulas, & per omnes barbarorū, & Aethiopū terras, quæ sub Zona torrida sunt, & tādem per id omne, quod à Sole cōspicitur, & consideremus, quot fœminæ sint grauidæ in his omnibus locis, quotq; fœtus eò peruenerint, vt in eorū corpora sit necesse animam infundere, & facilè statuimus fore necesse, vt Deus diu noctuq; in eo versetur, vt animas creet, & illas in corpuscula infundat, ita vt ne temporis quidē momento aberret, sed statim, vbi perfecta sunt corpora, animas infundat. Neque id hoc nostro solùm seculo, nostraq; ætate facit, sed à mundi creatione, vsque ad præsentem diem, id semper fecit. Accidet autem, vt eodem temporis puncto multa id generis corpuscula perficiantur, alia vbi Sol oritur, alia vbi occidit, id est, disiunctissimis locis, ad quæ omnia ita Deus accurrit, vt nihil penitus deficiat, neque alij desit, vt ad aliud pergat. Neq; id influentiarum cæli virtute, neque Angelorū ministerio, sed ipse solus, & per se id peragit. Neque hac continua & perenni occupatione illam beatissimam pacem, & felicitatē, in qua viuit, amittit, neque modò huc, modò illuc accurrendi cura & solicitudine detinetur. Nunc autem peto, quænam sit huius Domini sapientia, qui omnium fœtuum, qui in fœminarum vteribus sunt in toto terrarum orbe, dispositionē cognoscit, vt præstò adsit cùm corpus

men suos cognoscũt fines, & legẽ sibi impositam, & ibi suum furorẽ frangendo vlteriùs non fluunt. Quam admirationem sæpe Deus in sacris literis adauget, & præsertim in cap. 38. Iob superius allegato, & præcipuè in Ieremia inquiens: *Me ergo non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenã terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud.* Cùm autem Creator sic huius potentiæ magnitudinem amplificet, iure hic Angeli verba repetere possumus: *Cur de meo nomine interrogas, quod admirabile est?*

Hier. 5.

Iudic. 13.

Ad tertij diei opus veniamus, quod plures rerũ differentias habet, quàm secundi opus: vbi iussit Creator, vt terra diuersas plantas, & arbores germinaret. Hîc autem solo mandato, nullis seminibus, nullo cultu, nullis vel Solis, vel planetarum, vel cæterarum stellarum influentijs, quæ nondum creatæ erant, terra tot species plantarum, herbarum, florum, arborum, ad tot vsus, & vtilitates hominum germinauit, quot superius narrauimus, ob id hoc loco de his nullam mentionem facimus. Illius Domini oculi, quibus futura præsentia sunt, viderunt omnia, quibus vita nostra indigebat, & omnibus remedium parauit. Ex tam multis autem arborum speciebus, quarũ numerus non est, vnam animaduerto, quæ pinus magna est, nobis quidem Dei prouidentiam manifestans, quæ nonnullis in locis nascitur, & præsertim in Germania, tanta proceritate, tantaq; crassitie, & tam recta, vt neque regula, neque perpendiculo rectior effici possit, quibus vtuntur pro malis in ijs nauigijs, quibus ab Occidente in Orientem nauigant, quod spatium quindecim millia passuum est, idq; mari satis procelloso. Ex quibus vnam tam magnam Olysippi in littore iacentem vidi, quæ me quidem in maximam admirationem traxit. Ex quo videtur, vidisse Creatorem, fore, vt hæc tam immensa maria nauigarentur, & mundi initio ex multis arborum differentijs hanc quoque creauisse tam magnam, tam rectam, tam pulchram, & ad finem, ad quem eam creauit, tam bene accommodatam, vt nihil addi posse videatur. Hoc enim medio vnà cum mercibus fides etiam vsque ad extrema terræ nauigat.

Gene. 1.

Neque minùs admirabile est, imò multò magis diei quarti opus, vbi dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento cæli, vt terram illuminent.* Huius verbi vi, in lucem exierunt Sol, Luna, Lucifer, cum cæteris Planetis, & reliquarum stellarum innumerabili multitudine, & splendore, quæ magis, quàm omnes veris flores & rosæ hunc ingentem cæli fornicem exornãt: quarũ numerum, magnitudinem, vim, & efficaciam, quis exprimere poterit; & vbi expressæ sunt, quis eas exprimẽti credet? Quis credet Solem centies sexagies sexies terram continere cum aqua, cùm inde nobis tantus solùm videatur, quantum hominis caput est? Quis miram illius celeritatem, qua mouetur, illi à Deo datam credet? Manè enim cùm cœpit oriri, & nobis apparere incipit, minori tempore quàm quarta horæ parte totum illius corpus cernitur, quod est tot millia passuum percurrere, quot est terræ circuitus ductus in 166. quod est spatium à Sole occupatum. Quod autem fulmen à cælo cadit, quod tanta celeritate moueatur? Quòd si terræ (vt Mathematici testantur) circuitus est 21600. millia passuum: hunc numerum, qui hanc artem tenet, ducat in superiorem, & videbit quot millia passuum peragret hic planeta tam breui

spatio

ſpatio, quo nobis, dum oritur, apparet. Quod ſi conſiderauerit homo, facere non poterit, quin ſtupeſcat, Dei omnipotentię magnitudinem cognoſcens, quæ tantam potuit illi planetę celeritatem, vel potiùs illi orbi, cui affixus eſt, cuius motu mouetur, tribuere. Hîc autem admiratio non quieſcit. Nam multò maior admiratio eſt, celeritatem in animo euoluere, qua mouetur nonus orbis, qui ſuper ſtellatum cælum collocatus eſt, quod primū mobile dicitur, quod viginti quatuor horarum ſpatio totum mundum circuit, & omnes octo inferiores cælos ſecum trahit, atque mouet. Nam quò vnum cęlum eſt alio altius, eò maius ſpatium & locum occupat, & eò maiori velocitate mouetur: cùm igitur hoc primum mobile quinq; cælis ſit altius quàm Solis cælum, illud ſequitur, vt velociore, quàm dupla, celeritate moueatur, quàm Sol, qui in quarto cælo collocatus eſt. Quòd ſi Solis celeritate ſtupeſcimus, quid fiat noni orbis motu, qui hoc tanto celerior eſt? Quod fulmen erit, quod illius collatione non ſit teſtudinis greſſus, & tardior etiam? Quiſnā erit intellectus, qui non deficiat, ſi illius potentiā, quæ tantam celeritatem efficere potuerit, in animo euoluerit? Ad hanc autē admirationem accedit alia maior, vnicum Angelum illum eſſe, qui huic tantæ noni orbis moli ſuam vim adiungit: & à mundi initio vſque in hodiernum diem nulla mora, nulla defatigatione hunc mouet orbem, & ita, vt nullus haƈtenus huic labori ſucceſſerit, idq; ea menſura, vt poſtquam Creator hoc illi impoſuit onus, vſque ad hoc tempus, ne latū quidem, vt aiunt, vnguem aberrauerit: neque hac cura quidquam de illius gloria detrahitur, quam ſui Creatoris viſione percipit. Huius autem menſuræ ratione Aſtrologi multos ante annos Solis & Lunæ eclipſes prædicunt, quòd hic motus tam ordinatus, & certus ſit. Quænam igitur eſt illa potentia, quæ tantam facultatem creaturæ dare potuit? Quis ſe non humiliabit, & humi proiectus, & abiectus tantam maieſtatem non adorabit? Quis tantum monarcham, tantum cæli & terræ Dominū offendere audebit? Quis non videbit, illum Angelum iure optimo pro Deo dixiſſe: *Quid de meo nomine interrogas, quod admirabile eſt?* Iudic 13.

Solis magnitudinem homines aſſequi dicimus menſuris, & regulis, quibus Aſtrologi vtuntur ad id accommodatis. Quòd autem ipſe ſit terra maior, vnà cum aqua, hac experientia oculis cernitur: Si ante funale accenſum poſueris pileum, qui eſt lumine funali maior, illius vmbra, quò magis ab eo recedit, hoc latior ſit, & magis extenditur: quòd ſi illius loco repoſueris pomum, quod corpus minus eſt, quàm funalis flamma, illius vmbra contrà, quò magis à pomo receſſerit, hoc minor & ſtrictior fiet, quoad tandem in nihilum deducatur. Hoc igitur reipſa cognoſcimus, quòd cùm Sol noƈtu in inferiori hemiſphærio & ſub terra percurrit, illius vmbra fit continuò ſtrictior, vt non vlteriùs progrediatur, quàm ad Lunæ cælum, propter hanc cauſam illam eclipſat, cùm ſub terra in illius oppoſito collocatur: ſed ibi hæc vmbra definit, & non peruenit ad ſtellam Veneris, quæ nonnunquam Lucifer dicitur, quę nunquam ob id eclipſatur, quòd terræ vmbra eò non peruenit. Quòd apertè declarat, Solem, qui tam paruus videtur, maiorem eſſe, quàm totum terræ corpus, cùm illius vmbra, cùm ſub terra eſt, ſemper fiat ſtrictior, ita vt Lunæ cęlum, quod omnium eſt nobis citimum, non egrediatur.

Illius autem virium, caloris, ſplendoris, magnitudinem quis explicabit?

Anaxagoras celeberrimus Philosophus huius planetę vim, & splendorem stupebat, qui interrogatus, Cur natus esset; respondit: Vt Solem videam. ita illius stellæ pulchritudinem, & efficaciam admirabatur. Quæ autem illius Domini fuit vis, qui solo mandato tantam accendit lampadē, quæ quidquid creatum est, præter infernum illuminat; terra enim ei impedimento est, & empyreum cælum; aliud enim luminis genus habet præstantius, quod Dei

Apoc 21 Agnus est, vt S. Ioannes testatur.

Neque minorem affert admirationem, tot creasse numero stellas, quot ipse solus, qui eas creauit, numerare potest: quòd si quælibet stellarum maior est quàm hic mundus inferior, mare scilicet & terra simul; quid aliud erit innumerabiles creasse stellas, quàm innumerabiles creasse mundos, eò formosiores, & pretiosiores, quàm hunc, quò stellarum materia quàm elementorum est præstantior? At illæ omnes, cum Sole & Luna, vnico verbo creatæ fuerunt.

Genes. 1. Iam ad quintum diem veniamus, cùm Deus inquit: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli.* Et multis omissis, quæ hic consideranda essent, de quibus iam antea aliquid diximus, illud vnum mihi exponendum duxi. Animaduertat homo, quàm multæ auium & volucrū species, diuersis conditionibus variæ per aerem volent: & inde ad maria descendat, & illam contempletur admirabilem fœcunditatem, varietatemq; pisciū, aliarumq; rerum marinarum, tam diuersis figuris, & formis; vt alia ita sint immania, vt magnitudine terrorem incutiant; alia tanto artificio constructa, vt in illis homo tum artem, tum figuram admiretur, cùm nonnulla sint ita, vt homo cùm est omnino armatus, alia ita inermia, vt alijs in cibum & nutrimentum sint. Animaduertat præterea piscium fœcunditatem, & multitudinem, qui sub vnica specie continentur, qui terrestrium animalium, & volucrum cæli numerum longè superant: hæ enim nonnullis tantùm locis reperiuntur; at mare est quasi totum piscibus coagulatum. Quòd autem de hac re aliquid iam diximus superiùs, nunc eam missam facimus, nisi illud, quod omnibus alijs admirabilius est, quòd cùm piscium species, & terrestrium animalium, & aeris volucrum sint penè infinitæ, omnes totius orbis terrarum Philosophi nullam vnquam repererunt, quæ in sua specie non esset perfectissimè fabricata, vt nihil vnquam excogitauerint, quod illi vel deesset, vel superuacaneum esset. Ex quo illę quatuor Philosophorum famosę sententiæ originem traxerunt; quarum prima illa est, quòd naturæ opera ab intelligentia non errante, id est, à summa & perfectissima sapientia, fabricata sunt. Altera est, quòd naturæ auctor semper id facit, quod melius, atque perfectius est. Tertia, quòd natura in rebus necessarijs non deest. Quarta, quòd Deus, & natura nihil agunt frustra. Ex his duabus postremis illud colligitur, quòd ex tā innumerabilibus speciebus piscium, volucrum, & beluarum, nihil inueniri potest, quod verè superuacaneum dici possit, vel illi quidquam deesse: sed omnes species esse perfectas, & in suo statu, & conditione absolutas.

Lector igitur consideret, quænam sit illius Domini potentia, & sapientia, qui nullo labore, nullis instrumentis, nulla materia, nullo temporis spatio, solo verbo hanc infinitatem specierū volucrum, piscium, & terrestriū animalium tanta perfectione, tanta prouisione membrorum, qualitatum, & propen-

propensiorum ad sui conseruationem creauit, vt si in ea cogitatione mille (vt ità dicam) annos consumpsisset, quoniam modo quamlibet illarum creaturarum fabricaret, nō aliam rationem in creatione profecutus esset, quàm fecit, cùm illius sapientia, neque annis, neque tempore augeatur. Quòd si hanc perfectionem in vnica animalium specie collocasset, non tantam admirationem attulisset; sed in tam innumerabili multitudine animalium, quæ penè cæli stellarum numerum superant, & omnia in lucem prodijsse temporis momento, & solo verbo, Fiat, facilè omnem admirationem superat. Etsi quarti diei opus, cùm cæli stellę, & planetæ creati fuerunt, quibus mundus regitur, sit admirabile hoc tamen quinti diei opus longè admirabilius mihi videtur. Nam licet stellæ eximias habeant proprietates, & vires, quas in terrestria corpora infundunt: figura tamen, aut nihil, aut parum inter se differunt; sunt enim alię alijs, vel maiores, vel minores. At in piscium corporibus, & multò magis in auibus, inest tanta membrorum varietas, tanta organorum, & sensuum ad sui custodiam, vt penè illa membrorum multitudo, &, vt ita dicam, harmonia, quam in hominis corpore esse diximus, in singulis auibus reperiatur. Quòd si humani corporis, quod Deus sexto die formauit, fabrica ita admirabilis est, quid erit fabrica tot millium animalium, quæ quinto die vnico verbo creauit? Hęc res est tanta admiratione digna, vt hæc vna (quemadmodum existimauit Salomon) satis sit, quæ impellat homines ad tantæ maiestatis timorem, & reuerentiam. In hanc sententiam ille dixit: *Non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus vt timeatur.* Illud significare vult: opera Dei tam perfecta esse, vt nihil eis tanquam necessarium addi, nec tanquam superuacaneum demi possit: idq; cùm in tanta creaturarum infinitate reperiatur ita, vt nulla species animaduerti possit, in qua reperiatur error, vel quidquam quod vel superfit, vel desit; quis non videt hoc esse opus, quod homines in admirationem tantæ potentiæ, & sapientię trahit, & ad reuerentiam, & timorem tantæ maiestatis, quę quidquid voluit, tanta facilitate in cælo, terra, mari, & in abyssibus fecit? Eccles 3.

Hæc est cognitio, quam creationis opus, & præsertim cælorum, potentiæ, & sapientiæ magnitudinis Creatoris nobis præstat. De quo Propheta dixit: *Celi enarrant gloriam Dei.* Nulla est lingua, nulla tam barbara gens, quæ hunc sermonem non intelligat. Super quod dixit S. Chrysostomus: Quid est hoc? quomodo cæli enarrant gloriam Dei? Neque vocem, neque linguam, neque os habent. Hoc (inquit ille) faciunt, cùm nobis suam magnitudinem, altitudinem, pulchritudinem, situm, formam, & constantiam ostendunt. Qua tot millibus annorum non inueterati sunt, neque tam multis motibus, atque continuis, attriti, neque suum cursum quidquam immutarunt: id autem cùm cernimus, eum adoramus, qui tam formosa corpora creauit, & hoc visu huius maiestatis magnitudinem cognoscimus. Psal. 18.

Videmus autem idem per generalis resurrectionis opus, quòd nobis fides proponit, quam S. Iob pręcipua reuelatione à Deo, ante Euangelium & Legem, cognouit, & his verbis memorabilibus testatus est: *Quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei? quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel certè sculpantur in silice? Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die* Iob 19.

de terra

de terra surrecturus sum: Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Apertioribus verbis hoc mysterium, neque efficacioribus nobis declarari potuit, quàm ab hoc sancto viro declaratum est, cùm id, quod nobis fides prędicat, ratio quoque testatur; cùm sit rationi consentaneum, & diuinæ iustitiæ perfectioni, vt, cùm corpus cum anima, dum in terris versarentur, in Dei seruitio, vel offensione fuerint occupata, in futura vita, vt iustitia postulat, vel pœnis, vel præmijs afficiantur.

Iam igitur consideremus, quàm magna sit illa potentia, quæ temporis pūcto, & (vt Apostolus inquit) in ictu oculi excitabit omnium hominum corpora illo tremendo iudicij die, & cum suis animabus iunget; ex quo fit totus homo, qui ex anima, & corpore constat, vel ad pœnam, vel ad gloriam resuscitabitur. Quanta verò erit illius Domini vis, qua vnius Archangeli ministerio, & terribili tubæ sonitu, quæ per totum terrarum orbem sonabit, corpora resurgent; quorum alia erant in terram conuersa, alia in cineres, alia auium cibi fuerunt, alia piscium, & alia aliorum hominum. Et hæc omnia resurgēt, & quę ab alijs hominibus comesa fuerunt, tam qui comederunt homines, quàm corpora comesa resurgent. Et dentes, & cadauera, & ossa, quæ tunc adhuc integra erunt, licet per totum mundum dispersa, se inuicem cognoscent, & in ijsdem suis locis, in quibus antè fuerunt dum vitam agebant, se ipsa inserent. Nunc autem nobis considerandum est, quàm multi dentes resurrectionis tempore in omnibus terræ regionibus, & terris erunt extra suas caluarias dispersi? Ac fortasse plures, quàm cæli stellæ, erunt. Deus autem scit, vbi sint, & ad quam caluariam pertineant, vt illi adhęreant. Etsi dentes sint inter se tam similes, non tamen commutabuntur inter se; sed omnes suos dominos, & sua loca, in quibus fuerunt, agnoscent, & in ea reuertētur, & ibi se inserent. Quanta est autem hæc potentia, quæ hæc efficere potest?

1. Cor. 15.

Eusebius libro quinto Ecclesiasticæ historię narrat, quòd Lugduni & Viennæ Galliæ ciuitatibus ea persecutione, quæ fuit in Christianos Imperatore Antonino Vero, in quibus ciuitatibus innumerabiles martyres passi fuerūt: Tyranni autem non eo contenti, illorum sacra corpora in cinerem vertebāt, & ea in Rhodanum proiecerunt, vt ea secum duceret. Hoc autem modo existimabant se Deum & Dominum nostrum vincere, & nos de resurrectionis spe deijcere. Dicebant enim: Sperant isti fore, vt è monumentis excitentur, & hac vana superstitione decepti, se supplicijs, & morti offerunt. Videamus iam an ipsi resurgent, & illorum Deus eos à nostris manibus liberabit? Cùm igitur res ita se habeat, quænam vis, quæ sapientia tanta erit, quæ in tanta cinerum confusione, & multitudine discernere poterit, vt sciat, quæ pars ad hunc, & ad illum Martyrem pertineat, vt quodlibet corpus suum cinerem habeat? Quis non mente exhauritur, dum tantam potentiam, ac sapientiam considerat?

At licet hoc tam magnum sit, vt omnem admirationem antecedat: fidem tamen, quam huic rei fideles præstant, minimè vincit. Ad quam veritatem conducit exemplum, quod allegat Apostolus de virtute, quam tribuit Creator omnibus herbarum & arborum seminibus, vt inde planta oriatur, à qua semina oriuntur, quodq́ue magis est, semen moriatur oportet, vt moriendo resusci-

1. Cor. 15.

resuscitetur, & fructus ferat. In sequētibus hoc exemplū apertiùs exponam, per quod facilè cernetur, quàm sit hoc mysterium fide dignum, licet id credere durum, & difficile videatur. Ad æquitatem enim, & perfectionem diuinæ iustitiæ (vt diximus) pertinet, vt idem corpus, quod animæ instrumentum fuit, & socius, tam in bonis, quàm in malis actionibus, sit etiā illius, tam boni, quàm mali particeps. Quod si aliter esset, possent quidem improbi homines (vt inquit Eusebius Emissenus) sua corpora omnibus delicijs, & vitijs inuoluere, existimantes fore, vt non sua, sed alia noua corpora pœnis, & vinculis coerceantur. Propter hanc causam necesse est, (vt Apostolus inquit) vt hoc 1. Cor. 15.
corruptibile corpus incorruptibile resuscitetur, & quod nūc mortale est, immortalitatem induat, vt hac ratione vel præmium, vel supplicium debitum consequatur. In hoc autem opere non minùs, imò multò magis, quàm in superiori, Dei sapientiæ & potentiæ immensitas cernitur. Scire enim vbi sint cineres, & reliquiæ, & materia omniū corporū, quæ fuerunt ab initio mundi, vsque ad finem, & vbi sint illa, quæ demersa sunt in mari diluuij tempore, & in alijs naufragijs deinde, & quæ demergentur postea, quis ignorat, quàm sit hoc opus admirandum? Quòd si hæc corpora essent integra cum omnibus suis ossibus, vt Lazari quatriduani corpus fuit, aut viduæ filij, quem Saluator Ioan. 11.
resuscitauit, non tantam admirationem nobis afferret: sed cùm iam sint co- Lucæ 7.
mesa vel à piscibus, vel ab auibus, vel ab hominibus, & in illorum substantiam conuersa, hoc illud est, quod humanos intellectus facilè superat: & ob id cùm Athenis Apostolus hoc mysterium prædicaret, Athenienses eum illu- Acto. 17.
debant, dicentes nouorum dæmoniorum prædicatorem esse. Ad id autem S. Augustinus respondet, inquiens: Illud concedamus, Deum aliquid facere posse, quod nos intelligere nequeamus. Salomon quoque respondet, & in- Eccles. 11.
quit: Quemadmodum non intelligis, quonam modo in fœminæ prægnantis vtero pueri corpus fabricetur, (vbi est tanta membrorum, & organorum, & sensuum multitudo, & hæc omnia ita inter se concordia, & ad vsum, & vtilitatem humani corporis accommodata) sic mirabilia, & secreta Dei operū, qui omnium rerum conditor est, intelligere non potes. Respondet quoque S. Iob, qui inquit, Deum tam magna facere, tamq; admirabilia, & talia, vt humanus intellectus, quomodo fieri possint, neque inuestigare, neque intelligere queat. Propter hanc autem admirationem, quę longè omnem intellectum superat, facilè intelligitur, quàm sit illius summi Domini maiestas, & amplitudo incomprehensibilis, qui talia facere & scit, & potest, vt iure optimo dixerit ille Angelus, qui Creatorem referebat; *Cur de meo nomine interrogas, quod* Iudic. 13.
admirabile est?

Veniamus iam ad aliud opus huic ex aliqua parte simile, quod ad supradicti etiam confirmationem conducit. Hoc autem est virtus illa admirabilis, quam posuit Creator in omnium rerum seminibus, tam plantarū, quàm animalium, quæ (vt ait quidā celeberrimus Philosophus) vt superior omnes hominum intellectus exhaurit, & multum ad illius fidem, & ad credendum (vt dictum est) conducit. Quàm admirabile est, granum, vel animulam tam paruam, vt mali medici est, eam vim continere, vt ex sese arborem tam formosam, tam odoratam, vt est cùm floret, & tam pulchram visui, cùm suis pomis onusta est, emittat. Neque minor ea est admiratio, in nucleo pineo inesse

Aa vim,

Digitized by Google

vim, qua tam procerã producat arborẽ, vt pinus est. Hanc admirationẽ quoq; Matt 13. adauget sinapis granũ, (vt Saluator in Euangelio declarat) quod cùm tam paruum sit, eam habet vim, vt arborem gignat, in cuius ramis aeris volucres cõquiescant. Quis in tam parua re tantam virtutem collocare potuit? Hanc au- 1.Cor.15. tem virtutem, quæ in seminibus est, adhibuit Apostolus, vt mysterium resurrectionis ostenderet. Iam ad animalia transeamus. Quàm admirabilis est virtus à Creatore posita in pauonis ouo, à quo breui tempore auis egreditur tam pulchra, vt pauo est, cum illa pennarum pulchritudine, quam superiùs declarauimus? Iam ad hominem pergamus, & omisso Absalone cum aureis capillis, illiusq; fratre Adonia non minùs, quàm ille erat, formoso, & Regina Helena, cuius causa Troia succensa est; ad sanctã Iudith oculos cõuertamus, & in tres Iob filias, quarum pulchritudinẽ sacræ literæ celebrant, & digrediamur per materiem, ex qua tanta conficitur pulchritudo, & hoc admirantes, quanta sit illius summi artificis potentia considerabimus, qui ex tam vili & abiecta re tantam pulchritudinem efformare potest, quæ sola ad multorum hominũ iudicia peruertenda satis est; quorum errores sunt Creatoris admirabilis artificij testes. Tanta enim est multorum hominum peruersitas, vt ex quo occasionem & incitamenta ad tantum pictorem glorificandum habent, inde arripiant occasionem ad illum offendendum, ad suum iudicium perdendum, vnà cum salute, & nonnunquam corporis & animæ vita.

Ad hoc exemplum aliud addam non minùs admirabile. In ouis, quæ quotidie comedimus, cernitur quædam alba particula, tam cum oui albumine, quàm cum vitello coniuncta: in hac tam parua re virtus formatiua pulli, qui ex ouo nascitur, inest: in qua penè omnia sunt, quæ in humani corporis fabrica posuimus. Quòd si colũbæ ouum intuemur, illa particula est eò minor, quò illud ouum est, quàm gallinæ minus. Quòd si ad hirundinis ouũ oculos conuertimus, erit profectò illa particula tanquã acus caput: in tam parua re eam vim posuit Creator, vt inde nouum auiculæ corpus fabricaretur, quæ licet tam parua sit, omnem tamen habet fabricam, & membrorum coagmentationem, & organa, & sensus, quæ superius in humano corpore posuimus, cum suo ventriculo, iocinere, splene, mesenterio, intestinis, venis, arterijs, & cum corde; in quo affectiones tristitiæ, timoris, iræ versantur, & cum imaginatione, & sensu in spiritali parte, quòd si ad accipitrem oculos cõuertit, eũ suum hostem existimat, illumq; timet. Neq; defuturi sunt, qui eò maius miraculum existiment hoc, quàm nostri corporis fabricam, cùm hoc corpusculũ sit longè minus, & in eo maius artificiũ requiratur, cùm omnia membra sint longè tenuiora, vt in culicis fabrica superius demonstratum est. Huius igitur fabricæ artifex, & efficiens causa, est illa particula alba, de qua dictũ ante est. Nam quemadmodum ad arcam, vel aliquam sedem conficiendam, opus est lignis, materia ex qua conficiatur, & artifice qui conficiat, sic in hoc ouo vtrũque inest; materia est ouũ, & efficiens causa est prædicta particula: in ea enim inest huius corporis virtus formatiua. Quàm magna igitur est illius potentia, qui tantam vim tam paruæ rei tribuere potest? Quinã intellectus non exhauritur, dum tantæ potentiæ magnitudinẽ in animo euoluit? quis tantam maiestatẽ non veneratur, ac colit? quæ tam paruæ rei (vt diximus) vt acus caput, tantã facultatẽ dedit, vt dierum quindecim, aut viginti spatio tantam fabri-

Digitized by Google

fabricā pficiat, vt neq; Dædali Labyrinthus, neq; Salomōis palatia q̄ xiij. annis ædificauit, tot officinas, cubicula, antecubicula, aliasq; regiæ partes haberet, quot huius auiculæ corpusculū habet? *Mirabilia* (inquit Propheta) *opera tua Domine, & anima mea cognoscit nimis.* Pfa. 138. Hæc igitur admiratio nobis declarat fieri posse, vt ex cineribus, qui reliqui sunt ex aliquo corpore, illud idē corpus excitetur, qui tam paruæ rei facultatē tribuit, qua tantam fabricam conficeret.

Quid autē de paruo trissæ ouo dicā, ex quo nulla adhibita industria tā magnus, tamq; sapidus piscis nascitur? Quòd si nobis id affert admirationē, quid faciet Sardiniæ ouū, quod paulò maius est, quàm acus pūctum, à quo oritur Sardinia, quæ in tātulo corpore, tam multa instrumēta habet, & sensus, tū ad nandū, tū ad victū sibi quæritandū, vt cæteri omnes pisces: & quo minus est corpus, & ouum, hoc admiratio maior est. Neq; minorē affert admirationem huius piscis fructus, cùm sit (vti ante diximus) cōmunis maris & terræ cibus.

Hinc autē ad aliud admiratione dignū non minus, quàm quod dictū est, pergamus. Inquiunt Philosophi, quòd anima, quam habemus, deforis nobis aduenit, neq; educitur de potentia materiæ nostri corporis, vt cæterorū animaliū animæ educuntur. Cùm enim sit spiritalis substantia, vt Angeli sunt, ex re, vel materiali, vel corporea proficisci nō potest: cùm nulla sit inter hæc duo pportio. At cùm dicāt, quæ ratio illis ostendit; vnde tamen hæc anima veniat, cùm deforis veniat, nō docent. Hoc autē, quod ipsi nescierūt, Christiana religio nobis tradit, cùm dicat Deū per se creare animas, & in nostra corpora infundere, vbi in vtero matris organizata sunt: & masculi corpus quadragesimo, fœminæ verò sexagesimo post cōceptionem die organizatū existimatur: & quo tēporis momēto hæc perficitur fabrica, (quod est domū cum suis officinis fabricare, in qua inhabitet anima) eo momento & puncto à Deo creatur, & infunditur. Iam igitur in hoc philosophamur: & iam in tres præcipuas terrarum orbis partes oculos conuertamus, in Asiam, Africā, Europā, & in quartam, quæ paulò ante in occidentalioribus Indijs cognita est, quæ tum America, tum nouus mundus dicitur, & per omnes AEgei maris & Oceani insulas, & per omnes barbarorū, & Aethiopū terras, quæ sub Zona torrida sunt, & tādem per id omne, quod à Sole cōspicitur, & consideremus, quot fœminæ sint grauidæ in his omnibus locis, quotq; fœtus eò peruenerint, vt in eorū corpora sit necesse animam infundere, & facilè statuimus fore necesse, vt Deus diu noctuq; in eo versetur, vt animas creet, & illas in corpuscula infundat, ita vt ne temporis quidē momento aberret, sed statim, vbi perfecta sunt corpora, animas infundat. Neque id hoc nostro solùm seculo, nostraq; ætate facit, sed à mundi creatione, vsque ad præsentem diem, id semper fecit. Accidet autem, vt eodem temporis puncto multa id generis corpuscula perficiantur, alia vbi Sol oritur, alia vbi occidit, id est, disiunctissimis locis, ad quæ omnia ita Deus accurrit, vt nihil penitus deficiat, neque alij desit, vt ad aliud pergat. Neq; id influentiarum cæli virtute, neque Angelorū ministerio, sed ipse solus, & per se id peragit. Neque hac continua & perenni occupatione illam beatissimam pacem, & felicitatē, in qua viuit, amittit, neque modò huc, modò illuc accurrendi cura & solicitudine detinetur. Nunc autem peto, quænam sit huius Domini sapientia, qui omnium fœtuum, qui in fœminarum vteribus sunt in toto terrarum orbe, dispositionē cognoscit, vt præstò adsit cùm corpus

organizatum eſt, vt animas infundat, cùm ipſæ matres id penitus ignorent? Quænam eſt hæc vniuerſalis aſſiſtentia, vt nihil vnquam deſit termino præſcripto? Quænam eſt Domini potentia, quæ ſubſtantiam tam ſpirituale͂, tamq; formoſam, in qua Dei imago relucet, ex nihilo creat? Hæc res omne͂ noſtram admirationem & intelligentiam ſuperat, nobiſq; declarat, quàm illa beatiſſima ſubſtantia ab hominum potentia, & ſapientia longè abſit.

Ad hanc autem admirationem aliã ſimilem, licet in præſtãtiore materia, addere volo: quæ eſt corporis & ſanguinis Redemptoris noſtri conſecratio. Fide enim tenemus, quòd ſtatim, prolatis Conſecrationis verbis à ſacerdote, in eo temporis puncto, quo ſacerdos vltimum verborum, quæ huius diuiniſſimi Sacramenti forma ſunt, profert, ibi diuina omnipotẽtia adeſt (quemadmodum S. Thomas inquit) vt maximum omniũ ſuorũ miraculorum operetur, panis ſubſtantiam mutando in ſuum ſacratiſſimũ corpus, cum quo ſunt vnà illius anima cum tota diuinitate: & hoc (quod aliud miraculum eſt) nõ ſolùm in tota hoſtia cõſecrata, ſed in qualibet illius particula eſt. Quàobrem cùm formæ deſunt, ſæpe aliquam harum particularũ præbemus, & ſumimus.

Nunc igitur Lector animaduertat, quot Miſſæ quolibet die in omnibus terrarum orbis eccleſijs celebrentur, aliæ in Oriente, aliæ in Occidente, aliæ alijs in locis, quamq; magna ſit Dei ſapientia, qui omnia momẽta non ignorat, in quibus vltima conſecrationis verba proferri ſinũtur in omnibus mũdi locis, ne momento quidem aberrans; quæq; ſit illius potentia, quæ ſtatim vnam ſubſtantiam in aliam tranſmutat. Hoc quidem tam magnum eſt, vt ab hominum intellectibus capi minimè poſſit; cùm argumentum ab animarũ creatione, de qua ante dictum eſt, quamq; vera Philoſophia cõfiteri debet, ad huius myſterij fidem non paruam vim habeat. Nam qui potuit ad vnguem accurrere ad tot animas creandas, (vt diximus) & infundendas in parua corpora, cùm primùm organizata ſunt; in hac quoque materialis panis in ſuum ſanctiſſimum corpus transformatione adeſſe poteſt. Sed ſine his exemplis ſides ſola, vt Eccleſia cantat, ſufficit ad cor noſtrum confirmandum in huius myſterij fide; proteſtando tantam eſſe potentiam illius altiſſimi Dei, tamq; incomprehenſibilem, vt infinita facere poſſit, quæ nos, vt ſanctus Iob teſtatur, intelligere nequimus. Quid igitur hîc nobis reliquum eſt, niſi illam immenſam maieſtatem venerari, & colere, & per huius potentiæ magnitudinem illius eſſentiæ altitudinem cognoſcere, à qua illa potentia proficiſcitur; & confiteri, quòd, quemadmodum noſter intellectus deficit in potentiæ cognitione, ſic, imò multò magis, in eſſentia cognoſcenda deeſt.

Sed huic rei finem imponam, ſi priùs aliud ſingulare noſtri Creatoris miraculum proponam, quæ eſt in omnibus rebus creatis generalis aſſiſtentia. Quare illud ſciendum eſt, duo eſſe efficientium cauſarum genera: alterum ſolùm ad opus efficiendum conferre, neque vlterius progredi opere cõfecto; vt eſt artifex, qui domum cõſtruit; aut pictor, qui imaginem pingit: alterum verò genus cauſarum efficientium non ſolùm opus perficit, verùm etiã perfectum conſeruat; vt Sol, qui non ſolùm lucis radios à ſe emittit, ſed etiam in ea claritate eos, quam illis tribuit, conſeruat, vt ſi vel ipſe deficeret, vel eos producere ceſſaret, ſtatim & ipſi radij penitus deficerent. Fides autẽ catholica hoc ſecundo modo fatetur illum ſummum Dominum eſſe omnium creatarũ

rerum

rerum causam: ille enim sua bonitate sola & voluntate illis essentiam dedit, quam habent; & ille solus in eodem statu, quem illis tribuit, conseruat: idque ea coniunctione, & colligatione, vt si temporis momẽto se ab eo munere contineret, omnia in nihilum, ex quo creata fuerunt, penitus reciderent. Quamobrem, quemadmodum si Horologij pondera conquiescunt, omnes illius rotæ cessant, & totus ille motus, & horarum ordo deficit: sic hæc tota huius mundi moles in nihilum recideret, si ille summus artifex, qui suæ virtutis verbo sustinet, à conseruatione se abstineret.

Quamobrem necesse est, vt in illis omnibus insit, in essentia sua conseruandis, non solùm sua præsentia, & potentia, verùm etiam per suammet essentiam. Quod vt intelligatur, illud animaduertendum est, omnes alias causas suos producere effectus per illas virtutes, quas habent: vt ignis per calorẽ, qui ab illo proficiscitur, calefacit; planetæ autem, & stellæ, per suas influentias. At in Deo hæc essentię & virtutis distinctio non reperitur: in hanc enim altissimam, & simplicissimam naturam accidentia cadere non possunt; quidquid enim in Deo est, Deus est sine vlla alius rei mixtura, vel compositione. Propter hanc causam vbicunq; sit aliquid Dei, ibi totum Deum esse necesse est: cùm illa summa simplicitas nullo modo diuisionem admittat, vt illius alia pars in alio loco sit. Cùm enim necesse sit, vt causa & effectus sint vnà, & se cõtingant inuicem; & esse sit omnium rerum vniuersalior, & intimior effectus; (cùm nihil sit, cui esse desit) illud sequitur, Deum in omnibus rebus intimiorem, & illarum esse contingere, & conseruare. Quare idem Dominus dixit, se cęlum, & terram replere. Hoc est vnum miraculum, & pręstantia illius altissimę substantiæ, quę cùm sit simplicissima tota in toto mundo est, & tota in qualibet illius parte; cùm nulla res creata sit, quæ per se suam essentiam habeat, præter illum, qui à nullo pendet.

At res vlteriùs progreditur: non enim solùm est rerum essentiæ conseruatrix causa; verùm etiam omnium actionum, & motuum illarum naturalium, qui in illis sunt. Quare nemo pedem mouere, aut manum, vel os aperire, vel oculos claudere, nisi illius virtuté potest: & ita horum motuum magis, quàm homo, qui operatur, causa est. Auicenna dicebat, Deum nihil aliud facere, quàm cælorum ordini, & motibus assistere, & hoc modo hunc inferiorem mundum administrare. Philosophia verò Christiana vlteriùs proficiscitur, cùm fateatur, primam causam, qui Deus est, cum omnibus causis inferioribus concurrere, tam si generales, quàm si his subiectę sint, quæ omnes primæ causæ instrumenta sunt: & sic omnes illarum effectus potiùs causæ pręcipuę, & principali, quę illos efficit, ascribuntur, quàm instrumentis, quibus ad agendũ vtitur: magis enim propriè dicitur pinxisse pictor, quàm penicillus, quo ad pingendum vsus est.

Hac autem ratione cogitare possumus, quæ illa essentia sit, quæ non solùm cælum, & terram replet, (vt diximus) sed etiam concurrit vt principalis causa cum omni naturali motu omnium creaturarum cęli, & terræ: & nullo modo, nullaq; ex parte illius felicitatem, & beatitudinem imminuit, cura & prouidentia ea, qua ad tam innumerabiles res accurrit. Qui tam admirabilia considerauerit, facere non poterit, quin statuat iure optimo dictum esse ab Angelo: *Cur de meo nomine interrogas, quod admirabile est?* Iudic. 13.

Ex harum igitur magnitudinum consideratione, quas hic declarauimus, in anima nostra magnus timor efficitur, & quędam illius diuinę essentiæ admiratio, cùm illius immensitatem, infinitatem, incõprehensibilitatem, & ineffabilitatem cognoscat; quódq; non solùm, quod dici potest, verùm etiam animo concipi & intelligi de illius amplitudine, penè nihil est, si cum eo conferatur, quod nondum à nobis intelligitur. Nam, quod creatura licet angelica cognoscere potest, finitum est, vt & ipsa finita est: at illius amplitudo infinita est: itaq; nulla est proportio ab eo, quod intelligitur, ad id, quod intelligendum nobis reliquum est. Dauid enim dixit, Deum suum tabernaculum tenebris inuoluisse; vt nobis significaret, nullũ creatum intellectum eò peruenire posse, vt diuinę essentiæ altitudinem comprehendere queat. Quod idem Propheta nobis ostendit, cùm inquit, quòd super Cherubin ascendit, quodq; super ventorum alas volat; vt nobis significet, quòd illi quoque summi spiritus, in quibus diuinæ sapientiæ thesauri repositi sunt, in hac cognitione demissi fiunt, & visum amittunt, qui super ventorum plumas volant. Idem nobis significârunt illi duo Seraphin, qui suis alis caput, & pedes illius tegebant: vt hanc eandem Dei incomprehensibilitatem nobis ostenderent, qui ita illum vident, vt à capite ad calcem non perueniant, neque quidquid in illo est comprehendant.

Psal. 18.

Quę hactenus dicta sunt, ad Theologiam negatiuam nobis aditum patefaciunt, cuius sanctus Dionysius maximus præceptor est. Quare sciendum est, nos dum in hac vita sumus duplici ratione Deum cognoscere: alia affirmatiua, alia negatiua dicitur. Affirmatiua est, cùm à perfectionibus, & pulchritudine, quam videmus in cælis, Sole, Luna, stellis, & cæteris creaturis, ad Dei cognitionem ascendimus, quàm scilicet sit perfectior, & formosior Creator, qui creauerit illas, in quo sunt illæ omnes simul, infinita excellentia, & præstãtia. Hanc dicimus cognitionem affirmatiuam, quòd affirmat, & fatetur, omnes has perfectiones in Deo esse. Negatiua verò illa ratio est, qua supponendo nostros conceptus omnes esse limitatos & demissos, omnes has perfectiones in eo negat, quo modo nos eas comprehendimus & illi ascribimus; cùm dicimus Deum non esse hoc modo neque magnum, neque pulchrum, neq; sapientem, neque potentem, &c. vt nostri intellectus concipiunt: nam alia ratione longè differenti est magnus, pulcher, sapiens, & potens, vt nulli creati intellectus eum capere possint. Hoc autem modo negandi suis perfectionibus, quas nos de Deo animo concipimus, Deum potissimũ laudamus, & glorificamus, cùm eius magnitudinem infinitam, immensam, incomprehensibilem, & ineffabilem fatemur.

Vt autem animæ nostræ aliquem conceptũ quamuis confusum forment de illa altissima substantia, communem sancti Dionysij sententiam nobis tanquam fundamentum sumendum est, qui inquit in qualibet creatura tria esse, videlicet essentiam, potentiam, & operationem: quę ita inter se connexa & implicata sunt, vt alia per aliam facilè cognoscamus. Per actiones enim magnitudinem potentiæ cognoscimus, per hanc autem essentiam, à qua proficiscuntur. Hæc autem tria, posse, sapere, & agere, consideramus in Deo Domino nostro, licet in eo sint idem: cùm ex illius operibus, de quibus hactenus egimus, & per illorũ admirabilem magnitudinem, potentiæ magnitudinem,

à qua

à qua nascuntur, cognoscamus; & ab huius potentiæ magnitudine, essentiæ magnitudinem cognoscamus, licet alterum cum altero nõ æquiparetur; cùm in plura se extendat essentia, quàm potentia declarat. Qua enim facilitate hũc mundum creauit, eadem solo verbo mille mundos, vt est hic, & maiores creare posset, vt postea dicemus. Iam aliquantulum mente & cogitatione attingamus, quęnam sit illa essentia, in qua tam admirabilis, & stupenda potentia inest. Quæ comparatio esse potest cum rerum creatarum potentia, cùm nulla ne formicam quidem creare possit?

Cognita igitur infinita distantia, & differentia, quæ est inter Creatoris & creati potentiam, intelligemus quid inter Creatoris & creaturę essentiam intersit. Dicamus igitur illam altissimam substantiam infinitè distare ab omnibus alijs substantijs; quæ aliam essentiæ, potentiæ, magnitudinis, sapientiæ, pulchritudinis, & aliarum infinitarum perfectionũ rationem habent, quam nullus creatus intellectus assequi potest. Propter hanc causam, vt illius aliquid cognoscamus, debemus omnes cæli & terræ creaturas omittere, & super omnes ascendere, quæ vel sentire, vel imaginari, vel intelligere possumus, vt aliquo pacto ad illam substantiam perueniamus, quæ omnes sensus & intellectus antecedit, & differt, & cæteris omnibus infinitè præstat; quæ quidem neque figuram, neque quantitatem, neque qualitatem, neque aliud accidens habet, neque compositionem, neque mutationem admittit, neq; vllo corporeo sensu sentit, neque ab vllo illorum percipi potest, neque lumine indiget, neque aut diuisioni, aut imminutioni subijcitur: non est anima, nec animæ potẽtia, neq; corpus, nec corporis forma, nec potest nõ esse, nec magis quàm est esse, tota enim essentia in illo est: non est ratio, neq; intelligentia, quo modo nos intelligere possumus; licet sit alius modus rationis, intelligentiæ, & vitę: non est magnus, nec bonus, neque sapiens, neq; potens, neque pulcher, quemadmodum nos imaginamur; longè enim alia ratione est magnus, bonus, potens, pulcher, & sapiens.

Quamobrem non solus S. Dionysius, sed etiam Plato, qui ante illum fuit, licet Philosophus gentilis, cùm de diuinis perfectionibus loquitur, his terminis vtitur, Superbonus, supersapiens; hac ratione loquendi nobis significans supereminentiam, & prępstantiam diuinarum perfectionum ijs omnibus rebus, quas noster intellectus assequi potest. Super omnibus enim substantijs substantia est; & vita super omnem vitam; & lux super omnem lucem, quam nostri oculi non cernunt; & pulchritudo super omnem pulchritudinem, quam intellectus nostri comprehendere nõ possunt; & suauitas, quæ omnem suauitatem antecellit, quam nostri sensus percipere non possunt; neq; solùm nostri, verùm etiam Angelorum, Cherubin, & Seraphin. Quamobrem omnes intellectus creati tam debiliter Dei perfectiones intelligunt, vt veriùs illas Deo negemus, quàm tribuamus. Quam Theologiam Ecclesiasticus his verbis declarauit: *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute. Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum, sicut est ab initio? Multa abscondita sunt maiora his: pauca autem vidimus operum eius.* Eccli 43.

Pia

Pia igitur anima cùm animaduertat, nullum titulum, nullum nomen, aut epitheton, aut laudem, eam habere vim, vt, quod Deus meretur, explicare aut significare possit, & omnes hominum, & Angelorum perfectiones, & laudes longè inferiores esse ijs laudibus, & perfectionibus, quæ illius essentiam exprimant: ab his se remouet nominibus, & se in vasto mari & abysso illius magnitudinum versari intelligit, quæ nullo modo verbis explicari possunt: & ita se in sancto continet silentio, tanta magnitudine oppressus: & ita non intelligendo intelligit, & non cognoscendo cognoscit; cognoscit enim hunc Dominum incomprehensibilem, & ineffabilem esse: & ita magis eum laudat, quàm omnibus nominibus, & præstantijs, quas illi tribuere potest. Quod regius

Psal. 64. Propheta significauit, cùm (vt vertit S. Hieronymus) dixit: *Tibi tacet hymnus Deus in Sion*. Nobis significat, quòd perfectior Dei laus est hoc sanctum silentium & timor, quem diximus, quo anima pia quasi absorpta, & stupefacta illius maiestatis incomprehensibili admiratione est.

Hæc illa Theologia est, quam toties S. Dionysius repetit, & ita quodã loco inquit: Obscuritas, & tenebræ, in quibus Deus versari dicitur, est inaccessibi-

1. Tim 6. lis lux, quam (vt ait Apostolus) nemo vnquam vidit, neque videre potest. Et propter eandem causam, quòd neque videt, neque cognoscit, familiariùs illi Domino copulatur, qui omnem agnitionem superat. Et alio loco inquit ille: In hac sancta ignorantia vera cognitio illius Domini, qui supra omnem intellectum & substantiam est, consistit. Quamobrem hic summus Theologus totam hanc rem concludit, inquiens, Nos debere hoc maximũ supremæ Deitatis secretum (quod omnes intellectus facilè vincit) sacra animæ nostræ veneratione, castoque silentio venerari. Castum autem silentium vocat illud, quod à se omnem intellectus curiositatem depellit, & in illius tantæ maiestatis admiratione & timore versatur, qui illi linguam continet, & intellectum tanquã in vasto pelago & abysso illius magnitudinis demersum tenet, & cum

Psal. 64. Propheta canit: *Tibi tacet hymnus Deus in Sion*.

Quidquid hactenus dictum est, eò spectat, vt nos aliquid, pro nostri ingenij ruditate, de summi Dei, & Domini nostri immensitate, & magnitudine intelligamus, quam eo quidem modo illi Spiritus Seraphici, qui illius maiestati assistunt semper, cognoscunt, vt prostrati ante illum iaceant, & coram tanta magnitudine se tanquam abiectos vermiculos existiment; & ita illum venerantur, & colunt, & coram illo tremunt. Propter hanc causam in libro Iob

Iob 26. dicitur, cæli colũnas (quę sunt illi summi spiritus, qui mundum administrãt) tanta maiestate tremere. Etsi hic tremor, neque pœnosus, neque seruilis sit; sed filij, & reuerentis filij: cùm enim illius magnitudinis immensitatem intelligunt, cognoscunt quoque, quòd quemadmodum bonitatis magnitudini summus amor, sic maiestatis altitudini summa reuerentia, & timor debetur.

Sed iam cõsideremus in Deo nostro nõ solùm illius magnitudinẽ, (de qua hactenus egimus) sed magnificentiam, & benignitatẽ, & coniunctionẽ, qua summus cum illo copulati, quòd (vt diximus) in eo viuimus, mouemur, & sumus, nostraq; vita illius voluntati, tanquam filo est appensa. Qood ipse per Isaiam

Isa. 42. significauit, cùm dixit esse eum, qui hominibus, qui versantur in terris, virtutem respirandi dabat; nobis significans, eum esse, qui continuò nos sustentat, & conseruat; quod est penè semper nos leuare, & continuò facere illud, quod

quod semel operatus est,& nobis parando ad hanc conseruationem omnes illecebras,& omnia illius prouidentiæ beneficia,neque ipsos Angelos, qui illius pulchritudinem cernunt, nostra custodia liberos esse permisit. Tandem quidquid sumus,possidemus,& speramus,id omne illi acceptum ferre debemus,ita,nisi nos sustineret,& nutriret,fame periremus;nisi nos vestiret, frigore moreremur; nisi nos defenderet,nostrorum inimicorum manibus occideremur;nisi nos gubernaret,inuicem nos ipsi viuos comederemus; nisi nos passim illuminaret,in tenebras nostræ ignorantię sępe incideremus; nisi nos consolaretur,in mœrore & sordibus versaremur.

Iam in hac doctrina philosophari incipiamus: Cùm Dei nostri amplitudines sint tam summæ,& incomprehensibiles,(vt vidimus)cumq; sint tot,ac tanta illius beneficia,tantopereq; ab eo dependeamus,vt ab eo simus,& vitam habeamus:illud sequitur, nihil nobis in mentem venire posse magis obligatum,magis iustum,magis debitum,magis necessarium,magis vtile,magis honestum atq; præstans,quàm hunc Dominum colere,amare,venerari,laudare, adorare,& seruire. Hęc obligatio tanta est,vt quidquid parentibus,amicis,benefactoribus,terræ Regibus,& Principibus,vel quibuslibet alijs præstantissimis viris vnà collectis,debemus,si cum ea conferatur, nomen obligationis amittat; quemadmodum omnes illorum perfectiones,cum diuinis perfectionibus collatæ,perfectiones minimè dicuntur. Hoc ex dictis sequitur.

Illud etiam sequitur,quòd quemadmodum ipse continuò nos conseruat, & sustinet,& ita,vt ne temporis quidem momento ab ea re se contineat; ita æquum est,vt creatura semper se in illius laudibus, & seruitio contineat. Et quemadmodum hoc debitum soluere, æquius est, & magis debemus, quàm cætera,quæ in mundo sunt;sic non id facere,iniquius,& peius est. Ex quo fit, vt quælibet in illam summam maiestatem offensio sit infinitè grauis, & ratio in promptu est. Illud enim certum est,quòd quò persona est maior, quæ læditur,eò iniuria,quam illi intulimus, est grauior,quare quot sunt personæ offensæ dignitatis gradus,tot etiam iniurię in illam sunt. Ex quo illud colligitur,quòd cùm Dei maiestas infinita sit,talis etiam sit culpæ in eum commissæ grauitas. Ita quidem se res habet,& in futura vita vt huiusmodi infinita pœna respondet,tum quòd hominem bono infinito,qui Deus est,priuat,tum quòd spatio temporis infinito duratura est; quod semper est,& cũ Deus erit Deus.

Id igitur cùm ita se habeat,quę lachrymæ,qui gemitus, quæ verba ad tantam iacturam exprimendam satis erunt,vt est videre eos,qui hęc omnia credunt & fatentur, tam facilè in Dei offensionem incurrere, & illius maiestatis oculos in iram impellere? Quænam est hęc cæcitas? quis stupor? quæ illecebræ,quibus diabolus humana peruertit corda, ne tantam iacturam cernant? Quonam modo illius obliuiscuntur homines,qui eos semper in suum sinum trahit; cuius aer,quo spirant,est; cuius est terra,quæ illos sustinet; & mare, quo nutriuntur; & Sol,qui illos illuminat; & elementa,quæ illis seruiunt; & Angeli,qui illos custodiunt. Quî fieri potest,vt illam immensam,& infinitam maiestatẽ audeant offendere:cuius offensionis tanta grauitas est,quanta est illius essentiæ magnitudo? Quonam modo continuò illum lædunt, qui continuò illos sustinet,& gubernat? quomodo audent illum Dominum offendere, quem Principatus adorant, quem timent Potestates, quo cæli columnæ tremunt?

munt? qui illum offendere audent, qui corpore mortuo in infernum animam demittere potest? Hic ille est timor, vnde Isaias initiũ suæ prophetiæ sumpsit,
a.1. inquiens: *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est, Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Hæc obliuio Dei, & negligentia fuit in illo populo, & nunc in multis millibus Christianorum reperitur. Quare minimè miror, nos ab illo iusto iudice affici tam multis calamitatibus, fame, peste, morte, bellis, gentium defectionibus, & quod est peius, tam multis hæresibus, quibus bona pars Christianorum corrupta est: & in primis eum permisisse, tam multas Christianorum gentes (vbi olim fides floruit, & Dei cultus) nunc occupatas, subiectasq; tyrannidi crudelissimorum infidelium esse. Nam (cùm Deus iustus sit) vt peccata vbiq; crescunt, eodem modo & flagella crescant, necesse est. Ex quibus illud maius est, per flagella illius iras nõ cognoscere, qui pœnas damus, neq; intelligere id nobis propter peccata contingere, neq; ob id nos ab illis abstinere. Hoc declarat adesse spiritus malignos, humani generis inimicos, cordium deceptores, & corruptores. Hoc etiam est nobis diuinæ iræ indicium, quæ suis secretis iudicijs tantum stuporem & cæcitatem in hominibus esse permittit, vt habentes oculos non videant, & aures non audiant, & corda non intelligant: cumq; fidem, & iudicium habeant, ex illarum neutra vllam vtilitatem percipiant: cumq; videant mori homines, se mortales esse non recordantur: cumq; tam callidi sint in negotijs huius mundi, & in iniurijs tam vindictę auidi, penè sine sensu in mortalibus animæ vulneribus deprehenduntur.

Quemadmodum igitur ex dictis intelligimus, quãtum scelus sit illã summam maiestatẽ lędere, sic etiam vera religio quàm sit necessaria, scimus, quæ cùm sit aliena & abhorreat ab omnibus peccatis, in id maximè incumbit, vt vero Deo seruiat, & colat. Nam secundùm Philosophię regulas, quò quid est peius, eius contrarium eò melius est: cùm autem tantum scelus sit Deum offendere, hinc intelligetur, quantum sit bonum eum colere, & seruire, quod veræ religionis proprium est. Ad quam non solùm diuinæ leges, & humanę nos hortantur; verùm etiam eadem natura, vt omnes terrarum orbis gentes nobis ostendunt, ex quibus nulla est tam barbara, aut fera, quę non aliquam Dei cognitionem habeat, & ei non aliquem cultum & reuerentiam adhibeat, licet quisnam verus Deus sit, ignoret. Ex quo illud colligitur, necesse esse, vt in mũdo aliqua vera religio reperiatur, qua verus Deus ritè, & sanctè colatur, & adoretur. Aliter enim hæc propensio naturalis vana esset, si vera religio non reperiretur. Hæc est huius libri summa, ad quam diriguntur, & spectant, quæcunque in eo scripta sunt.

Post hanc autem partem satis commodè secunda sequitur, quæ ex prædictis apertè probat, veram religionem, esse religionem Christianorum, esseq; eam, quæ Deo placet, eumq; ritè colit.

PRIMI LIBRI FINIS.

TESTI-

TESTIMONIA TVA CREDIBILIA FACTA SVNT NIMIS.

Psal. XCII.

DEVS AVTEM SPEI REPLEAT VOS OMNI GAVDIO, ET PACE IN CREDENDO.

Rom. XV.

R·P·F. LVDOVICI GRANATENSIS PRÆDICATORVM ORDINIS,

DE FIDEI ET RELIGIONIS CHRISTIANÆ PRÆSTANTIA, LIBER SECVNDVS.

QVOD NON POSSVNT HOMINES SINE FIDE VIVERE: quodq; duo sunt fidei genera, alia acquisita, alia infusa. Cap. I.

Ioan. 17. ÆC est (ait Saluator cum suo æterno Patre) *vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Hęc breuis sententia, est quędam summa totius Christianæ philosophiæ. Hîc autem sciendum est, quòd duo præcipua opera, per quæ in Patris, & Filij cognitionem deuenimus, sunt mundi creationis, & humani generis redemptionis opus. Quæ duo opera sunt nostræ fidei pręcipui articuli, totiusq; Christianæ doctrinæ præcipua fundamenta, ad cuius cognitionem, quæcunq; hic scribuntur, spectant. Cùm autem fides sit ea, quæ nobis hæc omnia apertura sit, (de hac enim re loquitur Saluator) vt priùs de fide agamus necesse erit: præsertim, quòd ita fiet huius doctrinę primum fundamentum; & ob id primum Symboli fidei verbum est, CREDO.

Sed antequam de Fide agamus, non posse homines in terris dum viuunt sine aliquo fidei genere viuere, docendum priùs est; id est, multa, quæ neque sensibus, neque rationibus percipimus, credere. Quod S. Augustinus in sexto libro suarum Confessionum, cùm narraret miserabilem statum, in quo sua anima versabatur, antequam fidem susciperet, his verbis declarat: Sed sicut euenire assolet, vt malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere: ita erat valetudo animæ meæ, quæ vtique nisi credendo sanari non poterat, & ne falsa crederet, curari recusabat. Sed tu Domine paulatim manu mitissima & misericordissima pertractans & componens cor meum, consideranti quàm innumerabilia crederem quæ nō viderem, neq; cùm gererētur adfuissem, sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atq; vrbibus

quæ

quæ non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus alijs atque alijs, quæ nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus: Postremò quàm inconcussè fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem. Persuasisti mihi, non qui crederét libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus auctoritate fundasti, sed qui non crederent esse culpãdos. Ideoq; cùm essemus infirmi ad inueniendum liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset auctoritate sanctarum literarum, iam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes iam terras auctoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses. Hactenus Augustinus.

Hoc igitur fundamento iacto, minimè fieri posse, vt in terris degatur sine aliquo fidei genere, ad Christianam fidem tractandam particulatim descendemus. Vnde necesse erit docere, quid fides, & quotuplex sit.

Quod igitur ad primum attinet; sciendum est, duplicem esse fidem: altera acquisita, altera infusa dicitur. Acquisita illa est, quæ multis credendi actibus acquiritur: cuiusmodi Mahometanorum, & hæreticorũ est, qui consuetudine credendi suis erroribus sic in illis firmantur, vt penè fieri nõ possit, vt quis tantã habeat vim, qua illos ab ea opinione, quam toties conceperunt, remoueat. Fides autem infusa illa est, quã Spiritus sanctus in Christiani hominis animam infundit; quod fit cõmuniter in Baptismo: in quo vnà cum gratia infunditur, & cùm ea virtutes omnes, quæ à gratia proficiscuntur. Hoc est lumen præcipuum, & supernaturale Spiritus sancti in Christiani hominis intellectum infusum, quo fit propensus homo ad credendũ quidquid Ecclesia credendum proponit, licet rationes, in quibus nituntur, minimè perspiciat. Quod enim ratio efficeret, si adesset, id quadam præstãtiore ratione lumen illud Spiritus sancti inuisibile operatur, quod in sanctorum Martyrum constantia maximè cernitur, & præsertim in nonnullis mulierculis simplicibus, & adolescentulis: qui licet nostræ fidei fundamenta, & rationes ignorarent, tam constantes in ea persistebant, vt pro illius veritate, & confessione, se torqueri, & laniari permitterent. Hoc autem fidei lumen, hanc cognitionem, firmitatem, & constantiam, quam habebant, in illis operabatur.

Sciendũ autem est, quòd licet fides nostra hanc cognitionẽ, & firmitatem habeat, in prima enim veritate, qui Deus est, fundatur, qui nobis, quæcunque credimus, reuelauit: nullam tamen habet rationis perspicuitatem, nullamq; probabilitatem: est enim illarum rerum, quæ omnem rationem superant, vt est sanctissimæ Trinitatis mysterium, Filij Dei incarnationis, cum cæteris articulis fidei, quos nobis reuelare Deo placuit, sine quo minimè fieri poterat, vt eos humana ratio assequi posset. Propter hanc causam Apostolus inquit, fidem esse rerum non apparentium: illarum scilicet, quæ non ratione sola, Heb. 11.
sed diuina reuelatione intelliguntur. Illius autem meritum in eo est, vt nostrum intellectum ita subijciamus, vt fide credamus, quod ratione minimè assequi possumus. Quod idem Apostolus declarat Abrahæ exemplo, cui, cùm Gene. 15.
centum annos natus esset, & eius vxor Sara nonaginta, & sterilis, Deus pollicitus est, se daturum esse filium, quod naturali ratione fieri non poterat. Sanctus autem Patriarcha, licet rationem nõ videret, propter quam huiusmodi fructum speraret, fideliter tamen verbo Dei credidit. Et hæc fides in meritũ,

& ad iustitiam ei reputabatur; quod & illis omnibus vsu veniet, qui huiusmodi fide & deuotione id omne credent, quod Deus nobis reuelauit: vt quò res, quæ nobis credenda proponitur, erit magis ardua, & super omnem rationem eleuata, eò fidei meritũ maius erit. In qua inquit S. Chrysostomus Dei seruitium debere ita firmum, & constans esse, vt licet in ijs, quæ dicũtur à Deo, videatur adesse contrarietas, non tamen debeat ob id eis fidem nõ præstare: & in exemplũ huius Patriarchæ fidem adducit, cui cùm pollicitus esset Deus, ex
Gene.21. illius filio sanè innumerabilem gentium multitudinem nascituram esse, iussit, vt illum, antequam filios haberet, sacrificaret. Quæ autem inter se humano iudicio magis contraria esse poterant? Neque tamen ob hanc causam ille sanctissimus vir diuinæ promissionis fidem amiserat, credens fore, vt filium mortuum resuscitaret, & ita illius promissio adimpleretur.

Ad omnia nostræ fidei mysteria satis est Dei auctoritas, sine rationis inuestigatione, quòd illarum auctor est. Pythagoram, vt Valerius Maximus refert, illius discipuli tanta reuerentia prosequebantur, vt magnum scelus existimarent esse, quæ ab illo didicerant, in disputationem vocare. Quòd si quis rationem eorum, quæ defenderent, ab illis exigeret; nullam reddebant, nisi præceptoris auctoritatem, dicentes: Ipse dixit. Alij dicunt, hanc consuetudinem seruasse solùm septem annorum spatio iuxta liberalium artium numerum. tunc enim illis licebat iam disputare. Quòd si hæc reuerentia erga Philosophum adhibebatur, quantò magis adhibenda est erga illam summam, & primam veritatem, ne sit opus curiosiùs fidei, quàm nobis tradidit, secreta
Num. 4 inuestigare? Quod nos illa figura docuit, cùm iusserit in lege, vt cùm Sacerdotes, vel Leuitæ sacras vestes, & cæteras res sanctuarij inuoluerent, vt ab alio loco ad alium se transferrent, ne curiosiùs aspicerent, antequam inuolutæ essent; quòd alioquin morerentur. In alijs autem rebus, quæ vetabat, dicebat, ne fortè moriantur, qui aliter facerẽt: sed hîc absolutè inquit, ne moriantur.
1.Reg. 6. Quod suo periculo experti sunt Bethsamitæ: nam cùm fœderis arca à Philisthæorum terra ad suam perueniret, voluerũt audaci curiositate, quidquid in illa erat, intueri, quo peccato Deus magnum illorum numerum occidit. Hæc igitur nobis cautio sit, ne in animis nostris curiositatẽ admittamus, cùm velimus humanis rationibus illud inuestigare, quod super omnes rationes est. Vbi enim Deus loquitur, nos ibi debemus humiles reddere, & nostri in-
Ezec. 1. tellectus alas demittere, vt faciebant illa Ezechielis sancta animalia, cùm cæli vox sonabat.

Neque, quòd quæ credimus sint super omnes rationes, aliquis debet existimare, nos leuiter, & sine ratione, aut fundamento, ad credendum moueri. Non enim, quæ credimus supra rationem, sunt huiusmodi, vt ea esse, & satis consona rationi, quæ credimus esse, repugnet: cùm illorum veritas aliquo
Ioan.11. miraculo confirmata cernatur, aut alia re, quæ æquipolleat. Nam qui in Christum Dominum crediderunt, cùm illum resuscitare Lazarum viderũt, optimo iure illi crediderunt. Idem fecit Nicodemus, cùm miracula vidit, quæ faciebat Saluator. Nam cùm miracula sint solius Dei opera, cùm in alicuius veritatis testimonium fiunt, Deus est illius testis, quod testimonium infallibile est. Fides autem & religio nostra tanta miraculorum multitudine approbata, & confirmata est, quodq; magis, tam multis, & claris, & euidenti-

bus

bus Prophetijs, veritate comprobatis, & adimpletis, alijsq; testibus, tum innumerabilium martyrum, tum doctissimorum, & sanctissimorum hominũ, vt iure optimo dixerit Hugo de S. Victore: Vtinam Iudæi & Pagani animaduerterent, quàm tutò nos Christiani possimus ante Dei iudicium præsentari. Nónne vobis videtur, nos confidentissimè dicere posse: Domine, si deceptio est, quod credimus, tu ipse in causa es, vt decipiamur. Talibus enim signis, & prodigijs, quæ credimus, testata & comprobata fuerunt, vt quis alius præter te ea facere non potuisset. Ob id minimè dici potest, nos quadam leuitate, & sine fundamento credere, imò grauissimis fundamentis. Quamobrem rectè inquiunt Theologi, quòd nostræ fidei veritas, neque aperta, neq; euidens est, cùm fides sit rerum non apparentium; sed apertum, & manifestum est, quòd credendæ sunt.

Illud quoque manifestum, quòd fides infusa, de qua loquimur, non vult Deus vt vllo mortali peccato amittatur: sed est eidem fidei contrarium, vt hæresis, vel apostasia est. Cùm enim fides sit totius spiritualis ædificij fundamentum; ob id licet virtutum spirituale ædificium corruat peccato mortali; fidei tamen fundamentum integrum remanet, & cum eo spes fidei socia, licet sine forma, id est, sine vita restent, & sine perfectione, quam charitas illis præstat. Hic etiam animaduertendum est, quòd firmior & tutior custos fidei, est vitæ puritas, & bona conscientia. Nam cùm fides moueat homines ad bene viuendum, si eam otiosam tenemus, neque ad id adhibemus, id de ea fit, quod de equo, qui in stabulo adest, dici solet; & de ferro, quod nisi contrectetur, rubigine corroditur, & se ipsum consumit. Nam ea culpa, quòd nolumus hoc cæli lumen in nostram vtilitatem conuertere, neque hoc talentũ nobis à Deo datum adaugere, permittit ille, vt in aliquem errorẽ incidamus, quo hoc magnum beneficium amittamus. Quamobrem Apostolus nos hortatur, vt cum fide bonam conscientiam coniungamus: illius enim defectu multi eam perdiderunt. 2. Tim. 1.

DE FIDEI DIVISIONE IN FIDEM FORMATAM, ET informem, id est, cum charitate, & sine charitate; & de fidei præstantijs, & proprietatibus. Cap. II.

SCIENDVM autem est, quòd fides nonnunquam est charitatis comes, & tunc dicitur fides formata, fides viua, quòd à charitate vitam recipiat, quæ est velut anima fidei: nonnunquam est sine charitate, & tunc dicitur fides informis, vel sine forma, vel fides mortua, non quòd vera non sit, sed quòd ei deest lumen, & vita, & perfectio, & pulchritudo, quæ ad illam peruenit, cùm charitate accensa & inflammata est. Succinum ferunt per se nullum habere odorem: sed si cum musco permisceatur, ab eo suauitatem odoris accipit, quã habere sentitur; idem in suo genere dicere possumus de fide, cùm est cum charitate sociata: nisi, quòd charitas est virtus (vt ait Apostolus) fide præstantior. 1. Cor 13.

In præsenti autem scire oportet, quòd hæc fides cum charitate copulata, secum quoque coniunctam habet diuinorum præceptorum, ad quę eadem fides nos propensos reddit, obedientiam. Est enim eius propriũ, cùm formata est, hominem ad id genus vitæ propensum reddere, quod illa docet. Et ita cùm

per quam nauigant homines, & charta Cosmographica, qua se regũt. Et per hoc fides eos ad altiorem statum eleuat, quàm naturæ status est. Cùm enim Spiritus sancti lumen in se recipiant, iam in se continent quod humanam rationem superat, & iam in regionem, & in ordinem diuinarum rerum ingrediuntur.

Cùm igitur sint tot, ac tantæ fidei præstantiæ, illud sequitur, præcipuum Christiani hominis studium in eo debere esse, vt, quantum in se situm est, in ea augenda & perficienda versetur. Nam quemadmodum charitas, & spes, & cæteræ virtutes illarum exercitatione, & bonarum actionum meritis augentur, & sic fides augeri solet.

Hic autem notandum est, quòd non charitas sola, sed etiam intellectus donum (qui est ex septem Spiritus sancti donis) fidem maximè illuminat, & perfectiorem reddit. Et quò magis homo est huius intellectus doni particeps, eò maiori euidentia credit, magnam partem obscuritatis, quæ fidei adiũcta est, à se depellens: idq; tanta præstantia, vt nonnullis, qui fidem satis firmam, & illustratam hoc dono habent, iam non fidem, sed aliud lumen, quàm fidem clarius habere videantur. Res tamen aliter se habet: est enim eadẽ fides, eodẽ intellectus dono illuminata, quod quasi alia fidei forma est. Hoc autem donum doctrina eorum, quæ ad fidem pertinent, & illius mysteriorum conuenientia, & quadam quasi consonantia, maximè iuuatur. Hac autem humili inquisitione, & studio veritatis, meretur homo, vt Spiritus sanctus, tum fidei lumen, tum hoc donum adaugeat, cuius officium est veritatem, & mysteriorum, quæ credimus, conuenientiam penetrare: & quò magis ea penetrat, eò firmiùs illa credit, & eò magis ad operandum, & vitam suam illis instituendam excitatur. Cùm autem inter hæc mysteria sit Incarnationis, & Passionis mysterium Saluatoris, & pœna, & præmium, quæ à Deo bonis, & malis adscripta sunt, efficacissima incitamenta, & inuitamenta ad Dei amorem, & timorem, & ad illius præcepta seruanda; illud sequitur, quò maiori firmitate, & magis (vt ita dicã) sensibiliter hæc credit, eò maiori efficacia ad prædicta mouetur. In hunc sensum illa quoque Prophetæ sententia declaratur, quam paulò ante exposuimus: *Quòd iustus ex fide viuit.* Consideratione enim & fide tantarum rerum, quæ nos ad bene viuendum excitant & impellunt, religiosiùs nostram vitam dirigimus. Ex quo fit, vt quò magis nostra fides augetur, eò maiores stimulos habituri simus, qui nos, per hanc cæli viam eundum esse, admonebunt. Abac. 2.

Ex quibus omnibus colligitur, quòd quemadmodum olitor omnẽ suam operam & curam in radices arborum colendas confert, (hoc enim facto, radicum beneficium in ramos, qui ab illis proficiscuntur, statim distribuitur) sic præcipua Christiani hominis cura in eo esse debet, vt hanc omnium virtutũ radicem, quæ fides est, diligentissimè colat. Bene enim culta si est, virtutum rami crescunt, & copiosiores fructus ferunt.

Ad id igitur huius libri doctrina maximè spectabit, quæ est quædam præparatio, & introductio ad fidei Symbolum, quod illius articulos, & mysteria continet. Hic autem vt fidem rationibus confirmemus operam non damus, (cùm in humanis rationibus fides nõ nitatur, imò in Spiritus sancti lumine, vti diximus) sed in eo tantùm versamur, vt fidei præstãtias declaremus, tum

 vt illi-

niones necessitatem: quòd ipsæ per se suis repugnantijs inuicem tolluntur, cùm veritas vnica sit: sed falsitates, quæ à veritatis scopo deuiant, plures esse possunt.

At præter ea, quæ dicta sunt, quod apertius probat Philosophiæ infirmitatem & imbecillitatem ad formulas bene viuendi tradendas, Philosophorum ignorantia de vltimo & perfecto hominis fine est. Quod vt intelligatur, sciendum est, omnes homines, qui sunt, fuerunt, & futuri sunt, nasci naturali cupiditate perueniendi ad aliquem statum ita omnibus rebus instructum, vt nihil sit amplius, quod in illo desiderent, vbi ad eum peruenerũt: & hoc modo immensa nostra cupiditas habendi cesset, quæ quidem auidissima semper fame laborat, habendi aliquid præter ea, quæ habemus, vt ad eum statum peruenire possit. Hunc autem statum, felicitatem, beatitudinem, summum hominis bonum, & illius vltimum finem appellare solebant. Neque minimè fieri posse, quin ad eum statum peruenirent homines, existimabãt: cùm non sit consentaneum naturæ auctorem in nostris cordibus huiusmodi rerũ naturalem appetitum, & desiderium inseruisse, ad quas homines peruenire nequirent; cùm illud compertissimum sit, sine fine proposito, & frustra nihil vnquam agere. Hac autem ratione conuicti Philosophi omnem suam operã, studium, & diligentiam in eo posuerunt, vt intelligerent, in quonam bonorum genere hæc felicitas, & finis vltimus consisteret: cùm illud perspicerent minimè fieri posse, vt rectè suam vitam administrarẽt fine ignorato, ad quem eam dirigerent. A fine autem sumuntur ea, quæ facienda sunt in ijs, quæ ad finem diriguntur, vt ad illum finem perueniri possit. Hoc modo, qui nauigaturus est, priùs debet scire portum, ad quem peruenire contendit, vt ad eum suum iter dirigat. Medicus aliquem ægrotum curaturus, morbi nomen, & qualitatem scire debet, vt ad eum medicinas accommodet. Hoc autem modo, vt hominis vita bene dirigatur, finem vltimum hominis priùs scire oportet, vt omnes illius gressus ad eum spectent. Propter hanc causam Aristoteles in suis Moralium libris, cùm vellet bene viuendi instituta & præcepta tradere, primùm de vltimo hominis fine tractauit, vt eò respiciens suos dirigat gressus, & inde vitæ admonitiones, præcepta, & instituta sumat, quibus illum finem consequi possit.

De Philosophorum erroribus circa vltimum finem.

HOC autem cùm Philosophi, qui se bene viuendi pædagogos profitebantur, intelligerent, in eo omne studium, & operam (vt diximus) posuerunt, vt inquirerent, & cognoscerent, quonam in bonorum genere hic finis cõsisteret. In quo sic à rei veritate aberrârunt, & tam inter se discordes, & dissentientes fuerunt, vt M. Varro (quemadmodum S. Augustinus in libro decimonono de Ciuitate Dei refert) ducentas & octoginta opiniones, inter se diuersas enumeret: in quibus alij, atque alij hunc finem consistere contendebant. Quod non credibile videretur, nisi vir tantę auctoritatis id scriptum reliquisset.

Idem M. Varro (qui tum inter Græcos, tum inter Latinos scriptores celeberrimus habetur) in quo bonorum genere hæc tam desiderata felicitas consistat, statuere voluit. Quare illud primum statuit, hominem neque ani-

quæ illi repugnant, debilioremq́; reddunt? quæ nō solùm nos à dolo liberant, verùm etiam nos admonent, minimè fieri posse, vt per hoc tam turbatum, & procellosum mare nauigemus, nisi nobiscum fuerit Deus gubernator, qui tale vt esset permisit, vt eędem nostræ calamitates & miserię nos ad illum perducerent, nobisq́; declararent minimè fieri posse, vt tutò per tot syrtes, & vada nauigaremus, nisi idem nostrę vitę gubernaculum teneret, & nos ab illis liberaret, vel nobis vim & robur daret, qua nos in illis incolumes perstaremus, cùm (vt inquit S. Gregorius) meliùs nos liberet, cùm patientiam largitur.

Vt autem ad rem redeamus, si præter ea, quæ dicta sunt, ad hanc felicitatem perfecta requiritur sapientia; quot annis, quanto studio opus est, vt illam assequamur? cùm dixerit Plato, fortunatos esse, qui in senectute illam adepti sunt? Cum sapiētia quoq; requiritur perfecta virtus, in hac autem omnes affectiones domitas, & deuictas habere necesse est; quis tam fortunatus erit, qui sine Dei auxilio ad id peruenire possit? Quòd si cum his duabus perfectionibus, quæ tam difficilè acquiruntur, tam multas alias postulant pro corporis bonis, (vt antea diximus) quando, aut vbi hęc omnia reperiri poterunt? Tullius enim inquit: Vix singulę ætates singulos oratores mediocres protulerūt, quòd multę sunt illæ res, quę in perfecto oratore postulantur, quę mira quadam ratione in aliquo viro reperiuntur. Quòd si hę dotes tanta cum difficultate copulantur: longè maiori difficultate coniungentur in vllo, quæ ad beatum hominem spectant, ex quibus si vnica tantùm deest, illius felicitatem tollit? Plus enim hæc potest ad miseriam, quàm aliæ omnes ad felicitatem, & beatitudinem. Hoc ille intimus, & familiaris Regis Assueri apertè demonstrauit, Esther 5. qui cùm esset omnium fortunatissimus, fassus est quòd sibi omni cum Rege familiaritate, cum omnibus suis diuitijs, nihil possidere videbatur, quod Mardochęus se, vt desiderabat, non reuerentia prosequeretur.

Quòd si penè fieri non potest, vt in vllo hæc omnia vnà reperiantur, quisnam felix erit? Quod autem maius absurdum esse poterat, quàm cętera animalia suos fines adipisci, hominem autem solum, propter quem hic mundus inferior conditus fuit, ab illius acquisitione tam longè abesse? Philosophi tamen, qui sic fallebantur, aliqua ex parte digni erant, quibus ignosceretur, aliqua verò ex parte minimè. Venia digni erant, quòd considerando naturalem appetitum, quem homines ad vitam beatam habent, intelligebant fieri posse (vt diximus) vti ad eam vitam peruenirent: & cùm nihil ipsi scirent de beatitudine, quam in futura vita speramus, eam in hac vita inquirere cogebantur: cùm autem viderent ęgritudines, & morbos, quos in omnibus suis bonis habebant, alij in alio bonorum genere felicitatem ponebant, secundùm cuiusq; affectionem, & cupiditatem. Ex altera verò parte non sunt venia digni, quòd tot angustijs septi, à suo Creatore non petierunt lumen, quo veritatem ad nostram vitam tam necessariam sibi compararent; sed temerè suis ingenijs sisi, non solùm existimârunt fieri posse, vt ipsi per se cognoscerent, quanam in re hęc felicitas consisteret, verùm etiam suis naturalibus viribus eam sibi comparare posse, quę altera non minor dementia erat.

Ex his autem tam multis duo cognitione digna colligimus: alterum est, quòd cùm homo possit beatitudinis statum consequi, quem natura appetit, idq́; minimè in hac vita reperiatur; illud necessariò sequitur, fieri posse, vt in

Digitized by Google

futura vita illum consequamur, ne hic naturalis appetitus, à Deo in cordibus nostris impressus, vanus atque inanis sit. Cognitio autem veritatis tanti est, vt Apostolus id Christianæ religionis primum fundamẽtum esse voluerit, cùm
H.b.11. dicat, ad Deum accedentem credere oportet Deum esse, & eorum, qui seruiunt sibi, esse remuneratorem. Alterum (quod ad propositum nostrum attinet) quod hinc colligitur, illud est, humanam Philosophiam, neque ad religionem & Dei cultum nobis tradendum, neque ad certas bene viuendi regulas esse satis: cùm enim nequiremus, quisnam vltimus esset nostræ vitę finis, intelligere, neque quomodo illum assequeremur nobis tradere poterat, cùm à fine mediorum rationes (vt diximus) sumantur.

Ex quo illud infertur, diuinam prouidentiam, quę, vt vniuersa Philosophia fatetur, in rebus necessarijs non deest, iure in hac necessaria re, & maxima omnium deficere non debuisse. Cùm aũt diuina prouidentia nulli animalium, licet minimo, vel ipsę formicæ, desit, illi omnes dotes ad vitę conseruationem parans; qui fieri potest, vt omnium creaturarum nobiliori in omnium maxima necessitate desit? Illud quidem compertum est, quòd nihil homini magis necessarium est, quàm scire quomodo debeat Deo seruire, eundemq; colere, & vnà scire finem, ad quem Deus eum creauit, & per quę ad illum peruenire possit: Philosophi autẽ, in quibus natura maximè apparet, & suas vires posuit magis, quàm in alijs hominibus, hanc maximè necessariam veritatem assequi nequiuerunt, à qua nostræ vitæ gubernaculum pendet. Quamobrem non erat ęquum, Deum hominum generi in hac animæ necessitate deesse; cùm illi ad vsus vitæ corporis necessarios tam multa parauerit. Nam contra illius sapiẽtiæ & prouidentiæ ordinem erat, tantæ curæ sibi esse, quod minoris erat, quodq; maioris, & vt est maioris obliuisci. Hoc autem absurdum cùm in illam infinitam sapientiam, & bonitatem cadere non possit, sequitur, ad eum spectare, vt nobis hanc veritatem manifestaret, à qua tum illius gloria, tum nostra felicitas pendet. Altera ab altera minimè separare potest: cùm ille voluerit, vt (quemadmodum inquit Eucherius) nostrum remedium esset illius sacrificium.

Ex omnibus autem superiùs dictis nihil pręterea colligitur, nisi quòd ad diuinam perfectionem spectat manifestare, & tradere hominibus felicitatis & salutis viam.

Hic autem animaduertendum est, quòd non solùm necessitas, sed etiam amicitia Dei cum bonis superiùs dictam veritatem confirmat. In quo illud credatur, quod inferiùs expositurі sumus, quòd scilicet in Ecclesia Christiana multi fuerũt fortissimi, & sanctissimi viri, tam Martyres, quàm Confessores, Monachi, & Virgines, quorum cum virtutibus si omniũ hominum, vel ipsorum Philosophorum virtutes conferantur, penitus vmbra sint. Quandoquidem illud certum est, quòd Deus suis creaturis minimè desit in rebus necessarijs; sic etiam bonos amat, cùm ipsa bonitas sit, & similitudo sit amoris causa: quòd si ex animo amat, debet illis in necessitatibus auxiliari, & opem ferre; & omnium maxima est animarum salus: hanc autem sine Dei cognitione assequi non possumus, nec quisquam eo modo illum cognoscere potest, vt salutem consequatur, nisi Deus illi eam cognitionem tribuerit. Cùm autem hoc verum sit, sequitur illud, quòd bonis hanc cognitionem Deus tribuerit.

Cùm

Cùm autem concedamus hoc, quòd magis in Christiana Ecclesia non obscurè floruerunt, quàm vllo alio in loco, illud etiam sequitur, in ea veram adesse Dei cognitionem: & ad hanc veritatem confirmandam spectant omnia, quæ in hoc secundo libro tractantur. Ex quo colligitur, in religione Christiana adesse veræ fidei cognitionem à Deo datam, cùm in ea sola tam multi viri boni, & Dei amici fuerint.

DE SECVNDA RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAEstantia, quod est, altè de Deo sentire. Cap. IIII.

PRIMVM & precipuum, quod Christiana religio tenere debet, est, altè & magnificè de Dei maiestate sentire, illi omnia tribuendo, quæ ad gloriam, & omnipotentiam illius diuinitatis spectant, nihil detrahendo, quod illi conueniat: quidquam enim illi detrahere, quod ad illum spectet, vel illi quidquam tribuere, quod non illi conueniat, blasphemia est, quod grauissimum peccatum est: non enim est iniuria hominibus illata, sed Dei personæ, & honori. Quod autem ad hãc partem attinet, nihil magis Deo tribui potest, quàm Christiana religio tribuit. Fatetur enim tam magnam rem esse, vt nihil maius quis imaginari, aut cogitare possit. Fatetur esse infinitum, immensum, incomprehensibilem, ineffabilem, sine principio, sine fine, qui à nulla re pendet, nisi à se solo: cùm omnia quodam modo in eo fixa sint, & ab eo pendeant. Sic ille solus à se suam essentiam habet, & à nullo pendet; sed omnes creaturæ tam cæli, quàm terræ, suam essentiam ab illo habent, & nisi ipse vellet illa esse, nullo modo essent.

Illud quoque fatetur nostra sanctissima religio, hunc omnipotentem Dominum hanc mundi molem, cum omnibus rebus tam visibilibus, quàm inuisibilibus, ex nihilo, solo verbo creasse; suaqúe prouidentia, nullo labore aut defatigatione, administrare. Fatetur quoque, infinitè esse bonum, sapientem, potentem, misericordem, amicum & remuneratorem bonorum, & improborum iustissimum animaduersorem. Fatetur præterea, esse purum actum; quo nomine significat, nihil ad illius perfectiones addi posse, nihilqúe illi neque nouum, neque vetus esse; quòd omnia tam præterita, quàm futura sunt illi præsentia, & vt illi nihil nouum est, ita quoque nihil impossibile. Quòd (vt inquit Propheta) *quidquid voluit Deus fecit in cælo, in terra, & in abysso.* Psal. 134.
Quapropter quidam celeberrimus Theologus dicebat, quòd, cùm disputatio eò perueniret, vt de Dei potentia ageretur, nolebat vlteriùs progredi, quòd sciebat nihil illius omnipotentiæ esse impossibile. Quod ad nostræ fidei mysteria credenda maximè conducit, licet omnem naturæ creatę facultatem superent; quòd, vt Angelus Virgini dixit, *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Lucæ 1.

Fatetur pręterea, eum esse primam veritatem, vnde cæteræ veritates proficiscuntur; & primam causam, quæ vires infundit, & cæteras omnes causas mouet; primam bonitatem, vnde quidquid bonum est originem ducit; primam pulchritudinẽ, vnde cuncta formosa procedunt: primam, & summam perfectionem, vnde omnes creaturarũ perfectiones natæ sunt; quæ omnes in eo solo lõgè sublimiori modo sunt, cũ omnibus alijs, quæ illius propriæ sunt.

Ille

Ille eſt,qui cælum & terram replet, qui vbique adeſt,qui in om[illegible] rebus
intimior eſt,quàm ipſæ in ſe ſint,: illis in ea eſſentia,quam habent,[illegible]ruan-
dis:ille eſt,qui cæli ſtellas numerat,& eas ſuis nominibus vocat;[illegible]mnia
hominum, qui ſunt, fuerunt, & futuri ſunt,corda, & cogitatio[illegible]ſentes
Eccli 39. ſunt. Nam, vt inquit Eccleſiaſticus, *A ſeculo vſque in ſeculum reſpicit, [illegible]ſt mi-*
rabile in conſpectu eius. Ex his autem omnibus perfectionibus (quæ[illegible]mnes
ſunt pares,omnes enim ſunt ſimpliciſſima,& infinita perfectio) ea,[illegible]magis
vult cognoſci, maioris fieri,& magis laudari, bônitas eſt, & ſan[illegible]quam
omnes ſuperni ſpiritus perpetuò laudant atque glorificant,quę om[illegible]ſua-
rum operum primum principium fuit,& ad quam ſe ſuis creatu[illegible]mmu-
nicare pertinet,ſeq; omnibus impertiri,& ſingulis (vt inquit Dio[illegible]) vel-
larum genus capere poteſt. Quare, vt Solis proprium eſt illumi[illegible]ignis
calefacere,& aquæ frigefacere; ſic,imò magis illius incompreh[illegible]s bo-
nitatis proprium eſt benefacere,& omnibus rebus ſe ipſum im[illegible]& ita,
vt nihil amittat ex illis,quæ poſſidet: & hinc illius benignitatis [illegible]ficen-
tia oritur. Homines enim cùm ſibi ſubtrahant,quod alijs dant,[illegible] vt a-
uari ſint:at ille infinitus diuitiarum abyſſus nihil ſibi detrahit,[illegible]is lar-
gitur.Quamobrem,quemadmodum illius omnipotentiæ confi[illegible]os in
fide confirmat,(vti diximus) ſic huius bonitatis contemplatio [illegible] cha-
ritatem accendit, noſtramq; ſpem recreat.

Has omnes Dei magnitudines,& perfectiones fatetur ſanctus [illegible]ſtinus
cum Deo loquens hoc modo: Miſericordiſſime, iuſtiſſime, ſecre[illegible] ma-
nifeſtiſſime,formoſiſſime,fortiſſime, ſtabilis, & incomprehenſibil[illegible]mmo-
bilis,qui omnia mutas; nunquam nouus,nunquam ſenex:ſemp[illegible] ſem-
per quieſcens; colligis, & non eges:omnia quæris,& nihil tibi dee[illegible]; di-
non angeris;zelaris,& tutus es:grauaris,& non doles: iraſceris,[illegible] con-
quieſcis:opera mutas,& in conſilio perſeueras: quidquid inuen[illegible], &
nihil perdis: nunquam pauper,lucro tamen delectaris; nunqua[illegible]us, &
vſuras poſtulas:das aliquid,vt tibi debeatur: & quis tandē Dom[illegible]iquid
habet,quod tuum non ſit? Soluis, quod debes, & nemini debito[illegible]ebita
dimittis,nihil tu amittis. Idem Sanctus in alia meditatione ita in[illegible]it: Fate-
or Domine te eſſe Regem, & vniuerſalem cæli & terrę Dominum. [illegible] per-
fectus ſine deformitate,magnus ſine quantitate,bonus ſine quali[illegible]ternus
ſine tempore,fortis ſine infirmitate,verus ſine falſitate;tu vbique [illegible]ens es,
ſine loci occupatione,& in omnibus intus es,& nulli affixus. Om[illegible]ne ne-
ceſſitate creaſti,& omnia ſine labore regis: omnium es principiu[illegible] prin-
cipio; & omnia mutas, & non mutaris. Es magnitudine infini[illegible]rtute
omnipotens,bonitate altiſſimus,cogitationibus ſecretiſſimus, [illegible]erax,
operibus ſanctus,miſericordijs copioſus; cum peccatoribus pa[illegible]imus,
& cum ijs, quos pœnitet, clementiſſimus. Semper idem es ſine [illegible]ione,
ęternus,immortalis, immutabilis: quem non ſpatium dilatat, [illegible]uitas
reſtringit: quem nec voluntas mutat,nec neceſſitas corrūpit,nec [illegible] per-
turbat,nec lætitia alterat: cui neq; obliuio eripit, nec memoria da[illegible] præ-
terita labuntur,nec futura ſuccedunt: cui nec origo principium [illegible], nec
temporum ſucceſſio augmentum,nec terminus finem tribuit. E[illegible]ante
te ſecula,in ſeculis,& poſt ſecula,cum perpetua laude, æterna glori[illegible] regno
ſine

fine fine. Hæc inquit S. Augustinus, quæ in schola Ecclesiæ Christianæ didicit, in quibus cernitur, quàm magnifica de Dei magnitudinibus sentiat.

Non ita Philosophi, non ita. Quorum partim ab illo prouidentiam rerum humanarum remouerunt; partim libertatem, cùm illis videretur esse agens naturale, & minimè fieri posse, quin id faceret, quod faciebat; partim, eum fuisse rerum corporalium principium, & conditorem: partim nolebant esse vnum, sed plures Deos. Prouidentia verò remota, remouebant vnà bonorum præmium, & malorum pœnam: & hac ablata, auferebant vnà religionem, & Dei cultum: quo negato, statim humanæ vitæ ordo, & dispositio peruertitur. Quod fatetur Tullius lib. 2. de Nat. Deorum, licet gentilis, his verbis: Religione sublata, & Dei cultu, vnà tollitur & fides, & hominum generis societas, & præstantissima virtus, quæ iustitia est. Cuius rei rationem in tertio Officiorũ libro affert, inquiens: Quot homines reperirentur, qui si à Deo supplitiũ non timerent, iniuriam alijs inferre omitterent: cùm intelligerent, se id impunè facere posse? Vt autem hanc partem concludamus, illud affirmo, quòd quatenus ad existimationem de Deo, & recognitionem, quæ in nobis esse debet in illam immensam maiestatem, fieri non potest, vt in vllo reperiatur præstantiori modo, quàm religio Christiana profitetur, ac tuetur.

DE TERTIA RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAESTANTIA, quæ est, æquitas & sanctitas legum, & doctrinæ, quam profitetur. Cap. V.

TERTIVM, quod perfecta religio tenere debet, est legum æquitas, & sanctitas, & doctrinæ, quam profitetur, nihil contra rationis lumen assentiens. Hoc Religio Christiana tanta perfectione tuetur, vt nulla maior excogitari possit. Primùm enim nihil admittit contrarium neque rationis lumini, vt diximus, neque Dei gloriæ, neque proximi bono. In lege veteri, cùm tanta non esset gratiæ copia, aliquam licentiam lex concedebat. Primùm enim dispensabat, vt plures vxores haberent: & permittebat illis, quæ sibi displicerent, libellum repudij dare, ne mala in illas voluntas, aut molestia, quam ex illis sibi contrahebant, esset in causa, vt illas interficerent. Permittebat quoque, vt alienigenæ suos fœnerarentur numos: religio verò Christiana nihil huiusmodi permittit, neque aliud quidquam, quod rationis lumini repugnet, vel naturali legi, quam Deus in hominum intellectibus impressam voluit.

Iubet nobis, vt Deum maximè omnium diligamus, & abhorreamus à peccatis, & illius maiestatis offensione magis, quàm cæteris rebus, à quibus abhorrere possumus. Iubet, vt proximum, sicut nos ipsos diligamus, neque illi quidquam velimus, quod nobis ipsis nollemus; illius secundis rebus gaudere, aduersis dolere; in illius necessitatibus opem ferre, vt huiusmodi temporibus sibi opem ferri vellet. Omnes contumelias prohibet, omne furtum, omne mendacium, omnem dolum, omnem falsitatem, omnem turpitudinem, omnem denique iniuriam, & omne peccati genus non solùm reipsa commissum, verùm etiam mente, & cogitatione: vt illis quasi manus liget, ne cui malefaciat; cohibet cor, ne id desideret; linguam in loquendo moderatur, ne quẽ maledictis lacessat; claudit oculos, ne aliena desiderent.

Præter leges, & mandata, quæ de præcepto sunt, & omnes ad ea seruanda obligant, & ad animarum salutem satis sunt, docet præterea hæc sanctissima religio, & dat mira consilia illis, qui ad perfectionem contendere volunt, & in cælis maioris gloriæ coronam mereri. Ex quibus primum est castitatis perpetuæ, quæ virtus cælestis est, & in cælo habitantium propria; per quam effugit homo multa molestiarum, curarum, & turbationum genera, quæ matrimonij statui adhærent, & perfectioni impedimento sunt. Vt homo castus in vnica cura versetur, quod est sui ipsius custodia; quòd si vxorem duxerit, vxoris onus sibi impositum est, filiorum, & filiarum, quorum morbos, mortes, necessitates, inopiam, & cæteras res aduersas æquè, ac illi, qui eas patiuntur, molestissimè ferunt. Quod paucis verbis à sancto Augustino de Ciuitate Dei allegatis declarauit ille Comicus dicens: Nupsi, & vxorem duxi: quod genus miseriarum in eo statu non sum ego expertus? Nati mihi sunt filij, ecce alia cura. Ex his autem molestijs, & curis, quas matrimonij dicimus, liber ille est, qui solutus viuit, & sic est aptior & expeditior ad Deum, & ad sapientiæ studium, & ad orationis exercitationem, &, vt inquit Apostolus, ad rerum diuinarum considerationem. 1. Cor. 7.

Secundum autem consilium non minùs salutiferum est illud, quod Saluator cuidam studioso adolescenti dedit, inquiens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.* Hoc consilium curis omnibus, & negotijs, & litibus, quæ communiter ad possessiones suas conseruandas, tuendas, & amplificandas necessariæ sunt, liberum hominem reddit; quòd primis fidelibus Hierosolymis, & ijs pariter qui ex Alexandria iuxta lacum Marian habitauerunt, vt Philo historicus nobilissimus refert, primum, quod faciebant, erat de suorum bonorum possessione discedere, & cum hoc ab omnibus curis, quæ illa comitatur, vt omnes libero animo ad diuinarum rerum, & sacrarum scripturarum contemplationem se conferrent. Matt. 19. Actor. 2.

Tertium autem consilium est, benefacere ijs, qui nobis malefaciunt, & Deum orare pro illis, qui nos persequuntur, atque calumniantur: vt hoc modo Patris nostri cælestis filij simus, qui Solem suum super bonos, & malos oriri facit, & super iustos, & peccatores pluit. In hac virtute vult Creator vt se imitemur: illius enim propriū est in peccatores misericordia vti, non solùm illis hæc cōmunia naturæ beneficia impertiendo, verùm etiam illis patienter tolerandis, ad pœnitentiam expectando, & ad se modò beneficijs alliciendo, modò calamitatibus, aut alijs rationibus vocandis. Hac ipsa animi magnitudine vult Creator vt se imitemur; & iniurijs lacessiti ne irascamur, & si malè audimus, ne pro maledictis maledicta reddamus, neque eos vlcisci cupiamus, qui nos vituperant. Imò vult, vt contentio gloria digna sit nobis cum nostris aduersarijs, & quasi quædam obstinatio; qui quò magis in eo perseuerant, vt nobis iniurias inferant, eò nos simus constantiores in eo, vt in illos plura beneficia collocemus: ne aliorum malis vincamur, sed nostro beneficio victores simus, quæ victoria maximam gloriam affert: sic enim facientes carbones ignis congerimus super caput eorum, vt eos nobis conciliemus. Matth 5. Rom. 12 Matth 5.

Simile consilium superiori est, non litigare, imò pallium ei dimittere, qui à nobis sagulum peteret, vt hac liberalitate omnia fugiamus odia, ægritudines,

nes,curas, & perturbationes, quas lites secum trahunt. Ad hanc autem alia maior liberalitas,& animi magnitudo accedit,quod est iniurias condonare, vt si proximus in me septuagies peccaret, toties sim ad ignoscendum facilis, ac clemens.

Aliud est consilium eleemosynæ,atque misericordiæ, non in ijs casibus solùm, qui de præcepto sunt, verùm etiam in alijs. Quod tam est vitæ Christianæ proprium, vt penè omnis doctrina nobis ab illo magistro, qui de cælis descendit,tradita,ad benignitatem,& misericordiam referatur. Et vix reperitur virtus,quæ sæpius nobis commendetur;neque vitium, quod acerbiùs vituperetur,quàm inhumanitas,& crudelitas. Quod tam verũ est,vt cùm causas aperiret,per quas in illo horribili Iudicij die sit prolaturus finalẽ sententiam pro bonis, & in improborum supplicium , non alias enumeret causas,nisi opera misericordiæ bonorum, & malorum inhumanitatem, & defectum,illam sententiam subiungens, quòd,quidquid factum est vni ex minimis pauperibus, sibi factum sit; & quod illis factum non est,sibi factum non sit. Hoc autem sic ille dicit, non quòd cæteris actionibus cum virtute factis præmium non tribuatur,& vitiosis supplicium; seu vt nobis significet,quantum ab inhumanitatis peccato abhorreat, & quantũ virtutem misericordiæ diligat,quę tam est illius propria,vt omnes illius actiones præcedat. Etenim maximè Dei proprium est, in miseros pium esse,afflictis opem ferre, in malè affectos misericordem esse,multos iuuare,& vniuersim omnibus benefacere. Vix vllum præsentius remedium ad animę morbos curandos, vel efficacius ad Dei misericordiam consequendam,reperiri potest, cùm Saluator dixerit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*.Contrà verò ait S.Iacobus, fore sine misericordia iudicium in eum, qui misericordia non fuerit vsus.Ex quo fit,vt Christianæ perfectionis amatores omne suum studium in hoc opere ponant,& quantum in se situm est,in eo inuigilent. Christiani homines vitę communis in hac virtute non satis largi sunt: eo enim contenti sunt,si suas reliquias benignè tribuunt; & quando aliud dant, id facere solent vel propinquis,aut amicis,aut ijs,à quibus sperant vt par gratia sibi referatur.Perfectionis verò sectatores,quod sibi opus est,cum pauperibus communicant,& libentiùs illis tribuunt,à quibus,quòd tenuissimi sunt, & ab omnibus derelicti,nihil sperare possunt.Tandem nonnulli fuerunt Sancti,qui cùm in sacris literis huius virtutis præstantiam legerent, tanti eam fecerunt, & tanto amore prosecuti sunt, vt vbi nihil amplius habuerunt, quod alijs tribuere possent,se ipsi venderunt,vt calamitatibus oppressis pretio suæ libertatis opem ferrent.Quę autem religio tam pium consilium dat, tam vtile, tam necessarium ad hominum vitam,& in perpetuis rebus aduersis tam præstans remedium?

Matt.25.

Matth.5.
Iacob 2.

Aliud consilium vitæ Christianę maximè proprium (cuius vix aliquod vestigiũ quidem in Philosophorum doctrinis reperitur)est,assiduè,& diu in oratione inuigilare; quæ toties nobis tum in Euãgelio,tum in S.Pauli epistolis cõmendatur,vt idem Apostolus homines in omni loco orare velit, puras manus ad Deũ tendentes.Ex armis aũt,quibus cõtra hostẽ vtimur, hæc præcipua sunt,semper in spiritu orare.Saluator quoq; dixit,quòd sine intermissione orare oportet,& vt id nobis persuadeat, tria exẽpla affert singularia. Pri-

1.Tim.2.

Luc.18. mum carnalis patris est, qui huiusmodi filio petenti aliquid, quo indigeret, non negaret: Alterum amici, qui amici rogantis importunitate de lectulo surrexit, & quidquid petijt, illi tribuit. Aliud mirabile exemplum ab iniquo iudice sumit, qui nec homines, nec Deos timebat; tamen cùm quędam vetula illi sæpe petendo esset importuna, quidquid petijt, illi concessit. Cum hoc autem iudice illa immensa bonitas comparatur, vt nostra diffidentia vincatur, cùm inquit, quòd si ille, licet tam improbus esset, nequiuit petenti negare; quantò minùs illa infinita bonitas negabit, si humilibus & pijs orationibus illi fuerimus importuni? Ex quo illud colligitur, quod maximam consolationem & confidentiam affert, quod est, maximopere velle nobis concedere, qui tam multis verbis & exemplis nobis iubet, vt petamus.

De hac exercitatione pauca intellexerunt Philosophi, & pauciora scripserunt. Nam (vt diximus) speranti felicitatem & beatitudinem obtinere vnà cum medijs ad eam necessarijs, idq; naturalibus viribus, (vt deinde Pelagiani dixerunt) non ei opus erat oculos ad cælum extollere, & diuinæ gratiæ auxilium, & fauorem postulare: Christianus verò, cùm humanæ naturę infirmitatem propter illud commune peccatum cognoscat, sciatque tam ad malum propensam esse factam, tamq; parum ad bene agendum accommodatam, vt per se ne cogitare quidquam possit, quod Deo gratum sit; in eo sua omnia posita esse decernit, vt perpetuò voces suo Creatori fundat, vt animæ suæ morbos, & affectiones sanet, nouumq; spiritum, & fauorem, vt illius sancta

Psal.120. præcepta seruare possit, inquiens cum Propheta: *Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* & in

Psal. 24. alio loco: *Oculi mei* (inquit ille) *semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.*

Hęc fuit pręcipua exercitatio eorum fidelium, qui primi in Hierusalem

Actor.2. crediderant: qui, vt scribit S. Lucas, quotidie in templo in orationibus perseuerabant. Horum exemplum secuti sunt illi, qui postea successerunt. Quemadmodum & Plinius Secundus Traiano Imperatori scripsit, inquiens nullam aliam culpam in Christianis inueniri, nisi quòd diluculo in vnum conueniebant, vbi laudabant Christum, quem Deum esse existimabant. Hæc tandem illa exercitatio est, quæ vsque ad hodiernum diem à perfectionis amatoribus maximè colitur; ad quam duę causæ inter multas alias illos impellunt, vna, quòd nihil inueniunt magis accommodatum, vt à seipsis recedant, quàm ad Deum proximè accedere; nam quatenus in illo sunt, à seipsis absunt: (cùm

1.Cor.6 Apostolus dicat, quòd ad Deum accedens fiat cum eo vnus spiritus) altera est, vt in eo perpetuò sint, quo à Deo auxilium petant, vt illius gratię fauore operari possint, quod natura corrupta per se operari non potest. In hanc sententiam S. Augustinus in suis Meditationibus cum Deo loquens inquit hæc deuotissima verba: In te Domine diu cogitem, in te dormiendo noctu somniem, tecum loquatur spiritus meus, tecum semper versetur anima mea. Beati illi, qui nihil aliud amant, nihil aliud quęrunt, & nihil aliud quàm te cogitare sciunt. Beati, qui in te omnem suam spem posuerunt, & illorum vita est perpetua oratio. Hęc Augustinus. Propter hãc causam inter alios valde honestos

1.Pet 2. titulos, quot S. Petrus Apostolus Christiano populo tribuit, vnus est, eos sacerdo-

cerdotium regale vocare. Nam vt sacerdotum munus est, in orationibus, & in diuinis laudibus se continere, sic vult, vt Christianus pro statu, & conditione sua se in hac exercitatione contineat.

Ex dictis colligitur, quòd vita Christiana, cùm perfecta est, tota cælestis & diuina est. Primùm, quòd hoc vitæ genus à Deo traditum fuit, vt superiùs diximus. Deinde, quòd eius præcipuum studium est, cum Deo agere atque versari, cùm illius operum, & beneficiorum mirabilia in animo euoluit. Præterea, quòd quidquid huiusmodi Christianus agit, solùm ad gloriam Dei dirigit. Postea, quod & maximum est, quòd hoc vitæ genus non solis humanis viribus tenetur, sed diuinæ gratiæ fauore & auxilio, & Spiritus sancti assistentia. Propter hanc causam præcipuum Christiani hominis officium est, hoc auxilium petere, vt virtutes excitare possit, vt passim in Psalmis regius Propheta petit, & in illorum vno, cùm ita inquit: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo. Duc me in semita mandatorum tuorũ, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.* Hoc modo ille sanctus vir, cùm suam cognosceret infirmitatem, à Deo præcipuum auxilium petit, vt hanc vitam viuere possit. Et ad hæc, vt hæc vita supernaturalis est, sic etiam præmiũ supernaturale est, quod in futura vita pollicetur, quæ summi boni gloriosa, & beatifica visio est. In quo facilè cernitur, q̃ hoc vitæ genus in omnibus partibus cæleste, & diuinum est. Quibus rebus omnibus caruerũt Philosophi, quorũ virtutes, & felicitas in humanis tantùm viribus nitebantur. Hoc ipso, cùm ita sit, quid præstãtius, quid altius, q̃d diuinius Christiana religione, quæ hoc vitæ genus tradit, & huiusmodi consilia nobis dat, reperiri potest? Psal. 118.

DE QVARTA RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAEstantia, quod est, eam solam Sacramenta habere, quæ gratiam tribuant. Cap. VI.

QVARTA præstantia religionis Christianę propria est, solã habere Sacramenta, quæ gratiam conferant. Quamobrem hic supponẽda est communis infirmitas, quã humana natura propter peccatũ, vt diximus, patitur: quæ tam magna est, tamq; vniuersalis, vt verbis explicari non possit. Vt tamen aliquã illius partem intelligamus, oculos in vniuersum terrarũ orbem conuertere, & quemadmodum homines viuant, intueri, satis est. Cùm enim homo rationalis creatura sit, & illius maximè propriũ naturæ sit ex legibus viuere, (quod est virtuti congruenter viuere) videmus, quàm pauci homines viuant ex Christianis, vt hæc lex præcipit; & quàm multi, imò innumerabiles sint illi, qui hac lege neglecta, ex perturbationibus viuunt, quod proprium beluarum est. Huius autem rei causa est, quòd propter peccatum amisit homo ordinem, & fœdus, quo Deus illum creauit: qui in eo consistebat, vt appetitum rationi, vt rem minùs perfectam perfectiori subijceret. Hoc autem fœdere rupto, remansit noster appetitus ita contumax, ita furiosus, ita ad omnes voluptates, & suas vtilitates propensus, vt secum vniuersum terrarum orbem trahat. Et licet homo sit intellectu, & voluntate ornatus, quæ potẽtiæ spirituales sunt, & ita desiderijs vitiosis, & sensuũ resistant: huius tamen appetitus vis atque vio-

lentia tanta est, vt quemadmodum primũ cœlũ omnes inferiores cælos secũ trahit, licet & ipsi alijs moueantur motibus cõtrarijs: sic nostræ carnis appetitus, nisi diuina gratia cohibeatur, totã hanc interioris hominis machinam ita secum trahit, vt ipsa ratio, quæ illi obsistere deberet, fiat illius socia: & omnẽ artem, industriã, atq; solertiã adhibet, vt quidquid voluptatem afferat consequatur, & quidquid ad carnis suæ commoditatem, & desideriũ refertur, adipiscatur, & ita ratio, quæ præesse debet tanquam domina, suæ seruæ subijcitur.

Hoc autem loco sciendũ est, quòd hic tantus morbus sola virtutis doctrina non sanatur: homines enim communiter non ignoratione boni, vel mali, sed sui appetitus peruersione, peccant. Ex quo Sapiens inquit: Video meliora, proboque, sed deteriora sequor. Et alius inquit: Laudatur virtus, sed nemo illam sequitur. Quod tam verum est, vt eadem Dei lex in monte Sinai data tanta maiestate, tanto terrore, & præterea illis tot ac tantis promissis, qui eam obseruarent, tam horribilibus minis illis qui non seruarent; ita exiguam vim habuit ad illius populi mores corrigendos, cui data fuit, vt ex duodecim tribubus, quæ erant, decem post Salomonis mortem à Dei cultu defecerint, & ad Idolorum cultum se contulerint, & in hoc multis annis perseuerarint, quoad à Deo derelictæ fuerunt, & euersæ, & captiuæ in diuersas terras perductæ fuerunt: reliquæ verò duæ ex alijs cùm periculum non facerent, aliarum vestigia secutę sunt; & vt illæ in captiuitatem perductę fuerunt.

Huius rei ratio illa est, quòd lex scripta tantùm intellectum illuminat, vt bonum & malum cognoscat; nec boni tamen amorem, nec mali odium nobis tribuit. Meum intellectum illuminat, sed meum appetitum non sanat. In alia parte morbus est, at lex, quę medicina est, in alia versatur. Lex viam in cælum mihi ostendit; sed vires non tribuit, quibus ad id possim contendere. Bonæ doctrinę cibum mihi apponit; sed illius edendi mihi appetitum non excitat. Et non solùm illa lex scripta non erat satis, vt nostri appetitus (qui peccata excitat) morbum curaret, sed aliqua ex parte augebat. Sic enim natura comparatum est, vt quę nobis vetãtur, ad eorum cupiditatem magis rapiamur. Et ita inquit illa stulta fœmina in Prouerbijs: *Aqua furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.* Et propter hanc causam Apostolus inquit, quòd illa lex scripta non solùm non erat peccatorum remedium, sed magis excitabat ea: non legis culpa, quæ sancta erat; sed nostri appetitus peruersitate, qui à bono capiebat occasionem, vt in malo augeretur. In quo cernitur, quàm grauis, & lethalis esset morbus, in quem se hominum genus coniecerat. Peior enim status, ad quem aliquis morbus peruenire potest, est, cùm non solùm ex medicinis nullum consequitur beneficium, sed in dies peius se habet. Huiusmodi autem erat hominum generis spiritualis morbus, vt vel ex medicina venenum sibi contraheret, & sua medicina morbum adaugeret; cùm ex lege, quæ in peccatorum remedium data fuerat, sequebatur, quod vetabat, maxima vetiti cupiditas.

Prou. 9. Rom. 7.

Propter hanc igitur causam, cùm Dei opera sint perfecta, & illius prouidentia cum suis creaturis in rebus necessarijs nõ desit, multoq; minùs homini ad suam imaginem & similitudinem creato; non erat consentaneum, vt in tam necessaria re, vt hęc est, deesset, sine qua frustra quidem tam nobilis creatura

tura creata esset; quoniam sine huius morbi remedio nō ex ratione, vt homo, sed ex appetitu, vt beluæ viueret. Hoc autem remedium pollicitus est Deus hominibus apertissimis verbis, cùm per Hieremiam dixit: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum: non secundùm pactum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum vt educerem eos de terra Aegypti. Sed hoc erit pactum quod feriam; Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & homines à Deo erudientur.* Hæc sunt Dei verba per Prophetam suum. Hoc igitur erat præcipuum remedium, cuius noster morbus maximè indigebat, quod est à Dei Spiritu erudiri; qui per sua dona, & suam gratiam nostras purificat animas, & nostri cordis duritiam mollit, nostram infirmitatem reficit, nec solùm nobis tradit, quid faciendū, sed (quod magis ad rem facit) & faciēdi desiderium, & vires, quibus id faciamus, tribuit. Hoc illud est, quod significat, Deum suam legem in cordibus nostris scribere, generando in illis ardentem Dei, suorumq; mandatorum amorem, & vnà in peccata capitale odium. Hæc tanta gratia in aduentus Saluatoris in mundum tempus reseruabatur, qua nos dignos facit, per illud omnium maximum suæ passionis sacrificium. Ex quo sanctus Ioannes dixit legē à Moyse datam; at gratia & veritas à Christo facta fuit.

Hier. 31.

Ioan. 1.

Vt autem ad rem nostram redeamus, hæc est propria, & singularis Christianæ religionis præstantia, quòd sola Sacramēta habet, quæ sunt instrumenta, per quæ hic nouus spiritus, & gratia tribuitur. Cùm autem sint plures animæ necessitates, plura quoque sunt Sacramenta, quæ illis remedium afferūt. Quemadmodum enim humanum corpus primùm nascitur, & natum crescit; & nutritur, & sæpe in morbos incidit: sic & in anima huiusmodi mutatiōes fiunt. Primùm enim in vitam nouam nascuntur, & veterem à se depellunt: & ad hanc mutationem Baptismi sacramentum conducit, à quo in nos illa infunditur gratiæ aqua munda, quæ tam perfectè omnes abluit sordes, & vitæ præteritæ peccata, vt nihil ex illis reliquum sit, quod rationem culpæ habeat: quemadmodum in re, quæ ex altera generatur, vt pullus ex ouo, nihil ex eo, ex quo generatur, reliquum est. Propter hanc causam hoc Sacramentum vnà cum culpa pœnam illi debitam tollit. Aliud Sacramentum est, quo reficiuntur vires spirituales, & in fidei confessione constantes redduntur. Aliud est ad nutriendam, & sustinendam in vita bona animam, & vt in illa augeatur, & perficiatur, quod est Altaris sacramentum, quod est cibus & nutrimentum, non vt corpora, sed vt animæ pinguescant; non corporalis vitæ, sed spiritualis, quæ est diuina vita: non temporalis vitæ, vt illa, quæ à corporali cibo proficiscitur, sed æternę vitæ. Talis enim cibus talem vitam tribuit. Quāobrem vt puer crescit, & quotidie carne, & viribus, lactis nutrimēto augetur: sic anima pia proficit in virtutibus, & augetur in vitę spiritualis viribus, huius diuini cibi frequenti vsu. De effectibus autem, & virtutibus huius diuinissimi Sacramenti postea dicemus.

Aliud Sacramentum est, quod tanquam animarum medicina est, quæ in suo quoq; genere vitę morbis, vt & corpora in suo, affici solent. Vt autē huiusmodi morbi sanētur, cęli medicus maxima cum misericordia, & prouidētia Confessionis sacramentum ordinauit, suæ Ecclesiæ ministris potestatem tribuens, vt hos morbos curare possent. Et quoniam post graues morbos solent

nou-

Digitized by Google

nonnullæ reliquiæ præteriti morbi superesse, ad has quoq; tollẽdas extremæ Vnctionis sacramentum ordinatur, & vt homines quoque in hoc vltimo, & periculoso animæ à corpore discessu adiuuarentur. Reliqua duo Sacramenta ad duos hominum ordines, qui in Ecclesia sunt, referuntur: alterum coniugatorum, alterum Ecclesiasticorum est: & quia in vtroque statu adsunt sua munera, obligationes, atque pericula; duo Sacramẽtorum genera ordinauit Saluator, vt præcipuum fauorem, & gratiæ auxilium accommodatum, & ex altera parte respondẽs necessitatis remedio, & obligationibus, quibus hi duo hominum status tenentur. Nostræ enim salutis auctor noluit in sua Ecclesia vllam adesse necessitatem, quæ præcipuo remedio careret. In quo quidẽ cernitur, hanc religionem esse perfectam, & à Deo institutam; cæteras verò omnes mancas, & imperfectas esse: cùm hæc vnica, quidquid ad nostram salutẽ necesse est, omnino complectatur. Horum autem Sacramentorum efficacia, & virtus posteriùs videbitur, cùm de effectibus, quos hæc sanctissima religio in nostris animabus operatur, tractabimus.

DE QVINTA RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAEstantia, quod est fauor magnus, quem virtuti pollicetur, & odium, maximumque supplicium, quod vitijs minatur. Cap. VII.

EX præcipuis rebus, quas vera & perfecta lex continere debet, est, bonis maximè fauere, & improbos supplicijs coercere. Cùm enim legis finis sit, vitia coercere, & radicitus tollere, & homines studiosos reddere; propter hanc causam necesse est, vt virtus multa priuilegia, fauores, & præmia consequatur; vitiũ autem vituperetur, & in odiũ trahatur, vt homines alterius amore, & alterius timore, à vitio abhorreant, & virtutem amore prosequantur. Propter hanc causam multi sapientes dixerũt, præmium, & pœnam, esse duo pondera, quibus humanæ Reipub. horologium tunc concordabat, cùm neque improbis supplicium, neque bonis præmium deerat: vt quò lex plura huiusmodi instituta haberet, eò perfectior esset. Quod autem attinet ad primum caput, quod eloquentiæ flumen satis esset ad fauores, præmia, & maxima inuitamenta, quæ Christi religio & lex ante oculos bonorum proponit, tam in hac, quàm in futura vita; & odia, & supplicia, quæ improbis minatur, vt narraret? Qui hæc ad vnguem scire vult, sanctam legat scripturam, & facilè intelliget in tribus consumi: aut enim iubet, aut pollicetur, aut minatur. Iubet aut consulit, quod facere debemus; præmia ijs pollicetur, qui illud seruant: minatur ijs, qui frangunt: ex his autẽ tribus, quod iubet, parum est; sed quod pollicetur, aut minatur, multum est. Historiæ autem sacræ vtriusq; veritatem ostendunt. In libro, quem de peccatorum Duce conscripsimus, duodecim præcipua priuilegia notata sunt, quæ Deus in hac vita bonis concessit, præter gloriæ beatitudinem, quam illis in futura parauit: ad quem locum reijcio illum, qui hæc scire vellet.

Zach. 2. Quid autem dicam de dulcissimis verbis, quibus idem Dominus in sacris scripturis fauorem, & protectionem suam bonis pollicetur? In eos dixit, qui tetigerit eos, tangit pupillam oculi sui, & quòd semper oculos suos in illos dirigit,

rigit,& suas aures in illorum orationes: quodq; semper eos in sinu suo, & bra- Psal. 31.
chijs tenet. In eos, inquit, quòd mandauit Angelis suis, vt eos in manibus suis Psal. 90.
portent, ne fortè offendant in lapidem pedes suos; ne si cadant, lædantur,
quodq; ille supponet illis manum suam, in quam cadent: quodq; potest faci- Psal. 33.
lè mater suorum filiorum obliuisci; nunquam tamen fore, vt se suorum ob- Psal. 49.
liuio capiat; quodq; ipse illorum singula ossa dinumerauit, quodq; nullum Psal. 36.
illorum frangetur. In sancto quoque Euangelio inquit præterea, quòd omnes
illorum capitum capillos enumerauit, quodque ne vllus quidem illorum
peribit. Luc. 21.

Quis autem non videt, quantopere his verbis virtuti faueatur? Hoc idem
illud est, quod in Euāgelio pollicetur, cùm inquit: quòd, qui huius vitæ bona Matt. 19.
corporalia reliquerit, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. At
fortasse aliquis dicet, quomodo fieri potest hoc, cùm multi ex ijs, qui sua bo-
na pro Deo reliquerunt, in hac vita pauperes vixerint, & mortui sint? Ad id
respondetur, Deum ijs, qui sibi seruiunt, non præmium tribuere huiusmodi
numis, qui ex metallo satis vili facti sunt, & quibus homines vtuntur: sed
alios numos spirituales & diuinos largitur, qui dignitate suæ amplitudini re-
spondent, huiusmodi scilicet mercedem, & gratiæ dona, vt verè dicere potu-
erit Propheta: *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.* Quod non Psal. 36.
solùm verum est ratione excessus, qui est inter temporalia & spiritualia: sed
etiam quòd hominibus maiorem afferunt voluptatem, maiorem quietem,
quàm si totum mundum possiderent; vt qui hos fauores sortitus sit, verè di-
cere possit, centuplo pluris valere quod acceperit, quàm quod pro Dei amore
reliquerat. Hoc respondit quidā sancti Bernardi discipulus, qui propter ipsi-
us prædicationes maximam potentiam reliquit: & in hora mortis fassus est,
se centuplo pluris lætitiam de spe suæ salutis æstimare, quam Deus tunc sibi
tribueret, quàm quidquid reliquerat. Hoc sanctus Franciscus etiam respon-
disset, licet & pauper & nudus esset. Quare cùm ipse summa hyeme esset satis
malè vestitus, & vestes satis leues haberet, & quidam illius frater illudens di-
ceret ei; Huius tui sudoris guttam mihi vende: Sanctus ille vir respondit; Sa-
tis magno pretio meo Domino vendidi.

Hi, & alij huiusmodi fauores, qui paucis verbis enarrari non possunt,
sunt gratiæ, & bona bonis viris in hac vita promissa: sed alterius vitæ merce-
dem quis verbis assequi poterit, cùm Apostolus, qui eam viderit, id narrare
non ausus sit? Scimus tamen fore, vt sit illius maiestati congruens, qui cùm
summus Rex sit, eius diuitijs nullum pretium par reperiri potest: cuius mer-
ces sic digna est, quæ ab omnibus expectetur, vt (teste sancto Augustino) si ne-
cesse esset quotidie noua perferre ac perpeti tormēta, & diu ipsas inferni pœ-
nas luere, id omne esset satis probè susceptum, vt tot, ac tantis bonis frue-
remur.

Ad hanc autem mercedem, cui non deerunt verba, quibus cætera incita-
menta, quæ Christiani homines habent, vt à vitijs abhorreant, & virtutem
ament, narrare possit? Hic enim innumerabilia Sanctorum, Virginum, Con-
fessorum, Martyrum exempla numerantur, qui se laniari permiserūt, vt ne
hora quidem vel in peccato, vel in sui Creatoris odio versarentur. Ad hæc
autem quàm magnum sit inuitamentum, & incitamentum, quod in Domini

 passione

Digitized by Google

passione habemus, tam ad huius Domini amorem, quàm ad peccati odium, quis intellectus capere poterit? & quæ eloquentia satis erit, vt id explicare valeat? Ex quo perspicitur, quàm multi sint non solùm fauores, verùm etiam inuitamenta, & excitamenta, quæ Christiani habent, vt virtutem complectantur.

Contrà verò, quàm multæ sint minæ, & odia, quibus oppugnat vitia, & damnat, neque paucis, neque multis verbis explicari potest. Qui horum aliquid scire desiderat, caput 28. Deuteronomij legat, vbi tam magnas & horribiles minas inueniet, & plagas, quibus Deus ijs minatur, qui suam legem non seruauerint, vt stupidus & attonitus fiat; eiq; ostendent, quàm magnum malum peccatum sit, & quanto odio Deus illud prosequatur, quantoq; rigore illud puniat, quod idem in cap. quinto & sexto Ezechielis inueniet. Præterea in memoriam sibi reuocet magna supplicia, quibus ab initio mundi Deus peccata puniuit, quorum omnes historiæ sacræ plenæ sunt: cùm legatur populi sui vnicum diffidentiæ peccatum quadraginta annorum exilio in deserto puniuisse, vbi nihil habebat, in quod oculos conuerteret, vt neque Moysis oratio, neq; eiusdē populi pœnitentia satis esset ad hanc sententiā reuocandam. Hic prætermitto primorum nostrorum parentum supplicium, quòd Deo nō obedierint. Taceo vniuersalis diluuij pœnā ꝑpter peccata missi: missum facio supplicium propter illius pulcherrimi Angeli superbiam, propter quam omniū dæmonū pessimus factus est; & pariter Hierusalem euersionē, quæ ad nostrum vsq; tempus perdurat; Babyloniæ, & Niniues, aliarumq; magnarum vrbium, quæ propter peccata funditus sublatæ fuerunt: hoc enim esset nunquam ad finem peruenire. Satis illud sit addere, quòd præter hæc supplicia, inferni quoque pœna illis parata est, quæ perpetua futura est, in qua in æternum versabuntur infinito bono orbati, quæ est Dei beatifica visio: & ad hanc pœnam, quę damni dicitur, in corpore & in animo ignis tormenta patientur, ignisq; non spiritualis, (vt quis inanis homo suspicari posset) sed verè ignis materialis sicut hic noster, licet alias habeat proprietates, quòd ille non occidit vt hic, sed animas torquet, quod hic non facit. Id igitur cùm ita se habeat, qui fauores possent promitti virtuti maiores, aut vitio maiora supplicia, quàm quæ dicta sunt? Quod quidem omne, quàm magna sit hæc pars Christianæ religionis præstantiæ, quæ tam multa bona virtuti, tam multas minas & supplicia vitio pollicetur, facilè declarat.

DE SEXTA RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAEstantia, quæ est illius perpetuitas, & constantia in omnibus ab initio mundi seculis. Cap. VIII.



SEXTA religionis Christianę pręstantia est, quòd antiqua, & perpetua, & cōstans est, quę prædicta fuit à Prophetis ab initio mundi, & figurata, & in hoc vsque tempus perseuerat. Nam licet in lege gratiæ multa mysteria nobis Dominus exponeret, qui in hunc mundum non solùm venit, vt esset nobis redemptor, verùm etiam doctor noster, atque magister, vt Prophetę testantur: tamen illi crediderunt, & prophetizârunt, quidquid hic cælestis præceptor apertiùs cum nouæ legis gratiæ mysterijs nos docuit. Propter hanc causam semper

Isa. 35. Ioel. 2.

fides

fides vna fuit, quæ per omnes mundi ætates cucurrit, licet tam multis modis oppugnata sit. Quis enim verbis consequi posset, quot tormentorum machinis, nunquam auditis, nec animo quidem conceptis, existimabant mundi Monarchæ deijcere, & in exilium ab hominum cordibus hanc fidem mittere? Post hoc autem quot rationibus humanis tentârunt hæretici illam euertere? At illa semper in eadem puritate perseuerauit, tanquam firmus in mari scopulus, qui omnes vndarum & ventorum impetus negligit. Omnes autem hæretici cum omnibus suis hæresibus, tanquam fumus euanuerunt, & in nihilum redacti sunt: ipsa tamen integra remansit, quòd supra firmam petram fundata erat, quod diuinum propugnaculum, atque protectio est. Propter hanc causam inferni portæ, quæ sunt omnes dæmonum vires & artes, & totius mundi potentia, non præualuerunt aduersus eam, quod illius veritatis maximum argumentum & indicium est. Nam (vt diximus) veritas semper simplex est: at falsitas, quæ à recta via declinat, multiplex esse potest. Quod facilè conspicitur in miseris nostra memoria hæreticis: ex quibus, licet non multos ante annos inceperint, tamen centum, & decem & octo sectæ surrexerunt, longè inter se differentes, quæ iam plures sunt, quàm Babyloniæ linguæ fuerunt. Inde illud est, quod de quodam Germaniæ Principe narratur, qui interrogatus, quam fidem nonnulli illius finitimi populi profiterentur; respondit, superiori anno quoddam genus fidei professos; sed nescire se, quam illo anno profiterentur. Hæc est mendacij conditio, vt fit inconstans, & varium, quod quàm longè à sanctissima nostra religione absit, facilè cernitur.

Mirum autem illud est, zelum videre, quo in omni ætate fuerunt affecti Ecclesiæ Patres in hac fidei puritate & sinceritate cõseruanda. Ad omne enim dubium, quod in ea excitatur de aliquo articulo, statim vniuersale Conciliũ cogendum curant, in quo omnes Prælati conueniunt, vbi omnes congregati, Spiritus sancti gratia inuocata, maximo pondere, & concordia hoc dubium pertractant, & quod tenendum, & credendum sit, decernunt. Neq; hoc contenti, Ecclesia statuit iudices in his, quæ ad fidem pertinent, qui nulla alia in re se implicant, nullamq; aliam causam exercent, nisi eas, quæ ad fidem spectant. Quod omne non solùm à diuina prouidentia proficiscitur, quæ per media tam accommodata Ecclesiam gubernat; sed etiam, quia vis & pulchritudo veritatis suos splendentes radios emittit, quibus se ipsam probat, ac iustificat, & eo amore suos obseruatores afficit, vt huiusmodi zelũ suæ intactę puritatis habeant.

Nullus huiusmodi zelus, neque hoc prouidentiæ genus in Sectis, ac falsis religionibus, quæ in terris ortæ sunt, cernitur. Ob id admirabatur S. Augustinus, cùm videret omnes Philosophos inter gentiles suũ sibi fingere Deũ, & religionem, prout illorum imaginatio & voluntas sibi persuadebat, neque ob id aderant leges, quæ id prohiberent, aut supplicio coercerent. Solus Socrates morte multatus fuit, quòd vnum Deum profiteretur, & cęteros negaret: & Anaxagoras Athenis in exilium eiectus fuit, quòd Solem splendentem lapidem esse dixit. Quod S. Augustinus valde admiratus est. In ea enim ciuitate Epicurus maximo in honore habebatur, qui animarũ immortalitate tollenda, & cum ipsa diuina prouidentia, & felicitatem hominis in voluptate

Digitized by Google

ponendo, omne religionis genus peruertit. Ad quid enim debebat homo in virtutem incumbere, si Deus nihili virtutem faciebat, & idem animæ cum corpore esset interitus? Sed licet huiusmodi error esset tam pestiferus, hic tamen immanis Philosophus nihil vnquam passus est; imò multos sectatores, & fautores huius blasphemiæ habuit. Quid autem de Plinio dicam? qui in Naturali historia ad Vespasianum Imperatorem scripta statim in ipso initio prouidentiam negat, & animæ immortalitatem proponit, quo omnem religionem & Dei cultum peruertit. Nam si neque in hac, neque in alia vita aliquid mihi à Deo sperandum est, cur Deum colerem? Et licet librum ediderit cum hac tanta blasphemia, nemo tamen ei dixit, Malè dicis; neque ob id vllam iacturam fecit. In quo illius Sectæ vanitas cernitur, & illius participes eam parui facere, cùm nihil penè illius causa laborarent. Maximi thesauri maxima cum diligentia custodiuntur, at qui non ita custodiuntur, id eò fit, quòd paruo habentur.

Neque Iudæi in suæ religionis veritatem eo zelo erant affecti. Inter eos enim Sadducæorum Secta honorabatur, qui tam rudes erant, tamq; sensibus dediti, vt nihil aliud crederent, quàm quod sensibus percipi posset: & ita negabant Angelos, & spiritus, & in primis mortuorum resurrectionem, qua negata, illud sequitur, quod Apostolus concludit: Si mortuorum resurrectio non speratur, edamus, & bibamus, quòd cras moriemur. Neque Mahometani in suæ Sectæ veritatem ita zelabantur. Auerroes enim Aristotelis Commētator Mahometanus erat, & animæ immortalitatem negabat, quod religionem penitus tollit, & inquit præterea Aristotelem de vltimo hominis fine, & felicitate meliùs tractasse, quàm Mahometum. Quòd Aristoteles hominis felicitatem in præstantissima suarum actionum, hoc est, in Dei contemplatione posuerit: Mahometus verò in sordidissima, hoc est in cibo, & potu, & in puellis virginibus, fingens Paradisum locum, vbi pessimæ omnium fœminæ versabantur. Quòd autem hic scelestus homo videbat fore, vt ventris excrementa ibi multa essent, vbi multum ederetur & biberetur, ne fimi montes in cælo esse diceret, dixit hæc excrementa, & immunditias per sudorem euanescere. Quid autem hoc magis risum mouere potest? In quo cernitur, quòd in hac re non vsus est metaphora, aut alia figura, (vt nonnulli Mahometani prudentiores dicunt, quòd sui Paradisi turpitudinis pudet) sed ipsa, vt illa verba sonant, intellexerunt, existimātes nullum alium adesse cibum suauiorem, neque qui posset magis homines voluptati deditos ad se trahere. Qui error ita ferus est, & ita Philosophiæ cōtrarius, vt huic tam magno Philosopho necessariò credendum esset, Mahometum verum prophetam non fuisse, sed deceptorem, cùm in suo Alcorano tam turpem Paradisum posuerit. Neque propter hanc causam hi Philosophi, vel accusati, vel damnati fuerunt: quod contra in religione Christiana fieri perspicitur; cùm non permittat ne titulum quidem imminui illius fidei, quam profitetur, vt igne non comburatur, qui eam violare tentat. Quod maximum illius veritatis indiciū est, cùm ipsa (vti diximus) dignitate propria, & pulchritudine efficiat, vt tanti fiat, & tanto zelo Christiani homines in eam sint affecti.

1. Cor. 15.

DE SE-

DE SEPTIMA RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAESTANTIA, *qua est Scriptura sacra, in qua nititur, dignitas.*

Cap. IX.

SEPTIMA religionis Christianæ præstantia, est sacræ Scripturæ dignitas, & puritas, quæ nos ad bene viuendum hortatur, & impellit, nobisq; regulas & recordationes præbet, quibus nos Deo gratos, & acceptos reddamus. Vt autem de fructibus, & laudibus huius scripturę agamus, necesse esset tot libros conscribere, quot & ipsa habet; quilibet enim suam propriam laudem meretur. Sed vt hanc rem percurramus; incipiamus à quinque Moysis libris legis, & ex multis rebus, quæ in illis sunt, illa maxima consideratione digna sunt, videre quot inuentionibus vsus est ille Propheta, qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, vt ad diuinam legem seruandam illos homines induceret. Primùm enim quadraginta dies ieiunauit, in monte cum Deo versans, & ab eo hanc legem in tabulis lapideis eiusdem Dei digito scriptam impetrauit: ex quo fiebat, vt maiorem auctoritatem & existimationem sortiretur. Iussit deinde, vt has duas tabulas in testamenti arca seruarent, supra quam erat propitiatorium, quem locum maximè omnium ille populus venerabatur. Post hæc mirabiles fauores, & secundas res pollicitus est illis, qui legem seruarent; ijs verò qui frangerent, execrationes, & minas tantas adiunxit, vt illas legentes tantùm penitus contremiscant. Præterea iussit populo, vt ingressus in promissionis terram in monte Hebal nonnullos erigeret lapides, & eos calce equaret, & apud illos altare erigeret, & in ijs lapidibus clarè & distinctè Dei legem scriberet, vt omnes illac transeuntes viderent legem scriptam, quam seruare oportebat. Ad hanc autem diligentiam aliam maiorem addidit: iussit, vt illorum quisque in suis vestibus haberet zonas cæruleas, in quibus stimulos & monumenta legis, quam debent seruare, haberent. Et ad hæc aliam adhibuit diligentiam, iussit, vt duodecim tribus in duos vicinos montes distribuerentur; sex in alterum, & in alterum sex: & Leuitę præcipuè execrationes & minas in non seruantes legem proferrent, & vniuersus populus singulis execrationibus responderet, Amen: hoc modo, Maledictus, qui facit aliquod Idolum, & in domo sua abditum tenet; & populus respondebat, Amen: Maledictus, qui patrem & matrem non honorat; & populus respondebat, Amen: Maledictus, qui mœchatur; & populus respondebat, Amen. Hac ratione prosequitur execrationes eorum, qui cętera mandata fregissent, hac tanta solennitate, & duodecim tribuum concursu, vt harũ execrationum ratione, & huius Amen, Amen totius populi, maximo timore afficeretur populus, si in illã culpam incideret, qua esset his timoribus obnoxius. Et tanquam id omne esset parum, horum mandatorum studium, & custodiam commendat amicioribus verbis, quàm commendari possint. Inquit enim: *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostijs domus tua.* Hęc sunt Prophetæ verba. Quis ergo ex his omnibus non intelliget, quanti fit, Dei legem seruare, quam homo sic Spiritu sancti plenus tam multis modis, & rationibus commendabat? Non enim is, qui tam multa sciebat, tantus

Exod 24. Deut. 10. Deut 27. Num. 15. Deut. 27. Deut. 6.

fuisset in ea commendatione, nisi certò sciret, quanti facienda esset: ipsi enim compertissimum erat, hac lege seruata, omnem prosperitatem, & omnia bona nostras domos ingressura; sin contrà, omnia mala. In ijsdem legis libris illæ duæ tam celebres Dei perfectiones, misericordia, & iustitia, facilè cernuntur. Misericordia ostenditur maximis fauoribus, quos huic populo fecit, tam in Ægypti exitu, quàm in toto itinere vsque ad terræ promissionis acquisitionem. Quamobrem dixit Moyses, Deum illum populum duxisse, atque

Deut. 1 perduxisse, quemadmodum pater paruum filium in sinu suo gestare solet: contrà verò iustitia in flagellis, quibus eum puniebat, cùm mandata egrederetur, & nullum peccatum impunitum relinquebat: in tantũ, vt semel, quòd idolum Phogor adorârunt, vnico die vigintiquatuor millia hominum ferro

Num. 25. occisi fuerint. Præterea quasi id parum videretur, omnes populi principes suspendendos voluit, quòd huic peccato non obstiterunt. In quo harum Dei perfectionum magnitudo facilè cernitur, quæ sunt misericordia, & iustitia; & ita, vt neque iustitia misericordię, neque misericordia iustitiæ impedimento sit. In quo, quàm sit Deus admirabilis, & perfectus in vtraq; virtute, omnibus compertum est.

Homo autem si hinc ad sacras historias se conuerteret, in illis huius virtutis perfectionem cerneret. In illis enim inueniet tum maximas prosperitates, & fauores à Deo bonis factos, improbis verò flagella, & calamitates tantas ad eorum punitionem, vt maximam tum admirationem, tum timorem afferat: & ostendat quanta beneuolentia Deus prosequatur bonos, & quantũ ab improbis, quatenus improbi sunt, abhorreat; tum quanti faciat virtutem, quantoq; odio sibi vitia sint. Et ne huius rei multa proferam exempla, in vnico rege Dauid vtrunque cernitur. Fauores, quos illi dum Dei fuit amicus fecit, potentias, diuitias, victorias, quas illi tribuit, mercedes, quas illi pro suis posteris pollicitus est, quis exornabit? Contrà verò, cùm mandata egressus est, alterius vxore vsurpanda, quibus flagellis eum puniuit? Primùm enim vbi ille Deo contumax fuit, sic permisit, vt totum illius regnum ab illo

2. Reg. 15. deficeret, & arma in illum ferret, vt eum cum regno vita priuaret, quę vltima calamitas est, quæ regi cõtingere possit. Ex quo Hierusalem exire coactus fuit, & cliuum cuiusdam montis vnà cum suis, & nudis pedibus, & capitibus tectis, & lugẽdo ascendere: vbi quidam ex inimicis in montis latere eum contumelijs afficiebat, tyrannum illum vocans, alterius regni vsurpatorem, sanguinis effusorem, quodq; propter illius scelera Deus in eum tãta supplicia im-

2. Re. 3. 11. mittebat. Et præterea propter vxorem sui subditi, quam ipse clàm violauit,

2. Re. 16 permisit, vt proprius filius coram omnibus decem illius cõcubinas violaret; & propter subditum, quem occidendum curauit, prętre ex adulterio nati filij mortem, decem illius filij ferro interierunt, & propter vnius mortem, illius scilicet, qui à patre defecit, tanto dolore affectus fuit, (quòd in mortali peccato eum mori, & ad inferos descendere videbat) vt multis lachrymis, & sin-

2. Reg. 18 gultibus professus fuerit, se libentiùs voluisse mori, quàm illius filij mortem videre. Id autem omne passus est post diuturnam pœnitentiam, & multas lachrymas propter illud peccatũ effusas. Quòd aliàs superbia vanus factus ius-

2. Reg. 24 sit omnes gentes, quę in suo regno ad bellũ idoneæ essent, numerari, vnico die septuaginta millia subditorũ interfecit Deus, & plures interfecisset, nisi multa

vila-

vi lachrymarum, & gemituum, seque morti offerendo pro illis, Deum placatum reddidisset. Qui has legerit historias, facere nō poterit, quin videat quantopere debeat homo Deum amare, & virtutem sectari, cui tam multa bona parata sunt; & vitium odio prosequi, quod tam multis flagellis, & calamitatibus punitur. In quo facilè apparet, nobis magis conducere sacras literas ad Dei cognitionem, quàm vniuersam hanc mundi fabricam; cùm illius bonitatis, & iustitiæ, & amoris, quo in bonos, & odij, quo in improbos affectus est, distinctiùs cognitionem afferat, quàm tota mundi fabrica. Quæ cognitio nos maximè in huius Domini amorem, & timorem excitat.

Sequuntur statim Psalmi, qui docent, quo modo debeamus Deum laudare, illi gratias pro beneficijs acceptis agere, in nostris necessitatibus ab eo auxilium petere; & apertiorem illius cognitionem nobis tradunt, cùm illius operum præstantiam, tam naturæ, quàm gratiæ; de quibus penè omnes Psalmi tractant, nobis ob oculos ponunt, vt in nostris cordibus in illius maiestatem tum amorem, tum timorem, tum reuerentiam excitent, quę sunt ea, in quibus summa Christianæ Philosophiæ apertè consistit: in duas enim res distribuitur: quarum altera est, Creatoris cognitione nostrum intellectum erudire: altera, illius nominis amore & timore inflammare, & afficere. Quarum prima ad secundam ordinatur, tanquam ad finem, & rem magis præcipuam. Sola enim Dei cognitio, nisi & voluntas ei cognitioni respondeat, parum nobis prodesse potest. Ad hanc ergo voluntatis partem tanquam ad maximè pręcipuam, Psalmi maximè conducunt. Propter hanc causam Ecclesia voluit, vt illi nobis in ore versarentur diu, noctuque, & cum ipsis cubitum discederemus, cum ipsis è lecto surgeremus, cum ipsis pranderemus, atque cœnaremus; vt hac continua exercitatione semper ignem igni, lumen lumini, & deuotionem deuotioni adderemus, & ita semper Creatoris amore & timore augeremur.

De libris Sapientiæ, Prophetis, & Euangelio.

POST Psalmos sequuntur libri, quos Sapientiales dicimus, de quibus nihil aliud dicam, nisi eos esse Philosophiam moralem, non ab Aristotele, aut Platone, sed à Spiritu sancto ordinatam, in qua sine Diuisionibus, Definitionibus, Syllogismis, sine opinionum varietate docemur, quomodo nostram vitam ipsi regere debeamus, tum rebus aduersis, tum secūdis: vbi tot adsunt admonitiones, tot consilia, vt nulla pars vitæ sit, quæ suis præceptis, & doctrina careat. Per illos inducuntur homines multis rationibus ad iustitiam, & quibus actionibus ad eam perueniamus, traditur; quæ est totius Christianæ Philosophiæ summa. Quos libros, qui sibi bene viuendum censent, semper in sinu gestare deberent: in ijs enim lumen pro intellectu, pietatem pro voluntate, medicinam pro vulneribus, & doctrinam salutiferam pro vita sua inuenient. Adest præterea in illis alia præstantia, nullum scilicet in illis dari versum, in quo non vtilissima sententia adsit. In alijs autem libris nonnūquam necesse est multa percurrere folia, priusquam aliquid inuenias dignum, quod memoriæ commendetur; hìc autem nihil non vtile est: nulla periodus, quæ non salutiferam sententiam, & pretiosam margaritam cōtineat. Quamobrem hi libri quasi totius sacræ scripturę quædam recapitulatio esse videntur.

Pro-

Prophetæ deinde sequuntur, qui de futuris rebus verba faciunt. quorum præcipuũ munus est, maximos fauores illis promittere, qui Dei legem seruauerint; & maximas calamitates, & supplicia ijs minari, qui eam fregerint: vt in omnibus illorum scriptis perspicitur, & præsertim in cap. quinto & sexto Ezechielis, de quibus antea mentionem fecimus: in quibus videbit lector tam magnas Dei minas in improbos, vt licet lapideum cor haberet, perterritus & attonitus fieret. Quarum rerum altera (quę promissiones sunt) contendunt Prophetæ hominum corda ad Dei, & virtutis amorem conuertere; altera verò (quę minæ sunt) ad iustitiæ timorem, & peccati odium. Quòd si quis in illis rectè philosopharetur, inueniret profectò nõ minùs minas, quàm promissa, ad Dei amorem homines excitare: cùm vtraq; ab eadem radice proficiscantur, quę est immensa Dei bonitas, ad quam non minùs pertinet ab improbis abhorrere, & eos supplicijs coercere, quàm probos diligere, & beneficijs afficere: cùm autem vtrunq; illius summæ bonitatis magnitudinem ostendat, & hic sit nobis maior stimulus, & incitamentum ad Dei amorem, illud sequitur, nihil esse, quod nos magis ad illum amandum excitet, quàm horribiles illius minæ, & promissorum magnitudo.

In eadem Scriptura alio quodam modo diuinę bonitatis magnitudo, & illius desiderium salutis hominum facilè apparet; cùm tot Prophetas longo temporis ordine miserit, vt illorum peccatorum magnitudinem, & iram, & supplicia, quæ illis, nisi se emendarent, parata erant, penitus manifestarent. Neque satis illi videbatur, id grauissimis verbis declarare, sed nouas artes excogitabat, quibus id apertissimè exhiberet. Hieremiæ iussit, vt catena collo suspensa iret, vt hac ratione carceres, & captiuitatem prę se ferret, quam suis peccatis perpessuri erant: & coram illis ligneum labrũ frangeret, vt eorum euersionem ob oculos poneret. Isaiæ verò iussit, vt nudus iret, & rationem ostenderet, qua futurum erat, vt captiui in suorum hostium terras perducerentur. Ezechieli quoque mandauit, vt sibi barbam raderet, & illius pilos in tres partes distribueret; quarum primam coram populo combureret, alteram concideret in minutas particulas, tertiam in aerem dispergeret, & contra eam ensem corriperet, vt hac ratione flagellorum varietatem, & calamitatũ, quibus futurum erat vt populus afficeretur, ante illorũ oculos poneret. Hæc omnia nobis declarant, ex altera parte Dei bonitatis magnitudinem, qui tam multis rationibus operam dat, vt homines à peccatis alienos reddat, & iræ suę pœnam proroget: ex altera verò, suæ iustitię magnitudinem, quæ quod minatur efficit, nisi homines à suis sceleribus se arcerent.

Hier. 17. Isa. 20. Ezech. 5.

Inter alia autem Spiritus sancti vis admirabilis est, & eloquentiæ magnitudo, qua hi diuini viri Dei offensiones vituperabant, & amplificabant. Legat, si quis vult, prima quatuor capita Ieremiæ, & si quæ Rhetorum præcepta tenuerit, videbit quomodo hic maximus orator Spiritu sancto edoctus hanc Dei causam contra improbos tanta eloquentia tractet, ijs verbis, tantis exclamationibus, tanta tum figurarum varietate, tum rationum, modò illecebris, modò minis, modò aliarum nationum exemplis, modò ob oculos illorum idololatriæ turpitudinem ponendo, & vnà diuina beneficia, vt neque Tullius, neque Demosthenes tantã figurarum varietatem, aut sententiarum, vt hic Propheta, adhiberet. Eloquẽs sine eloquentia, artificiosus sine artificio, quòd

Spiritus

Spiritus sanctus illius præceptor erat, qui primùm tantarũ calamitatum cognitionem ei tribuit, deinde verba, & eloquentiam ad illorum sensus explicandos accommodatam. Et vtrunque ita humanas vires superat, vt homo ad id peruenire minimè posset, præsertim, qui in humanis scientijs non fuerit eruditus, (vt communiter Prophetæ erant) nisi Spiritus sancti plenus fuisset, qui tanto illum dolore afficiebat, tantamq; illi sensum tribuebat ob scelera commissa, & vna verba, & figuras, quibus, quod sentiebat, exprimere valeret.

Doctrinam verò sacrorum Euangeliorum quis laudare ausus erit, vel pro rei dignitate laudauerit? Cęteras enim doctrinas Deus nobis dedit per suorũ seruorum os: sed hanc per vnigenitum Filium suum nobis dedit, qui missus fuit in mundum doctor atque magister: in cuius labijs, inquit Propheta, ratione præstantię illius doctrinæ Spiritus sancti gratia sparsa fuit. Primum autem, quod in illa est animaduertendum, est illius sanctitas, & puritas; quæ statim illas permissiones, & licentias sustulit, quas lex concedebat: vt est, plures habere vxores, & illis libellum repudij dare; & exteris nationibus fœnerari, vt superiùs diximus. In hac doctrina videbimus, quàm iure Isaias Propheta inter alia nomina Christum vocauerit Consiliarium: futurum enim erat, vt re & verbis ea nobis consilia traderet, quę suprà demonstrauimus, in quibus vitæ Euangelicę perfectio consisteret. In hac eadem doctrina dicit beatos pauperes spiritu, misericordes, mansuetos, pacificos, mundos corde, iustitiæ fame & siti laborantes, quod est, faciendi quod debent, vt suo Creatori seruiant; qui sua, & aliorum peccata lugent; qui persecutiones patiuntur, maledictiones, iniurias, vt legibus & iustitiæ pareant. Hic commendatur, nimias parentum affectiones, propinquorum, honorum, dignitatum, & omnium huius caducę vitæ bonorum moderari ac cohibere. Hic amor sui damnatur, & sanctum sui ipsius odium, malarum scilicet propensionum, commendatur. Hic Christus Dominus docet, quomodo debeamus carnem tanquam captiuam & pessundatam ducere, vt spiritus legibus congruenter viuamus, cùm inquit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam.* Hic iubet nos habere columbæ simplicitatem, prudentiam serpentum, agnorum mansuetudinem, & puerorum humanitatem. Hic maximè nobis commendat intentionis puritatem in bonis operibus, quæ facimus; & omni diligentia inanis gloriæ periculum fugiamus, quod permagnum est; vires enim adipiscitur, vt ijs bonis operibus, quæ facimus, nos tenet. Hanc autem recordationem nobis dat, cùm ieiunabimus, cùm orabimus, & cùm eleemosynam dabimus; cùm nolit sinistram manum scire, quid dextera faciat: nobisque in primis consulit, vt eis benefaciamus, à quibus gratiæ relationem minimè sperare possimus.

Psal. 44.
Isa. 9.
Matth. 5.
Lucæ 9.
Matt. 10.
Matth. 6.
Matth. 6.

Neque satis illi fuit viam ad cęlum nobis verbis ostendere, sed hic tanquam in lucidissimo quodam omnium virtutum speculo, & præsertim humilitatis, mansuetudinis, humanitatis, patientiæ, misericordię, fortitudinis, zeli glorię Dei, doloris miseriarum nostrarum, desiderij salutis, & in primis charitatis seipsum nobis repræsentat; quæ vbi multas calamitates passa est, tandem vsque ad crucem peruenit. Hic videbimus, quomodo Deus semper

 se omni-

se omnipotentem ostenderit in aliorum morbis, & necessitatibus curandis, & Ioan. 8. hominem infirmum in suis iniurijs propulsandis, nonnunquam se à suis inimicis abscondendo, nonnũquam ab illis fugiendo, vt cũ in AEgyptum aufugit, & cùm in desertum cum discipulis suis secessit, vt iræ suorum aduersariorum cederet. In quo nos docet, quàm validi, atque largi in proximos esse debeamus, & quàm in nos ipsos debiles, & auari. His virtutibus se nobis offert tam dulcem, tam amabilem, & tam suauem; & iisdem nobis ob oculos posuit sui æterni Patris conditionis, & virtutis perfectissimam imaginem: qualem enim se hic ostendit Filius, talis & Pater est, non minùs amabilis, non minùs facilis, & misericors in humiles; nec minùs seuerus in superbos, & sceleratos.

Matth. 2. Ioan. 11.

De S. Pauli Epistolis.

NEQVE verba satis sunt, quibus doctrinæ Epistolarum sancti Pauli præstantia explicetur. Primùm enim illud verè dici potest, eum Euangelij interpretem, & commentatorem fuisse. Sancti enim Euangelistæ tantummodò nostri Saluatoris vitæ, & passionis historiam simplicibus verbis, veritatis amicis, narrant, ijs omissis, quibus possent illud mysterium, & beneficium commendare. In hunc autem firmum, & planum cantum misit Deus de cælo hoc organum, hunc diuinum cantorem, qui Angeli voce ita hunc percurreret cantum, vt inde tantos eliceret cõcentus, tamque suaues, vt animas purgatas, & ad hanc mysteriorum magnitudinem intelligendam accommodatas, maxima voluptate perfundat, & mira suauitate ad se alliciat, atque trahat.

Hinc enim primùm illius infinitæ bonitatis diuitias, & æterni Patris misericordiam nobis aperit, qui altissima ratione, vt filii sui incarnatione, & passione, nobis remedium afferre, nos honorare, à mortuis ad vitam excitare, & in sua gloria secum nos collocare voluit. Hinc dicit: *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam nos saluos fecit.* Hinc Christi charitatis in pauperes magnitudinem nobis declarat, quæ vsque eò peruenit, vt mortem subire voluerit, non solùm pro iustis, verùm etiam pro peccatoribus; non solùm pro amicis, verùm etiam pro inimicis, & pro ijsdem, qui illius sanguinem effuderunt: ob id nos ad eum amandum, qui tantopere nos dilexit, & pro tanto beneficio agendas illi gratias inuitat. Hinc etiam in nobis sanctum & necessarium timorem excitat, si in eo negligentes essemus, vt hoc remedium, & tantam salutem nobis à Deo missam, in nostrum vsum minimè conuerteremus. Hinc quoque spem nostram reficit, & confirmat, inquiens, quòd vbi Deus suum nobis Filium dedit, nihil fore, quod nobis per illum neget; quòd qui dat, quod maius, & ita maius est, & quod minus est, & tantò minus, non negabit. Ad hanc autem eandem virtutem, & simul ad charitatem nos inuitat tunc, cùm totius inæstimabiles gratiæ diuitias nobis commendat, & bonorum, quę ad nos per Christum peruenerunt; quem dicit esse nostrum aduocatum, nostrum propitiatorium, nostrum pontificem, & sacerdotem, nostram sapientiã, nostram iustitiam, (id est, nostræ iustitiæ causam) nostram sanctificationem, & redemptionem. Hinc efficit, vt summo odio peccata prosequamur, cùm ipsa in causa fuerint, vt Christus Dei filius crucifigeretur. Et propter hanc causam inquit,

Tit. 3.

quit, quòd qui sceleribus se obstringunt, pro se iterum Christum crucifigunt. Hinc nos hortatur, vt nostram carnem castigemus cum omnibus suis vitijs, & appetitibus, vt ex aliqua parte ei respondeamus, qui suam crucifigi voluit, vt nobis remedium afferret. Propter hanc causam idem Apostolus inquit, se nihil aliud nisi Christum, & eum crucifixũ scire: quòd ex eo, has, & alias huiusmodi lectiones discebat, quibus & se ipse, & vniuersum mundum ædificaret. Et propter hanc causam dixit, se nulla in re nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi gloriari: in qua tantum lumen, tantam sapientiam, tanta solatia, tot Dei amoris stimulos, tantam fortitudinem, vt molestiam pro eo sufferret, & tandem tantas gratiæ diuitias inueniret, vt nihil amplius huius mundi fauores, aut persecutiones faceret, quàm hominem crucifixum, aut mortuum faceret. Ex his omnibus concludit, & explanat, quanta sit huius mysterij excellentia, cùm inquit: Facilè cernitur, quàm magnum sit hoc pietatis sacramentum, quod apparuit in filij Dei carne, & humanitate, & Spiritus sancti auctoritate iustificatum fuit, & Angelis reuelatum, & gentibus prędicatũ in mundo creditum, & tandem in gloriam delatum. 1.Tim. 3.

Hic est igitur ille concentus, quem hoc Spiritus sancti organum in illum firmum simplicis historiæ Euangelij cantum fecit, ex eo tam multis rationibus extrahendis, quibus Deum cognosceremus, in eo omnem nostrum amorem & spem collocaremus, & vt virtutem nostris studijs complecteremur, à sceleribus abhorreremus, & nostram carnem mortificaremus.

Hîc autem animaduertendum est, quòd cùm doctrina Christiana duas partes habeat; alteram, quę de Christi mysterio tractat; alteram, quæ de nostræ vitæ institutione; (quam doctrinam moralem dicimus) in his duabus facultatibus hic Apostolus gentibus doctor datus admirabilis est. Doctrinam autem, vt plurimum, in fine singularũ Epistolarum tractat. Cùm autem hæc doctrina eò magis iuuet, quò magis ad particularia descendit; propter hanc causam, quomodo debeant parentes cum filijs se gerere, & hi cum parentibus, mariti cum vxoribus, vxores cum viris suis, domini cum seruis, serui cum dominis, prælati cum subditis, subditi cum suis prælatis, præcepta tradit. Hîc quoq; docet, cuiusmodi esse debeant Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, & Ecclesiæ ministri. Hîc tradit, quales esse debeant mulieres matrimonio iunctæ, quales virgines, quales viduæ, & quomodo illis in suis necessitatibus succurrendum sit. Illud maximè animaduertendum est, quàm accommodata præcepta, & consilia his omnibus personarum generibus tradat, vt vir Spiritu sancto edoctus. Diuitibus iubet, ne extollantur, neq; in suis diuitijs, sed in Deo confidant. Senibus consulit, vt in cibo, & potu temperantiores sint, ne ætatis vitio, quod ab eorum infirma ætate proficiscitur, laborent. Viduis consulit, vt dies, noctesq; in orationibus se contineant, vt hac ratione in Deo illud reperiãt, quod in maritis perdiderunt. Hoc pacto in singulis hominum generibus illud animaduertit, quod ad eos maximè pertinet.

Ex dictis colliget Christianus homo aliquid de huius sanctæ Scripturæ præstantia. Aliud autem singulare indiciũ ad id Saluator nobis præbet, in ijs verbis, quibus ad populum loquitur: Si quis voluerit voluntatem Patris mei facere, videbit meam doctrinam illius esse, qui me misit. Quibus verbis nobis significat, iudicem incorruptum, & sine suspicione veritatis & præstan- Ioan. 7.

tiæ doctrinæ illius, esse hominem, qui in eo inuigilat, vt Dei voluntati seruiat, illius mandatis fideliter custodiendis. Nam quemadmodum ad ciborum saporem iudicandum palatum sanum requiritur, sic huiusmodi quoque debet esse animæ palatum, vt doctrinæ sapor dignoscatur: quod si contrà, vt ægrotus, qui palatum corruptum habet, & malis humoribus affectum, ciborum saporem non rectè iudicat; sic homines corruptis & perditis moribus, qui scelera diligunt, & virtutem oderunt, bene viuendi doctrinam non rectè iudicant, quæ quidem illorum malos mores, improbamque vitam damnat. Nam superbus humilitatis doctrinam approbare, castitatem voluptatibus deditus, mansuetudinem impatiens, charitatem inuidus, liberalitatem auarus, certè nullo modo potest. Quare legimus Pharisæos Saluatorem contra illorum auaritiæ peccatum prædicantem irridere, quòd ipsi hoc vitio maximè laborabant. Propter hanc causam bonus veræ doctrinæ iudex, necesse est, sit virtute præditus, cui animæ palatum sanum sit: & huiusmodi vult Saluator vt suę doctrinæ iudex sit. Nam si ante oculos huiusmodi hominis ponerentur omnes totius orbis terrarum leges, quæ sunt, quæque fuerunt, luce clariùs videret Christi doctrinam esse veraciorem, spiritaliorem, sanctiorem, & rationis lumini, quam in animas nostras infudit Creator, congruentiorem, magis Dei cultricem, hominum studiosiorem, magis inimicam & contrariam carni, & omnibus illius appetitibus, quàm quæcunque vnquam in mundo fuerunt. Homo igitur virtute præditus sit huius causæ iudex, & nostra doctrina ante illius tribunal in iudicium venire non verebitur.

Lucæ 16.

In his autem omnibus, quę hactenus dicta sunt, facilè conspicitur, quàm magna sit Christianę religionis pręstantia, quod est, doctrinam tam salutiferam, tam catholicam, & admirabilem habere ad nostrę vitę informationem. Cum hac autem laude, aliam quoque habet, quæ est illius veritas & sinceritas. Nulla enim scriptura inter Philosophos inuenietur, licet sit vel Aristoteles, vel Plato, quos antiqui duos mundi oculos existimârunt, vbi non aliqui errores reperiantur, quibus nostra philosophia penitus libera est. In quo videtur illa doctrina esse humana, & ob id erroribus scatens, vt ipse homo est; hæc autem diuina, cum nullo errore deturpata sit.

Ad hanc autem laudem alia accedit, quę est admirabilis veteris testamenti cum nouo concordia, in quo cernitur, quòd quidquid ibi promittitur, hic pręstatur. Quod argumentum non minorem vim habet ad probandum hanc doctrinam esse à Deo reuelatam, quàm superiùs adductum. Quod cùm ita se habeat, quid est ad hanc aut Iudæorum Thalmud, aut Mahometanorum Alcoranus, qui libri tum fabularum, tum nugarum pleni sunt?

In hoc autem florum viridario, qui nunquam pallidi fiunt, poterit homo virtute præditus deambulare, & flores odoratos, & salutiferos colligere, qui sunt sententiæ, & doctrinę, quibus se suo Creatori gratum & acceptum reddet. Hæc illa mensa est omnibus cibis instructa, de qua inquit Propheta: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* In hac autem mensa pastum pro anima sua, doctrinam pro vita, medicinam pro vulneribus, remedium pro tentationibus, solatium in rebus aduersis, cùm omnia (vt idem Apostolus ait) quę scripta sunt, ad nostrã institutionem scripta sint, vt consolatione, & patientia, quã Scripturę nobis tradunt, in spe ęterni boni augeamur. Hic tamen

Psal. 22.

Rom. 15.

tamen animaduerto, non omnia pro omnibus esse, sed pro humilibus tantùm, & pro illis, qui iam in doctrinæ catholicæ studio, & cognitione profecerunt.

DE OCTAVA CHRISTIANAE RELIGIONIS PRAESTANTIA, *quæ est vitæ puritas, quam in illis efficit, qui eam profitentur, & obseruant.* Cap. X.

LIAM proprietatem, & præstantiam habere debet Religio, & lex, si perfecta, & verax est: hoc est, debet illius professores bonos efficere, & virtute præditos reddere. Idem enim iudicamus de religione, & de lege, quod de omnibus artibus, quæ in humana vita adhibentur. Meliorem nautam illum vocamus, qui melius nauem gubernat; meliorem Medicum, & medicinam, qui meliùs curat morbos, & ęgrotos ad pristinam valetudinem perducit. Cùm autem religionis, & legis sit officium colere Deum, & homines virtute ornatos reddere, & multis pœnis & supplicijs ab eisdem vitia remouere; illa religio perfectior erit, quę ad id efficiendum maiorem vim habebit.

Christiana autem religio ante cæteras hanc pręstantiam habet: hęc illa est, à qua pręstantiores fructus à sanctissimis hominibus in terris orti sunt. Et vt aliquid ex ijs exponamus, primùm de fructibus, quos primitiua Ecclesia tulit, agemus, tunc scilicet, cùm adhuc Christi sanguis erat recens, & illius miraculorum memoria, Apostolorum doctrina, & Apostolici homines; qui eodem spiritu, quo Ecclesiam fundabant, vt Domini vineam tum sererent, tum colerent, inuigilabant.

Vt autem intelligatur, quantum facinus fuerit hoc, necesse erit, statum & conditionem hominum ante Euangelij prędicationem declarare, qui per ea, quę Apostolus ad Ephesios scribit his verbis intelligitur: *Hoc dico, vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habẽtes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ; & in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.* Hoc tantũ malũ profectũ est, tum quòd nihil boni, aut mali ab alia vita sperabant, (vt hic Apostolus animaduertit) & ita illis timor Dei frænum deerat; qui eos à malo remoueret; tum quòd pro vero Deo, omnis sanctitatis & puritatis auctore, Deos sordidissimos, & turpissimos colebant, in quibus omne turpitudinis, & carnis voluptatis genus ponebant. Propter hanc causam non dedecere existimabant, se esse suorum Deorũ similes. Quamobrem illis temporibus, nihil aliud mundus erat, quàm turpissimorum suum volutabrum, & fimus; & omnium deceptionum, scelerum, & mendaciorum, quæ in hominum corda cadere possunt, forum. Vnà enim cum Idololatria cætera vitia, quorum ipsa causa est, principium, & finis, regnabant, sicut Sapiens testatur. Quamobrem illius temporis homines Isaias Propheta comparat cum draconibus, serpentibus, lupis, vrsis, leonibus, basiliscis; & eundem mundum desertum vocat, aridam sterilitatem, terram inuiam, & sine cultura, vt aliud non sit, quàm ferarum lustra, dumi, serpentum, cauernæ, atque ferarum.

Ephes. 4.
Sap. 14.
Isa. 35.

Cùm autem mundus sit huiusmodi, & homines huiusmodi, tãtum gratia.

Christi valuit, & Euangelij prædicatio, vt lupos in oues, leones in agnos, serpentes in colūbas, & arbores steriles & siluestres, in formosas & fructus vitæ æternæ ferentes, cōuerteret. In quo adimpletur illud, quod multò ante idem Propheta prædixerat, cùm inquit fore, vt desertum in amœnū locum, & terra arida, & arboribus & herbis destituta, in viridariū voluptatis conuerteretur.
Ezec. 36. Ad id addit Ezechiel Propheta, q viatores illac transeuntes, hanc tantā mutationem admirantes, dicent: Illa terra deserta, & sine cultura, facta est voluptatis viridarium; significabat hac cōparatione pulchritudinem, & abūdantiam sanctitatis, quæ vt in terris floreret, Euangelij prædicatione & gratia futurum erat. Si quis scire aliquid ex his desiderat, Ecclesiasticas historias legat, quæ de hac re tractant, legat sanctorum Patrum Vitas, qui in eremo degebant, & Ordinum Chronicas; & ibi satis magnum Sanctorum numerū videbit, hoc est, religiosorum Pontificum, Confessorum, purissimarum Virginum, (qui mundum cum carne vicerunt) innumerabiles Monachos; quorū alij in cœnobia se recipiebant, vt Angeli; alij ab hominum societate segregati in solitudinibus versabantur, vbi vitam super humanam viuebant.

Qui horum sanctissimorum Patrum Vitas legeret, quas grauissimi auctores scripserunt, nullum aliud maius testimoniū vellet nostræ religionis præstantiæ, quàm id, quod ibi conspiceret. Cerneret enim penè noctes integras sine somno pertransire, nullo alio lecto, quàm terra. Horum patrum cellulas tam angustas videret, vt magis mortuorum sepulturæ, quàm viuorum domicilia viderentur. Cerneret eos nullo alio cibo vsos, quàm pane & sale, & crudis herbarum radicibus: nam (vt sanctus Hieronymus inquit) coctum comedere inter monachos luxuriosum habebatur. Cerneret paupertatem tam in vestitu, quàm in reliquis rebus maiorem, quàm quis suspicari potest. Videret eam à mundo separationem, & ab omnibus humanis affectibus, vt ne sorores, quæ suos fratres visebāt, vellent videre, aut cum illis colloqui. Quid autem dicam de illa constantia, & perseuerantia diu noctuq; cum Deo agendi, versandiq; sine vlla defatigatione, atque tædio? Quid de illorum fide, de tanta confidentia in Deo, qua leonibus & cæteris animalibus imperabant, dracones interficiebant, atque serpentes? Quid de illo solitudinis ingenti amore dicam, deq; illa humanæ societatis fuga, tunc cùm propter virtutes, & miracula ab hominibus magni fiebant, ne vllum temporis momentum illius iucundissimæ consuetudinis cum Deo perderent? Hæc omnia ita sunt admirabilia, ita supernaturalia, vt sine supernaturalibus auxilijs, & sine præcipua Dei gratia sustinere minimè possent. Propter hanc causam hæc eadem sine miraculis de nostræ religionis præstantia indicium ferunt. Sed de hac re euidentius suo loco pertractabimus.

Aliud argumentū de magnitudine sanctitatis illius aureæ ætatis, est Martyrum multitudo, quam illo tempore habuit, quo idololatria de mundo sublata, & veri Dei fides & cognitio fundata est. Quàm multi fuerunt hi gloriosi equites; quàm crudelia tormenta, quæ perpessi sunt; quàm multa prælia deuicerunt, quàm gloriosè de principibus mundi, & inferni triumphârunt; desunt verba, quibus id explicetur, & vix credi posset. Hoc autem cùm tam magnum sit, vt paucis verbis pro rei dignitate exprimi non possit, in alia loca huius scripturæ differetur.

In hac

In hac autem tam admirabili fide, atque constantia Martyrum, facilè apparet, quàm magna esset fides, & sanctitas eorum, qui huiusmodi tormenta patiebantur, ne ipsi ne momentum quidem temporis sine Dei gratia permanerent. Ab hac enim sanctitate hæc tanta fortitudo proficiscebatur, vt idem Saluator nos docuit: qui postquã in monte in illa diuina concione præcipua Euangelicæ vitæ præcepta declarauit, in fine tandem dixit: *Omnis qui audit verba mea hac, & facit ea: assimilabitur viro sapienti qui ædificauit domum suam super petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. fundata enim erat super petram.* Matt. 7. Hæc firma petra est omnium virtutum fortitudo, quæ à gratia proficiscuntur, & præsertim à charitate; de qua scribitur in Canticis, quòd nec multæ aquæ charitatis ignem extinguere, nec fluminum eluuiones eam demergere poterunt. Cant. 8. Vnde autem hæc tam admirabilis sanctitas proficiscitur, quæ tam admirabilem fortitudinem peperit, nisi à professione, & à Christiana religione, in qua tanta dantur auxilia, vt homines magis, quàm homines fiant, id est cælestes, & diuini?

At quis fortasse hic dicet, inter Philosophos non defuisse homines virtute præditos, & continentes. Ad quod primùm respondeo, illam perfectæ virtutis nomen non mereri, quæ sibi Deum finem non proponit, & ad illius gloriam se non dirigit. Quid profit (inquit sanctus Augustinus) bene viuere, per quod beatam vitam non assequimur? Socrates fuit inter Philosophos propter cõtinentiam valde laudatus, & inter omnes vnũ ponit Plato illius auditor (quã refert Quintilianus) dicens, quòd quidam formosissimus iuuenis nomine Alcibiades illi se obtulit, vt illo, vt sibi luberet, abuteretur: qui tamen fuit ita continens, vt illa licentia, quæ tam liberè sibi offerebatur, vti noluerit. O mirabilis continentiæ virtus, nolle illi vitio, quo nostra tempestate viri comburuntur, seruire. Quæ virtus, & quæ laus tanti æstimatur, tam nefando vitio carere? Poterunt etiam Vestalium virginũ, quæ Romæ erant, continentiam adducere. Quid hoc cum tot millibus virginum nobilissimarum, quæ in omnibus Christianorũ locis se Deo dicârunt, maximis diuitijs neglectis, atque maritis? Fuerunt quoque Romæ nonnulli fortes viri, qui vitã pro patria effuderunt. Quid hoc cum multis millium millibus virorum, fœminarum, puerorum, & mollium virginum, qui se lacerari permiserunt, non pro temporali patriæ salute, sed pro sui Creatoris gloria, & honore? Quid cũ matrum fortitudine, qui ante suos oculos ex se natos adolescentulos laniari permiserũt, ne fidẽ, quã Deo debebant, frangerẽt? reperiturne sub cælo fortitudo, quę si cum hac conferatur, non sit tanquam vmbra? Fuerunt etiam olim Philosophi, qui diuitias contempserunt, vt se totos ad philosophiam conferrẽt. Quot autẽ fuerunt hi? Duobus digitis enumerare possumus, pro quibus paucis multa religiosorum hominum millia in omnibus ordinibus adducam, qui fuerunt, & sunt in Ecclesia, & in eis valde diuites, & maximam potentiam sortiti; qui tamen cum propria voluntate, & cum omnibus sensuum voluptatibus pro Dei amore neglexerunt, atque renuntiârunt. Fuerunt etiam Philosophi abstinentes, qui tenuissimis cibis contenti erant, & ad rerum naturalium contemplationem se conferebant. Quid autem sunt hi ad tot millia sanctissimorum Monachorum? qui morantes in solitudinibus ab hominum socie-

societate segregati herbarum radicibus vescebantur; & nonnunquã per duos, & tres dies nihil degustabant, & nonnunquam per totam hebdomadam ieiunabant, dies, noctesq; incredibili cum voluptate in sui Creatoris contemplatione versantes: vt Philo scribit de fidelibus, qui apud Alexandriam vitam agebant, & de multis Monachorum millibus, qui versabantur in solitudinibus. Quamobrem illud notũ est, omnes illas virtutes philosophicas vix mereri, vt nostrarum virtutũ vmbræ, & imagines dicantur. Imò vt simiæ aliquid faciunt, in quo ex aliqua parte humanas actiones imitantur: sic omnes hæ virtutes Philosophorum simiarum actiones dici possunt, si cum actionibus illorum sanctissimorum hominum, quos hîc diximus, conferantur.

At fortasse quis dicet: Si tanta est Christianæ religionis vis ad reddendos homines probos, quî fit, vt tam pauci cernantur hac tempestate, qui hãc virtutem sequantur, quorum multi ita viuunt, vt si neque fidem, neque religionem habuissent vnquam? Hoc ita si quis quæreret, ab eo peterem ego, quam vtilitatem consequeretur ille infirmus, qui in aliquo Xenodochio medicis, & medicinis satis probè instructo cùm maneret, illis tamen vti nollet? Ita fides & Christiana religio est Xenodochium omnibus spiritalibus medicinis instructum, à peritissimo Medico ordinatis, & dispositis, qui ob nostrarũ animarum curam de cælis descendit. Ego autem si hæc medicamenta non adhibeo, & nihili facio, quam mihi vtilitatem afferre possunt?

Quòd si quis à me sciscitaretur, quænam sint hæc medicamenta, & quomodo adhibenda sint; responderem multa esse, atque diuersa: sed quatuor esse præcipua, quæ hic breuiter narrabimus. Inter quæ prima fides est, quæ sunt mysteria, & articuli, quos ipsa confitetur: & vt ex hac medicina fructum percipiamus, non satis est, CREDO simpliciter recitare, vt Psitacus recitaret: sed illius sensum intelligere oportet, & quidnam hæc mysteria, quæ credimus, sibi velint diligenter ponderare, & in animo euoluere. Id aliquo exemplo illustremus. Cùm Deum Patrem esse fatemur, cogitamus non solùm vnigeniti Filij sui esse patrem, verùm etiam iustorum omnium, qui illius filij adoptiui sunt: quorum ita pater est, vt (quemadmodum illius vnigenitus Filius affirmauit) nullus sit in terris pater, qui cum eo, neque voluntate, neq; amore, neque cura, neque prouidentia paterna, neque consuetudine, aut facilitate, comparari possit. Hinc autem homo in suis necessitatibus auxilium habet, leuamen in laboribus, in angoribus solatiũ, fortitudinem in periculis, & obligationem hunc patrem amandi, & vt filios illius decet se gerendi, vitę puritate huius nobilitatis dignitatem cõseruando. Statim ad Filiũ descẽdas, & de sanctissima Virgine carnem sumpsisse confitearis; neq; solùm hominem factum fuisse, verùm etiam passum, & sepultum esse, propter nos homines: hoc autem qui considerat, fieri ne potest, vt eum non amet, à quo tãtopere fuerit amatus? qui tanta mala illius causa passus est? qui tanto pretio eum redemit? qui tantam tum bonitatem, tum charitatem illi in hac actione ostendit? qui tanta beneficia in eum collocauit? Quî fieri potest, quin à peccatis abhorreat, cuius liberatio & remedium tanti constitit? Quî poterit vitam suam ad illecebras carnis malè affectæ accommodare, cùm ille tanto rigore propter aliorum culpas, & peccata, suam innocentissimam carnem tractauerit? Hæc autem omnia si consideraret homo, vt in primis illos tres fidei articulos, qui posse-

postremi sunt, qui sunt huius Domini aduentus ad iudicium, & sempiterna gloria quam bonis daturus est, & æterna pœna, & illæ horribiles ignis flāmę, in quibus improbi cum anima & corpore perpetuis pœnis afficiēdi sunt, cum perpetuo de cælo exilio, & priuatione beatificæ Dei visionis, & hoc sine spe vel misericordiæ, vel veniæ, vel remedij, vel sententiæ reuocatione, aut mitigatione; (quod omne tum exequi necesse est, cùm homo ex hac vita migrat, quod nobis quolibet horę momento impendet) quis erit tam sibi inimicus, & tam duro corde, qui non tota mente, omnibusq; artubus contremiscat, si hæc singula diligenter in animo euoluerit? Hæc igitur est prima medicina, primumq; auxilium, quod nobis religio Christiana ad virtutem præstat.

Secundum autem remedium, est Sacramentorum vsus, quæ sunt propria nostrorum vulnerum, & morborum animarum nostrarum medicamenta, excogitata & ordinata ab illo pio Samaritano, qui in percussi vulnera oleum & vinum infudit. Ille enim Dominus, qui tot herbarum genera creauit, vt his mortalibus corporibus, quæ cum beluis nobis communia sunt, mederemur; non debuit animas immortales, quę nobis cum Angelis communes sunt, sine medicamentis relinquere: quarum morbi, quibus obnoxiæ sunt, non minores quidem, quàm corporum sunt. Ex his autem Sacramentis, quę repetere possumus sæpius, sunt Confessio, & sacra Communio. Quorum alterum ad animarum nostrarum vulnera curanda, & à morte ad vitam excitandum conducit; alterum, vt vitam acceptam sine peccato conseruemus. Virtus autem & efficacia horum duorum Sacramentorum ad ea, quæ dicta sunt, & ad alia multa, nullis verbis exprimi possunt: & ne tantam rem afficiam iniuria de ea minus dicendo, quàm decet, rem ipsam in alium locum differam. Luc. 10.

Tertiū autem auxilium, quod nobis hæc religio affert, est orationis vsum & frequentiam sæpe cōmendare, quæ omnibus necessitatibus commune remedium, & omnibus morbis medicina est. Sacramenta singula quasi singulos effectus in nostris animabus operantur; cæteræ quoque virtutes singulæ singulas habent materias, & munera, quibus se exercent: oratio verò ferè in omnes partes valet, & in primis contra peccatum optimum remedium est, & ob id Saluator noster suos discipulos armauit oratione passionis nocte, quando illis dixit: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* In hanc sententiam inquit Ecclesiasticus, quòd qui legem seruat, orationem multiplicat: nobis significans, quòd ad legem seruandam orationis auxilium maximè opportunum est. Multa prætermitto loca, in quibus hanc virtutem frequentare maximè commendat. De his tribus auxilijs ad virtutem nihil neque intellexerunt, neque scripserunt Philosophi, licet se humanæ vitæ magistros profiterentur. Fidem enim non habebant, neque Sacramenta, neque quid esset oratio intelligebant. A cælo enim nullum auxilium ad virtutem, sed à se ipsis tantùm, & à proprijs viribus sperabant. Matt. 26. Eccli. 35.

Ad hæc tria auxilia debemus addere Dei verbum auditum, vel lectum, vel quod in animo deuotè euolueris, & ruminaueris: de cuius fructibus iam ante initio huius libri tractauimus. Hæc quatuor auxilia sunt præcipua ad virtutem comparandam, vitæq; Christianæ perfectionem. Ad comparandā dixi; quòd huius vitæ perfectio in illis non consistit, sed sunt media, & instru-

menta maximam vim ad illam consequendam habētia: sicut medicinæ sunt ad obtinendam sanitatem, quæ frustra essent, nisi ex illis his fructus consequeretur.

Sed vt redeamus ad rem; si tam pauci sunt Christiani, qui vtantur his medicinis, tamq; à fidei, quam profitentur, mysterijs abhorrent; si nunquam se Sacramenta se conferunt, nisi censuris coacti; si ex vigintiquatuor horis ne vnam quidem terunt in eo, vt se ipsi Deo comendent, & ab eo contra peccata quibus vndique circundati sumus, auxilium, & illius gratiam petant; si nunquam ne manibus quidem contingunt vllum librum piam doctrinam continentem, neque attentè Dei verbum audiunt, vt inde aliquem fructum percipiant: quid illis Christiani nomen prodesse potest, si non vtuntur medicinis, & subsidijs, quæ hæc sancta religio nobis proponit, vt nobis ad virtutem suppetias ferat, vtq; in cordibus nostris Dei timorem, & amorem ingeneret, & in peccatum odium? Ostendas mihi aliquem, qui his remedijs vtendo in peiorem virtutis statum declinauerit, & tunc tuam propositionem valere aliquid confitebor. Sed reipsa cernitur, quòd quicunque in illorum vsu se exercent, atque frequentia, in dies singulos magis in Dei amore, peccati odio, & in omnibus virtutibus proficiunt.

DE NONA RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAEstantia, quæ est, per illam veram felicitatem, & vltimum hominis bonum comparare. Cap. XI.

NONA religionis Christianæ præstantia est, per illam felicitatem, & vltimum hominis finem comparare. Id autem vt intelligatur, illud sciendum est, quòd, licet præcipuum veræ religionis officium sit, homines probos, & virtute præditos reddere; hic tamen non conquiescit, imò vlteriùs proficiscitur, cùm sibi proponat eos ad beatitudinem perducere. In quo virtute tanquam scala vtitur, per quam ascendēdo ad hanc beatitudinē peruenimus. Quamobrē licet virtus digna sit, quæ ab omnibus magni fiat, quamq; omnes venerentur, & colant: in ea tamen vltimum nostrum bonum non consistit, (vt Stoici arbitrantur) sed est tantùm medium quoddam, & via, per quam ad illam peruenitur. Nam quemadmodum studiosi hominis finis nō est studiū, sed per studium scientiam adipisci: agricolæ autem finis non est terram colere, sed per culturam ex illa fructus percipere: sic finis vltimus legis non est homines tantummodò probos, & virtute ornatos, sed etiam beatos reddere, & vt ad id eos perducat, primùm virtutibus instruit. Primum est legis officium, secundum verò finis est.

Quòd autem hæc felicitas, dum in hac versamur vita, quæ miseriarum plena est, obtineri non possit, huius libri initio à nobis disputatum, & conclusum fuit. Hic autem intelligendum est, duplicem esse beatitudinem; alteram finitam & absolutam, alteram inchoatam. Absoluta in altera vita fidelibus Dei seruis reseruatur; vbi illud summum bonum & vniuersale intuebuntur, in quo sunt omnia bona, & ob id nihil erit amplius, quod desiderent. Inchoata verò illa est, qua Dei amici in terris fruuntur, quæ nomen beatitudinis quadam similitudine, quam cum perfecta habet, sortita est: sin autem

quæratur

quærere voluerimus, quonam in genere bonorum hæc beatitudo consistat; non erit necesse, Philosophos errantes inquirere, quænam sint hæc bona: Apostolus enim nobis hanc dubitationem eximit, cùm inquit regnum cælorum non esse escam, & potum, sed iustitiam, & pacem, & Spiritus sancti gaudium. Quibus in verbis tria bonorum genera significat: quorum primum est iustitia, quæ sanctitas & bona vita est, quæ veræ pacis (vt inquit Isaias) fundamentum est; ab hac autem pace & iustitia bonæ conscientiæ lætitia oritur, & Spiritus sancti gaudium, quod huius beatitudinis sigillum, & perfectio est: quod gaudium solet charitatem comitari tanquam illius filius; & hac ratione hic huiusmodi gaudium cum sua matre coniunctum consideramus. Rom 14. Isa. 32.

Hæc illa pax est, de qua Propheta inquit: *Pax multa diligentibus nomen tuum, & non est illis scandalum.* Et alibi dicit Dominus per Isaiam: *Si homo præcepta mea seruaret, ecce ego declinabo super eum quasi fluuium pacis.* Hic autem fluuium dicit duplici de causa: altera, propter huius pacis magnitudinē, quam Deus longè aliam, quàm mundus tribuit; altera, quòd hæc pax tanquā fluuius nostrarum cupiditatum, affectionum, & appetituum, quæ hanc conturbant pacem, incendium extinguit; quæque huius pacis, & iustitiæ virtute conquiescunt. Vt Salomon his verbis valde cognitione dignis nobis significauit: *Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Homo autem nullos habet capitaliores aduersarios, qui illius cor lacerent, & durum bellum cum eo gerant, quàm impetum, & furorem appetituum suorum, & affectionum, & anxia desideria earum præsertim rerum, quas obtinere minimè potest, quibus Deus per hanc pacem & iustitiam penitus satisfacit. Quæ verò sit hæc pax, nemo intelligere potest, nisi qui aliquando eam expertus est, q(vt inquit Apostolus) omnē sensum superat; quod est quidquid per se humanus intellectus cōsequi potest. Neq; existimare, aut cognoscere potest, quantum sit Spiritus sancti gaudium, quod ab hac pace, & iustitia proficiscitur, nisi qui reipsa sit expertus, vt his verbis præclarè Dominus inquit: *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Vbi per Manna (qui cibus omnem suauitatem continebat) hoc gaudium, & spiritualem lætitiam intelligit, quæ omnes mundi voluptates facilè vincit: vt sponsa tunc significauit, cùm loquens cum suo sponso inquit, vbera eius esse vino suauiora; per vbera intelligens gaudia spiritualia, quibus pias animas recreat; & per vinum, omnes huius mundi voluptates. Hoc igitur suauissimum manna, inquit Dominus, nisi, qui illud sit expertus, cognoscere neminem. Psal. 118. Isa. 66. Prou. 16. Phili. 4. Apoc. 2. Cant. 1.

Hic autem quis fortasse dicet; Ad quid conducit hanc tam absconditam rem tractare: nā qui eam degustauit, meliùs reipsa, quàm ex tuis verbis cognoscet? & nisi expertus sit, nō satis erūt verba, vt eam cognoscere possit, cùm tam abscondita sit. Ad hoc respondeo, esse tamen rationes, coniecturas, & testimonia sacrarum scripturarum, & exempla, & dicta Sanctorum, multaq; alia argumenta, per quæ aliquo pacto possumus cognoscere, quàm magna sit huius mannæ suauitas: quod studioso lectori non paruam vtilitatem afferet. Nam cùm felicitas, & beatitudo huius vitæ in magnitudine huius pacis, & gaudij

finiatur, & homines (vt superius diximus) ad huius felicitatis cupiditatẽ naturali appetitu trahantur, fieri poterit, vt aliqui his rationibus conuicti, relictis cæteris beatitudinibus falsis, & dolosis, & mendacibus, quas mundani homines procurant, hanc veram, & in suo genere solam, quæ humanis cordibus quietem afferat, inquirere velint.

Cùm autem dixerimus hanc inchoatam beatitudinem aliquam habere similitudinem cum perfecta & absoluta, quam speramus, ad id S. Bernardum testem adduco, qui cum Deo loquẽs, sic inquit: Nonnunquam Domine in meo cordis ore, quod ad te suspirat, aliquid ponis, quod quid sit mihi scire non conuenit. Illius dulcedinem & suauitatem percipio, quæ tanta est, vt si in me perseueraret, nihil esset amplius quod desiderarem. Hæc est vna ex præcipuis proprietatibus veræ beatitudinis, humano scilicet cordi quietem, & satisfactionem penitus præbere. Et ita eo, quod possidet, contentũ est, vt nihil desideret, nihil præterea suspiret. In se enim Deum continet omnium suauitatum fontem: & hac buccea contentum cæterarum rerum, quas appetebat antea, famem penitus amittit.

Vt autem de magnitudine huius gaudij tractemus; priùs de amoris magnitudine tractãdum erat, quo illa summa bonitas puras & humiles animas prosequitur: hoc enim cognito, non erit incredibile, ne multis quidem incredulis, quod de hac re diceremur. Sed hic non est illius proprius locus. Illud igitur de eo scire satis sit, (vt S. Iohãnes Chrysostomus inquit) quod hic amor tantus est, vt nulla pulchritudinis alicuius rei creatæ affectio (licet esset illorum, qui vt stulti & dementes vagantur propter suarum affectionũ vim) cum magnitudine huius amoris comparari possit. Hinc autem aliquo modo intelligetur, quænam sint illæ consolationes, quibus hic magnus amans recreat, reficit, & pascit nostras animas, quas tantopere diligit.

Isa. 66. De his autem inquit ille ad suos seruos per Isaiam: *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur nobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt.* Hæc sunt Dei verba per Prophetam. Quis autem sibi persuadere posset, tam dulcia verba ab illa incomprehensibili maiestate proficisci posse, idq; in eam creaturam, quæ si cum illa conferatur, est longè formica minor! In his autem suauibus verbis, & collatione matris cùm filio blanditur, quid aliud vult nobis significare, nisi vim amoris, quo in puras, & humiles animas est affectus; & blanditias, quibus eos, dum in hac vita versantur, consolatur, dum alterius gaudium differtur? Satis probè hoc intelligebat Dauid, quippe qui toties expertus erat in medio regiæ domus apparatu, atque splẽdore suo,
Psal. 30. cùm huius suauitatis dulcorem admiratus dicebat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Et rectè dicit, quam abscondisti: nam (vti diximus) non eam experti non cognoscunt. Quæ dulcedo licet propriè in anima recipiatur, nonnunquam tamen tanta est, vt quemadmodum flumina nimijs pluuijs de suis alueis egrediuntur, sic illa & in carne sentiatur, illi quasi reliquias conuiuij quo fruitur, tribuens, suamq; lætiti-
Psal. 83. am impertiens. Quod idem Propheta alio loco fatetur, cùm inquit: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

Hoc autẽ tantum gaudiũ, vt in Deo fundatur, & ab eo producitur, & agitur ab eo;

ab eo; ita est illi, à quo proficiscitur, cōgruens, qui in omnibus suis actionibus maximus est. Si autem aliter, illud mihi dicas velim, quæ blanditia illa est, quam sponsa in Canticis significare vult, cùm inquit: *Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me?* Hæc autem blanditia & consolatio tanta est, vt sæpe rapiat, & secum omnes humanas vires, & sensus tam interiores, quàm exteriores ita trahat, vt ab eo, quo fruitur, maxima molestia sit, reuocari, & animum vel ad audiendum, vel videndum, vel curandum aliud conuerti. Nam cum toto mundo, ne minimam quidem partem eius, quo fruitur, non commutaret. Sic de virgine sancta Clara scribitur, quòd, cùm in Epiphaniæ festo maximam à Deo consolationem ita recepisset, vt suos sensus raptos, & ebrios in illo gaudio haberet, per multos dies seipsam cogere oporteret, vt, quod sibi diceretur, attentè audiret. De S. Bernardo etiam legitur, quòd initio sui gloriosi nouitiatus ita in spiritu raptus, & extra se positus ibat, quòd sensuum vsum amisisset, vt videndo non videret, & gustando non gustaret; & ita aliud pro alio comedebat, & aliud pro alio bibebat, absque vlla differentia. Vis enim spiritus, & diuinæ suauitatis gustus, quem secum trahit charitas, ita animæ vires suxerat, & secum traxerat, vt ad nihil aliud, nisi ad id vllam virtutem haberet. Cant. 2.

Si cui hęc incredibilia viderentur, vt fiat fidelis & hæc credat, ex rebus humanis, quas videt, exempla petat. Oculos ad aliquem conuertat, qui in pulchritudinem alicuius rei creatæ ardenti amore affectus sit, vt ille amor erat, quo filius Dauid Amnon Thamar suam sororem prosequebatur, vt sacræ literæ testantur; qui tantus erat, vt illius carnem infirmam redderet, & penitus consumeret. Omnes enim animæ vires ita erant in illa affectione occupatæ & suspensæ, vt corpus desererent, & ventriculus spiritibus, qui illum sustentare debebant, destitutus paulatim consumebatur, & corrumpebatur languore atque debilitate. Dicat igitur mihi ille incredulus, si creaturæ pulchritudo tantum potest, quæ nihil aliud est, quàm quædam dealbata cutis, & coloribus depicta; quantò magis poterit illa diuinę bonitatis pulchritudo, cùm Spiritus sanctus aliquo illius lucis radio aliquid pulchritudinis animæ puræ, & mundę ostendit? si tantum res humanę possunt, quantum diuinę poterunt? si tantùm natura, quantum gratia? vel, vt veriùs dicam, si tantum peccati corruptio, quantum gratia, & Spiritus sancti lumen? si tandem tantum Diabolus improborum amorum incitator, quantum ille diuinus Spiritus piorum cordium inflammator? 2. Reg. 13.

Aliud quoque indicium de huius suauitatis magnitudine habemus, quod est innumerabiliū monachorum asperitas, qui in solitudinibus versabātur, vitam superhumanam agentes; de quo in superioribus aliquid dictum est, & aliquid præterea in sequentibus dicetur. Nunc autem solum attingam illud, quod non solùm nostri auctores scribunt, sed etiam Philo scriptor nobilissimus, & Platonicus, & natione Iudæus, quod legentibus non maximam admirationem non afferret. Ille igitur cùm scriberet illorum sanctissimam vitam, qui à circuncisione fideles crediderunt, vt superiùs diximus, inter alia inquit, quòd illorum nonnulli sic Deo pleni erant, & tantis consolationibus fruebantur in rerum diuinarum contemplatione, vt sæpe per integram hebdomadam sine cibo perseuerarent, ita illorum animæ tum satiatæ, tum

recreatæ diuinarum consolationum suauitate erant, vt animarum satietas in corpora quoque propagaretur, & spiritus gaudium tantum erat, vt corporis neque languor, neque fames perciperetur. Hic autem Christianus lector ex hoc indicio iudicet, quanta esset suauitas, & felicitas illius animæ, quæ ad id peruenisset: videatq; vtrùm iure hanc felicitatem inchoatam vocare liceat, cùm tantopere & sinum, & intellectum hominis impleret, vt in terris nihil præterea desideraret, & languoris, & humanarum necessitatum obliuio caperet?

Ad hoc indicium aliud addam, quod est multos, vt legimus, Deo afflatos mundũ cum omnibus pompis suis, & illecebris, & vanitatibus neglexisse; & potentiam, & patrimonia, & superbas domos relinquentes, crucem pœnitentiæ complexos esse; & via mundi lata relicta, Euangelij arctam semitam ingressos esse; & carnis voluptatibus neglectis, potissimùm virginitatis puritatem complexos, & summo amore prosecutos esse. Quænam virtus illa fuit, quæ cum Edoardo Britanniæ Rege vsque ad mortem perseuerauit; qui cùm esset adolescens, & vxorem duxisset nobilissimam quandam iuuenem, & virtutibus ornatam, perpetuam seruare virginitatem decreuerunt, eamq; ne non per vnum annum, aut per duos, sed per totam vitam conseruârunt, qui quidem vnà prandebant, cœnabant, mutuis officijs atque beneuolentia alter alterum prosequebatur: cùm morum, & vitæ similitudo in causa sint, vt, vbi non est, ibi nascatur amor? Quàm plena erant illa corda Spiritus consolationum, cùm tantopere carnis voluptatem negligerent? Hoc mihi quidem non minùs mirum videtur, quàm illos tres iuuenes in flammis fornacis Babylonię non arsisse, cùm hi in medio ignis carnis & iuuentutis non arserint: alius enim ignis maioris flamma, quę in illorum spiritibus ardebat, corporum flammas extinguebat.

Dan. 3.

Illud quidem mihi notum est, huius exempli paucos esse: sed eorum qui propter Deum maximam potentiam, maxima patrimonia, superbas domos reliquerunt, plenæ sunt historiæ. Quòd si his nostris temporibus, de quibus querimur, per hęc sola Hispaniarum regna oculos conuerterimus, multos videbimus illustri loco natos tam viros, quàm fœminas, neglectis principatibus, & terrenis opibus, maluisse in domo Dei negligi, quàm in mundo fruendo, & imperando, viuere. Quorum nonnulli tenuissimam vitam, & asperam religiosorum, qui nudis pedibus ambulant, suscepêre, sericum cum crassissimo panno, dominatum cum seruitute, diuitias cum paupertate, libertatem cum seruitute, vitam commodam & mollem cum aspera & inopi, commutantes. Iterum igitur qui fieri potest, vt homines in molli vita nati, & educati, omnes voluptates, & commoditates, quas habeant, negligant, nisi maiorem delectationem, & animi quietem Spiritus sancti consolationibus perciperent?

Hic autem diuinus Spiritus (qui in substantia est amor increatus) in cordibus iam mortificatis, & virtutum vsu dispositis, eam flammam ingenerat, vt sæpe vel vnico verbo, vel vnica sancta cogitatione hoc amore inflammentur: vt de F. Ægidio vno ex socijs diui Francisci legitur, qui sæpe hoc tantummodò verbum, Paradisum, cùm audiret, in spiritum raperetur. Huiusmodi enim viri, vbi in illorum animabus charitatis habitus altiùs radices

egit,

egit, sunt tanquam siccus puluis, vt vnica scintilla super illum cadente subitò inflammentur.

De effectibus, qui à gaudio & suauitate spirituali proficiscuntur.

QVIS autem effectus ab hac diuina suauitate in pijs animabus excitatos verbis exprimere poterit? Primum enim sanctum tædium, odiumque suorum corporum hinc illis exoritur. Necessitas enim, & obligatio, qua illa enutrire coguntur, in causa sunt, vt ab illa exercitatione, in qua vellent continuò versari, reuocentur. Ita legimus in historia Ecclesiastica de quodam ex illis Patribus, qui in eremo vitam agebant, illud, quod auditu gratissimum est, eum scilicet dum ambulabat comedere; & cuidam ab eo sciscitanti, cur id faceret, respondisse, Comedere in eo genere non esse, vt cogitatò, & consultò fieri debeat.

Quid de alijs effectibus sanctorum desideriorum dicam, qui tanquam viuæ scintillæ ex hoc diuino igne exiliunt? Huiusmodi enim viri desiderant molestias pati, & sanguinem profundere pro illo Domino, qui tam dulcem, & tam amabilem se illis ostendit. Cupiunt omnes creaturas plena voce vocare, vt veniant ad has vitæ aquas, & ad hoc vinum, & lac suauissimum bibendum, ad quod Propheta in intimo corde condolens illorum causa, qui tantum bonum amittunt, inuitat. Esa. 55. Appetunt similiter solitudinem, & à gentibus secessum, vt perfectiùs, & sine impedimento his commodis, delectationibus, & cœlesti sponsi complexibus perfrui possint. Propter hanc causam noctem expetunt, vt maiori silentio, & quiete (vt Propheta adhortatur) cum illo versari possint; Psal. 13. & dies illis molestus est, vt & magno Antonio molestus erat, quòd meliùs in noctis tenebris, & solitudinibus, quàm diei luce in hac re versaretur. Et quemadmodum Philosophi confirmant, quòd motus naturalis velocior est in fine, quàm in principio; ita quò magis Dei conspectu fruuntur, eò magis eundem videre cupiunt, cum Propheta dicentes: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei?* Psal. 41. Quamobrem non solùm mortem non timent, cuius recordatio multis molestissima est, sed cum Apostolo cupiunt dissolui, Philip. 1. vt cum Christo esse possint. Itaque de his dicitur, mortem in optatis, & vitam in patientia huiusmodi homines habere.

Talis tandem, ac tanta est hæc consolatio, vt corpus languidum, & carneum, sæpe vim & suum gaudium ferre non possit. Quod sponsa experta est, cùm dicebat: Sustinete me floribus, & pomis circundate, quoniam amore langueo. Cant. 2.

Quis autem dicet: Cur Deus sæpe animas consolationibus recreat, quas subiecti infirmitas ferre non possit? Ad id respondetur, quòd Deus in hac re se habet cum suis familiaribus, vt Rex, qui alium regem inuitat; qui mensa multis & varijs ciborum generibus instructa iubet vt accipiatur, non quòd existimet fieri posse, vt ex illis omnibus comedat, sed vt suam voluntatem illi ostendat, qua per illã diuitem mensam eũ quàm maximè honorare cupit. Idẽ Deus in hoc spirituali conuiuio in suos familiares amicos facit, vt illis ostendat, quàm maximè cupiat eos cõsolatione, & lætitia afficere; & vt illis ostendat,

dat, se id maiori cumulo esse facturum, si subiecti infirmitas id fieri pateretur: ipsi tamen plus sumere nō debent, quàm illorū corporis habitus ferre potest.

Ad hęc omnia desideria, cùm recordētur, quòd hic Dominus (quem tantopere diligunt, & cui gratificari student) cùm esset diues, pauperem se propter illos fecit, & ita natus est, vixit, & mortuus est pauperrimus; ita huius virtutis cupiditate trahuntur, sic pulchra illis videtur, vt nullus sit in terris auarus, cui tā pulchrū videatur aurum, vt paupertas, cùm ab omnium rerum creatarum Domino tantopere dilecta sit, illis videtur. Ob id illam omnibus suis studijs complectuntur, in illa inuolui cupiunt; ab eo, quod superuacaneum est, abhorrent; & ex rebus necessarijs ab eo, quod nimium est, alienissimi sunt. Propter eandem causam, cùm eundem Dominum tam multis molestijs circunuentum videant, ij quoque propter illum molestissimis rebus affici cupiunt, & cùm in illis versantur, lętantur, & illi maximas gratias agunt. Illis enim compertissimum est, quàm Deo sit gratum, cùm seruus propter Dominum libenter calamitates patitur. Hæc omnia desideria (vti iam diximus) sunt viuæ scintillæ, quę ex igne charitatis, & diuina suauitate exiliunt.

Id nemini incredibile videbitur, qui apud Aristotelem legerit, quòd Dei contemplatio, rerumq́ diuinarum, licet parum ex illis assequatur, tantā parit suauitatem, vt hoc sit, hominem in suo genere Dei felicitatis fieri participem, quæ nihil aliud est, quàm in suæ pulchritudinis contemplatione semper versari. Quòd si hæc diuinarum rerum naturalis contemplatio, per creaturas acquisita, nullo neque fidei fundamento, neque gratię, neque charitatis, neque vitę sanctitatis, secum tantam suauitatem coniunctam habet: cuiusmodi illa erit, vbi hęc omnia coniuncta erunt, & in primis præcipuum Spiritus sancti lumen, & ignis, qui sic vult animas recreare, vt illius amore omnes voluptates, & caduca bona penitus repudient?

Tacitæ obiectioni respondet.

AT quis fortè dixerit: Quidquid dictum est, verum esse fateor, quòd rationes & auctoritates, quibus vsus es, id planè demonstrant. Sed hi tam magni fauores, & hæ gratiæ, non sunt omnium communes; sed eorum tantùm, qui ex animo penitus se Deo consecrārunt, omnibus voluptatibus, & illecebris huius mūdi neglectis, quod paucissimis contingit. Ad id primùm respondeo, quòd ex dictis religionis Christianæ præstantia probatur. Nam (vt vidimus) officium, & finis veræ legis est, homines bonos & beatos reddere; (quod hæc lex perfectissimè facit, vti probatum est) illud sequitur, hanc omnium legum, quę vnquam in terris fuerint, esse perfectissimam.

Secundo autē loco illud dico, quòd licet hæ gratiæ, & consolationes sint eorum, qui maximè spiritales sunt: alias tamen Deus habet rationes ad omnium captum, & virtutem accommodatas. In quo animaduertendum est, quòd quemadmodum, qui ad mare ad aquandum it, quò maius vas secum tulit, eò maiorem quantitatem aquæ reportat: sic anima, quæ ad Deum se contulit (qui infinitæ suauitatis mare est) quò magis affectionibus libera, & purgata est, & magis à rebus sensibus voluptatem afferentibus longè abest, eò magis hanc suauitatem degustabit. Nam (vt inquit sanctus Augustinus) Deus est ani-

ma

mę purgatæ ſapientia: nobis his verbis innuens, quòd quemadmodum neceſſe eſt, vt palatum malis humoribus ſit liberum, vt cibos corporales, ſic etiam neceſſe eſt ſe habeat palatum animæ, vt ſpirituales deguſtet. Hinc autẽ colligitur, quòd pro ratione mortificationis in mũdi voluptatibus, Spiritus ſancti conſolationes percipit: ſi parua, paruam; ſi multa, multam quoque ſentiet. Propter hanc cauſam bonæ conſcientiæ gaudium deeſſe minimè poteſt eis, qui Dei mandata ſibi ſeruanda ſtatuunt: vt S. Augustinus his verbis docet: Quæris veram quietem, quæ in gloria Chriſtianis promittitur: ſcito te guſtaturum illius ſuauitatẽ in huius vitæ moleſtijs, & amaritudinibus, ſi eius mandata ſeruaueris, qui illam pollicitus eſt. Citò enim re ipſa experieris, dulciores eſſe virtutis fructus, quàm peccati; & iucundiùs gaudebis in vitæ moleſtijs bonę conſcientiæ ſuauitate, quàm malæ conſcientiæ in illius voluptatibus. Et in Geneſin idem dicit, quòd bonę conſcientię lætitiã Paradiſus eſt. Inde fit, vt Eccleſia in illis, qui temperatè, & piè, & iuſtè viuunt, deliciarum paradiſus dicatur, qui gratiarum, & caſtarum delectationum copia floret.

Ad id etiam additur, quòd in huius itineris ingreſſu ſolet Deus eos benè tractare, qui recenter ſe ad illius ſeruitium conferunt, vt in figura prodigi filij, cùm recipitur à patre, facilè cernitur. Nam, vt ſapiens pater atque pius intelligit, fieri non poſſe, vt, qui in huius mundi voluptatibus aſſuetus, & vitijs inuolutus eſt, ſtatim pœnitentiæ crucem complectatur, niſi priùs maiori voluptate capiatur, & recreetur. Quare vbi ſtatuit eum ad ſuum ſeruitium vocare, ſtatuit etiam ei parare, quæcunque neceſſaria erant, vt hęc vocatio perficeretur; cùm illius opera ſint perfecta, & abſoluta, neque illa incipit, aut illorum fundamenta iacit, niſi velit etiam ſuperſtruere. Ad quod illud S. Gregorij in Moral. ſpectat, vbi ait, quòd cõuerſionis initio adſunt illecebræ, & delectationes; in medio contentiones, & prælia; in fine ſuperiorum præliorum pulcherrimæ victoriæ perfectio. Harum autem conſolationum, quas tyrones ſentiunt, eſt myſteriorum nouitas, & magnitudo, quæ nouo lumine, quod ab illis recipitur, iam videre incipiunt, quorum antea mortuam quandam cognitionem tantummodò habebant, vt & illorum fides mortua erat. Nunc autem cum eo lumine tanta eſt lætitia, & admiratio, quòd videant res tam ſpectabiles, quas hactenus non cognouerant, vt tam magna admirari non deſinant, quippe quę noſtrę fidei myſteria complectantur; neque deſiſtunt gaudere, cùm videant nouas gratias, quas à Deo recipiunt. Id etiam in rebus humanis vſu venit. Qui nunquam ex aliqua villa egreſſus eſt, cùm Venetias ingreditur, aut in aliam frequentem ciuitatem, nunquam rem tam nouam, & tam pulchram admirari deſiſtit: in eo verò, qui ea ſæpe conſpexit, hæc admiratio ceſſat, quòd & nouitas deſiſtit. Idem accidit ijs, quibus Deus aperuit oculos, vt ſuę domus pulchritudinem, & magnitudinem intuerentur. Tandem licet parũ ſit illud, quod nobis tribuit, Dei parua tam magna ſunt, vt hominũ maxima facilè ſuperent. Quamobrem dixit Dauid, quòd paucum à Deo iuſtis datũ, erat ſuper diuitias peccatorũ. Et illius filiũs Salomon inquit, plures eſſe paucum Dei cum timore, quàm diuitię multæ, quæ nunquã expleri poſſunt.

Lucæ 15.

Pſal 36.

Prou. 15.

Hi duo Chriſtianæ religionis tam magni effectus, quæ ſunt bonitas, & felicitas, quos his duobus capitibus expoſuimus, eam verã eſſe apertiſſimè probant. Quòd ſi huiuſmodi non eſſet, illud ſequeretur, quòd omnium maxi-

mum mendacium,& blasphemia,maximi omnium boni & felicitatis causa esset. Cùm enim illius fundamentum sit,confiteri Christum esse verum Dei filium,hoc si non ita esset, fides nostra omnium maximum mendacium,maximamq; blasphemiam confiteretur; cùm in hominem, qui se Deum esse profitebatur,& non erat,crederet; quod est maius mendacium, maius scelus,& maior blasphemia,quàm humanus intellectus capere possit. Hoc igitur cùm ita se habeat,qui fieri poterat,vt à maximo scelere,& blasphemia, maius bonum & felicitas,quàm quęcunq; in terris vnquã fuerunt,proficisceretur;cùm sit verum, quòd improbitas & malitia non nisi improbitatem & malitiam possit generare; & minimè fieri potuerit, vt tam nobilis effectus à causa tam improba,& abominanda proficisceretur?

DE DECIMA CHRISTIANAE RELIGIONIS PRAEstantia,quæ est, Idololatriam de mundo sustulisse,qui Christi primus triumphus est. Cap. XII.

HI duo Christianę religionis effectus, qui sunt, homines in suo genere probos,& beatos reddere,ad singulas personas pertinent: sed alij sunt generales,qui ad omnes homines spectãt, vel ad aliquam illorum magnam partem, quos Christi triumphos dicimus. De diabolo enim triumphauit,& de mundo,& ita quoque triumphauit de illis, qui illi mortem procurârunt: qui etiam sunt Christianæ religionis maximi effectus,& Christi gloriosissimi triũphi. De quibus in tertio libro agitur diffusiùs,vbi vnà & Prophetiæ colliguntur, quæ multò antè hos triumphos prædixerunt,& illorum magnitudo declaratur. Hoc autem loco,vbi de religionis Christianę pręstantijs,& effectibus agimus,aliquid de illis nobis dicendum est.

Nunc igitur sciendum est, quòd maius malum in mundo repertum, vbi Deus eum creauit, & antiquius,& generalius,& in diuinam maiestatem iniuriosius,quodq; maius damnum effecit,Idololatriæ peccatum est. Hoc autem magnum malum, hæc omnia mala continebat. Primùm enim valde antiquum erat,cùm statim à diluuio incepisset, vt S. Thomas inquit. Neq; desunt, qui inquiunt,ante diluuium extitisse. Nam si erat mundi corruptio tam vniuersalis, (vt scriptura testatur, vt & illa pœna diluuij tam vniuersalis ostendit) videtur quidem, humani intellectus aciem ad Dei cognitionem tunc in tenebris versatam esse,eumq; permisisse, vt fidei lumen amitterent illi, qui tam corruptam vitam agerent: hoc enim solęt esse magnorum scelerum, vt illius temporis erant, supplicium.

Hoc autem peccatum, præter vetustatem, ita erat vniuersale, vt paruo Iudææ angulo excepto, vbi aliquis lucis radius erat, reliquę terrę omnes,omnes maris insulę, tandem quidquid Sol circundat, atque conspicit, ab hac mortifera peste infectum, & corruptum esset.

Erat præterea hoc peccatum in diuinam maiestatem iniuriosius, quàm reliqua omnia. Hoc enim erat, Deo suam sedem eripere, & in eo diabolum eius capitalem inimicum regnaturum collocare; & regiam illius diuinitatis coronam Satanæ capiti imponere, qui tunc in idolis colebatur. Et vnà cum idolis ad eam cæcitatem peruenerunt paulatim, vt & beluas immanes, & aues, & serpen-

serpentes, vt ait Apostolus, & dracones, vt in Daniele scribitur, adoraret. Prætermitto alios sordidissimos, turpissimos, & abominãdos Deos, quos ipsi colebant, de quibus aliâs locuturi sumus. Nunc autem quæro, qualisnam debebat esse illorum vita, qui tales Deos colebant? His enim potissimum diuinæ iustitiæ seueritas ostendebatur, cùm permitteret, vt qui eos adorarent, præcipites in omnia flagitiorum genera laberentur, quæ in prima Epistola ad Romanos refert Apostolus, vt postea dicemus.

Quid autem dicam de sacrificijs, quæ illis idolis offerebantur? quorum nonnulla turpissima erant, (vt quę vel Deæ Veneri, vel Deę Floræ offerebantur, vel quæ Deo Baccho, qui vini deus erat) alia crudelissima erãt, de quibus sancta scriptura commemorat: vbi patres eo amore spoliati, quo vel beluæ in filios suos affectæ sunt, suos filios sacrificabant, & in ignem ire facilè patiebãtur, vt Manassem regem Iuda fecisse legitur.

Quòd si tanta mala secum hæc pestis trahebat, idq; non in vnico regno, aut prouincia, sed in vniuerso terrarum orbe; illud sequitur, quòd huiusmodi pestem de mundo tollere, sit huiusmodi beneficium, quod cætera beneficia facilè vincat. Hoc autem tantum beneficium Christianæ religioni, Saluatoris virtuti, & omnipotentiæ acceptum referri debet; qui nonnullorum rudium, & pauperum piscatorum ministerio continuò pugnans, nõ armis ferreis, sed Spiritus sancti virtute, toto mundo inuito, ab eo hanc pestem eiecit. Hi templa ab idolis liberârunt, illorum altaria funditus sustulerunt; illorum idola combusserunt, fregerunt, & raptârunt, & huius mundi principem de suo throno deiecerunt, qui omnibus in locis colebatur.

Et res ita se habuit, vt Euangelij prædicatio ex altera parte perseuerâret, & ex altera tyrannorũ furor in Ecclesiam; res eò deducta fuit, vt quò magis tyranni perseuerarent Christi nomen, & Christianorum numerum tollere, eò magis crescerent, & multiplicarentur, licet quotidie multa millia illorum, vt Ecclesiasticæ historiæ referunt, interficerentur. Quòd si quis incredulus non satis magnam fidem illis præstaret; Plinio Secundo, qui gentilis fuit, non credere non poterit: qui cùm quandam prouinciam administraret, & Christianorum multitudinem, quæ quotidie interficiebatur, cerneret; ad Imperatorem Traianum quandam epistolam scripsit, quæ adhuc inter suas extat, qua eum de innumera multitudine hominum, qui quotidie, nullo scelere cõmisso in Romanas leges, cædebantur, certiorem faciebat; qui tamen, licet tam multi interficerentur, ita multiplicabantur, vt in dies magis idolorum sacrificia, & cultus minuerentur. Id scriptum reliquit Plinius: qui apertè his verbis fatetur idolorum cultus imminutionem, & multitudinem atq; constantiam Christianorum, qui pro fide patiebantur. Vt quemadmodum de regno Isboseth Saulis filij, & de Dauidis regno scribitur, quòd in dies magis alterum imminuebatur, alterum scilicet Dauidis augebatur, quotidie Dei auxilio firmius fiebat, quoad tandẽ Saulis regnum desijt, & Dauidis perseuerauit, & victor remansit, & solus: sic regnum principis huius mũdi (qui est diabolus, qui in his idolis adorabatur) euersum, & in nihilum redactum est, & Christi regnum ita propagatum fuit per totum terrarum orbem, vt Constantino Imperatore ijdem idolorum sacerdotes, cùm suos Deos ita deiectos viderent, sua idola, quę maximi faciebãt, & venerabãtur, dereliquerint: & quę antea Iouis 2. Reg. 3.

fulmina dicebant, de subterraneis locis, & abditis vbi ea seruabant, extrahebant, quod antea populi oculis negabatur, & sacerdotibus tãtummodò aspicere cõcedebatur, ex eo tempore fiebat omnibus & commune, & ab omnibus tanquam vilissima res negligebatur.

Multæ aliæ statuę ex pretiosissimis metallis factæ, fusę fuerunt, & obsignatæ, & in numos ad communem omnium vtilitatem redactæ. Aliæ statuæ ex ęre Constantinopolim delatę fuerunt, quòd artificiosissimæ erant, vt ciuitatem exornarent, quę in publicis locis per illius vias collocatæ fuerunt, & in theatro, & in regijs domibus, vt Picus augur, Apollo, Musę Heliconides, Apollinis Delphici mensæ, & templa spoliata fuerunt, alia foribus, alia ligneis operibus multa arte factis, alia neglecta iacebant, & ex illis pistrina conficiebãt, vt bestijs molerent, & paulatim cadebant. Illud enim compertum est, quòd tunc corruerunt, & penitus euersa fuerunt in Trinacriæ Ægea AEsculapij tẽplum; & in Aface apud montem Libanum, & flumen Adon, Veneris domus; vtrunque templum celeberrimum, & à suis deuotis maximi factum.

Ad id maximè accommodatum fore existimo, si finem hîc descripsero illius magnifici templi Serapidis AEgyptiorum magni Dei, qui Alexandriæ erat: & multi erunt (inquit Eusebius) qui illud videbunt. Fabricatum erat alto fastigio, altum non natura, sed artificio, amplius, quàm centum gradibus; vndique quadratum, latitudine maxima, intus fornicibus vsque ad altius cubiculum concameratum. In superiori parte multas habebat fenestras, & latè patentes; in parte inferiori multa subterranea loca ad diuersos vsus, & ceremonias suorum execrabilium sacrificiorum; in medio verò multas aulas quadratas, & in penetralibus locis accõmodatas, in quibus templi custodes habitabant. In exteriori verò parte totum erat portarum faciebus circundatum, In medio camera erat pretiosis columnis fulta intrinsecus, & extrinsecus magnificè marmore ornata, parietes verò erant incrustati laminis auri, & super his argenti, & super his ęris, vt pretiosiora metalla seruarentur.

Intus autem erat idolum Serapidis, ea magnitudine, vt manu dextera alterum parietem, & læua alterum contingeret. Quod idolum ex omnibus metallis, & lignis, quæ in terris oriuntur, confectum erat, super caput verò mensuram quandam, qua frumenta metiebantur, habebat. In eodem loco multa alia illi antiqui fabricauerunt, vt illos miseros stupefactos redderent, quæ si narrare vellemus, nimis longam orationem de ijs sumeremus. Et vt eorum opiniones blasphemiarum plenas cariores redderent, illud in hominũ mentibus illi sacerdotes disseminauerãt, quòd si qua hominum manus illam statuam contingeret, statim fore, vt terra hisceret, & cælum aperiretur, & illud Idolum in frusta concideret; quam famam nonnulli crediderunt, nonnulli verò eam tantummodò timebant, atque tremebant. Quidam tamen nobilis vir, potiùs fide, quàm lorica armatus, securim sumpsit, & omni suo conatu, vnico ictu illius falsi Dei, qui homines peruertebat, mandibulam de loco deiecit. Tunc vterq; populus magna voce exclamauit, sed neque cęlum decidit, neque terra hiauit, imò ille nobilis vir susceptam prouinciam persequens, illud putridum lignum in fracturas perduxit, in terram deijciens, & super ignẽ ponens, & flãma surrexit, id omne eodem tempore factum fuit. Non tamen totum idolum consumpsit; sed simul pedes & manus, & caput cum sua media mensura

mensura in summitate ligârunt, & per suam Alexandriam ita illi dedicatam traxerunt, deinde coram omni populo in cinerem verterunt. Quo facto, reuerterunt ad truncum, qui reliquus erat, & in publico theatro combusserũt. Hoc tempore (vt historia tripartita refert) Theodosius Imperator Theophilo Alexandriæ episcopo iussit, vt gentilium templum euerteret, quod libenter perfecit: sic post Serapidis incendium reliqua idola fuderunt, & ænea vasa diuersi generis, tum ad ecclesiæ vsum, tum ad pauperum sustentationem confecerunt. Ea res sic habuit, quòd licèt cætera in frusta conciderunt, Deæ tamen Monæ signum conseruârunt. Theophilus enim episcopus iussit, vt hanc statuam integram seruarent, & in publico loco collocarent, ne pagani in posterum, quales illorũ dij fuissent, quos adorabant, negare possent. Et recordor (inquit hic historicus) quòd Antonius Grammaticus, qui illius sacerdos erat, à quo didici ego Grammaticam, cùm essem puer, ex ea re maximam molestiam percepit, & dicebat nihil tam in animum gẽtilium penetrasse, quàm quòd Deæ Monæ idolum non esset dirutum, vt cæterorum; sed in illorum irrisionem fuisset seruatum.

Et hic cernimus ad literam illud adimpletum, quod Dominus multò antè prophetauerat, inquiens: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero,* (id est, in cruce positus) *omnia traham ad me ipsum.* Hic fuit primus Christianæ religionis triumphus contra diabolum, & omnem illius potentiam per Christi virtutem, qui ita illos Deos euertit, & in nihilum perduxit, vt hac tempestate illorum nullæ reliquiæ sint. Et ita hæc Zachariæ prophetia adimpleta fuit, vbi pollicetur Deos, fore, vt ita nomina idolorum terræ destruat, vt nulla illorum memoria reliqua sit. Quid autẽ de illo celebri Ioue factum fuit? quid de Venere? quid de Latona? quid de Apolline? quid de Cupidine? quid de Baal cum reliquis idolis tantopere ab Imperatoribus cultis? Quid de illis factum fuit? vbi sunt? vbi consederunt? quid de illa Deorum turba factum est, qui penè tot erant, quot & omnes orbis terrarum prouinciæ? Quis autem hic non exclamabit? Quis non laudabit illum Dominum, qui tam magnum beneficium apud nos collocauit, cùm à tanto malo, & tam vniuersali nos liberauerit? Quis tandem non amplificabit Crucifixi omnipotentiam, qui terram ita mũdare potuit? ita purgare mare? ita aerem sceleratorum sacrificiorum fumis infectum sanctificare? & de vniuerso terrarum orbe tam mortiferam pestem in exiliũ eijcere? qui ita potuit Deos ab omnibus gentibus cultos concidere, & sub piscatorum pedibus subijcere? Quis non intelliget eum esse toto mundo maiorem, qui mundum sic potuit subiugare?

Ioan. 12.

Zach. 13.

DE VNDECIMA CHRISTIANAE RELIGIONIS PRAESTANTIA, *quæ secundum Christi triumphum continet, quo de vniuerso mundo, & de omnibus eius Monarchis triumphauit. Cap. XIII.*



POST hunc autem primum triumphum, qui de diabolo fuit, sequitur secundus non minùs gloriosus, qui fuit de mundo, & de omnibus principibus, & monarchis illius, qui in Christi regnum coniurârunt. Quod Propheta admiratus est, subitò Psalmorum initio dicens: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* Psal. 2.

Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Et hoc dicit Propheta, quòd in spiritu vidit fore, vt omnes gentes, omnes nationes, tam barbaræ, quàm doctrinis excultæ, cum omnibus suis regnis & principibus, (allectæ & adductæ à Dæmonibus, qui in idolis colebantur) insurgerent, & in vnum pro Dijs suis contra nouum Christi regnum conuenirent, ac coniurarent.

Hoc autem prælium non per aliquod breue tempus durauit, sed amplius quàm ducētos annos, in quatuordecim asperrimis persecutionibus, quas Ecclesia sub quatuordecim regibus passa est, iuxta S. Augustini computum in libro 18. de Ciuitate Dei. Decem enim sunt illæ persecutiones, quæ communiter numerantur, à decem Imperatoribus excitatæ.

Prima Neronis fuit: in qua S. Petrus & S. Paulus cum alijs innumerabilibus Martyribus passi sunt. Nero enim, omnium crudelitatum & turpitudinū exemplum, iussit, vt pluribus ciuitatis locis ignis accenderetur, idq; animi causa: & vt odium, & inuidiam tam magnæ crudelitatis euitaret, per ciuitatem rumorem esse voluit, factum esse id à Christianis; & vt hoc mendacium verisimile videretur, omnes Christianos quotquot reperiebantur Romæ occidendos crudelissimis tormentis iussit. Ex decem autem persecutionibus hæc prior fuit. Secunda verò Domitiani fuit, quo tempore sanctus Ioannes Euangelista in exilium eiectus fuit, & in olla bullientis olei positus. Tertia Traiani fuit, quo tēpore tres sanctissimi Pontifices, Clemens, sancti Petri discipulus, & Polycarpus, & Ignatius S. Ioānis discipulus, passi sunt. Quarta Antonini Veri. Quinta Seueri. Sexta Maximini. Septima Decij, qui sanctum Laurentium martyrio coronauit, & crudelissima fuit. Octaua Valeriani. Nona Aureliani. Decima crudelissima fuit Diocletiani, & Maximiani. Hæ decem persecutiones fuerunt ante Constantini, qui Christianissimus fuit, imperiū. Ad has decem addit S Augustinus Iuliani apostatæ persecutionem, quæ omnium perniciosissima fuit. Nouas enim excogitauit artes, quibus Christianos persequeretur, cùm eos priuauerit omnibus honoribus, gratijs, & studijs bonarū doctrinarum, & alijs inuentis, quæ illi diabolus suppeditabat.

Alia fuit Valentis Imperatoris Arriani, qui crudelissimè persecutus fuit Catholicos, & inter eos voluit occidere Magnum Basilium Cappadociæ Episcopum, illi per quendam suum Præsidem mortem minando, nisi Arrianam sectam sectaretur. Cui ille vir sanctus respondit: Vtinam haberem ego aliquā gemmam, quam ei darem, qui Basilium ex hac vita tolleret. Illi autē cùm noctem illam concederet, qua deliberaret quid sibi faciendum esset, inquit: Cras idem ero, qui & nunc, Deo placeat, ne mutes sententiam, in qua nunc es.

Omnes hæ persecutiones Romanorum Imperatorum fuerunt. Alia fuit Saporis Persarum Regis, qui Solem adorabat, quiq; valde potens erat, & Iesu Christi nomini valde aduersarius, ob id in eum maximam persecutionem excitauit, in qua mortui sunt multi sancti Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, & multæ Virgines Christo consecratæ, & alij inferioris conditionis multi; vt numerus ad sexdecim millia Martyrum ascenderit, qui gloriosè diuersis generibus tormentorum coronati fuerunt.

Ante has persecutiones S. Augustinus Iudææ persecutionem narrat: in qua
Act. 12. S. Iacobus ille maior Herodis iussu decollatus fuit, & minor præcipitatus, &

S. Petrus

S. Petrus captus, S. Stephanus lapidatus, & S. Matthias Apostolus percussus, & lapidatus: & tandem totam Iudææ Ecclesiam S. Paulus persecutus est, qui domos ingrediebatur, & inde fideles extrahebat, & in carcerẽ conijciebat, vbi ea sufferre ac perpeti eos pro fide cogebat, quæ deinde ille passus est. Hæ fuerũt Ecclesiæ persecutiones, & hi tyranni, qui crudelissimè eam persecuti sunt. Actor. 7. Actor. 9.

Vt autem in præsenti de magnitudine & gloria huius triumphi agamus, non hominum eloquentia opus esset, (non enim satis est) sed Angelorum; vt ex altera parte Tyrannorum furorem, & rabiem, & inuenta nunquam antea visa, neque excogitata; & ex altera Martyrum fortitudinem, constantiam, & conatum in tam magnis tormentis declaremus. Non enim tyrannorũ mens ad illorum mortem contendebat: (Sanctis enim morientibus, & in fide constanter perseuerantibus, ipsi victi erant, & Martyres victores) sed eos tantis supplicijs opprimebant, vt sua idola adorarent. Propter hanc causam multa tormentorum genera excogitabant, & aliud post aliud ita repetebant, vt carnificum deficerent in tormentis vires, & Sanctis deficeret caro, in quam supplicia reciperentur. Et licet corpora ita consumpta essent, animi viribus integri erant in fidei confessione, vt supplicia non solùm patiẽter, verùm etiã maxima cum lætitia ferrent, tyrannos irridentes, & illorum minas nihili facientes. Et id omne faciebant, ne vel in vnum peccatum mortale, negando Christum solo verbo, non autem corde, incurrerent, cuius peccati eos statim pœnitere poterat, & obtinere, vt sibi ignosceretur, vt obtinuit S. Petrus statim, vt negauit.

Hęc autem persecutio non in vnica ciuitate, vel in vno tantùm regno fuit; nullus enim locus fuit, aut terræ angulus, quin Martyrum sanguine difflueret, Romæ præsertim, aut Alexandriæ, quæ maximè Serapidis idolũ colebat, vbi sancta Catherina martyr passa est; Antiochiæ, Nicomediæ, Cęsareæ Cappadociæ, Cæsareæ Palęstinæ, in Ponto, in Hellesponto, in Africa, in Aegypto, Carthagini; Cæsareæ Augustæ, vbi decẽ & octo martyres passi sunt, quos Prudentius celebrat; Parisijs, vbi S. Dionysius cum suis socijs martyrij corona donatus fuit; Syracusis, vbi S. Lucia, Catanæ, vbi S. Agatha passa est; in Bithynia, in Achaia, Smyrnæ, Thebis, & tandem in omnibus Imperij Romani prouincijs, quod mundi sceptrum tenebat, vsque ab Augusto, qui, vt omnes gentes describerentur, iussit.

Et vt loca erant multa, & diuersa, sic & personarum erant differẽtiæ, quæ patiebantur: non enim solùm erant homines robusti, vel nationum barbararum, (quæ non timent mortem) sed omnium generum homines, omnium ætatum, senum, puerorum, nobilium, diuitum, & in primis delicatarũ virginum, quæ maiori quàm virili fortitudine, supplicia nunquam antea excogitata, perferebant. Mulieres autem, inquit Cyprianus, erant in patiẽdo fortiores, quàm viri in torquendo.

Animaduertendum quoque est, quòd non solùm Imperatores imperij sui suspicione, credentes illud sibi à suis Dijs datum; verùm etiam populus, & plebs eodem odio in Christianos ardebant, quòd eorum Deorum cultus, & templorum euersores erant. Qua de re ex multis exemplis vnum adducam. In ciuitate Gaza Eusebius, Zeno, & Nectarius, tam spiritu quàm carne fratres, ardente fidei zelo idolorũ templa, quæ ibi erãt, euerterũt. Quibus illius ciui-

tatis

tatis incolæ ita irati fuerunt, vt eos captos graui carcere, & verberibus affecerint. Deinde in theatrum conuenerunt, & suis sceleratis vocibus accusarunt, quòd templa sustulissent, multasq; alias iniurias in suos Deos antea fecissent. Et inuicem se ipsi accendentes ira (vt fieri solet) ad carceres concurrerunt, & extractos crudeliter interfecerunt, modò eos supinos trahendo, modò pronos & in faciem, & modò obliquos, & continuò eos lignis, lapidibus, & verberibus percutiendo. Audiui ego, quòd mulieres quoque suis domibus egrediebantur, & textrices è suis textrinis suos radios in eos iaciebant, vt eos ferirent; & ex domorũ fastigijs aliæ bullientem aquã deijciebant, aliæ testas, in quibus sua cibaria coquebant, aliæ verubus illorum corpora figebãt. At cùm iam illorũ capita essent fracta, & cerebrum humi profusum, extra ciuitatem eos pertraxerunt, quò solent beluæ mortuæ protrahi, & ibi illorum corpora combusserunt. Et nonnulla ossa, quæ reliqua fuerunt, cum ossibus camelorum & asinorum miscuerunt, vt maxima cum difficultate inuenirentur. Hac autem ratione, hoc furore, & rabie gentiles afflati dæmonibus, qui in ipsis idolis versabantur, illius religionis euersores persequebantur.

In quo illud est animaduersione dignũ, quòd Philosophi Epicurei omnẽ religionem cùm tollerent, (animarum enim immortalitatem negabãt, & diuinam prouidentiam, &, Deum nihili facere humana, affirmabant) nihil erat, cur in religione proficerent; nunquam tamen neque Epicurum, neque illius sectatores persecuti sunt, imò ita hoc mendacium complexi sunt, vt illorum nomina in annulis, & argenteis poculis cælata ferrent, affirmãtes hũc vnum ex Philosophis veritatem esse assecutum, & homines vanis Dei timoribus liberasse. Huius rei illa causa fuit, quòd diabolus Epicuro credi minimè curabat, tam enim erant sui, qui Epicuro credebant, quàm qui illũ adorabant. At fidem, & religionem Christianam suscipi, illud erat, quod de mũdo in exilium eum eijciebat, & de suo imperio animas extrahebat, quod Epicurus minimè faciebat.

Vt autem redeamus ad rem, hoc omni persecutionũ furore & rabie, quæ in Ecclesia excitatæ fuerunt, victrix ipsa fuit, & gloriosè de omnibus inimicis triũphauit, qui eam tanto furore persequebantur, & Tyrãni cum suis Dijs euersi fuerũt, & Crucifixus victor, & cæli Dominus: ille pro vero Deo adoratus, & falsi dij pedibus proiecti, combusti, & in fimi montes proiecti, vt ante dictũ est. Hic autem adimpletur illa Dei Patris promissio, qui cùm loque-
Isa. 45. retur cum Filio, & cum sua Ecclesia per Isaiam inquit: Confusi sunt, & erubuerunt omnes, qui repugnãt tibi. Erũt tanquam si non fuissent, & disperdẽtur, qui arma ceperũt in te. Quæres qui à te defecerint, & non inuenies eos. Hac ratione perierunt, & in nihilum redacti sunt illi reges, & tyranni, qui Christi nomen, & illius religionem extinguere conabantur. Hoc nobis significat illa
Dan. 2. statua, quã Nabuchodonosor in somnio vidit, ex diuersis metallis cõstructa, quæ quatuor Imperia, & Monarchias orbis terrarum nobis significabat. At lapis de monte excisus sine manibus in statuam incidit, & in frusta dissoluit: & lapis ita creuit, vt instar montis factus sit, qui totum mundum impleret. Quẽ lapidem omnes doctores tam Hebræi, quàm Latini, Christi regnum intelligunt, quod futurum erat, vt per totum orbem terrarum propagaretur. Vt illa superba Roma, quæ omnibus imperabat, & S. Petrum crucifixit, nunc

S. Petri

S. Petri successoribus tanquam Christi Vicarijs subiecta est. Et Imperatores, qui illud gloriosum nomen oppugnârunt, nunc, vt coronentur, eò se conferunt, & Christi Vicarij pedes osculantur. Et hoc modo adimpletur illa promissio æterni Patris ad Filium, cui dixit: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Quis autem tam gloriosum triumphũ non admirabitur? In cuius animũ cadere posset, fore, vt Christiani, qui tunc erant abiectissimi, & neglectissimi omnium, Romæ dominarentur, & Imperatores ad suos pedes tenerent? Cui non est compertum, quòd minimè fieri poterat, nisi potens Dei brachium id operatum esset? Psal. 109.

At in hoc idolorum & tyrannorum, qui illa tuebantur, triumpho tria sunt maxima admiratione digna. Quorum primum illud est, quod omnium maximum beneficium fuit, Idololatriam funditus tollere, vt superiùs dixi. Alterũ, quòd hoc opus fuit magis oppugnatum, pluresq; aduersarios expertum est, in eo perficiendo, quàm quodcunque aliud in terris factum sit. Tertium, quòd hæc victoria præstantiori ratione comparata est, quàm quis suspicari poterat, & Dei gloria digniori.

Quod autem ad primum attinet, quod est, hoc fuisse omnium maximum beneficium, sic probatur. Nam iuxta Philosophiæ regulas, eò est aliquod bonum maius, quò maiori malo nos liberat; & eò maius est bonum, & diuinius, quò est vniuersalius. Quod autem maius malum est, quàm idololatriæ peccatum? quod autem maius bonum, quàm vniuersum mũdum ab ea liberare? Secundum, quòd hæc prouincia fuerit cæteris omnibus difficilior, id probatur duodecim Imperatorum Romanorum, qui domini totius mundi, & aliorum Regum fuerunt, oppugnatione, qui ea crudelitate, ijsque supplicijs idololatriam tuebantur, vt (quemadmodum Cyprianus inquit) in quolibet martyrum corpore plura tormenta, quàm membra essent. Ad quod & tempus durationis addimus, quod amplius, quàm ducenti anni, vt diximus, fuerunt. Tertium non minùs admirabile, fuerunt arma, quibus hi Christi inuicti equites pugnârunt: neque enim lanceis, neque ensibus, neque vitijs & voluptatibus concedendis, neque magnis donis, quæ solent animos corrumpere, neque Oratorum eloquentia, neque Philosophorum scientia, non Regum aut Imperatorum gratia id peregerunt. Quibus autem armis? Virtutum admirabiliũ armis, firmissima fide, inflammata charitate, inuicta fortitudine, inexpugnabili patientia, constantia mirabili, & summa fidelitate in summũ imperatorem, atque Creatorem. His autem armis perfectissimarum virtutũ Martyres omnem mũdi potentiam, atque inferni deuicerunt, fidem, & Ecclesiam à tyrannorum furore & rabie defenderunt.

Fortitudinem autem horum inclytorũ equitum describit sponsa in Canticis, cùm inquit: *Enlectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vnuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Id totũ mysticum, & spirituale est, vt reliqua omnia huius Cantici. Hic autem lectulus est sancta Ecclesia, in qua suauiter, & in iustorum animis ille cælestis sponsus quiescit, cuius deliciæ sunt, esse cum filijs hominum. Dicitur autem lectulus, vt differat ab illo regio lecto, quem in cælesti atrio habet, vbi in illis supernis & beatis spiritibus conquiescit. Hunc autem lectulum Ecclesiæ circundedit, & defendit à furore, & armis hominũ, Cant. 3. Prou. 8.

& à dæmonibus, Martyrum suorum fortitudine: qui vt equites inuicti fidei confessione defenderunt, & tyrannos cum omnibus suis minis nihili faciendo, quæ nihil aliud erant, quàm noctis timores à principe tenebrarum excitati. Quamobrem hi nobilissimi athletæ semper in spiritualibus armis erant, quæ diximus, vt illam defenderent. Et vt ostenderet, quàm præstò in illius defensione essent, non satis fuit sponsæ dicere, habere in manibus enses; sed subdidit, quod habebant in femore, vt qui ad illum corripiendum iam in promptu sint. Hæc erat exercitatio fidelium illius felicis ætatis, & apparatus. Propter hanc causam inquit Tertullianus, quòd non timebant Christiani eo tempore, neque sibi molesta videbatur tyrannorum persecutio. Ex quo enim tempore statuebant huiusmodi esse, se huiusmodi armis parabant, vt in prælio obsistere possent.

Imperatores ipsi cùm cernerent huiusmodi constantiã, & animaduerterent, se nihil cum Sanctis hac ratione facere, seq; rubore affectos esse, & superatos, à tormentis desistebant. Quod cùm videret Iulianus Apostata, alias rationes excogitauit, aliasq; artes, quibus cum fide certaret. Quo tempore illud cognitione dignum accidit ad id maximè accommodatum, quod Rufinus scribit. Accidit (inquit ille) quòd ille tyrannus, cùm Antiochiæ Apollini sacrificaret, responsum ab eo accipere non potuit, & à sacerdotibus quæsiuit huius silentij causam: responderunt, ibi propè adesse Babylæ martyris sepulcrum, & ob id idola iniuria affecta nolle responsa dare. Tunc iussit Imperator, vt Galilæi (sic enim ille solebat nominare Christianos) venirent, vt inde illius martyris ossa asportarent. Ecclesia statim congregata est, viri, fœminæ nuptæ, & virgines, senes, & pueri, maxima cum lętitia, & vestibus, quibus diebus festis vtebantur, & feretrum sancti Martyris solenni processione efferebant, magna voce clamantes: Confundantur, qui adorant sculptilia, & qui confidunt in eis. His & alijs huiusmodi cantibus resonabant Apostatæ aures, qui fidelium triumphalem processionem cernebat, quæ sex millia passuum spatium occupabat. Ex quo eo furore percitus fuit, vt sequenti die quotquot reperirentur capiendos, & in carcerem detrudendos, ibiq; grauissimis pœnis torquendos iusserit. Quod Sallustio eius Præsidi displicuit, licet paganus esset, iussu tamẽ Imperatoris id exequi cœpit. Cumq; iuuenem quendã caperet, quẽ casu primũ inuenit, nomine Theodorum, à diluculo vsque ad vesperã eum torsit magna crudelitate, carnifices ei renouando. Ille autem in tormenti loco positus, vndique satellitibus circundatus, nihil aliud curabat, nisi hilari vultu, & securo illum versum Psalmi repetere, quem pridie Ecclesia cantauit; Confundãtur, qui adorant sculptilia, & qui confidunt in eis. Cùm autem cerneret Sallustius, quòd iam omnia tormenta præscripta, quibus publico mandato Christiani illi torquẽdi erant, completa essent, cor quoq; ipsius iam molle fieret, & fortitudinem martyris attingere non posset, iterum in carcerem coniecit, & se ad Imperatorem recepit, vt de his, quæ facta erant, certiorem redderet; illique consuluit, ne in posterum hoc pacto in Christianos procederet, quod illius maiestati confusionem, & illis gloriam pararet. Hunc Theodorum vidi ego deinde (inquit Rufinus) Antiochiæ; & ab eo petij, num diu dolores sensisset: qui respondit, quòd vulnera sibi aliquantulum dolebant, sed apud se stetisse quendam iuuenem, qui mũdo linteo de vultu sudorem abstergebat, & frigida asperge-

In histo. Ecclesia cap 10. 11.

Psal. 96.

aſpergebat. Ex quo tantum percipiebat leuamē, vt maiori moleſtia fuerit affectus, cùm de tormento deponebatur, quàm cùm in illo impoſitus fuit. Salluſtij conſilio Imperator fuit contentus tantummodò Chriſtianis minari; quòd ſi victor Perſarū rediſſet, de illis ſe vindictam integrè ſumpturum. Ita eò diſceſſit, vnde nunquam reuerſus eſt. nam ibi percuſſus & interfectus fuit, ignoraturq; vtrùm à ſuis, vel ab hoſtibus, idq; poſt annum cum octo menſibus ſui malè poſſeſſi imperij. Hæc narrat Rufinus: in quo huius inuicti adoleſcentis conſtantia in cauſa fuit, ne vlteriùs perſecutio progrederetur.

Aliud quoq; nō minus dulce, & admirabile idem hiſtoricus narrat, quod quidē ad idem ſpectat. Edeſſa Meſopotamiæ eſt ciuitas à Chriſtianis habitata, & S. Thomæ Apoſtoli reliquijs nobilitata. Cùm per eam Imperator Valens tranſiret, vidit Catholicos, quos ipſe ab eccleſijs eiecerat, in cāpis ſuos cœtus celebrare: vnde tanta ira percitus fuit, vt ciuitatis Præfidi colaphum infregerit, quod, vt illius erat præceptū, longiùs à ciuitate non eieciſſet. Ille tamē (licet gentilis, & ab Imperatore iniuria affectus) in ſuo corde naturali humanitati locum eſſe voluit. Die autem ſequenti cùm exiturus eſſet, vt vniuerſum Chriſtianum populum tolleret, ſecretò effecit, vt omnes de hac re certiores fierent, vt in tutum locum ſe reciperent, ne eos inueniret, vbi conquirebātur. Die verò ſequenti cum maxima manu ſatellitum per totam ciuitatem iuit, & omnes vias explorauit, vt (ſi fieri poſſet) vel nemo, vel perpauci paterentur.

Dum autem id efficiebat, magnam populi multitudinem ad martyrij locum concurrere cernebat, cùm quilibet vereretur, ne deeſſet eo tempore, quo martyrij coronam reciperet. Inter alios vidit quandam mulierculam maxima cum celeritate domo egredientem, & ita imperterritam, vt neque oſtium clauderet, neque ſe ſatis bene amictu operiret, & ſecum manu filiū (quo meliùs poterat) trahebat, & maxima cum celeritate per medium agmen ipſius ſatellitum properabat. Tunc ille, cùm ampliùs ſe continere nequiret, inquit: Hanc capite mulierem, & ad me adducite. Ad quem vt venit, ille dixit: Miſerabilis mulier quò properas? Quæ reſpondit: Ad campū, quò Catholici conueniunt. Tunc inquit iudex: Nónne audiſti, quòd gubernator eò ſe recipit, vt quotquot inueniat ibi morte afficiat? Illa reſpondit: Propter hanc cauſam ita propero, vt & ego opportuno tempore adſim. Dixit iudex: Cur hunc puerum ducis? Illa inquit; Vt Deus tam præclarè cum eo agat, vt & ipſe martyr moriatur. Quod cùm audiſſet hic prudēs vir, iuſſit vt ſatellites reuerterētur, & carrū, quo vehebatur, ad Imperatorē referretur; & atriū ingreſſus inquit: Domine, ad mortem paratus ſum, ſi me vis interficere: ſed in Catholicorum gentes tuum mandatum non exequar. Imperatori autem, quidquid de illa præſtanti muliere audierat & viderat enarrans illius iram mitigauit, & perſecutio deſtitit. Hoc autem exemplo facilè cernitur, quòd mirabilis martyrum conſtantia tyrannorum furorem & rabiem facilè vincebat, & eò vſque perueniebat, vt à tormentis ceſſarent.

Pro Chriſti autem gloria, eiuſq; equitum fortiſſimorum, aliud teſtimonium adiungam, quo illorum inuicta cōſtantia, & fortitudo, qua, cùm victi eſſent & interfecti, vicerunt, & de mundo triumphârunt. Quod quædam epiſtola Maximini Imperatoris oſtendit, qui vbi omnes artes, & crudeliſſima inuenta expertus eſſet, vt Chriſti nomen extingueret, tandem cùm cerneret Euſe lib. 8. cap 29.

Ii 2 ſe nul-

se nullis artibus, nullis supplicijs, aut crudelitatibus martyrum constantiam vincere posse, consilium mutauit, & hanc Epistolam scribit, in qua suam sententiam, & leges reuocat his verbis: Imperator Maximinus inuictus Augustus &c. Inter cætera, quæ pro communi Reipublicæ vtilitate & commodo statuimus, volebamus iam antea ex veterum legum institutis, & publica Romanorum disciplina, omnia corrigi, inqúe pristinum statum restitui: & prouidentiam ac curam haberi, vt Christiani, qui maiorum suorum sectam & religionem deseruissent, ad rectam eiusdem institutionem reuerterētur. Verùm quoniam illi tanta animi insolentia inflati sunt, tantaq; elati arrogantia, vt quæ erant à veteribus decreta (quæ quidem fortasse maiores eorum sanciuerant) nullo modo sequerentur: sed suo quodam instituto, & vt cuique visum erat, sic quisque sibi cùm leges promulgare, tum easdem obseruare, tum in varijs locis varios hominum cōuentus cogere vellet: nos propterea edictum illicò tulimus, vt ad veterum instituta se transferrent. vnde complures periculo vitæ obiecti, nonnulli grauiter perturbati, varia mortis genera sustinuerunt. Et quoniam non pauci in eadem pertinacia persistebant, & eos nec Dijs cælestibus debitum cultum tribuere, neque Christianorum Deo veneration ē adhibere videbamus: nos idcirco ad mansuetudinem nostram & diuturnam clementiæ nostræ consuetudinem, qua omnibus hominibus veniam impartire solebamus, oculos conuertentes, libentissimè istud concessimus, vt homines denuò se liberè Christianos profiteantur: vt ædes, in quibus conuenire solent, resarciant. Hæc sunt Maximini epistolę verba.

Hæc igitur fuerunt arma, quibus Saluator noster de mundo triumphauit, quæ fuerunt virtutum arma, arma spiritualia, arma diuina. Nam si Deus pugnaturus erat, his armis pugnaret, necesse erat; & si victurus erat, his armis victor futurus erat. Nam non tantæ gloriæ illi fuisset, si sui brachij omnipotentia pugnasset, vt contra Pharaonem, & Sennacherib Assyriorū regem pugnauit, cùm vnica nocte ex illius exercitu centum & octoginta millia hominum interfecisset, deinde eundem suorum filiorum manibus. Huius autē victoriæ gloria fuit patiendo, & moriendo; & virginum mollium & delicatarum constantia Imperatores vincere.

Exod. 14.
4. Reg. 19

DE DVODECIMA CHRISTIANAE RELIGIONIS PRAEstantia, quæ Christi triumphum de illis, qui mortem illi procurârunt, continet. Cap. XIIII.

DVODECIMA Religionis Christianæ præstātia, est gloria, qua Christus de ijs triumphauit, qui mortem illi procurârunt; illos vlciscendo ijs rebus aduersis, quæ nunquā ātea auditæ neque visæ fuerunt: quas Iosephus grauissimus historicus, natione & professione Hebræus, in septem libris, quos de hac re conscripsit, narrat. De quibus inferiùs fusiùs tractamus: huius summam referemus, vt hanc materiam de Christi triumphis expediamus.

Sciendum igitur est, quòd statim post Christi mortem illorum calamitates per eundem iudicem Pilatum, qui Saluatorem damnauit, inceperunt, qui illum populum, qui sibi commissus erat, multis rationibus afflixit. Post illum autem alij illius prouinciæ Præsides secuti sunt, videlicet Festus, Felix, Florus,

Florus, Albinus, & Cestius; qui eiusmodi fuerunt, vt quilibet in eo omnia sua posita esse vellet, vt altero peior esset; & cum eo, quis improbitate, crudelitate, & auaritia peior esset, contenderet: itaq; quilibet illorum suo tempore illum populum afflixit tam multis rationibus direptionum, pecunijs corruptionum, iniuriarum, mortis, contumeliarum, & aliarum huiusmodi iniuriarum, vt illam miseram gentem ad rebellandum Romano Imperio excitaret, cùm illorum vires & arma aduersum illam potentiam tam imparia essent. Post hoc autem Vespasiani aduentus successit, idq; huius defectionis causa: qui decreuit priùs vicinas ciuitates expugnare, & maximè Galilææ prouinciam, cuius ipse Iosephus gubernator, & defensor erat. Vbi penè omnes illius prouinciæ ciuitates euersę fuerunt, & habitantes partim capti, partim interfecti.

Quàm multi autem vtrique fuerint, nemo narrat, sed nonnullarum solùm ciuitatum. Ex quibus tamen conijcere possumus aliquid, quòd in ciuitate Iotapatæ, quam Iosephus defendebat, obsidionis tempore, & in illius ingressu quadraginta millia hominum occisa fuerunt: in alia verò ciuitate, quę Tarichea dicebatur, penè totidem alia. Hinc colligi potest, quot fuerint illi, qui in alijs ciuitatibus capti, & interfecti fuerunt: in quibus multi sibi mortem consciuerunt, & suas vxores, & filios interfecerunt, ne in Romanorum manus peruenirent, alij se de montibus præcipites dederunt, alij in mare desilierunt.

Post harum ciuitatum expugnationem, Hierusalem quoque oppugnatio, & expugnatio secuta est, cuius calamitates, & infortunia, omnes tragœdias, omnesq; totius orbis terrarum calamitates facilè vincunt: fames autem eorum, qui in obsidione erant, tanta fuit, vt equorum stercus, & balthea, & calceos, & coria, quibus illorum fores ex altera parte tectę erant, alij siccas paleas comederent, & cuiuslibet generis stercoris, quod inueniri posset, paruum pondus quatuor numis venderetur. Numerus autem mortuorum, quem non terret? In illa enim obsidione partim ferro, partim fame mortua sunt vndecies centena millia hominum, qui eo tempore conuenerant ad agni Pascha celebrandum, quod extra Hierusalem celebrari non poterat. Quando post mundi creationem fuit vnquam obsidio, aut prælium, quorum mortuorum numerus ad dimidium huius numeri ascenderit? Captiui fuerunt nonaginta millia, quorum alij seruabantur, vt feris exponerentur; alij, vt inter se in ludis, & festis Romanorum occiderentur.

Hoc autem effecto, statim sequitur ruina illius celeberrimæ vrbis, omnibus gẽtibus notę, tribus munitissimis muris munitę, tribus famosissimis turribus fartæ, de cuius magnitudine, munitione, & pulchritudine, tam multa narrantur: at contra Deum nihil munitum est. Hæc igitur ciuitas tota cum suis pulcherrimis palatijs, & ædificijs, & in primis illo sacratissimo templo in toto terrarum orbe celebri, inflammata, & solo æquata fuit, vt lapis super lapidem non remanserit; ita vt (quemadmodum Iosephus refert) qui illac transisset, nullum vnquam ibi hominum domicilium extitisse iudicasset. Et vnà cum ciuitate desijt illud regnum antiquius quàm Romanorum Imperium, & ita, vt hactenus non sit restitutum, neque vnquam vllas vires acquisierit.

Sed iustitia diuina hac re non contenta fuit: sed vlteriùs progressa est, & sic

sic alia defectione ab Imperatore Traiano dissipati fuerunt, deinde crudeliter ab Adriano, postea à Valente, nunc autem dispersi & exules in omnibus terrarum orbis nationibus sunt, sine rege, sine templo, sine sacrificio, sine sacerdote, sine Reipub. ordine, oppressi, & afflicti tributis, & exactionibus ab omnibus nationibus. Quamobrem ex ijs, qui ita sunt hac tempestate exules, sic quærere possumus. Amici, quid factum est de illa tam veteri Republica? de illo celeberrimo templo? de illo Sacerdotum, & Leuitarum ordine? de illo cantorum choro? de illis tam suauibus instrumentis musicis? de illis vasis aureis tanto artificio elaboratis? de illis oblationibus, & sacrificijs, quæ ibi ab omnibus gentibus fiebant? & (si ordinem conuertimus) de illa Dauidis potentia? de illis diuitijs, & gloria Salomonis? in quare desijt illa maiestas, & amplitudo? Quis de cælo in terras deiecit Israel populum toties à Deo defensum, & reparatum? Quo pacto tam multis annis scabelli pedum suorum recordatus non est? quomodo permittit, vt ab omnibus nationibus opprimatur? Quo peccato tantum supplicium? Non idololatriæ peccato, quo in Babylonis captiuitatem perducti fuerunt. At illa captiuitas non amplius septuaginta annis perdurauit, quibus elapsis in suam pristinam Rempub. & administrationem restituti fuerunt. Nunc autem post mille & quingentos annos nondum illius regni restitutionem cernimus. Quænam erit tam longi exilij causa, quod quidem omnes superiores calamitates facilè vincit? Quid aliud hîc dicere possumus, nisi quòd, cùm Deus rectissimus & iustissimus iudex sit, (qui pondere & mensura vt pœnæ sceleribus respondeant facit) quantò diuturnius est hoc exilium, quàm superius, tantò hoc peccatum, quàm superius fuit, grauius est. Nunc autem omnes mundi intellectus mihi dicant, quod peccatu maius esse potest idololatria, nisi filij Dei, & omnium rerum creatarum Domini mors? Christi triumphus fuit, punitio, & vindicta huius peccati, quod vt fuit maius, quàm cætera peccata post hominum memoriam commissa, ita maiori calamitate, quàm vnquam antea, vindicatum fuit.

DE DECIMATERTIA RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAEstantia, quæ est, doctißimorum & sanctißimorum virorum testimonio fuisse comprobatam, & multò magis à sacris Concilijs. Cap. XV.



IN omnibus causis, quæ inter homines tractantur tam ciuiles quàm criminales, rei veritas virorum fide dignorum testimonio aperitur, & confirmatur. Nostra sancta fides & religio, neq; testimonijs, vel omnium certissimis profectò caret. Primùm enim huius veritatis testes sunt sanctissimi, & doctissimi viri, vnà cum sacris Concilijs. Testes etiam sunt sancti Martyres, vt idem nomen nobis significat, (Martyr enim testis interpretatur) qui suo sanguine nostræ fidei veritatem confirmârunt: & miracula à Deo facta ad hãc veritatem confirmandam testes sunt. Testes sunt Prophetæ, quibus non minor fides præstatur, & illorum propheciarum, quæ multis antè annis prædictæ fuerunt, adimpletio. De his autem quatuor testium generibus in præsenti tractaturi sumus, & primùm de sanctis doctoribus agemus.

Nunc

Nunc igitur sciendum, quòd (vt inquit Aristoteles libro primo Rhetoricorum) tribus de causis hominibus fidem præstamus, & verum dicere arbitramur. Prima, si sapiens est: secunda, si virtute præditus: tertia, si nobis amicus est. Sapientem enim non errare, bonum non mentiri, amicum non fallere suum amicum, existimamus. Ex his autem tribus duæ in multis Ecclesiasticis doctoribus profectò reperiuntur, qui nostram fidem testati sunt, & eam ab hæreticis omnibus defenderunt. Ex quibus nonnulli fuerunt in omnibus Philosophiæ generibus peritissimi, morali, naturali, supernaturali, quam Metaphysicam dicimus; vt fuit S. Thomas, S. Bonauentura, Albertus Magnus, Alexander de Ales, & Scotus, & alij permulti, qui horum philosophandi rationem secuti sunt. Alij tam Græci, quàm Latini fuerunt, qui eloquentiæ florem consecuti sunt: vt Magnus Basilius, & illius frater Gregorius Nyssenus, & illius amicus & condiscipulus Gregorius Nazianzenus, & ille Ioannes, qui horũ æqualis fuit, & propter magnam eloquentiam Chrysostomus dictus, quod Os aureum interpretatur, & qui hunc admirabatur Theodoretus, & horum antiquior Origenes. Inter Latinos verò Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, qui in lingua etiam Hebræa, Græca, & Chaldęa versatissimus fuit; & Lactantius Firmianus, quem ille Tullianæ eloquẽtiæ flumen vocat; & Arnobius, & in omnibus scientiis humanis cum eloquentia politissimus Boethius Seuerinus. Omnes hi doctissimi viri, clari in omnibus doctrinis, & humanis ac diuinis scientijs, cum alijs innumeris, de quibus in Catalogo Ecclesiasticorũ Scriptorum fit mentio, vbi in his scientijs tantum profecerunt, de nostrorum mysteriorum veritate tractanda, tradenda, scribenda, & inuestiganda ætatem consumpserunt, & hi omnes vna voce, vno spiritu, hãc à Christo reuelatam veritatem esse testantur, & confitentur.

Ad id autem accedit, eos fuisse viros sanctissimos, qui veritatis testes fide dignissimi sunt. Cùm enim essent ab omni corruptione & omnibus cupiditatibus inordinatis liberi, nihil habebant, quod eos detorqueret, & à veritate seiungeret, quam pluris faciebant, quàm omnes orbis terrarum thesauros: propter cuius puritatis inopiam Saluator noster Pharisæis dixit: Quomodo crederis, cùm hominum gloriam tanti, & Dei gloriam nihili faciatis? De improbis autem dixit Sapiens, quòd illorum malitia eos excęcauit, & veritatis cognitione priuauit. Quod contrà puris animabus accidit, & ab omni malitia liberis. Nam quemadmodum in mundo speculo lucis corporeæ radij clariùs splendent; sic in conscientia pura radij lucis spiritualis veritatis meliùs splendent. Ioan. 5. Sap. 2.

Ad id autem additur, quòd sancti viri semper cum Deo agunt, qui lucis est fundamentum, & veritatis, quam perpetuò ab illo petunt, vt faciebat Dauid, cùm aiebat: *Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.* Ob id illis magis, quàm alijs, suorum mysteriorum cognitionem communicat. Quamobrem inquit Ecclesiasticus, quòd sancti hominis anima meliùs veritatis cognitionem assequitur, quàm septem homines conspirantes ad vindictam; his verbis nobis significans, quanti sit vitæ puritas, ad Dei, & illius operũ cognitionem. Propter hanc causam Psalmographus inquit: *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Psal. 118. Eccli 37. Psal. 37.

Aliud

Aliud autem testimonium maius præter hoc nostra religio habet, quæ sacra Concilia sunt: tum propter Spiritus sancti assistentiam, qui Ecclesiæ magister est: tum quòd Sanctorum testimonia sunt singulorum, at Conciliorum est totius œcumenicæ Ecclesiæ testimonium, vbi congregantur omnes Prælati, & maiores Theologi, & literati, qui in Christianorum terris reperiuntur, & mirabili concordia & consensu ea tractant, quę sibi decernenda sunt.

Primùm enim sancti Spiritus pręsentia inuocata, Theologis hanc curam imponunt, vt Quæstiones examinent, ac disputent, quæ definiendæ sunt. Deinde alij ad id delecti, decreta ordinant, quæ statuenda sunt, & id defertur iterum ad Patres, si fortè quid esset, quod vel addendum, vel tollendum, vel mutandum esset.

Quo facto, emendatum iterum proponitur, & omnium suffragia & sententię petuntur. Ex quo fit, vt sæpe multi in eo menses consumantur, antequã aliquod decretum sanciatur, quod vnius veritatis est. Vt firmiter credentes, Spiritum sanctum adesse, summa industria, & diligentia, quid tenendum sit, examinent.

Ad has autem diligentias additur summi Pastoris Christi Vicarij, qui Romanus Pontifex est, confirmatio. Neque enim fides, neq; gratia, neque in Deo confidentia, media, quibus humana prouidentia vtitur, excludit: hac tamen conditione, ne in ijs nostra confidentia, sed in diuina prouidentia nitatur.

Hoc est præcipuum veritatis nostræ religionis testimonium, quod est innumerabilium doctissimorũ virorum, aliorumq; tum peritissimorum, tum sanctissimorum, & in primis sacrorum Conciliorum.

Hoc autem veritatis testimonio caruerunt, quæcunq; Sectæ in terris fuerunt. Neque hic loquor de Gentilium secta, quæ non solùm nullius sapientis Philosophi testimonium habuit, sed etiam cognouerunt omnes illius vanitatem, vt licet videre apud Tullium in libris de Natura Deorum, vbi illorum superstitionem damnat, qui inter Deos masculos, & fœminas, matrimonia, & partus, & generationes, & omnes infirmitates, quæ in humanis rebus cernuntur, ponebant. De Mahometanorum secta iam diximus, quòd pręcipui illius sectæ Philosophi, vt Auicenna, & Auerroes, Mahometum in præcipuo articulo damnant, in quo totius vitæ humanæ ordo, qui finis vltimus est, nititur. At quis dicet: Iudæi suos habent Rabinos, & doctores, qui illorum sectam tuentur, & scripturam interpretantur, & Talmud composuerunt, quod inter eos est, vt apud nos ius Canonicum. De hac scriptura inferiùs agemus, vbi Christianus lector tam multa videbit absurda, & mendacia, & turpitudines, nugas atque fabulas, quòd sine dubio fiet attonitus, & quasi extra se positus, cùm videat quomodo fieri potuerit, vt reperti sint homines, qui huiusmodi nugas scripserint, & alij tam cęci, qui eas crediderint. Affectionum autem vis, & diabolus, & peccati cæcitas atque malitia in illis plurimum potuerunt.

PRAEFATIO, VT AGAT DE TESTIMONIO NOSTRAE fidei quod in sanctorum Martyrum sanguine habuit: vbi declaratur, quàm sit gloriosum pro Deo martyrium pati.

Cap. XVI.

POST

POST sanctorum Doctorum testimonia, Martyrum sequuntur, qui non solùm verbis, verùm etiam operibus, & sanguine nostræ religionis veritatē testantur, cùm se trucidari pro illius cōfessione permiserint. Propter hanc causam Martyres dicuntur, qui testes interpretantur; quòd hac ratione fidei, quam profitebantur, testimonium dederint.

Non audebo quidem hanc rem tractare, nisi Spiritus sancti auxilio priùs inuocato, vt qui illis vires ad tam magna certamina superanda dedit, mihi verba, quibus aliquam illorum partem valeam explicare, largiatur. Fateor quidem, nullam materiam libentiùs, maiorīq; cum voluptate, nullamq; maiori cum tremore tractare, cùm sciam longè fore inferiora, quę dicturus sum, quàm ipsius rei dignitas postulat. Nam quę verba satis erunt, vt illa prælia exponam, quę Angelis, hominibus, Dæmonibus, & iisdem Tyrannis, vel ipsis carnificibus, qui Sanctos torquebant, maximæ admirationi fuerunt? Ex altera verò parte hi fortissimi milites, vt suas laudes silentio prætermittam, non patiuntur. Nam cùm annalium scriptores externos deceat (vt inquit Eusebius) certamina, victorias, arcus triumphales narrare, & res fortiter gestas consulum, & magistratuum cantare, vnà cum hostium & suorum ciuium cęde, in quorum historijs patriæ tumultus describebant, fœminarum eiulatum, filios parentibus orbatos; æquum est, vt in hoc opere (in quo agitur de ijs, quæ ad Deum pertinent) pugnas enarremus, in quibus caro pro salute animę conflixit, & bellum, quo viriliter ciuitatem cęlestem consecuta est; & certamina exponamus, quæ sanè feliciter confecit fidei virtute, in quibus nō aduersus mortales milites, sed contra spiritualia dęmonia se armauit; non pro terrenis possessionibus, sed pro cęlorum regno, & paradisi hæreditate; non vt ad tempus dominaretur, sed vt ab immortali Rege, & omnium gentium Deo æternam coronam acciperet.

Neque hęc res animarum maximis fructibus caret. Hinc enim nostra fides confirmatur: hinc nostra charitas accenditur. Hinc diuinæ gratiæ potentia cernitur, quæ tam infirmæ carni tantam fortitudinem tribuere potuit. Hinc patientia nostra viget, & nostræ molestiæ leuantur, pietas excitatur, & carnis nostræ commoditates damnantur, nostraq; desidia, atq; tepiditas rubore afficitur; cùm tam parua sint, quę pro cælorum regno facimus, si cum multis cōferuntur, quæ fortissimi athletę pro illo perpessi sunt. Hinc tandem negligentia nostra sine excusatione est, cùm videat, quid homo Dei gratia, quę nulli negatur, facere posset. Hæc est maxima Ecclesię gloria, tam multorum martyrum sanguine sua fundamenta iacta esse. Illud etiam mihi à Christiano lectore petendum est, ne me, vel longiori oratione vti existimet, vel importunum esse, si in hoc libro sępius de hac re tractauero, idq; diffusius: tam enim suauis est, tam opportuna, tamq; copiosa, vt licet de ea multa scribantur, nec scriptori noua certamina, quæ describat; nec legenti, quo se ipse ædificet, quæq; admiretur, defutura sint. Nam si ciuitates habitatoribus vacuæ fiunt, vt videant homines cum tauro contendere, & pugnare; quanto gloriosius erit hoc spectaculum, videre vndecim annorum puellam, cum totius mundi potentia, atq; inferni, confligere, & ex hac pugna victricem exire, & ita, vt tyranni, neque eius fidem, neque honestatem carpere possent?

Sed antequam ad hanc rem explicandam ingrediar, lectorem admonitum volo nonnulla, vt per ea maiorem fructũ ex hac lectione percipiat. Primùm enim, quoniam nõ omnium est, dignitatem rerũ spiritualium & altitudinem rectè ęstimare, cùm oculis corporeis videantur afflictæ, & imminutæ; breuiter tractabo de dignitate, & gloria, quæ tecta est sub illa iniuria, & ignominia, quæ in martyribus extrinsecus inesse videbatur. Quod in contumelijs capitis ipsorum martyrum, qui Christus noster Saluator est, videmus. Christi enim præsepio quid humilius est, cùm bestiarum proprius locus sit; & cruce, quæ sceleratorum hominum locus erat? Cuius autem tanta dicendi erit vis, tantaq́ copia, quę pulchritudinem, diuitias, gratias, thesauros, & gloriã, quæ in tam humili figura abdita sunt, explicare poterit? Quibus igitur oculis contumelias, & vilipensiones illorum capitis cernimus, ijsdem & illius pretiosorum membrorum, quæ in suo genere participantia sunt & sui capitis virtutis, & gloriæ, & pulchritudinis, intueri debemus. Causa autem huius gloriæ est dignitas & pręstantia virtutis, quę (vt inquit Plato) est inæstimabili pulchritudine: cùm autem patientiæ virtus in mortis periculo operetur pro-
Rom 5 bationem, (vt inquit Apostolus) inde fit, vt qui intellectus oculos habent, quibus rerum dignitatem & pretium discernant, nihil quod sit gloriosius, formosius, aut pretiosius, videatur. Idq́; eo pacto, vt quò sunt contumeliæ, abiectiones, & pugna maior, eò etiam huius virtutis admiratio, & pręmium maius sit.

Vt autem pius lector habeat oculos, quibus pulchritudinẽ cognoscat, quę in depressionibus, & carceribus, & vinculis sanctorum martyrum latet; hic nonnullas partes Epistolarum ascribam, quas sanctus Martyr Cyprianus ad eos scribebat, quando vel in vinculis detinebantur, & coronam expectabant, vel vbi fuerunt constantes & fortes, vt illam reciperent. In harum igitur epistolarum vna corroborans nonnullos sanctos Episcopos, & Sacerdotes, & alios multos, qui detinebantur in carceribus, & in latomijs pro fidei confessione, sic inquit:

Epist. 77. Gloria quidẽ vestra poscebat beatissimi ac dilectissimi fratres, vt ad conspectum atque ad cõplexum vestrum venire ipse deberem, nisi me quoque ob confessionem nominis (Christi) relegatum pręfiniti loci termini coercerent: sed quo modo possum repræsento me vobis, & ad vos etiã si corpore & gressu venire non datur, dilectione tamen & spiritu venio, exprimens literis animũ meum, quo in istis virtutibus & laudibus vestris lętus exulto, participem me computans vobis etsi non passione corporis, tamen consortio charitatis. An ego possim tacere & vocem meam silentio premere, cùm de charissimis meis tam multa & gloriosa cognoscam, quibus vos diuina dignatio honorauit, vt ex vobis pars iam martyrij sui consummatione pręcesserit, meritorum suorum coronam de Domino receptura: pars adhuc in carceris claustris, siue in metallis & vinculis demoretur, exhibens per ipsas suppliciorum moras corroborandis fratribus & armandis maiora documenta; ad meritorum titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cælestibus pręmijs, quot nunc dies numerantur in pœnis? Quę quidem vobis fortissimi ac beatissimi fratres pro merito religionis ac fidei vestræ accidisse non miror, vt vos sic Dominus ad gloriarum sublime fastigium clarificationis

suæ honore prouexerit; qui semper in Ecclesia eius custodito fidei tenore vigilastis, conseruantes firmiter dominica mandata, in simplicitate innocentiã, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, misericordiam in fouendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinæ seueritate censuram. Ac ne aliquid ad exemplum bonorum factorum deesset in vobis, etiam nunc in confessione vocis & passione corporis fratrum mentes ad diuina martyria prouocatis, duces vos exhibendo virtutis; vt dum grex pastores suos sequitur, & quod fieri à præpositis cernit, imitatur, paribus obsequiorũ meritis à Domino coronetur. Quòd autem fustibus cæsi priùs grauiter & afflicti, per eiusmodi pœnas initiastis confessionis vestræ religiosa primordia, execranda nobis ista res non est. Neq; enim ad fustes Christianum corpus expauit, cuius est spes omnis in ligno. Sacramentum salutis suæ Christi seruus agnouit, redemptus ligno ad vitam æternam, ligno prouectus est ad coronam. Quid verò mirum, si vasa aurea & argentea in metallum, id est, auri & argenti domicilium dati estis, nisi quòd nunc metallorum natura conuersa est, loca'q; quæ aurum & argentum dare antè consueuerant, accipere cœperunt? Imposuerunt quoq; compedes pedibus vestris, & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligauerunt; quasi cum corpore ligetur & spiritus, aut aurum vestrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus & fidem suam religiosa virtute testantibus, ornamenta sunt ista, non vincula; nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non à fabro, sed à Domino resoluuntur. O pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur. O pedes in seculo ad præsens ligati, vt sint semper apud Dominum liberi. O pedes compedibus & transuersarijs interim cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri. Quantum vult hic vel inuida crudelitas, vel maligna, nexibus vos suis & vinculis teneat; citò à terris & pœnis istis ad cęlorum regna peruenietis. Non fouetur in metallis, lecto & culcitris corpus, sed refrigerio & solatio Christi fouetur. Humi iacent fessa laboribus viscera, sed pœna non est cum Christo iacere. Squalent sine balneis membra situ & sorde deformia, sed spiritaliter intus abluitur quod foris carnaliter sordidatur. Panis illic exiguus: At non in solo pane viuit homo, sed in sermone Dei. Vestis algentibus deest: Sed qui Christum induit, & vestitus abundanter & cultus est. Semitonsi capitis capillus horrescit: sed cùm sit caput viri Christus, qualecunque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini nomen insigne est. Omnis ista deformitas detestabilis & tetra gentilibus quali splendore pensabitur? Secularis hæc & breuis pœna, quàm clari & æterni honoris mercede mutabitur, cùm secundùm beati Apostoli vocem transformauerit Dominus corpus humilitatis nostrę conformatum corpori claritatis suę? Sed nec in illo fratres dilectissimi aliqua potest aut religionis, aut fidei iactura sentiri, quòd illis nunc sacerdotibus Dei facultas non datur offerendi & celebrandi sacrificia diuina. Celebratis imò atque offertis sacrificium Deo & pretiosum pariter & gloriosum, & plurimum vobis ad retributionem præmiorum cælestium profuturum; cùm scriptura diuina loquatur & dicat: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicit.* Hoc

2. Tim. 2 — Deut. 8. — 1. Cor. 11 — Philip. 3. — Psal. 50.

vos sacrificium Deo offertis, hoc sacrificium sine intermissione die ac nocte celebratis, hostiæ facti Deo, & vosmetipsos sanctas atque immaculatas victimas exhibentes. Hic est ille calix, quem Propheta pro omnibus, quæ Dominus tribuit, offerre volebat. Quis non libenter & promptè calicem salutis accipiat? quis non appetat gaudibũdus & lætus, in quo aliquid & ipse Domino suo retribuat? quis non pretiosam in conspectu Domini fortiter & cõstanter mortem excipiat, complaciturus eius oculis, qui nos in congressione nominis sui desuper spectans volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat, retributione pietatis paternæ remunerans in nobis quidquid ipse præstitit, & honorans quod ipse perfecit? Quæ vos omnia fortissimi ac fidelissimi milites Christi insinuastis fratribus nostris, implentes factis quod verbis antè docuistis; futuri maximi in regno cælorum pollicente Domino & dicente: *Qui fecerit & sic docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum.* Denique exemplum vestrum secuta multiplex plebis portio, confessa est vobiscum pariter, & pariter coronata est; connexa vobis vinculo fortissimæ charitatis, & à præpositis suis nec carcere, nec metallis separata. Cuius numero nec virgines desunt, quibus ad sexagenarium fructum centenus accessit, quasq; ad cælestem coronam gloria geminata prouexit. In pueris quoque virtus maior ætate annos suos confessionis laude transcendit, vt martyrij vestri beatum gregem & sexus, & ætas omnis ornaret. Qui nunc vobis, dilectissimi fratres, conscientiæ victricis vigor? quæ sublimitas animi? quæ in sensu exultantia? qui triumphus in pectore? vnumquemque vestrum stare ad promissum Dei præmium, de iudicij die esse securum? ambulare in metallo, captiuo quidem corpore, sed corde regnante?

Psal. 115.

Matth 5

Hæc est gloriosi doctoris, episcopi & martyris Cypriani epistolæ pars. Cuius huc possem transferre alias epistolas in eandem sententiam scriptas, in quibus videret Christianus lector, quàm magna gloria, & pulchritudo sit in illis rebus clausa, quæ mundanis hominibus viderentur abiectæ, atque perculsæ: sed vt prolixitatem vitaremus, eas ascribere nolui. Qui tamen altitudinem sub hac demissione tectam videre cupit, legat, quod S. Chrysostomus scribit in illa verba, quæ Apostolus ad Ephesios scribit, cùm inquit; *Obsecro vos fratres, ego vinctus in Domino, &c.* Hic quidem videbit, quàm magna hic doctor dicat de huiusmodi oppressione, cùm probet præstantius esse pro Christo in carceribus esse, quàm miracula facere, & mortuos resuscitare, quamque ad tertium cęlum raptum esse, & magis quàm inter Angelorum choros versari, inquiens, quòd nisi teneretur in sua Ecclesia residere, nunquam conquiesceret, quoad has videret catenas, complecteretur, & deosculaturetur. Hęc eò spectant, vt nobis oculi adaperiantur ad iniurias, & oppressiones sanctorum Martyrum, de quibus hîc verba facturi sumus, veneremur, & plurimi faciamus.

Ephes. 4.

Ad id aliud in hanc sententiam addemus. Sanctissimo Gregorio Papæ Imperatrix Constantinopolis misit viros, qui caput sancti Pauli Apostoli postularent. Pontifex autem ille religiosissimus respondit, se nullo modo velle Romam illo pretiosissimo thesauro spoliare: pro ea tamen id solum facturum esse, vt limaret aliquantulum ex illa catena, qua ille gloriosus Apostolus Nerone Imperatore detinebatur, seq; id tanquam pretiosas reliquias ad eam esse missu-

missurum. Hinc autem (vt dixi) facilè cernetur, quanti fecerint sancti viri illud quod omnium abiectissimum & vilissimum mundus existimauit. Hinc etiam vnà intelligitur, quàm sit gloriosum, multisque præmijs dignum, molestias, calamitates, persecutiones, & iniurias pro Christo pati; & quàm sit dignum, quod ab ijs fiat, & desideretur, qui eum amore prosequuntur.

Præter ea quæ dicta sunt, illud etiam eos admonitos volo, qui omnia vel vtilitate, vel damno corporum metiuntur, ne, cùm crudelia tormenta hîc legerint, quæ sancti martyres patiebantur, scandalizentur, aut perterreantur, cùm videant diuinam prouidentiam non eos fulminibus de cælo absumere, qui tam crudeliter Sanctos tractabant, vel imam terram nō dehiscere, & eos absorbere, vt Dathan & Abiron. Harum enim passionum genere cognito, videbunt, quantò latiorem campum habeant hîc laudandi Dei, quàm de eo expostulandi. Num 16.

Quamobrem illud priùs supponamus, Deum generatim in omnibus suis actionibus illud spectare, vt ex altera parte gloria sua eluceat, & ex altera hominum vtilitas appareat; vt in nostræ redemptionis opere facilè cernitur, quæ potissimùm ad gloriam Dei spectat, & ad communem humani generis remedium. Id autem declarauerunt Angeli, quando nato Saluatore cantàrunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus. Luc. 2.

Illud etiam supponendum est, quòd hic Dominus, vt iustissimus rerum æstimator, multò pluris facit animarum salutem, & bonum, quippe quæ immortales, & Angelis similes sunt, quàm corporum, quæ corruptibilia sunt, & beluis similia. Quod præter multa exempla cernitur in prouidentia, quam adhibuit in S. Ioannem Baptistam, cùm tam multis gratijs illius animam, vel antequam nasceretur, sanctificauerit, & ditissimam reddiderit: illius tamen caput pro puellæ saltu dedit. Idem cernitur in Hieremia, qui in materno vtero sanctificatus fuit, & in vitæ fine vt lapidaretur permisit. Matt. 14.

Hoc autem cùm ita se habeat, cumq; Deus cognoscat, quantò maiorē vtilitatem Ecclesiæ afferat bellum, quàm pax; quòd bellum & persecutio (vt inquit S. Chrysostomus) faciant Martyres, sed pax & secundæ res homines molles, & effœminatos, & ambitiosos; illud Ecclesiæ magis petebat, quod illi esset vtile, quàm quod damnum afferret. Quòd autem res ita se habet (præter illud, quòd hæc est communis Sanctorum sententia) adducam Eusebium grauissimum auctorem, qui, tanquā ille qui interfuit, idem affirmat, cuius sententiam totidem verbis in hunc locum transferre volui. sic igitur inquit: Quantum splendoris doctrina veræ pietatis in Deum omnium rerum gubernatorem, mundo per Christū patefacta, apud omnes homines, Græcos simul ac Barbaros, ante istam persecutionis tempestatē, quæ nostra ingruit memoria, obtinuerit, & quàm liberè inter eos prædicata fuerit, maius quiddā est, q̄ quod nos nostra in dicēdo tenuitate satis pro dignitate explicare possimus. Cuius rei argumento esse poterit singularis Imperatorū humanitas, qua nostros tam benignè exceperunt, quibus quidem tum prouinciarum præfecturas gratuitò impertierunt: tum propter incredibilem beneuolentiam, quam erga nostræ religionis professionem habebāt, omni afflictatione & molestia, quam pro Dei amore homines Christiani solent perpeti, eos penitus liberārunt. Euf. hist. Eccl. lib. 8. cap. 1.

runt. Quid de his attinet dicere, qui sunt in Imperatorum palatio magnam dignitatem adepti: deq; ipsis Imperatoribus, qui domesticis suis pro sermone diuino propagando, & pia vitæ ratione degenda ipsi velut inspectantes, copiam fecerunt liberè & ingenuè dicendi: atque adeo suis ipsorum vxoribus, liberis & seruis, quasi palam de mira fidei libertate gloriādi exultandiq; potestatem permiserunt? Quos certè chariores habuerunt, & magis eximiè dilectos, quàm reliquam seruorum turbam: qui suo Deo suæq; legi fideles erāt, nec de sua fide malè sentirent. vt Dorotheum illum (regis cubicularium) qui præter cæteros erga illos & beneuolentiā summam ostendit, & fidem nō minorem: ac propterea præ alijs, qui magistratus & præfecturas in imperio gerebant, amplissimum honoris gradum adeptus est. vt Gorgoniū, qui non dissimili fama & celebritate enituit: vt alios non paucos, qui propter Dei verbum sunt parem cum illis dignitatem consecuti. Quomodo quisquam conuentus illos infinita hominum multitudine frequentatos, multitudines, in singulis ciuitatibus coactas, illustres hominum in templis concursus, poterit oratione explicare? Vnde cùm in antiquis illis ædificijs non satis loci haberēt, ampliores ecclesias in vniuersis vrbibus, fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis, erexerunt. itaq; istæ res vnà cum tempore indies maiores progressiones faciebant, incrementoq; & magnitudine augescebant, & ad excelsum properabant. neque vesanus ille & perditus Dæmon, vel suo ipsius conatu eas in inuidiam rapere, vel hominū insidijs vlla ex parte impedire potuit, quòd cælestis Dei manus populum obtexit promerentem eius auxilium tum fidei constantia, tum iustitiæ obseruantia. Verùm cùm nos præ nimia quadam licentia in mollitiem delicatam essemus prolapsi, cumq; alij alijs inuidere, maledictis insectari, & propè nos ipsi inter nos petulantibus linguis tanquam mutuis armis oppugnare, & casu aliquando verborum contumelias velut hastas vnus in alium intorquere, & præsides Ecclesiarum alter alterius vires infringere, & populus in populum seditionem concitare occiperent: cumq; ficta & adumbrata sanctitatis species, quæ oratione nequit exprimi, & simulatio fronte occultata ad immensam quandam prauitatem serpsisset, diuina vltio, dum permagna adhuc Christianorum vbique versabatur frequētia, parciùs, aliquando remissiùs & moderatiùs, vt solet, primò persecutione ex fratribus, qui militiam exercebāt, inchoata, cœpit in nos animaduertere. Sed vbi veluti sensibus orbati, & præstricti mente, nulla cura aut cogitatione incubuimus, vt diuinum numen in nos incensum, beneuolum & placatum efficeremus: sed tanquam impij nostras res à Deo nec curari, nec animaduerti arbitrati, alia vitia alijs aceruatim adiecimus: & pastores nostri depulsa repudiataque pietatis regula, dissidio & contentione inter se exarserunt: quinetiam nullas alias res prætorquam discordias, minas, æmulationem, inimicitias & odium inter ipsos mutuò adaugere studuerunt: & animis ambitionis æstu incensis, tyrannorum more principatum obtinere laborārūt, non autem sacerdotum: & pietate neglecta, & Christiana puritate, sacra mysteria secularibus animis administrabant.

Hactenus Eusebius. Post quæ Diocletiani & Maximiani Imperatorum persecutionem narrare cœpit, quam permisit Deus, vt esset remediū damno & morbo, quem secundæ res & diuturna pax generauerant. Quod ego hîc retuli,

tuli, vt cernatur, quòd diuina prouidentia in flagellis & punitionibus clarius elucet, quàm in secundis rebus,& commoditatibus; quodque id non est illi nouum, sed frequens, & vsitatum. Et ita ille per S. Ioannem inquit: *Quos amo, arguo,& castigo.* Et per Amos Prophetam cùm verba faceret cum suo populo inquit: *Tantummodò vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Apoc. 3. Amos 3.

Hæc persecutio pariter ad ipsorum Martyrum gloriam spectabat, qui vel vnius horæ, vel vnius diei labore, quietis æternitatem, & præcipuam Martyrij coronam,& inter Angelorum choros altissimam sedem, consecuti sunt. Nam quemadmodum ad extremum eorum peruenerunt, quæ pro Dei gloria fieri possunt, quod est vitam amittere; sic & eis in suo regio palatio locū omnium altissimum, & nobilissimum tribuit; & quemadmodum tum fideles, tum constantes in illius nominis confessione fuerunt, sic & ille, imò multò magis, in remunerando, cumulandoq́ erit. Illorum gloriam narrat S. Ioannes in Apocalypsi, cùm inquit: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus,& tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis,& palmæ in manibus eorum,& clamabant voce magna dicentes; Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & Agno. Et respondit vnus de Senioribus,* qui stabant ante thronum Dei, *& dixit mihi: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? Et dixi illi: Domine mi,tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna,& lauerunt stolas suas,& dealbauerūt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei,& seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos: non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque vllus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos,& deducet eos ad vitæ fontes aquarum,& absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Hæc omnia inquit sanctus Ioannes. Hic autem facilè dijudicari potest, num sancti Martyres decepti fuerint, cùm tam breui labore tantam sibi gloriam sint adepti, vt Angelus Dei (qui rerum omnium Dominus est) vt pia mater lachrymas ab illorum oculis absterserit; & eis pro certo labore in regni sui apparatiori loco æternam quietem tribuerit. Apoc. 7.

Quantopere autem Deus sit horum gloriosorum Martyrum victorijs & triumphis glorificatus, quis verbis assequi poterit? Multæ enim rationes sunt, quibus homines suum Creatorem glorificant,& laudant. De quibus inferiùs tractabimus vberiùs, vbi de fructibus arboris Crucis agemus. Nunc autem breuiter dicamus, quòd alij Deo gloriam dant psalmis, & laudum vocibus; alij puritate vitæ; aliqui verò illius bonitate & prouidentia freti sese huius mundi molestijs & periculis iustis offerendo, alij pro illius gloria mundi persecutiones patiendo, alij alijs rationibus. Ratio verò præstantissima illum glorificandi est, pro eo mortem pati, vt illi seruiamus, maximeq́ cum diuturna, & varijs, & crudelissimis tormentis exercitata est. Hoc enim non est vnicam mortem pati, sed multas; quo modo sancti Martyres, vt infrà videbimus, passi sunt. Quòd autem id sit Deo gloriam dare, sanctus Ioannes Euangelista nobis significauit, cùm inquit, sanctum Petrum in cruce mori, esse Deum glorificare, & Christum sequi; cùm sit magna gloria Dominum sequi, vt inquit Ecclesiasticus. Hoc igitur cùm ita se habeat, nihil est in tota humana natura, à gratia adiuta, quo Creatorem magis honore- Ioan. 21. Eccli. 23.

mus,

Quonam autem modo hæc tria sonorum genera consentiunt inter se, magni tonitrus, & multitudinis aquarum, & suauis citharæ musicæ? Id omne mysticum, id omne spirituale est.

Isa.24. In hoc autem tonitru magno Euangelij prædicatio intelligitur, quæ in omni terrarum orbe insonuit, vt Isaias significauit, cùm dixit: Ab vltimis terræ finibus audiuimus laudem, & gloriam iusti; qui Christus nostræ iustitiæ auctor est. In multitudine aquarum intelligimus magnas tribulationes, & tempestates, quas sancti Apostoli, & Martyres propter eam prædicationẽ passi sunt. In musica verò citharæ, quam hi sancti martyres faciebant, gloriam & laudem intelligimus, quam ipsi suo Creatori dabant suorum corporũ passione. In cithara enim sunt fides, quæ concentum efficiunt, quæ sunt ab omni humore purgatæ, tortæ, & in ea distentæ, & hac ratione musicæ deseruiunt. Idem in sanctis Martyribus cernimus, qui omni amore & affectione rerum caducarum, vel suæ vitæ liberi, diuersis tormentis flagellati, & afflicti fuerunt. Sanctorum enim Martyrum corpora vel in craticulis posita, vel in cruce fixa, & in lignis distracta, quidnam aliud erant, nisi harum cithararum fides, quæ in Dei auribus mirabiles concentus efficiebant? In his autem citharis æternè sonant & cantant sancti martyres, sui Creatoris laudes canentes, illius gloriam, & gratiæ potentiam prædicantes, qua ipsi tam magna certamina pro illius amore deuicerunt.

Hîc pariter alia mirabili ratione gloria diuinæ bonitatis, & prouidentiæ relucet. Præter enim interiorem fortitudinem gratiæ, qua Deus suis seruis opem ferebat, alijs quoque auxilijs extrinsecus eos adiuuabat. Nonnunquam enim ignis flãmas extinguebat, vt S. Luciæ fecit; alijs in carcere vulnera curabat, vt S. Margaritæ, & S. Agathæ; alios visitabat in vinculis, vt S. Catherinã martyrem: ad alios mittebat Angelos, qui eos consolarentur suauissimis cantibus, vt ad S. Vincẽtium: alijs catenas, quibus detinebãtur, soluebat, vt S. Paulo, & illius socio Silæ: alios magis in fide confirmabat per miracula, quæ ipsi operabantur, vt S. Laurentium, qui captus cæcos illuminabat: alios multorũ conuersione consolabatur, qui tum horum, tum aliorum mirabilium virtute ad fidem se conuertebant, & martyrium vnà cum illis patiebantur, vt de illis quinquaginta oratoribus scribitur, qui ad fidem S. Catherinæ doctrina conuersi fuerunt, & per eam martyrium passi sunt. Multa reperiuntur huiusmodi exempla, licet hæc pauca tantùm attigerim. Sæpe leones & alias feras, mansuetas efficiebat, ne suos contingerent seruos: cuius rei hîc cognitione dignum exemplum narrabo, quod quidem minimè fieri poterit quin multam pietatem & admirationem in legentibus excitet, cùm in animo tantas diuinæ prouidentiæ illecebras, & gratiam, de qua hîc verba facimus, euoluerint. Hoc autem narrat Eusebius in Historia, vt qui interfuit, & id vidit.

Eusebius hist. Eccl. lib. 8 cap 7. Nunc ego narrabo ea, quibus interfui ego, & oculis vidi. Tyranni noua tormentorum genera parabant, vt alio post alium vterentur. Primum illorum corpora ferreis pectinibus scalpebant. Statim post plagas dimicationem cum bestijs voracibus, inquẽ ea pardorum, vrsorum immanium, aprorum agrestium, taurorum denique igne & ferro ad rabiem acriter incitatorum impetus, & eximiam generosorum martyrum contra cuiusque bestiæ ictum tole-

olerantiam. In quos hæc omnia tormenta parabantur,& magna crudelitate homines, feræ, & elementa sese armabant. Et quanquam sancti Dei athletæ nudi consistebant in medio, manibusq; eas prouocabant, & in se pertrahere conabantur, (hoc enim vt agerent, illis erat imperatum) illos tamen solos non omnino attigerunt: verùm interdũ, dum in eos irruebant, tanquam diuiniore quadam vi ac virtute fuerunt repulsæ, & retro denuò quàm mox resilierunt. quod cùm diu fieri cerneretur, non exiguam infidelibus spectantibus excitauit admirationem, vsque adeò, vt prima bestia frustra incursante secundam & tertiam in vnum eundemq; martyrem dimitterent. Interea nõ modò virilem & intrepidam sanctorum illorum animi tolerantiam, sed firmam etiam atq; inflexibilem in teneris corporibus constantiam cum stupore quodam mirari licuerat. Vidisses enim adolescentulum non viginti annos integros natum, nullis constrictum vinculis, firmè consistentem, manibus in crucis modum è transuerso expansis, robusta & excelsa mente in precibus ad Dei numen fundendis attentissimè defixum: neque omnino se commouentem, neque in hanc vel illam partem de loco, in quo steterat, deflectentem: idq; cùm vrsi & pardi furorem & mortem in eum exhalarẽt, cumq; iam eius carnem dentibus lacerare aggrederentur: quorum ora diuina quadam & inexplicabili potentia nescio quo pacto fuêre propè obturata, & iterum ipsi retro properè recurrerent. sed de isto hoc modo. Alios rursum cernere potuisses (omnes enim simul quinque erant) agresti & immani tauro obiectatos: qui nonnullos ex infidelibus propiùs aduentantes cornibus in aerem coniecit, eosq; discerpsit miserè, & semiuiuos hominum manibus inde auferẽdos reliquit: verùm ad sanctos martyres solos, dum furore & rabie exardescens in eos irrumpere conabatur, ne appropinquare quidem poterat: & tametsi pedibus atque cornibus huc illucq; vibratis insultabat, & cauteriorum incitamentis lacessitus contra illos terrorem spirabat, tamen retrogradu cursu diuina sacri numinis prouidentia repulsus fuit. Quæ quidẽ præsentibus omnibus maximum terrorem incutit, & ipsi Martyres coram tot beluis læti, & sereno vultu persistebant.

O duræ & attonitæ hominum animæ, cùm beluarum ferocitas Dei virtute tenera fiat, & hominum rabies, quàm beluarum maior, non placatur: illud etiam experiri voluerunt, ex gentilibus sceleratos homines illis beluis obtulerunt, quorum alij à leonibus, alij ab vrsis, alij à leænis lacerati fuerũt, alij à taurorum cornibus in aerem eiecti, neque beluæ sic carne illectæ ad Dei seruos accedere audebant, qui tanquam munitissimo muro superna virtute circundati erant, illud verbum, quod dixerat, adimplendo: *Vbi erunt duo vel tres congregati in nomine meo, ero ibi in medio eorum.* Cùm autem viderent tam multis artibus nihil omnino proficere, alias beluas in eos immiserunt. Quæ cùm ne molestiam quidem Sanctis afferrent, tandem rabidos homines, tigride crudeliores, post graues & varias beluarum incursiones, in illos immiserunt, & illud gladio perfecerunt, quod beluæ ne incipere quidem voluerunt. Matt. 18.

Hanc suauissimam historiam narrat Eusebius, in qua pius lector videbit, quàm magna fuerit sanctorum Martyrum consolatio, cùm tam magnã gratiam diuinæ prouidentiæ in se ipsos cernerẽt. De illis tribus pueris, quos Na-

Digitized by Google

Dan. 3. buchodonosor in caminum ignis ardentis mittendos iussit, quòd statuā auream adorare noluerūt, scribitur, quòd ab igne cùm læsi non fuerint, alio maiori igne illorum corda inflammata, Dei scilicet amore, qui sic illos seruauerat, illū Psalmum canere cœperunt, qui incipit: *Benedicite omnia opera Domini Domino*. In quo creaturæ omnes cæli, terræ, & aeris inuitantur, vt secum laudent Dominum, qui suis fidelibus seruis succurrere voluit. Quid minus factum esse ab ijs sanctissimis Martyribus credendum est, cùm se tam multis beluis circundatos cernerent, & nullam tamen ab ijs molestiam patientes? Quas gratias? quas laudes? quas benedictiones Deo tribuisse credendum est, qui tantopere illis fauit, & in tanto conflictu defendit? & quàm libenter pro tanto Domino securi sua colla securibus offerebant, præsertim cùm statim post mortem coronam, quam quasi in manibus iam habebant, expectarent?

Possem hic alias referre gratias, quas Deus suis Martyribus fecit, præsertim virginibus, de quibus ante mentionem fecimus, ad hanc veritatem comprobandam. Sed hæc hactenus.

DE DECIMAQVARTA CHRISTIANAE RELIGIONIS *præstantia, quæ est, innumerabilium Martyrum testimonio fuisse confirmatam.* Cap. XVII.

PRAEFATIONE exposita, sequitur, vt tractatum aggrediamur, in quo mirabilem sanctorum Martyrum victoriam, & testimonia illorū de nostra sanctissima Catholica fide exponamus. Vt autem hanc materiam tractemus, in memoriā reuocare oportet illas duas spiritales ciuitates, quas in libris de Ciuitate Dei S. Augustinus describit, quæ Hierusalem, & Babylonia sunt. quarum habitatores, principes, & ministri, valde inter se differunt. Hierusalem enim habitatores omnes boni sunt; Babyloniæ verò omnes improbi. Alterius caput Christus est, alterius verò diabolus. Illam ciuitatem ædificat Dei amor, cùm eò peruenit, vt se ipse negligat; hanc sui ipsius amor, cùm eò peruenit, vt sui ipsius causa Deum negligat. Harum ciuitatum habitatores perpetuò inter se
Prou. 9. digladiantur. Iusti enim (vt inquit Salomon) improbum oderunt, & impro-
Eccl. 33. bi iustum. Sic & Ecclesiasticus inquit: *Contra malum bonum est, & contra mortem vita: sic & contra virum iustum peccator.* Hoc autem bellum minimè nouum est,
Gene. 4. cum mundo enim ortum est: & cùm Cain suum fratrem Abel interfecit, non
1. Ioan. 3. alia de causa id factum fuit, nisi (vt inquit S. Ioannes) quòd Abel actiones bonæ erant, & Cain malæ.

Harum autem ciuitatum vtraque suos habet milites, & defensores. Aduersus Babyloniæ vrbē Christus pugnat cum suis omnibus: aduersus verò Hierusalem, huius mundi princeps cum omnibus suis sectatoribus. In altera parte spiritus; in altera caro pugnat, quæ in eo inuigilat, vt de statu suo spiritum deijciat, & demergat. Corona, pro qua altera pars pugnat, est Dei gloria: finis verò, pro quo altera pars contendit, est suijpsius amor, Dei gloria neglecta.

Babyloniæ autem principatus cùm Dei gloriæ sit tam aduersus, tamq; iniuriosus, itaq; latè in omni terrarū orbe pateret, (vbi nemo Dei veri recordabatur, & huius mundi princeps adorabatur) filius Dei propter iniuriam

Patris sui indignatus, & hominũ cæcitate misericordia motus, in hunc mundum venit, vt cum hac fera belua pugnaret, & de mundo in exilium eijceret. Hoc illud est, quod omnes antiqui Patres continuò petebant. Hoc enim desiderabat Dauid, cùm postulabat, vt hic potentissimus Dominus accingeret sibi ensem, & in femore poneret, vt cum hoc hoste confligeret. Idem petebat Isaias, cùm dicebat: *Consurge, consurge, induere fortitudine brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus seculorum. nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?* In quibus verbis Propheta petit à Saluatore, vt quemadmodum initio creationis rerum de cælo deturbauit Luciferum ad inferos; sic nunc de mundo in exilium eijciat, cui tyrannus dominatur. Quã eandem victoriam idem Propheta annuntiauit, cùm de huius Domini operibus verba faciens, inquit se venire ad annuntiandum mundo Iubilei annũ, & diem vltionis: Iubileum, pro peccatoribus; & diem vltionis, pro dæmonibus, qui homines deceptos ducebant. Hunc eũdem vltionis diem & victoriæ pollicitus est idem Dominus paulò ante suam passionem, cùm inquit: *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra*, id est, in cruce positus, *omnia traham ad meipsum.* Idem vidit in spiritu S. Ioannes in Apocalypsi, vbi dicit, *se vidisse Angelum habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes.* Hic autem Angelus, Christus est noster Saluator secundùm humanam naturam, qui suæ gratiæ virtute, & per Apostolos suos, & Apostolicos homines hanc feram de mundo eiecit, ne in posterum, vt antè, amplius adoraretur.

Psal. 44.
Isa. 51.
Isa. 61.
Ioan. 12.
Apo. 20.

Iam verò videamus, quos delectus ambo hi duces ad hoc certamen habuerunt; & quibus armis quilibet suos instruxit. Christus autem ad hanc rem nonnullos rudes, pauperes, ignaros piscatores, homines sine literis, sine nobilitate, sine eloquentia, sine alio huiusmodi humano auxilio, delegit. Hos verò instruxit non ferreis armis, sed Spiritus sancti fauore, & gratia; & omnibus virtutibus, & in primis illis præcipuis tribus, quæ Deum spectant, & honorant, quæ sunt Fides, Spes, & Charitas: hasque non remisso gradu tribuit, sed perfecto, non quemadmodum Sancti incipientes, sed vt perfecti possident. Quod nobis hoc loco declarandum est. Vt autem id intelligatur, sciendum est, quòd immensa Dei bonitas ita in hac vita suos familiares tractat, (cùm iam eos à mundo segregatos, & ab omni carne alienos, & iam spiritales homines factos, atque diuinos cernit) vt illius vini cœlestis speciem illis tribuat, & æternorum bonorum quasi primitias, quibus quidem perpetuò (vt antè diximus) fruituri sunt. His enim numis in terris centuplum tribuit, vt in Euangelio pollicitus est, gratijs tribuendis, & mercedibus, magnisque consolationibus illis, qui illius causa omnia mundi solatia renuntiarunt. In hanc sententiam dico igitur, quòd hæ tres virtutes, quas Theologicas dicimus, suas habent in cælo mercedes. Fidei enim pro mercede clara summi boni visio; spei, possessio; charitati, fruitio dabitur. Perfectis autem hominibus hanc præcipuè gratiam facit in hac vita, vt sint cuiusdam similitudinis gloriæ participes, quæ in altera his tribus virtutibus tribuenda est. Fides enim in huiusmodi eò peruenit, vt non solùm muniatur, verùm etiam Spiri-

tus sancti donis ita illustretur, vt illorum multi fidei mysteriorum veritatem non credere, sed videre sibi videantur. Ita etiam gloriæ spem tam firmam, tam viuam, tamque securam habent, vt iam eam in manu tenere videantur. Hi sunt illi, quos dicunt mortem in optatis, & vitam in patientia habere, propter huius spei firmitudinem, quæ in nonnullis tanta erat, vt alijs fauores pollicerentur, vbi in cælo essent, vt de nostro Patre sancto Dominico scribitur. Charitatem igitur, quę omnium virtutum regina est, hi tam inflammatam & accensam habent, vt in Dei amore ardeant, & nonnunquam tam magnis lętitijs fruantur, vt nullis verbis exprimi possint. Ex altera enim parte respondent premio, quod tribuitur charitati, quod est ipsius Dei fruitio. Et inde tantum in illis oritur desiderium obsequendi Domino, qui tam amabilem & suauem se illis præbuit, vt illius causa mille tormenta sufferre ac perpeti cupiant. Et ita de multis martyribus scribitur, qui sponte, hoc diuino igne accensi, nullo postulante, se martyrio offerebant, vt postea dicemus.

Vt autem redeamus ad rem: hæc erant arma, quibus noster dux suos armauit milites, vt cum mundi principatibus, & dominationibus pugnarent; tam forti fide, & clara; spe tam secura, charitate tam inflammata, & accensa, vt dictum est. His igitur tribus virtutibus confirmati, certò sciebant fore, vt extremo spiritu emisso, & capite amputato, eodem temporis momento, absque mora, illam infinitam pulchritudinem, quam tantopere dilexerunt, viderēt, & fruerentur; & animæ suæ ab Angelis cum martyrij coronis deducerentur, vt inter Sanctorum choros collocarentur, vbi perpetuò æternis delicijs & bo-
Isa. 64. nis fruentur, quæ nec oculus vidit, nec aures audiuerunt, nec in cor hominis
1. Cor. 2 ascenderunt. Huiusmodi armis igitur quis se robustum non efficiet? quis animum non suscipiet? quis non pugnabit lætus contra totius terrarum orbis vires?

Iam videamus quinam milites fuerint, & quibus armis princeps huius mundi contra exercitum & regnum Christi conflixerit. Hoc nobis sanctus Ioannes ante oculos ponit mira visione, quam in Apocalypsi describit: quam
Apoc. 12. paucis verbis complectendo, inquit in cælo maximum signum apparuisse, quæ fuit mulier Sole vestita, & sub pedibus Lunam habens, & cum corona duodecim stellarum: quæ maximos dolores parientis patiebatur. Et aliud signum apparuit: Draco magnus, & rubeus, cum decem cornibus, & septem capitibus: & hic draco ante mulierem stabat, vt quem filium pareret deglutiret. Et filium peperit masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.
Malac. 4. Hanc mulierem, quam hic S. Ioannes describit, Ecclesiam esse scimus omnes; & esse amictam Sole, (qui Christus iustitiæ Sol est) nobis significat, eam esse ornatam, pulchram, & diuitem Christi meritis, & gratia, & illius amore inflam-
Galat. 3 matam. De hoc vestis genere mentionem facit Apostolus, cùm inquit: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quòd verò hęc mulier habeat sub pedibus Lunam, quæ tam mutabilis est, nobis significat, quàm sancti viri vilipenderent omnia hæc caduca, & mortalia, quę sunt longè, quàm Luna, mutabiliora. Corona verò duodecim stellis ornata, est gloria, quam Ecclesia habet, quòd duodecim Apostolorum doctrina fundata sit, qui omnium primi gratiæ primitias perceperunt, & de eodem vitę fonte biberunt. Dolores magni ea

qui ex partu, quos patiebatur hæc mulier, nobis significant magna desideria, in quibus Ecclesia erat, propagandæ fidei per totum terrarum orbem, & generãdorum filiorum spiritualium Christo suo sponso. Draco verò magnus, & rubeus, qui stabat, vt filium deglutiret, quem mulier pareret, est dæmon huius mundi princeps; quẽ fuisse rubeum inquit, vt martyrum sanguinem significaret, quem ille per ministros suos fuderat. Decem cornua, quę in capite habebat, fuerunt decem Imperatores Romani, qui ante Constantini imperium, qui Christianissimus fuit, pręcesserũt, per quos draco decem persecutiones excitauit, quæ vulgò in Ecclesia numerantur. Capita septem, alia genera persecutionum significant, hæreticorum scilicet astutissimorum, per quos draco alias suscitauit maiores, quàm præteritas, horũ hęreticorum artibus & argutijs. Quòd inquit hunc draconem stetisse aperto ore, vt deglutiret filiũ, quem fœmina pareret; furorem & ardorem infernalis draconis, quo affectus erat, vt Christi nomen extingueret, & de mundo eijceret, nobis significat.

In hac figura illud primùm intelligetur, quinam fuerint illi milites, quibus diabolus vsus est, vt aduersus Christi regnum bellum gereret; qui ex altera parte mundi imperatores, & Monarchæ fuerunt; & ex altera parte callidissimi hęretici, qui tertius bellum faciebant. Illorum enim persecutio corpora potissimùm carpebat; horum verò sophisticis argumentis animabus durius bellum gerebat. itaque illi martyres, & hi hęreticos faciebant.

Arma, quibus Draco hos instruebat tyrannos, erant doli, & mendacia, quæ sunt propria huius mendacij patris arma, quibus primos mundi homines deuicit. Efficiebat enim, vt Imperatores crederent, hæc idola esse veros Deos, quorum auxilio in terris dominati erant, quoq́ futurum erat, vt suum imperium per illos conseruarent, quodq́ue illorum cultu deficiente, & imperium deficeret; Christi autem religio, quantum in se situm erat, euertebat, damnabat, & superabat illos Deos (vt ipsi opinabantur) illorum imperij conseruatores, tam crudeles & inhumani fiebant in dies, vt omne studiũ, omnes artes, & vires adhiberent, vt eam in exilium eijcerent. Et ita existimabant se suorum Deorum iniuriarum esse vindicatores, & ita eos placatos reddere, & ab illis non solùm imperiorum conseruationem, sed etiam salutem, & prosperitatem, & bonorum temporalium copiam obtinere. Et ita in peruersissimis legibus, quas in æreis tabulis contra Christianos incidendas iussit Maximinus, (imperans vt pueri edifcerent blasphemias, & ex illis cantiones pangerent, quas per vias canerent) huius rei causam afferebat, quòd vbi Christiani in exilium eiecti fuerunt, serenum erat cælum, & terra maiori copia fructus ferebat, & omnia prosperè eueniebant; & ob hanc causam vtile esse eam legem seruare, vt obtinerent, & conseruarent Deorum gratiam, quibus nullũ gratius sacrificium offerre possent, quàm persecutionem, & exilium illius abominandæ gentis ex omnibus locis, vbi illius maiestas adoratur. Huiusmodi mẽdacia, & blasphemias persuasit suis ministris ille mendacij pater: & hæc erant arma, quibus contra Ecclesiam crudelissimum bellum gerebat. In quo cernitur, quàm impares essent vtriusque partis, tam milites, quàm arma. Christi enim milites, piscatores erant; Draconis verò, Imperatores: illorũ arma erant, veritatis fides; horum, mendacium & falsitas.

Hac autem mendaci persuasione tyrannorum animi inflammati, quas tormento-

mentorum inuentiones non excogitârût, vt martyres torquerent? Commune erat, iugulum soluere, comburere, flagellare multis generibus verberum vsque ad carnis consumptionem, & ad ossa penetrationem, & animæ ex corpore extractionem. Alios protrahebât, & ad caudas equorum in quatuor partes distrahebant. Alios in ligna conuoluebant, & ferreis pectinibus carpebant. Alios in ventre aperiebant, & in macello incidebant, & in mare proijciebant, vt essent piscibus esca. Alios (vt in Suetonio Tranquillo, & Cornelio Tacito in Neronis vita legitur) canibus proijciebant, primùm ferarum corijs indutos, vt venatici canes maiori furore illos aggrederentur, & lacerarent. Alij fuerunt, qui nudi summa hyeme manibus & pedibus ligatis in lacum, vbi gelata esset aqua, in frigidiore nocte ad Boream expositi fuerunt, vt per totam noctem in illo nouo tormento affligerentur: apud hoc stagnum paratum erat labrum calida plenum, vt martyri in promptu esset remedium, si à sententia discedere vellet: & hoc modo quadraginta martyres passi sunt, quorum gloriosum martyrium S. Basilius in elegantissima quadam Homilia celebrat.

Neque satis erat tyrannis vnicum tormenti genus adhibere, sed plura adhibebant, & aliud post aliud sæpe repetebant; vt si fortè alijs non vincerentur, iam debiles facti ab alijs superarentur. Id cernitur in varietate tormentorum, quibus multi sancti martyres affligebantur: præsertim S. Laurentius, S. Vincentius, S. Agatha, S. Dorothea, S. Eulalia, S. Martina; & de quodam S. Diacono, qui Clerus dictus erat, in sua historia scribitur, quòd die septimo Ianuarij septies quoque tormentis affectus fuit, deinde diu in vinculis & carceribus detentus iugulatur. Minimè satiari poterat tyrannorum sitis, qua sanctorum martyrum sanguinem appetebant. Nonnunquam illorum numerus magnus erat, qui torquebantur. Quo enim die natus est Saluator, legitur martyrium virginis Anastasiæ, quæ cum ducentis viris, & septingentis mulieribus in insulas Palmarias relegata fuit. Qui omnes diuersis supplicijs suum Creatorem glorificârunt, & ei, & à quo acceperunt, vitam obtulerunt. At hi pauci sunt, si cum suis, de quibus postea dicemus, conferantur: & præsertim cum decem millibus martyrum, & vndecim millibus virginum, quæ vnico die ad thorum cælestis sponsi coronis ex rosis & lilijs ornatæ iuerunt, vbi sequuntur Agnum, quocunque ierit.

Hoc ita vniuersim dictum est; sed cùm hæc materia ad nostræ vitæ institutionem maximè conducat, & maximam afferat admirationem, cùm diuinæ gratiæ potentiam inenarrabilem cernas, mihi visum est ad singula descendere, & nonnullorum Martyrû illustrium certamina, & fortitudinem narrare.

Præfatio in historias, & gloriosa certamina sanctorum Martyrum, quæ hoc loco narrantur.

NOBILIS est illa Platonis sententia, quòd si corporeis oculis virtutis pulchritudo cerneretur, mirabiles sui amores in nobis excitaret. Quòd si hoc in singulis virtutibus verum est, multò magis verum erit in his virtutibus, quæ Deum ipsum spectant, & quarum officium est, eum honorare, credere, amare & ei confidere. Illi enim homines altissimum, & nobilissimum obiectum, in quod aspiciunt, habent, qui Deus est rerum omnium Dominus. Ex quibus, qui pri-

primum locum tenent, & maximè Deum colunt, & ita illum glorificant, homines sunt, qui vt fidem seruent, & immensam maiestatem vt debent venerentur, non solùm vitam pro illa profundere volunt, sed crudelissimis, & horribilissimis supplicijs profundere. Quòd si quæuis virtus (vt dictum est) tam pulchra est, quantò formosior erit illius virtutis pulchritudo, quæ ad hunc summum gradum peruenerit, quod omnium maximum sacrificium est, quod homines offerre possint, & vltimum, vbi gratia hominem mortalem sublimem efficere possit? Tanta est hęc pulchritudo, vt (quemadmodum inquit Apostolus) non solùm hominibus, & Angelis, sed etiam ipsi Deo, formosissimum & admirabile spectaculum sit, qui gaudet quidem maximè, cùm infirmam & languidam carnem pugnare, & triumphare de vniuersis totius mundi viribus, atque inferni, pro sua fide, & amore cernit. In quo gratiæ vis, atque efficientia Christi redemptionis, per quam hęc gratia datur, profectò cernitur. 1. Cor 4.

Et quoniam hi, quibus Deus dedit oculos, quibus hanc pulchritudinem cernant, recreantur valde, & voluptate afficiuntur, cùm martyrum certamina & pugnas legunt, vnà cum triumphis, & illam horribilem constantiam, quam habuerunt, conspiciunt, tam viri, quàm mulieres infirmæ, in tanto tormentorum furore, & rabie: visum est mihi hanc rem fusiùs pertractare, vt pio lectori satisfaciam, eiq; hanc voluptatem afferam; præsertim cùm hoc tam manifestum nostræ fidei indicium sit, tantaq; cõfirmatio; quod illud est, quod in hoc secundo libro tractare voluimus. Tanta enim fortitudo, atq; constantia nobis clarissimum testimonium præbent Dei virtutis & assistentię.

Nam qui fieri poterat (exempli gratia) vt virgo S. Eulalia tredecim annos nata, tam multa tormentorum genera nunquam antea visa sufferre, ac perpeti posset, nisi illius anima Deo repleta fuisset? Quid de virgine S. Agatha dicam, quæ cùm esset satis nobilis, & delicata, tanta lætitia ad carcerẽ se conferebat, vt si ad nuptias proficisceretur; vbi primùm eam appenderunt, & verberibus crudelissimè ceciderunt; deinde illi alteram mammarum virginalium radicitus conuulserunt. Deinde lectulum ex fracturis acuminatis tegularum illi strauerunt, vnà cum accensis carbonibus, vt corpus verberibus vulneratum hunc nuper inuentum lectum, in quo quiesceret, haberet. Quod autem ferreum cor potuit hanc nouam crudelitatem in tam molle, tamq; delicatum corpus excogitare?

Quid de virgine S. Barbara dicam? quæ propter ingentem pulchritudinem à patre in turri detenta fuit, quæq; ab eodem patre, qui sciebat esse Christianam, vel vino, vel infidelitatis veneno captus, eam accusauit, & ante iudicem produxit. Qui primùm eam nudandam iussit, & taurorum neruis ita crudeliter cædendam, vt vndique de suo corpore sanguis manaret, & ita nudam in carcerem coniecit: postridie verò eius diei cùm vidisset se illius constantiam non potuisse hoc tormento frangere, imperauit duo funalia accensa ad illius corporis latera apponi, deinde illius caput malleo percuti pluries, postea ambas virginales mammas in circuitu abscindi. Præterea voluit, tanquam hoc parum esset, vt per totam ciuitatem sic nuda raptaretur, crudeliterq; cæderetur. Ille verò sceleratus iudex, cùm fortitudinem & constantiam virginis conspiceret, iamque deesse tormenta, quibus vterentur, & caro, quæ

Mm tor-

Digitized by Google

tormentis affligeretur; iussit tandem vt decollaretur. Quò virgo cum lætitia & constantia proficiscebatur, & ibi sui patris manu omnium ferarum crudelissimi iudicis mandatum adimpletum fuit; vt adimpleretur illud, quod antea Saluator prophetârat, inquiens futurum esse, vt fidei odio parentes proprios filios morti traderent. Hoc modo sancta virgo per tot ignes transeundo suum purissimum spiritum ad Deum efflauit, & ita huic glorioso certamini finem imposuit.

Matt. 10.

Vbi non solùm harum virginum constantia nobis admirationem affert, verùm etiam, & multò magis, patiendi gaudium, & loquendi libertas, qua tum respondebant iudicibus, & illorũ crudelitatẽ, & infidelitatem reprehendebant, nulla ratione habita, quòd magis irritabantur, & crudeliores in eas fiebant. Qui fieri igitur poterat, vt tam delicatę puellæ, tam magna vincerent certamina, nisi tam magna fide, tam accensa charitate, tanta fortitudine, tanta confidentia munitæ essent, vt iam coronam sibi paratam viderent, tam lætæ currebant, vt de manu cęlestis sponsi illam acciperent? Et cùm tanta sit fœminarum imbecillitas, vt si nudum ensem videant, vel parum sanguinis, animo deficiant; hæ, cùm tam multas tormentorum machinas cernerent, & tantam sanguinis de corpore suo fusi copiam, non solùm non deficiebant, sed gaudebant, & pro sua passione gratias agebant. Cùm igitur in omnibus creaturis tam naturale sit vitæ desiderium, & mortis timor, & corpora humana ita sint sensibilia, vt acus cuspidem ferre non possint; quî fieri poterat, vt hæ puellę tantos conflictus superarent, & se super omnes naturæ leges & vires erigerent, nisi in se illarum auctorem, & Dominum habuissent? Cùm autem esset ille ipse, qui vincebat, & pugnabat in illis, illud sequitur, quòd fides vera, & religio erat, quam idem Deus fortitudine suorum animorum testabatur. Quamobrem id esse maximum nostræ fidei fundamentum contendimus. Ad quod illa sententia Apostoli spectat, quę inquit, quòd Dei infirmum plus potest, quàm omnes hominum vires; cùm omnes non fuerint satis ad harũ tam imbecillium virginum constantiam superandam, imò ipsi victi, & virgines victrices fuerint.

1. Cor. 1.

Vbi pariter considerandum est, quòd inter nostræ fidei mysteria, passionis, & mortis Saluatoris nostri mysterium maius est, & Martyrum victoria potissimùm confirmatur. Cùm enim illorum numerus tantus sit, vt cum stellarum numero contendere videatur; cùm tam varia, & magna fuerint tormentorum genera excogitata, quę ipsi deuicerunt; cumq; sit hęc maior gloria, quàm tota humana natura suo Creatori dare possit; statim nobis credibile fit, Dei filium, qui tantopere sui ęterni Patris gloriam desiderabat, omnibus suæ passionis tormentis & contumelijs sese offerre, vt suo exemplo, suaq; vi ipsi audaciùs pugnarent, cùm suum Deum, suumq; Creatorem pręcedere, vt illis vires impertiretur, cernerent. Quamobrem cùm satis esset vnica pretiosi sanguinis gutta ad mundi redemptionem, tormentorum vi fundere voluit totum, quem in venis habuit, vt hanc tantam vim Martyribus, æternoq; Patri illorum fide & constantia gloriam, impertiretur. Quam gloriam tantopere ipse desiderabat, vt licet nulla alia patiendi causa esset, nisi hæc, propter hanc solam passus esset, & omnes labores rectè susceptos existimaret, licet nihil aliud in causa esset. Hanc considerationem intelligerent meliùs ij, quibus oculi

oculi essent, quibus horum gloriosorum militum constantiam, & fortitudinem intuerentur, & quanti est facerent.

Nunc liberet ab ijs quęrere, qui libenter volutantur in illis libris, in quibus multorum equitum vitæ fictæ, & mendaces describuntur, quid eos ad id impellat? Responderent: Ex omnibus humanis actionibus, quæ oculis cerni possunt, in illis admirabiliores vires, & fortitudinem esse. Cùm enim mors (vt inquit Aristoteles) sit vltimum terribilium, & quæ magis in omnium animalium odia incurrat, cùm perspicitur homo, qui eam spernat, & vincat timorem tam naturalem, in causa est, vt homines valde admirētur, qui id conspiciunt. Inde fit hominum concursus ad belli simulacra, taurorum certamina, & duella, & cætera huiusmodi, propter eam admirationem, quam secum coniunctam habent: quæ admiratio (vt Philosophus testatur) semper cum voluptate, & suauitate est copulata. Inde etiam fit, vt scuta, & familiarum insignia, vt plurimum sumantur ab ijs actionibus, quę à fortitudine proficiscuntur, non autem à cæteris virtutibus. Hæc autem admiratio ita est omniū communis, & tanta, vt non solùm in veris, verùm etiam in fictis rebus emergat. Inde voluptas oritur, quæ ex huiusmodi librorum lectione percipitur.

Hoc igitur cùm ita se habeat, & sanctorum Martyrum robur & fortitudo longè omnium, qui sunt & fuerunt, vires, ac fortitudines superent, cùm huiusmodi sint, vt Deo, & Angelis eius pulcherrimum spectaculum sint, (cumq; illorum historiæ non fabulosę, neque fictæ, sed verę sint) qui fieri potest, vt maiorem voluptatem percipiant ex illis nugis, & mēdacijs, quàm ex his, quæ sine controuersia verissimæ sunt? Illud saltem compertissimum est, quòd, qui mentis & rationis compotes sunt, libentiùs in his historijs legendis se continere debent, quàm in ijs, quę tam multa inania vnà cum multis obscœnis, & turpibus rebus continent, quibus multæ fœminæ stultę vanę penitus fiunt, existimantes se non minùs esse dignas, quibus ab omnibus seruiatur, quàm illas, pro quibus tanta facinora facta, tantæq; res bello gestæ fuerunt. Ego autem cùm nullam rationem habere debeam eorum, qui huiusmodi stomachum, & corruptum gustum habent, sed eorum, qui sani sunt; ijs scio me profuturum esse, si tam gloriosas historias narrauero, præsertim cùm ex his, pręter cæteros fructus, vt diximus, nostrę fidei veritas confirmetur. Neque contra hanc sententiam adduci potest, nonnullos pro fide falsarum Sectarum passos esse: hi enim paucissimi fuerunt, nostri verò innumerabiles existunt. Neque etiam dici potest, nostros, vt simplices, deceptos esse: inter Martyres enim fuerunt multi Sacerdotes, & Episcopi doctissimi in omni doctrinarum genere, vnà cum magnis Philosophis, (vt S Dionysius, & Iustinus Martyr) & alij huiusmodi, qui morti se offerre non debebant, & mori huiusmodi tormentis, sine multa consideratione, & ipsius veritatis apertissima cognitione. Mors enim res ita leuis non est, vt homines sapientes sine multa grauitate, multoq; consilio, & sine tutis pignoribus, & veritatis cognitione se illi offerre debeant.

Sed quia nimis longum esset, & alienum à proposito nostro, huc omnes Martyrum historias transferre, qui in quatuordecim persecutionibus Ecclesię (vt diximus) narrantur, ex illarum tribus nōnullas partes excerpam, quæ infrà adscriptæ erunt: quarum prima Diocletiani erit, altera Antonini Veri,

Digitized by Google

tertia Saporis Persarum regis, fideliter exscriptæ partim à Tripertita histo-ria, partim ab historia Ecclesiastica Eusebij ab Ecclesia approbata. His addam S. Martinæ virginis martyrium, S. Eulaliæ, S. Polycarpi S Ioannis Euangelistæ discipuli, quòd digna sunt, quæ à multis cognoscantur.

DIOCLETIANI, ET MAXIMIANI PERSEcutio. Cap. XVIII.

Euseb. Eccles. hist. lib. 8 cap 3.

ANNO decimo nono imperij Diocletiani, mense Dystro (qui à Romanis Martius nominatur) cùm salutaris passionis Dominicæ festum iam pro foribus esset, omnibus in locis per Imperatoris literas palàm edictum fuit, vt tum deturbarentur ecclesiæ, soloque æquarentur: tum scripturæ absumerentur igni: tum qui honorem fuissent adepti, de gradu turpiter deponerentur: tum priuati, si modò in professione Christiana perstarent, libertate penitus priuarentur. Ac primum edictum contra eos editum tale fuit.

Non longo tempore pòst, alijs literis exeuntibus mandatum est, vt omnes ecclesiarum præsides vbique gentium primùm conijcerentur in vincula: deinde omnibus machinis adhibitis, idolis victimas immolare cogerentur. Tūc igitur inciderat tempus, cùm, sicut plurimi qui ecclesijs præerant libentibus animis verberibus grauiter cæsi, in Christi stadio luctati sunt: & in grauibus certaminibus præclarè obeundis, præclara sanè spectacula hominum oculis subiecerunt ad contemplandum: sic alij infiniti confestim animis præ formidine perculsi & attoniti, facilè eo modo impetu in illos facto, prorsus succubuerunt. Ex cæteris autem quisque varia tormentorum genera alternis subijt: hic plagis toto corpore dilaceratus, ille excruciatus distortione mēbrorum, alius acutis & intolerabilibus nouaculis dilaniatus.

Inter quos nonnulli erant, qui vix satis honestum vitæ exitum consecuti sunt: alij item, qui sine fructu certamen decurrerunt. Nam vt vnus infidelium violentia contrusus, & ad sacrificia illa nefaria impuraque deductus, quamuis non immolàrat, tamen perinde atque si immolasset, liberè dimissus est: sic alter, quanquam non omnino appropinquauerat, neque quidquam attigerat impuri, gentilibus tamen eum sacrificasse affirmantibus, tacitus eorum tulit contumeliam, seque inde proripuit. Alius semiuiuus sublatus, velut iam mortuus proijcitur. Quidam prostratus humi, inque numerum sacrificantium relatus, longinquo spatio pedibus abstrahitur. Alius vociferatus est, & magna voce contestatus, se hostias penitus repudiare: alius salutaris Christi appellationis confessione gestiens, se Christianum esse declarauit. Alter neque immolasse, neque se aliquando immolaturum asseueranter affirmauit. Attamen isti etiam frequentibus satellitum ad eam rem delectorum manibus in os verberati, & ad silendum compulsi, in vultum quoque & genas percussi, vi è medio extrusi fuerūt. Ita pietatis hostes omnino vel videri effecisse, quod animo intendebant, permagno æstimàrunt. Non tamen sine beatorum Martyrum responsione erant. Quorum virtutem, & magnanimitatem (licet non satis sint verba ad singula explicanda) exponemus pro viribus, quantū opus fuerit.

Nam iuxta ea, quæ dicta sunt, persecutionis ardor in proceres, & eos qui

in

in aliqua dignitate constituti erant, incensus est; & illis nuntiabant necesse omnino esse, vt vel idolis immolarent, vel nobilitatẽ,& priuilegia, & ipsam vitam amitterent: permultos eorum, qui in militia versabantur, cernere potuisses,qui lubentibus animis vitam tenuem & abiectam amplexari maluerunt,quàm pietatem & cultum erga Deum vniuersarum rerum opificem aliquando negare, licet vitam non magni facerent. Vbi verò contra omnes ardor incensus est,& populũ, & sacerdotes, difficile dictu est, quàm multi martyres quotidie per omnes ciuitates, & prouincias paterentur.

Simulatque edictum contra Ecclesias Christi editum,in Nicomedia propositum erat, vir quidam non obscurus & ignobilis, sed (vt hominum fert opinio) longè illustrissimus, incredibili amore erga Deum,& ardenti fide incitatus, ocyùs prodijt in medium: & illud in aperto & publico loco affixum, tanquam profanum & maximè impium,manu auellens dilacerat, cùm Imperator in ciuitate adesset,& vnà Maximianus. Quibus cùm relatum esset, quod hic Christi miles fortiter & religiosè fecisset; magno impetu, & feritate eum tormentis affecerunt; & licet omnibus suis viribus vsi essent,nunquam tamen eò peruenit,vt in pœnis tristis videretur; sed hilari vultu, licet caro, cor, & spiritus deficeret, viuebat, & releuabatur. Ex quo carnifices multò magis irascebantur,cùm cernerent frustra in illum suis armis vti,neque illius faciei splendorem vllo modo obscurare posse.

Post hoc autem omnem suum furorem contulerunt in quendam ex Dorothei socijs,qui quidem summum honorem apud Imperatorẽ adepti erãt, & semper in illius cubiculo versabantur,& vt nobiles tractabãtur. cùm enim cerneret nimis magna tormenta, quibus supradictus martyr fuit affectus, aliqua libertate in Imperatorem aliquid dixit; & ob id ad iudicem perductus fuit, & iussus, vt Dijs immolaret. Qui omnino cùm recusaret, mandârunt nudum in sublime tolli, ac flagellis eo vsque toto corpore dilaniari, quoad supplicio euictus, etiam animo inuito, quod erat imperatum, præstaret. Sed vbi ista perpessus, constans & immutabilis persisteret, de reliquo ossibus eius iam carne denudatis, acetum sale permistum in corporis membra cruciatu attenuata, & propè contabefacta infuderunt. Atque vt istos dolores protriuerat, & veluti pedibus conculcârat, inde craticula & ignis vnà in medium trahuntur, & reliquiæ eius corporis tanquam carnes ad comedendum paratæ, ignis incendio,non raptim,vt breui è vita decedens omni dolore liberaretur, sed paulatim absumptæ fuerunt. Neque qui eum imposuerant in rogũ, etiam post tot tamq; grauia cruciamenta ei vllum respirandi locum dare in animo habebant, nisi priùs ipsorum imperata facturum annueret: sed ille proposito suo mordicus adhærescens, victor in tormentis animam efflauit. Tale vnius regiorum famulorum Martyrium extitit, appellatione sua (Petrus enim nominatus fuit) reuera dignum: & Apostoli S. Petri successor verè fuit,& nomine,& fide. Huius autem magister fuit Dorotheus in officio, quo in atrio fungendũ ei erat: erat enim maior Cæsaris cubicularius, & cum eo erat & Gorgonius, æqualis eius fide, virtute,& magnanimitate profectò: per quorum doctrinam & salutaria exempla omnes nobiles regij cubiculi in fide perseuerabant.

Dorotheus autem & Gorgonius cùm Petrum torqueri cernerent tam crudelibus

delibus tormentis, magna voce & fortitudine dixerunt: Cur Imperator in Petro solo propositum, & voluntatem, quam omnes habemus vt ille, punis? Is enim solus de crimine accusatur, quod omnes cōfitemur. Hæc nostra fides, nostra religio, & eadem sententia est. Pariter Imperator ad se adduci iussit, & vbi penè ijsdem pœnis affecti, quibus & primi, iussit, vt laqueo eorum vita finiretur. Per idem tempus Anthimus, qui tum Ecclesiæ Nicomediensi præfuit, capite propter Christi testimoniū ceruicibus absciſſo, moritur. Huic ingens & frequens Martyrum turba adiuncta fuit, vt bono pastori, qui prudenter suum gregem ducebat.

Inter tot Martyrum greges (inquit Eusebius) cognitione dignos existimo duos adolescentulos, qui cùm essent capti, & ad immolandum cogerentur, dixerunt: Nos ad altaria perducite. quò vbi peruenerunt, super prunas manus imposuerunt, quæ in altaribus erant, & dixerunt; Si manus hinc amouebimus, nos sacrificasse existimate; & ita perseuerârunt, quoad omnis caro penitus igni absumpta fuit.

Quid autem dicam de illis trecentis viris, qui in Cypriani martyrio narrantur à Prudentio, ante oculos quorum tyrannus ille altare suorum abominandorum sacrificiorum collocauit, apud quod fornacem ardentis calcis collocârat, inquiens, qui Dijs non immolarent, fore vt in illam fornacem immitterentur? Quæ verba illi trecenti viri vbi audierunt, moti Spiritus sancti inspiratione, & fidei calore, & Dei amore, & gloriosæ coronæ cupiditate, magna celeritate in illam fornacem se deiecerunt, breui & gloriosa morte, gloriosiorem & diuturniorem vitam sibi ementes.

Vt autem ad Diocletiani tempora reuertamur, ijsdem ferè diebus forte, nescio quo pacto, cùm regia Nicomediēsis incendio conflagraret, & ex suspicione quadam rumor esset dissipatus, illud facinus à nostris admissum: vnde Imperatoris iussu, ex pijs, qui ibi versabantur, aceruatim & tanquam cumulo, alij gladio trucidati sunt, alij ardore flammarum corporibus circuniectarum obierunt: at Dei gratia potentiorem ignem in illorum cordibus, quàm in Imperatoris corde iram accendebat. Tādem interrogati à ministris, quisnam illorum immolare vellet, & vitam seruare; omnes tam viri, quàm mulieres ita interrogari moleste ferebant, & sua sponte in rogum insiliebant, alij certatim gladijs colla offerebant. Cùm autem maximo afficerentur horrore præsentes, mortis ministri illorum partem, qui adhuc viuebant, inde extraxerunt, & in scaphis imposuerunt, & in vastū maris gurgitem, fluctusq; præcipites proiecerunt. Famulos illos regios post mortem decoro & celebri funere terræ mandatos, Imperatores, qui eorum domini putabantur, rursus de integro effodiendos, inq; mare præcipitandos sententijs decreuerunt: ne, vt eorum ferebat opinio, quidam eos in sepulchris & monumentis cōditos, Deos esse reputantes, diuina veneratione prosequerentur; & hæc stulta gens, quę illorum Deos colere nollet, seruos eorum adoraret.

Et licet Nicomediæ tam crudeles persecutiones patratæ fuerint, (vbi tantorum malorum auctor erat carnis Christianorum cupidissimus) non minori celeritate vtebantur in Melitina & in Syria Imperatorū iussu, vt omnes Ecclesiarum præsides in carceres & vincula conijcerentur: adeò vt spectaculum illarum rerum esset summa misericordia dignissimum. Edicto Imperatoris

edito,

edito, per totam ciuitatem silebatur, & carceres pleni ita erant, vt nō sontes viderentur, sed ciues omnes in alias domos migrâsse: & carceres passim, qui iam olim homicidis, & mortuorum sepulchris conditorum expilatoribus parati fuerant, tunc Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus & Exorcistis penitus referti: adeò vt his, qui maleficijs tenebantur obstricti, nihil illic loci esset reliquum. Cùm autem principibus relatum esset, carceres esse refertos, & maleficis hominibus nihil loci reliquum esse; nouas prouisiones adhibuerunt, edicendo, captos, qui vellent immolare, liberos esse dimittendos; repugnantes verò, grauissimis supplicijs vsque ad mortem afficiendos.

Talis fuit AEgyptiorū pugna, qui Tyri pro vera pietate præclara certamina obierunt. Illos autem, qui sunt in ipsa AEgypto patria sua martyrio defuncti, nemo est, qui nō magnopere admiretur: vbi viri cum vxoribus & liberis numero prope infiniti, pro Seruatoris nostri doctrina, vita fragili & breui temporis momento duratura penitus neglecta, varia mortis genera subierūt, desiderio veræ gloriæ, quæ in Christi visione consistit, suspirantes. Quorum alij post cuticulam nouaculis laceratā, post membra luxata & distorta, post corpora flagellis acerbissimis laniata, alijsq; infinitis, varijs & dictu horrendis tormentis excruciata, in ignem tandem iniecti fuerunt. Alij in altum pelagus præcipitati: alij lictoribus sua capita amputanda fidenti animo obiecerunt: alij occubuerunt, ipsis cruciamentis oppressi: alij fame confecti interierunt: alij rursus patibulis suffixi, quorum nonnulli tanquam malefici suspēsi; alij deteriore modo capite in terram demisso clauis firmati, & viui vsque eò seruati, quoad ipsi in patibulis fame contabescerent.

Nullo dicendi genere explicari potest, quænam verbera, quas ærumnas, martyres in Thebaide exantlarint, testis acutis vndularum loco admotis, per totum corpus ad extremum spiritum dilacerati. Mulieres autem vno pede alligatæ, sublimes in aerem, capite deorsum statuto, quibusdam machinamentis attractæ, nudis omnino, & detectis corporibus, spectaculum fœdissimum, crudelissimum omnium, & ab omni humanitate alienissimum intuentium oculis exhibuerunt. Homines rursus arboribus, & earum ramis astricti perierunt. nam cùm duos ramos robustissimos illos quidem, machinis quibusdam in vnum attraxissent, ad vtrunque illorum martyrum crura distinentes, affigentesque, eos impetu quodam denuò pro natura sua distendi, diffundiq; dimiserunt, sicq; illorum membra, in quos ista excogitabant, repentino impetu distracta fore suspicati sunt.

Neque hæc certè fuêre ad paucos dies, aut ad exiguū tempus: sed diu admodum ad annorum integrorum spatium continuata, in quo quidem spatio erant interdum plures quàm decem, nōnunquam viginti numero, & amplius eo, sæpe non pauciores, quàm triginta interfecti. Iam prope sexaginta, aliquando rursus centum viri, vno die, simul cum tenellis admodum liberis & mulieribus morti addicti, & varijs suppliciorum generibus, vicissitudine quadam admotis trucidati.

Ipsi etiam, cùm fortè in ijsdem locis versaremur, cōplures vidimus confestim vno die ad tribunal iudicis prosilire, quos sigillatim interrogabat, qui se Christianos in responsione profitebantur: quo audito, statim in illos sententia

tentia pronunciabatur, & seorsim ponebantur. Simulatque contra priores sententia pronunciata fuit, alij certatim ad tribunal magna alacritate accedebant, & se Christianos esse confitebantur: neque tamen propter hanc causam, neque quòd tanta esset multitudo, iram iudex crudelissimus suam cohibebat. Omnes interrogati vnà in campum exierunt prope ciuitatis mœnia non funibus protracti ex canabi, vel lino, sed crassissimis fidei funibus perducti fuerunt. Nemo defuit, licet nemo illos cogeret: omnes cum gaudio, risu, & lætitia ibant, & inter se contendebant, quisnam futurus esset primus, qui carnificis gladium suo sanguine tingeret. Tam multi mortui sunt, vt tum securis ipsa feriendo obtunderetur, & velut crebriore ictu debilitata infringeretur; tum carnifices ipsi trucidando defatigati, mutuis operis traditis, alter ad alterum subleuandum succederet, & dies ante, quàm omnes interficerentur, consumeretur: nemo tamen neque puer, neque virà consilio suscepto discessit: imò quilibet timebat ne diei lux citiùs deficeret, quàm ipse martyrij coronam acciperet. Tanta lætitia, & fide præsentem mortem excipiebát, certò scientes vitæ beatæ id esse principium. Vidi ego, dum alij interficerentur, alios non in otio, aut mœrore versari, sed hymnos & gratiarũ actiones in Deum totius mundi Conditorem, quoad extremum spiritum edidissent, lætis animis decantare; ne mors in alia exercitatione eos deprehenderet, nisi in ea, in qua futurum erat vt semper in cælo versarentur. O admirandum chorum, & omni veneratione dignum, vbi huiusmodi cantores, viri fortes, Christi gloria, corona & splendor, concinunt.

Huius chori moderator, huius exercitus dux erat, & huius coronæ ornamentum sanctus Pontifex, & fortis præfectus, & illa vnio omnium pretiosissima Philæas Thmuitensis Ecclesiæ Episcopus, de cuius gloriosa passione, & de Epistola, quam in carcere scripsit ad suam dilectã Thmuitensem Ecclesiã, infra mentionem faciemus. Illa autem immania corda tam multis interfectis satiata non erant. Cùm enim cernerent se martyres viuos non potuisse vincere, vt suæ rabiei aliquam consolationem afferrent, in corpora mortua sæuiebant. Alia enim in mare præcipitabant, vt à piscibus deuorarẽtur; alia comburebant, & in cinerem conuertebant, existimantes fore, vt hac ratione resurrectionis spem, cuius causa moriebantur læti, abijcerent. Multa in cloacas iaciebant, vt martyris Hippolyti nutricem, quæ nomine Concordia dicebatur; & gloriosum sanctum Sebastianum, qui bis martyr fuit; primùm sagittis confixus, deinde tam multis verberibus cæsus, vt tormentorum vi ad regnũ æternæ beatitudinis animam exhalaret. Hæc vilipendij & tormentorum genera, magnitudinem persecutionis Tyrannorum, & Dæmonij furoris, quod in illorum cordibus rabidum erat, cùm videret quotidie suum honorem magis imminui, & Christi gloriam & regnum augeri cerneret, profectò declarat.

S. EVLALIAE VIRGINIS MARTYRIVM. *Cap. XX.*

CVM autem in hac crudelissima Diocletiani & Maximiani persecutione virgo sancta Eulalia in Meridæ ciuitate passa sit, annos tredecim nata, cuius passionem Prudentius suis elegantissimis versibus tradidit: mihi visum est, hic eam narrare vnà cum virginis sanctæ Martinæ martyrio, quod infrà narraturi sumus,

sumus, quippe quod non est minus cognitione dignum, quàm huius Sanctæ martyrium, licet sub alio Imperatore passa sit. In quo gloriosa quædã contentio inter Deum & has virgines fuit: hæ tormentorum perpessione contendunt, ille eas roborando, & per eas miracula faciendo. Quòd autem sancta Eulalia sub ijs Imperatoribus passa sit, illa Prudentij verba nobis significant: Isis, Apollo, Venus nihil est, Maximianus & ipse nihil: Illa nihil, quia facta manu: Hic, manuum quia facta colit: Friuola vtraque, & vtraque nihil.

In hoc martyrio videbimus certamen omnium durissimũ & immanissimum. Ex altera enim parte perspicimus omnes totius terrarum orbis, & inferni vires, omnesq; tormentorum inuentiones, quæcunque homines excogitare potuerint; ex altera verò puellam nobilem, & delicatam tredecim annos natam, & hac ætate victricem euadere. Videbimus pariter illius Domini omnipotentiam, qui mundi inferiores deligendo, vt idololatriam tollat, & fidem ædificet, suæ potentiæ & gratiæ magnitudinẽ declarat. Quod eò magis admirandum fuit, quò instrumenta, quibus vsus est, debiliora fuerunt.

Vt autem iam illius gloriosum martyriũ narrare incipiamus: hæc virgo Meridæ nata est parentibus Christianis, qui eam vsque à teneris, vt aiunt, vnguiculis in Dei timore educârunt: in quo in dies magis crescens, & in omnibus virtutibus eò peruenit, vt cuperet magnopere pro suo cælesti sponso, cui suam virginitatem consecrârat, vitam profundere. Cùm autem Meridam se contulisset iudex, vt Christianos persequeretur, de huius virginis, & illius parentum Christiana vita certior factus, misit, qui eam ad se in curru perducerent. Quæ tunc quodam loco, qui dicebatur Pontianum, à Merida ciuitate triginta octo millia passuum distanti, habitabat, vnà cum alia virgine eiusdem professionis, quæ Iulia dicebatur. Vbi verò prædicti ministri eò peruenerunt, illi nuntiantes illius patrem Tiberium cum alijs Christianis esse captum, eamq; ob eandem causam vocari; hoc nuntium maxima cum lætitia suscepit, quòd summopere pro suo Saluatore pati cuperet. Tunc autem, si fieri posset, vellet vna hora totum illud iter conficere. Ibat vnà virgo illa Iulia, cui dixit sancta Eulalia: Scias soror Iulia, futurum esse, vt prima patiar, licet seriùs accedam.

Vbi ad ciuitatem peruenit, iussit iudex, vt ad se perduceretur. Cui virgo dixit: Ad quid Dei inimicus, te in hanc terram contulisti? Quid Christianos persequeris, & virgines Domino meo Iesu Christo consecratas? Iudex autem vbi hoc intellexit, humanissimè respondit: Puella, priusquam adolescas, mihi videris velle tuæ ætatis florem amittere. Cui dixit virgo: Nata sum tredecim annos: caue tamen putes me tuis minis perterreri posse. Satis enim mihi est, quod in terris vixerim. spero enim fore, vt perpetuò in cælis viuam. Iudex inquit: Caue misera, ne hac vanitate fallaris, & ad immolandum Dijs te accinge, vt tormenta, quæ te expectant, effugere possis, & cum nobili & diuite sponso coniuncta honorem consequaris. Ego, inquit illa, sponsum nobilem, diuitem, & immortalem habeo, qui Christus est mundi Saluator. Hoc audito, cœpit iudex illi blandiri, & humanioribus verbis alloqui, inquiens: Tuam animaduerte filia pueritiam, & in te ipsam misericordia mouere. Dijs thus offeras, teq; morte liberes. Tum virgo inquit: Christiana sum ego, nunquam factura, quod iubes.

Tum iudex ei curatorem dedit, & imposuit, vt verberibus afficiendam curaret: dum autem verberabatur, benedicebat Domino, & maledicebat Imperatoribus, & illorum Dijs. De quibus rebus factus certior iudex, iussit, vt ad se duceretur. Cuius pulchritudinem cùm cerneret, ostendit se in illius teneram ætatem misericordia motum esse, dicens: Quid puella tibi prodest ista obstinatio? eas, & Dijs immoles, neque velis istas pœnas perpeti. Virgo respondit: Quid tibi profuit miser, vt nuda spoliata verberarer tuo iussu, qui existimabas me à veritate separare posse? Aberras à sententia miser: meum enim tantummodò corpus est in tua potestate; at ille solus meam animam habet, eam qui creauit. Et vt meam voluntatem cognoscas, tibi dico, quòd nunc tuis Dijs, & Imperatoribus maledico.

Iudex autem hoc responso summa ira percitus, suum solium in platea poni iussit, & virginem ante se duci, vt ibi torqueretur. Ad quod iussit arborū virgas incidendas cum suis nodis, quibus ritè paratis verberari virginem iussit. Tūc virgo dixit: Senex miser, caue speres me tuis minis mouere posse, cùm his me valde robores. Cùm autem iudex id cerneret, dixit ministris: Afferte oleum bulliens, & in illius mammas fundite. Quod cùm facerent, inquit virgo: Hoc tuum oleum bulliens nihil mihi obfuit, imò me in meum Dominum Iesum Christum amore amplius inflammauit, quem quidē anima mea videre cupit. Quod cùm audiret iudex, carnificibus dixit: Afferte statim viuam calcem, & in ea imponite, deinde superfundite frigidam, vt in ea comburatur. Tunc dixit virgo: Ita te infernalis ignis torqueat, cùm tantopere elaboras, vt cæli Regis famulam torqueas.

Hoc autem tormento peracto, non contentus crudelis tyrannus eo quod fecerat, iussit afferri ollam plumbi fusi plenam, & vt super lectum ferreum distenderetur, mandauit, vt priùs tormentum ei ostenderetur, si fortè vellet à sententia discedere; quòd si perseueraret in proposito, illud plumbum fusum in corpus illius effunderetur. Virgo verò oculis ad cælū versis, hoc tormentum expectabat: at plumbum congelatum est, & manus eorum, qui fundebant, comburebat, & virginem minimè adurebat. Quod iudex cùm videret, semper magis ira accendebatur, & vt virgis iterum crudeliter verberaretur, imperauit, deinde vt tegulis fractis & acuminatis vulnera fricarentur. Hoc autem tormento perfecto, cùm tyrannus virginis constantiam cerneret, dixit: Noli tibi persuadere fieri posse, vt hinc victrix exeas: alia enim parata sunt supplicia, quibus profectò vincaris. Virgo respōdit: Me vincere nequis, is enim, qui pro me pugnat, in me vincit. Tunc crudelis tyrannus iussit, vt ad eius corpus funalia accensa admouerent. In quo tormento virgo dixit: Iam assum est corpus meum: vires tamen mihi minimè deficiunt: Iube, vt aspergar sale, vt meum corpus meo cælesti sponso sapidus cibus fit.

Hoc cùm audiret tyrannus, tanta fortitudine perterritus iussit, vt in caminum ignis ardentis immitteretur, & inde minimè remoueretur, donec penitus absumpta esset. Virgo autē in igne hymnos canebat, & laudes Deo. Quam cùm tyrannus audiret, (apud fornacem enim deambulabat) canentem, & videret nihil amplius tormentorum sibi reliquum esse, attonitus, & admirans, quod videbat, in eum sermonem incidit, vt diceret: Nos victos esse existimo. Hæc enim puella in sua falsa opinione perseuerat, & nullum dolorem percipit.

pit. At ne inaniter glorietur, de fornace extrahatur,& ei capilli radantur, & per forũ nuda protrahatur, vt ita summo dedecore afficiatur. Quod cùm audiret virgo, inquit: Licet sim in terra inhonorata, capillis spoliata, nuda, & informis: tamen is, cuius amore hæc patior, vindictam de te sumet iustitiæ inimice, & ei pœnas meritas dabis. Tunc ille dixit: Si times hoc dedecus, veni,& nostris Dijs sacrifica. Tunc illa respondit: Deo meo sacrificium laudis offero. Quod audiens tyrannus, inquit: In equuleo eam imponite, & ad latera ignem admouete.

Quo facto, cœpit virgo Deum laudare his Dauid verbis: *Probasti cor meũ, & igne examinasti me,& non est inuenta in me iniquitas.* Prudentius autem inquit, quòd virgo in hoc tormento existens, iam sua carne pectinibus ferreis lacerata dicebat: Hæc signa, Domine, quæ ferrum in meum corpus imprimit, literæ sunt, quibus tuum sanctum nomen in mea carne scribitur, quæ tuas victorias, & triumphos prædicant. Tunc carnifices laqueum ex capillis illi detonsis confecerunt, quo imposito illius collo eam extra ciuitatem perduxerunt, vbi interficienda erat. Et equuleo imposita, ibi iterũ distenta fuit,& verberibus affecta. Et illud rabidum cor dæmonibus stimulatum non cõtentum ijs tormentis, quibus affecta fuerat, iussit, vt ad illius latera funalia accensa admouerentur. Tunc virgo dixit: Cur tanta crudelitate in me vteris Calphurniane? Iam oculos adaperias,& me rectè cognosce, vt in die nouissimo agnoscere possis, cùm ad thronum præsentabimur Dei mei,& sponsi Iesu Christi, vbi tuæ crudelitatis meritas pœnas dabis. Quod cùm multi audirent, qui aderant,& tantam fortitudinem in tam tenera ætate admirarẽtur, ita compuncti fuerunt, vt Iesu Christi virtutem, quæ in illa virgine triumphabat, cognouerint,& ad eum se conuerterint, idololatria penitus relicta. Carnifices vndique igni eam circundederunt, quæ os adaperiẽs ardentẽ flammam excipiebat: & statim visa fuit illius sanctissima anima sub columbæ specie de ore eius egredi, quæ in sublime volabat.

Psal. 16.

Crudelis autem tyrannus, cùm non potuerit in corpore viuo ea perficere, quæ cupiebat, de mortuo vindictam sumpsit: iussit vt per triduum suspẽsum coram omnibus esset, illius dedecoris causa. Diuina verò prouidentia super illud corpus maximam niuis copiam demisit, & illius membra pulchra reddidit,& capillos lauit, qui carnificũ manibus sanguine perfusis erant fœdati; & corpus, ignis flammis assum & nigrum effectum, dealbatum fuit. Hæc est historia huius sancti martyrij memorabilis breuiter narrata.

MARTYRIVM S. MARTINAE VIRGINIS. Cap. XX.

POST S. Eulaliæ gloriosum martyrium, visum mihi est, & S. Martinæ martyriũ addere: est enim æquè gloriosum, ac memorabile; licet hoc sub alio Imperatore, qui Alexander dicebatur, fuerit, quo imperante quinta Ecclesiæ persecutio fuit. Et quãuis hic sint multa, quæ nobis admirationem afferant: ex omnibus tamen illud est admirabilius, sancta quædam (vt ita dicam) contentio inter hanc virginem,& cælestem sponsum suum: illa contendebat diuersa tormẽtorum genera patiendo, ille multa in ea miracula & mirabilia faciendo.

Fuit igitur hæc virgo nobili loco nata, cuius maiores multis semper ma-

Digitized by Google

gistratib. s in Romana Republica perfuncti sunt, & pater Consul fuit, quod ciuitatis primum munus erat. Hæc puella parentum morte diuitijs multis affluebat, non illis tamen vtebatur inani gloria, vel elato animo ducta; sed Deo totam se consecrabat, & misericordiæ operibus, omnia sua bona in pauperes erogando: & in his exercitationibus, & huiusmodi, tempus suum conterebat, & in sancta vita perseuerando suum cor fortitudine muniuit, & aduersus rugientem leonem vigilare cœpit, qui maxima cura semper quærit, quem deuoret.

1. Pet. 5.

Cùm autem ab Imperatore, qui tum Christianos persequebatur, Vitalis, Caius & Cassius, ipsius domus primi viri, in Christianos mitterentur, vt ad immolandum cogerentur, in quadam ciuitatis ecclesia hanc puellam orantem inuenerunt: ad quam accedentes, cùm illius nobilitas esset nota, ei dixerunt: Te salutat Imperator, & tanti facit, quanti decet tuam nobilitatem facere. Iubet tamen, vt nobiscum venias, vt magno Deo Apollini sacrifices. Respondit virgo hilari vultu: Expectate igitur parumper, donec me tum Deo, tum sancto Episcopo commendem, & tunc libenter vobiscum veniam. Illa igitur ad suas orationes reuertens, se Deo maximè commendauit, deinde æquo animo cum illis profecta est.

Vbi ad Imperatorem peruenerunt, præmiserunt, qui nuntiarent, se perduxisse puellam Christianam maxima auctoritate, & nobilitate, quæ libenter Dijs sacrificare volebat, & præterea Christianis suadere, vt se imitarentur. Hoc nuntio gauisus Imperator, iussit, vt ad se duceretur, cui dixit: Vehementer gaudeo, te nobilem, & bene moratam, velle ab ista opinione discedere, & Deo Apollini sacrificare: tibi polliceor fore, vt à me multas gratias & honores adipiscaris. Ad quod respondit virgo absque timore: Iube, vt Deo viuo, qui sua potentia cælum & terram creauit ex nihilo, semper sacrificem, vt illi sacrificando tuus falsus Apollo, & turpis, & infirmus nequeat amplius irridere eos, qui in suo Domino, & Saluatore Iesu Christo sperant & confidūt. Iussit autem Imperator, vt in templum ad sacrificandum perduceretur. Cui dixit virgo: Ingredere & tu mecum, & Apollinis sacerdotes, & vos omnes, qui eum colitis, & videbitis, quàm benignè Deus meus sanctus, & bonus de meis manibus sacrificium suscipiat. Quod cùm audiret Imperator, iussit, vt omnis custodia, & omnes præsentes cum ea templū ingrederētur, & animaduerterent, quod ipsa faciebat. Sancta puella se Deo commēdauit, & se signo Crucis muniendo ad orandum proiecit. Quo finito, per totam ciuitatem magnus terræmotus fuit, & maxima pars templi Apollinis corruit, & idoli statua penitus fracta est, & omnes sacerdotes præsentes, & alij infideles interfecti fuerunt.

Imperator maxima ira percitus his rebus, ignorans, quòd in corde esset cæcus, hæc omnia potenti Dei manu & virtute esse perfecta, iussit, vt multi colaphi puellæ infringerentur, & illius carnes ferro carperentur. Carnifices statim, quod sibi impositum fuit, absque vlla misericordia perfecerunt; sed defessi iam cœperunt dicere, & plena voce clamare: Quid mirum est, nos tam defessos & defatigatos propter hanc puellam, quam ita malè tractamus? cernimus enim quatuor formosissimos pueros, eam qui recreant, & tormenta, quibus eam afficimus, in nos conuertunt. Imperator autem ira commotus,

cùm ministros perterritos cerneret, eos imbecillitatis, & inertiæ accusabat. Propter hanc causam iussit, vt in sublime tolleretur, & eius corpus acuta silice scalperetur. Virgo verò eleuatis oculis ad cælum dicebat: Benedictus es Iesu Christe Domine mi, qui tam benignè illis gratiam tuam tribuis, qui in te penitùs confidunt.

His autem verbis prolatis, & maxima constantia in tormentis ea perseuerante, de cælo quædam lux descendit, quæ octo ex illis ministris, qui eam torquebant, circundedit, qui in terram cadentes, virginem orabant, vt à Deo veniam impetraret, pro ijs tormentis, quibus eam affecerunt, quòd id facerent inuiti. Respondit illa virgo maxima lætitia affecta: Si ad meum Dominum Iesum Christũ vos conuertere volueritis, & credere toto corde fore, vt omnibus suarum actionum dignum præmium tribuat, æternis præmijs, quæ in cælis fidelibus suis parata sunt, & vos fruemini: quòd si aliter credideritis, amen dico vobis, quòd ęterna, & horribilia tormenta vos in inferno expectabunt. Ipsi autem octo diuina gratia illuminati, plena voce dixerunt, se in Christum credere, & abhorrentes à crudeli munere, quo fungebantur, omnes vna voce Imperatori dixerunt: Nos in posterum nolumus ijs, quos Deos vocas, seruire, quòd verè idola sunt: cùm à Martina didicerimus, quàm magna sit Dei virtus, & illius filij Iesu Christi. Id autem molestè ferens Imperator, iussit vt statim in sublimi appenderentur, & gladijs illorum carnes laniarentur. Hi tamen in omnibus his tormentis nihil dicebant, solùm oculos in cælum fixos tenebant. Cùm autem ita diu torquerentur, iussit Imperator, vt iugularentur, veritus, ne alij illorum exemplo ducti Christiani fierent. Ipsi autem illa sententia nihil perturbati, frontes signo Crucis munientes, maxima cum lętitia martyrium expectabant, & ita cum gloriæ corona suos beatos spiritus ad cęlum emiserunt.

Postridie eius diei virgo ad Alexandrum perducta fuit, qui imperauit, vt sacrificaret: quod mandatum penitus neglexit, ex quo iussit ille iudex, vt in sublimi suspenderetur, & eius caro laceraretur. In hoc autem tam odioso tormento virgo non cessabat Deum laudare. Vbi verò lacerata fuit, quatuor palis ligata à duobus ministris crudelissimè verberata fuit; & in Dei laudibus perseuerans, tanto spatio temporis fuit verberata, vt septem ministri in muneris vicissitudinem succederent. Ipsa verò pœnas, quibus afficiebatur, negligebat, ea vi, quam à diuina gratia suscipiebat: imò carnifices ab Imperatore veniam postulabant inde discedendi, quòd ipsi, dum eam verberabant, maximis supplicijs afficerentur. Crudelis tamen tyrannus iussit, vt alternatim tum illi, tum alij plurimi eam verberibus afficerent. Huius autem sanctæ virginis martyrio quidam homo diues, & Imperatoris propinquus, intererat, qui vt illi morẽ gereret, consuluit illis, vt eam ad carcerem perducerent, & ibi super plagas sanguine fluentes bulliens oleum funderent. statim Imperator id faciendum iussit. Adolescentula lęto animo ad carcerem proficiscebatur, vt hoc nouo tormento afficeretur; & totam noctem in Dei laudibus consumpsit; & in carcere voces auditæ fuerunt, quæ cum virgine Deum laudabant.

Tertio die tyranno præsentata fuit, qui iussit, vt ad templum ad sacrificandum se reciperet, nisi vellet mala morte interire. At virgo signo Crucis in nomine Christi se muniendo templum ingressa fuit, & supplex fundendo

preces Deo, iussit diabolo, qui in Dianæ idolo versabatur, vt inde statim exiret. Qui statim maximo cum strepitu exiuit, & de cælo ignis cecidit, & idolum combussit, & templi pars corruit, & multos sacerdotes vnà cum multis alijs infidelibus interfecit. Imperator his rebus perterritus, in manum cuiusdam præsidis, qui dicebatur Iustinus, virginem tradidit, vt iterũ eam supplicijs coerceret: & quia virgo sancta dixit illi magna fide & constantia: Me vt vis torqueas, & nullo modo perfeceris, vt tuis dijs sacrificē. iussit vt statim suspenderetur, & caro iam lacerata pectinibus ferreis dilaniaretur: iussit præterea, vt illius mammæ pectinibus aperirentur, ita vt centum & octodecim vulnera acciperet. In his omnibus tormentis ne verbum quidem fecit virgo, sed oculis ad cęlum eleuatis suum corpus Deo in sacrificium obtulit. Præses autem existimans esse mortuam, iussit, vt dimitteretur: at cùm intellexit adhuc viuere, ei dixit: Martina vis Dijs immolare, & tormenta, quę præterea tibi paraui, effugere? Respondit virgo sancta: Est Dominus meus Iesus Christus, qui mihi vires addit, & tuis abominandis Dijs minimè sacrifico. Præses ira percitus, & penè demens factus, fecit eam à palis solui, & ministris iussit, vt eam in carcerem deferrent, existimans minimè fieri posse, vt per se ipsa proficisci posset, cùm ita lacerata esset: illa tamen suis pedibus se ad carcerem contulit.

Hoc Imperatori nuntiato, iussit, vt feris exponeretur: & ad theatrum perducta, in eam rugientem leonem dimiserunt; qui tamen ad virginem accedens, non solùm nihil illi obfuit, sed ad illius pedes se proiecit. Hoc autem Dei miraculum cùm videret, iterum ei supplicauit, ne permitteret, vt vnquã à suo amore seiunctam videret. Quòd autem leo feritate deposita illius pedes lambebat, iterum ad carcerem perducta fuit. Qui leo, tanquam diuinæ iustitiæ instrumentum, cùm sanctæ virgini propter innocentiam pepercisset, inter eundum Eumenium Imperatoris propinquum, qui contra virginẽ consilium dederat, interfecit. Ipsa verò statim ad carcerem perducta fuit; quò paucis pòst diebus misit ministros Imperator, vt inde ad templum ad sacrificandum idolis perduceretur. At virgo respondit: Quidquid potes in me molire: nunquam enim me ab eo, qui mecum est, seiungere poteris, qui Dominus meus Iesus Christus est. Quo audito, iussit, vt iterum ligaretur, & illius ossa frangerentur, quòd iam caro id passa erat. Cui cùm dixisset vnus ex ministris: Cõfitere Martina Dianam esse Deam, & eris libera. respõdit illa: Christiana sum, & Iesum Christum confiteor. Tunc iussit tyrannus, vt combureretur. tunc paratus fuit locus quidam ignis plenus, & in eo Christi virgo imposita fuit. Tunc diuina prouidentia de cælo aquam demisit, quę flammam extinxit; & rapidus ventus, qui tunc surrexit, totum ignem in gentiles proiecit, qui multos ex illis combussit.

Hac re stupefactus Imperator quam cernebat, existimans has esse fascinationes, & eas in capillis habere, quòd tota nuda erat, iussit vt tonderetur, sibi persuadens hoc modo fore, vt omnes vires amitteret: cœpit eam irridere, & iussit, vt triduum in Dianæ templo contineretur, vbi sine cibo in Dei laudibus perseuerauit. Tribus diebus elapsis, de templo educta fuit, & suis precibus petijt à Deo, vt illi placeret ab huius vitæ miserijs liberare. Imperator autem cùm illius constantiam cerneret, quam nullo modo deuincere poterat,

iussit,

Digitized by Google

iussit, vt iugularetur. Hoc autem martyrio, cùm preces funderet, ad sui sponsi gloriam profecta est, & ad suum Dominum, qui viuit & regnat in secula seculorum. Ado Treuiris Episcopus hoc martyrium conscripsit.

Martyrium S. Anastasiæ, à Simeone Metaphraste scriptum.


LEGITVR in historijs, duas fuisse virgines, quę eodem nomine dicerentur Anastasia, ambas Romanas, & ambas nobili loco natas; sed vitæ sanctitate, & fidei confessione longè nobiliores. Quarum altera cuidam viro tam in fide, quàm vita penitus corrupto nupta fuit. Quamobrem illa matrimonij libertate minimè vtens, semper virginalem puritatem conseruauit. Marito mortuo, cùm in eadem puritate perseueraret, omnem suam vitam, & facultatem in pauperum auxilium, vel in alicuius rei necessitate positorum conferebat, & præsertim eorum, qui propter fidem in carceribus & vinculis detinerentur, ad carceres accedendo, & omnia illis parando necessaria, illorum plagas curando, & hortando illos, vt æquo animo ferrent, quæcunque tormenta paterentur: eos mortuos sepeliebat satis honestè pro illorum temporum ratione: in quod erogauit, quidquid ipsa possidebat, quoad se in sacrificium Deo, & holocaustum obtulit, suam vitam in ignis flammis pro fidei confessione finiens.

Alia verò Anastasia vitę monasticæ & quietis rationem suscepit, curis & muneribus matrimonij relictis, virginitatis corona non contenta, forti & magno animo martyrij palmam merita est, & his duabus coronis in cælis fruitur. Hęc igitur adolescentula cùm nata esset viginti annos, renuntiauit parentes, propinquos, & bona omnia temporalia, & se in cœnobium recepit, atque clausit, vbi à sancta Sophia erudita fuit, (hoc enim erat suę magistrę nomen) virtutum deinde fructus erant huiusmodi doctrinæ & institutioni respondentes. Diabolus verò cum huiusmodi sanctitati & puritati inuideret, primùm cum illa bellum per eius domesticos & familiares gessit, qui eam ab hoc viuendi genere tum solitario, tum rigido abstrahere conabantur. Sed illa constanter in proposito persistente, cùm cerneret minimè fieri posse, vt eam hac ratione vinceret, ad alias artes confugit, & vt ijdem familiares eam apud iudicis ministros, qui Christianos conquirebant, accusarent, quòd Christiana esset, effecit. Ipsi statim ad præsidem, qui Probus appellabatur, ierunt, (quo tempore crudelissimus Diocletianus imperabat) dicentes hanc virginem Deos non colere, & Imperatorem vilipendere: sed pro Deo hominem quendam prædicare, qui Christus dicebatur, vitamqúe solitariam sine viro delegisse, & hanc nouam viuendi rationem alias virgines docere. Hic autem iudex multa gente ante tribunal coacta iussit, vt ad se illa virgo duceretur.

Profecti sunt statim huius sceleris ministri, & cœnobij portis & seris fractis, Anastasiam petierũt. Sancta Sophia illius magistra maxima cum humilitate à satellitibus aliquantulum tẽporis petijt, quo multas lachrymas fundẽs, & secretò virginẽ ante altare producens, Deũq; ad sua verba vocans, hoc modo locuta est: Ego, dulcissima filia, cùm te à tenera ætate in meã societatem receperim, nunquam à primo die ad hoc vsque tempus te docere, quantum in

me

me situm fuit, destiti, quidquid pro Christi seruitio & amore opus esset. Nūc autem cùm perueneris ad huius Domini plenitudinis ætatem, ad eum maxima cum lætitia propera. Hodie enim te cælesti tuo sponso despondeo, offero & trado. Et iam thorus tibi paratus est, & qui te vocat, verus & fidelis est; nuntij verò huius gaudij iam peruenerunt, vt te ad summum palatium perducant, in quo tuus Rex inhabitat. Propera igitur filia mea per hanc strictam & angustam viam, & pro illius nomine martyrium suscipe, vt in loco patenti deinde tuos pedes collocet: cùm sit iustum, pro Christo non solùm semel pati, & mori, sed pluries, si id fieri posset. Cùm enim ille Deus existens, non pro se passus sit, sed pro nobis; quàm iustum est & debitum, nos, qui illius serui sumus, lętos illius mortem imitari? Non dicitur mors, filia mea, vitam pro Christo amittere; sed lætitia, fruitio, delectatio, splendor, lux longè quàm Solis lux dulcior. In illa regia domo sunt omnia bona mortis legibus minimè subiecta, omnia sunt firma, stabilia, & perpetua. Ne respicias, filia, tyrannorum crudelitatem, neque tormentorum horribilitatem: sponsus enim cęlestis aderit, & ea leuiora efficiet. & tibi opem feret. Et si placuerit illi, pro tuæ fidei approbatione, vt patiaris in tuis tribulationibus, nunquam te deseret; & dolorum vis definet, & assequeris, vt consolatio, lux, & gloria, & vita te circundent.

Ad hæc virgo respondit: Hoc quidem maximè expetendum est, & à Deo postulandum, vt nunquam in tormentis mihi vires deficiant. Sed licet spiritus promptus sit, caro tamen infirma est: sed tu communem Dominum ora, vt mihi vires ab alto demittat, quibus tam magnis doloribus resistere valeam. Et ego, mea mater, illius virtute & gratia roborata, tua consilia suscipiam, & nullius me obliuio capiet.

Hoc dum diceret, & tam dulcia promissa faceret virgo, irruerunt satellites, & tanquam agnam de sinu matris suæ abstraxerunt, & illius collo catenam imposuerunt; quę magna cum lætitia proficiscebatur, & ad præsidem eam perduxerunt: ante quem dum staret, multò magis suo cælesti sponso aderat animo, oculos in eo hærentes habens, & illius pulchritudinem contemplans. Stupebant, qui aderant, cùm viderent illius faciei pulchritudinem, grauitatem, & honestatem, qua coram iudice stabat. Qui primùm eam de nomine interrogauit. Quæ respondit, se vocari Anastasiam: & Deus me nunc, (illa inquit) vt te & tuum patrem in dedecus cōuertam, mouit. Tunc ille cùm cerneret tanta asperitate virginem respondere, decreuit illecebris hanc asperitatem lenire, nesciens, quicum sibi negotium esset, quamq; durum pectus coram se haberet. Ita ille dicebat: Tibi consulo filia, quod te magis decet, vt te nobiscum coniungas, & nostris magnis Dijs sacrifices: & hac ratione ducaris in matrimonium ab aliquo viro nobili, diuite & primario, cum quo tibi diuitię, aurum, argentum, pretiosa vestimenta, & famulorum multitudo dabitur, & hoc modo eris huius ciuitatis primaria fœmina. Quamobrem tuis rationibus consule, & illud consilium suscipe, quod tuam pulchritudinem, & nobilitatem decet, neque velis meę iræ furorem experiri, & videre, quàm magnū malum sit nostros Deos colere nolle. Quamobrem illos testor, quanta misericordia sim in tuam pulchritudinem affectus, me nihilo minùs tui curam gerere, quàm si tibi pater (quatenus ad carnem attinet) essem; hocque

amore

amore tibi consulo, vt quod tibi vtile est, efficias. Quod si facere neglexeris, certò scias velim, te reipsa experturam, meę iræ seueritatem, & rigorem non minorem esse, quàm meorum verborum nunc sit humanitas, atque facilitas; & fieri potest, vt tunc te pœniteat, cùm nullus erit pœnitentiæ locus.

Hęc cùm audiret virgo, verba & consilia suæ probæ magistræ in memoriam sibi reuocauit, & respondit: Meus sponsus, Iudex, meæ diuitiæ, & mea vita Christus est; & pro eo mortem pati, est mihi ipsa vita pretiosius: & illius causa, nihili aurum, neque argentum, neque diuitias facio, neque quidquam, quod voluptatem in terris afferat, mihi dulce est: is enim solus, & iucunda illius consuetudo, est meum gaudiū, quo perpetuò frui spero. Propter hanc causam ignis, ensis, ferrum, membrorum laceratio, & vulnera, & verbera, & quidquid aliud à vobis excogitatum est, vt nos torqueatis, mihi non tormenta, sed voluptates sunt; cùm in eo solo oculos meos defigam, & non vnicam, sed mille mortes, si fieri posset, illius causa pati desiderē. Propter hanc causam ne fingas te compassione in meam pulchritudinem esse motum, quę tam citò, quàm citò & campi flores, languet. Sed iam illud aggredere, quod in tua potestate, & in tuorum morum crudelitate est: nūquam enim hos tuos Deos ex lapide & ligno fictos adorabo.

His verbis maxima ira iudex accensus iussit, vt illi colaphi infringerentur, deinde coram populo & nudaretur; in forumq́; perduci iussit illam pulchritudinem dignam, quam Angeli venerarentur, vt illa virgo summo dedecore afficeretur, quæ homines videre non consueuerat. Quod cùm fieret, sic ille inquit: Sic necesse est, vt coram hominibus vituperatione, & dedecore afficiaris. Quamobrem resipisce, & nostrorum Deorum benignitatem cole, & ante tempus fœdare, & obtenebrare istam floridā pulchritudinem noli. Quod nisi feceris, nemo à meis manibus te liberare poterit, neque mihi esse impedimento, quo minùs te lacerem, & feris exponam deuorandam. Hoc tibi exploratissimum sit. Virgo ad id respondit: Non est mihi dedecori, iudex, meis vestibus spoliari, sed magno decori, & ornamento. Sic enim veteri homine spoliata, nouum hominem iustitiæ & veræ sanctitatis induar. Propter hanc causam non mihi, sed tibi erit turpitudini, quòd impietate & nequitia indutus es; quæ tanquam aqua intestina tua penetrauit.

Interea dum virgo in maximo desiderio ingrediendi martyrij certaminis esset, & verita ne iudex sententiā mutaret, ipsaq́; coronam amitteret, hæc verba addidit: Crudelissime iudex, mihi mortem minitaris, hîc iam parata sum, & hoc est, quod vehementer appeto. Quòd si mea membra laceraueris, mihi linguam, & manus, & dentes, & vngues incideris, tunc maiori me beneficio affeceris. Nam quantacunque sum meo Creatori debeo, & hoc semper mihi in optatis fuit, vt in omnibus meis membris glorificetur, & eā sistam ante illius tribunal cum pulchritudine & ornamento meæ confessionis. Horum verborum vi attoniti, & stupefacti fuerunt quicunque intererant: at iudex missis verbis ad tormenta perfugit.

Et primùm mandauit, vt quatuor pali in terram defigerentur, ex vtraque parte duo, & his quatuor pedes & manus virginis alligarentur: cuius corpus cùm eleuatum à terra esset, iussit, vt ignis supponeretur ex sarmentis, super quem proijcerent oleum, picem, & sulphur, & vnà tres carnifices illius

scapulas virgis verberarent, quod factum fuit. Illa verò cùm diu in hoc supplicio staret, illius scapulæ verberibus lacerabantur, & intestina igne supposito inflammabantur, & venæ in cinerem vertebantur, & sanguis consumebatur, quod tormentum vel auditu horribile est; virgo (ô generosum animum, & ipsa natura altiorem) tota in orationibus versabatur, & memoria & ore illa scripturæ verba repetebat, in quibus erat assueta versari, vt tum hoc, tum suis precibus, tanquam cælesti rore suorum dolorum flammam extingueret.

Illa verò fera belua hoc supplicio non contenta, iussit, vt in rota quadam imponeretur, & ibi torqueretur, vt præsenti tormento superius vinceret. Et statim illi ministri quodam artificio illam rotam voluebant, qua frangebantur ossa, & nerui distendebantur, & tota corporis fabrica dissoluebatur, & membra de suis locis luxabantur. Hoc tempore illa virgo Deo preces fundebat, qui eam tempore suæ afflictionis liberare poterat, & ita dicebat: Deus deorum, Deus virtutum, Deus meæ salutis, à quo mea patientia proficiscitur, in quo omnis mea confidentia est, meæ fortitudinis turris, meumque refugium, nunc mihi in hac afflictione succurre. Deus, qui me fortitudine præcingis, Deus, Deus meus, ne à me discesseris: mea enim vita in doloribus deficit. Hac autem oratione facta, (ô præsens, & admirabile Creatoris subsidium) statim funes, quibus illud gloriosum corpus in illa machina distinebatur, soluti fuerunt, ita, vt neque superioris ignis, neque vllius accepti vulneris signum reliquum esset.

Neque tamen hoc tanto miraculo motus est ille tyrannus, neque illius crudelitas cessauit, quòd obstinatus esset, & infidelitatis vino ebrius. Itaque iussit, vt in quadam lignea machina distenderetur nuda, vt tunc erat; & ministris imposuit, vt illius carnes pectinibus ferreis lacerarent, quasi eas ararent. Illa verò, oculis eleuatis ad cælum, ita roborata fuit, vt ministris assiduo labore defessis ipsa vultu, & animo sereno esset, nō aliter, ac si nihil pateretur. Ex quo tyrannus ira excandescens, nesciebat quo genere tormentorum in illam veretur. Erat penitus mutato vultu, & in solio commouebatur, neque præ rabie ille vel furore, quo erat affectus, poterat quiescere. Cùm autem iam quasi demens esset, & sine iudicio, dæmonium, quo indutus erat, ei dixit, vt iuberet virgini ambas mammas in circuitu abscidi, quod maximum dolorem efficit, quòd illa pars est cordi vicina. Virgo verò cùm esset multò magis Christi amore inflammata, quàm tyrānus suo furore, quod minus erat, pro eo, quod maius est, penitus negligebat.

Post hoc autem cùm ille tyrannus cuperet illam virginis mirabilem fortitudinē deuincere tormentorū terrore, iussit, vt digitorū vngues illi radicitus euellerentur. At illa, tanquam si esset sine vllo sensu, in doloribus Deo gratias agebat, quòd eam dignā iudicasset, quæ illius similis esset, & illius passionum socia; & vnà tyranni Deos inhonorabat, eos tenebras, mundi deceptionem, dæmonia, & alijs contumeliosis nominibus, vocans. Quod cùm ferre nō posset tyrannus, iussit, vt illi lingua erueretur, & pars illius abscideretur, & vnà dentes eruerentur. Virgo autem nihil penitus deficiens, neque suam constantiam remittens, in gratiarum actione perseuerabat, Deumque orabat, vt suum martyrium ad bonum finem perduceret; petijtque, vt si qui morbo laborantes

rantes bonam valetudinem per eam postularent, digni fierent, qui id impetrarent. Tunc insonuit vox de cęlo dicens: Concessum est, quidquid postulatum fuit. Facta autem oratione, dixit carnifici: Fac quod tibi impositum est. illa foras emisit linguam, quæ semper in diuinis laudibus erat occupata; quæ statim abscisa fuit, & dentes euulsi, & os sanguinis fons factus fuit, quo quidem tota sponsæ Christi vestis tingebatur, omnibus regum purpuris longè pretiosior.

Hoc tempore virgo siti laborans, aliquantulum aquæ petijt, quæ illi per quendam virum, qui Cyrillus dicebatur, & Christianus erat, sed incognitus, data fuit. Hoc autem beneficio consecutus est, vt aquæ frigidæ phiala coronã martyrij consequeretur. Vbi enim intellexit tyrannus, hunc hominem non solùm naturali misericordia motum in illius dolorem, sed etiam quòd esset eiusdem cum illa fidei, illi aquam dedisse; iussit, vt statim interficeretur, & cum eo imperauit, vt virgo iugularetur; & ita extra ciuitatem obtruncata fuit, & illius corpus nonnullos dies humi iacuit: ita tamen, vt neque cęli aues, neque terræ animalia illud contingerent, quę in suo genere vulnera pro communi Domino accepta venerabantur.

Deinde singulari eius prouidentia sanctæ Sophiæ traditum fuit, quæ illam educàrat, & instituerat, in quo illius petitio à Deo adimpleta fuit, & eam quietem illi tribuit, quę illius viscera postulabant. Cùm enim caperetur virgo, & ad martyrium duceretur, timebat, tremebat, & horrebat tormentorum pericula. Propter hanc causam humi proiecta, accensis orationibus, & multa lachrymarum vi orabat Deum, ne virgo in tormentis deficeret. Vbi autẽ martyrium confectum fuit, Domini Angelus magistram eo timore & cura liberauit, ei nuntiando, quàm gloriosus exitus virginis fuerit, & vnà eam perduxit, vbi illius corporis reliquię erant, fidei confessione ornatæ, & veste martyrij, quod ipsa summopere cupiebat. Tunc ipsa pretiosas illas reliquias complectens, & singula membra exosculans, & multas in ea lætitiæ lachrymas fundens, dicebat: Filia mea dulcissima, filia mea valde amata; filia, quam omni diligentia in bonis exercitationibus, & silentio, & laboribus educaui, tibi gratias ago, quòd mea consilia non neglexisti, quodq́ue præstitisti fideliter, quod mihi promisisti, & virginitatis veste ornata, & vulneribus martyrij pulchra, & corona ex pretiosis lapillis coronata, nunc in loco admirabilis tabernaculi, quæ domus Dei est, versaris, vbi illi inhabitant, qui semper illius præsentia gaudent. Quamobrem te rogo, multum amata filia, & spiritualis mater, (sic enim decet, vt te appellem) vt in hac breui, & caduca vita mihi sis optima curatrix, & nutrix senectutis meæ, communem Dominum pro me placando, & pro me orando, cùm ex hac vita migrabo.

Hęc autem pia & religiosa anus, (quę filias parere, & educare sciebat) illas sanctas reliquias suis manibus complectens, & componens, cùm sibi deessent vires, quibus eas ferre posset, neque inueniret rationem, qua id faceret, maximè angebatur: statim duo venerunt viri, habitu & forma veneratione digni, & suis manibus sanctas reliquias sustulerunt, & vnà cum sua magistra apud Romam ciuitatem sepelierunt honestissimè, ad gloriam Dei Patris, & eius vnigeniti Filij Iesu Christi, qui viuit & regnat in secula seculorum.

Ad Lectorem.

TANTVS est, tam suauis, tam admirabilis fructus, qui ex historia sanctorum Martyrum percipitur, vt præter ea, quę antè scripta sunt, facere non possim, quin Christiano lectori illam consolationem impertiar, quam ego ex lectione horum trium martyriorum percepi, quæ hic scribo; primi huius virginis nomine Anastasiæ, viginti annos natę; alterius cuiusdam Episcopi, eiusdem ætatis, nomine Clementis; tertij eius discipuli & socij, ætate minoris, qui Agathangelus dicebatur, quæ duo à Simeone Metaphraste cõscripta sunt. Non ab re fore existimo hic ascribere, quæ Nicephorus grauis historicus de hoc S. Clemente, & de eius discipulo conscribit quæ sunt hæc:

Niceph. li. 7. c. 14. Hoc ipso anno (Diocletiano & Maximiano Imperatoribus) & Clemens Ancyranus episcopus, cum Agathangelo excellentissimum martyrium suum exorsus est. Viginti octo namq; annis pro Christo splẽdidissimũ absoluit cursum. Siquidem post mundũ conditum quicunq; pro Christo certamen igne, ferro, lapidibus, lignis obierunt, quiúe cum bestijs depugnârunt, & diuturnis vinculis afflicti sunt: præterea qui diuersis modis in terra, in aere, in aquis, cum supplicijs sunt colluctati: tum autem qui vel frigore, vel calore nimio sunt consumpti, aut qui alijs quibuscunq; pœnis & tormentis vitã amiserunt, eos omnes meo quidem iudicio sanctus ille Clemens, & cum ipso Agathangelus longè superauit: partim quidem Romæ, deinde Nicomedię, cùm feritate & crudelitate alijs pręstantes tortores, eis excruciãdis, vices per successionem mutantes, ab omni iam tormentorum specie destituerentur: ad postremum aũt gladio percussi, vitã hanc immortali illa cõmutârunt. Hæc Nicephorus.

Incipit martyrium Sancti Clementis, & eius socij Agathangeli.

ANNO ducentesimo quinquagesimo à Christi natalibus, Imperatore Valeriano, in ciuitate Ancyra, quæ in Galatię prouincia est, hæc felix planta orta est. Erat hic Sanctus nobili, & illustri familia, & parentibus diuitibus ortus: licet pater infidelis esset, at mater, nomine Sophia, catholica, & pia erat. Patre in suarum tenebrarum errore mortuo, fuit illi hic filius superstes puer, quem illa suis vberibus nutriebat. Vbi verò ad eam ætatem peruenit, quæ ad discendum esset accommodata, mater, vt in omni virtutum genere erudiretur, curauit. Optima autem mater cùm sibi suę vitę finem impendere præsentiret, suscepit filium, iam duodecim annos natum, eumq; summa charitate complectens, cupiens eum non minùs cęlestis thesauri, quàm patrimonij hęredem efficere, hoc modo illum allocuta est.

Fili mi, fili mi, valde dilecte fili, qui priùs, quàm tuum videres patrem, te patre orbatum vidisti: Deus autem tibi pater fuit, & te diuitem reddidit; tua enim orbitate ad tuam felicitatem vsus est. Ego quidem hoc tibi dedi corpus, quod habes; sed Christus te suo spiritu regenerauit. Hunc patrem cognosce, & operã da, ne frustra huius filij nomen habeas. Christo tantùm inserui, & in eo omnẽ tuam spẽ colloca: is enim est immortalitas, is est salus, is est, qui propter nos homines descendit de cælis, & nos in altum secum duxit, & suos effecit filios. Quamobrem quicunque huic Domino, & patri obedierit, omnia vin-

eet, non folùm reges, & tyrannos, qui colunt idola, verùm etiam dæmonia, qui in illis verfantur. Quæ vbi dixit, oculis lachrymarum plenis cœpit suo filio prophetare, quidquid illi in vita contingere debebat, & ita illi inquit: Te rogo fili mi, amate fili, vt quoniam iam maxima Ecclesiæ persecutio accedit, pro eo quanti me facis, & debes huic matri, quæ te genuit, illud mihi des, & hunc mihi honorem tribuas, vt in Christi confessione fis fortis, & constãs, in quo confido fore, fili mi, vt tibi martyrij floridam coronam imponat. Quare te para opportuno tempore, & forti animo, ad hoc certamen, ne te imparatum offendat. Non enim cum debilibus inimicis contendimus, neque pro parua re: sed aduersus robustissimos hostes, qui sunt dæmones, & contra illorum defensores: & negotium, pro quo contenditur, vita æterna est, & ignominia, & tormẽta, quæ perpetua sunt: neque sint apud te vllius momenti, quæ tibi ab illis promittuntur, neque illorũ minæ, vt te à proposito tuo amouere possint. Turpissimum enim est, cùm nobiles viri pro rege terræ mortali mortem constanter appetant, nos pro rege cæli immortali idem facere nolle; præsertim cùm vtrorumq; præmia tanto interuallo inter se distent. Quod enim bonum accidere potest mortuo, qui sine sensu est? Pro Christo verò moriẽti, pro hac mortali vita, immortalis datur; pro diuitijs, & voluptatibus ad tempus, beatitudo sempiterna tribuitur. Quid? si nunc non morimur, nonne paulò post nobis moriendum, & hoc humani generis commune debitum soluendum est? Mors verò, quam pro Christo patimur, non est dicenda mors: præmij enim spes, doloris sensum aufert. In primis autem illud tibi considerandum est fili mi, vniuersi Creatorem pro nobis hominibus hominem esse factum, & in terris cum hominibus conuersatum esse, & (quod omnem admirationem antecedit) pro nobis ingratis seruis, Dominus maiestatis damnatus fuit, sputis fœdatus, colaphis affectus, & tandem interfectus. Quod omne pro nobis, & pro nostra salute, & vt nos à tyrannide peccati liberaret, & aditum in cælum patefaceret, passus est. In cuius autem mentem & animum cadere potest, vt, cùm tanta pro nobis passus sit, nos pro illo nihil pati velimus? Hæc debes, fili mi, in animo tuo inserere, ne quid sit, quod te à charitate Christi separare possit, non tyrannorum minæ, non noua tormentorum genera, non regum timor: sed te contra hæc omnia, bona martyribus parata, & cælorum regnum, quod martyrij præmium est, recreent, atque roborent.

Quotidie hæc bono filio illa bona mater inculcabat, cùm iam esset ante tempus propter prudentiam canis aspersus. Cùm autem iam ex hac vita migratura esset, sic illi inquit: Hoc præmium à te peto, fili mi, pro educationis labore, & pro pariendi doloribus, vt in tuis membris glorificer. Iam enim à te discedo, & hæc sensibilis lux cras à me deficiet. Quare te rogo, lux & vita mea, mea viscera, ne me hæc spes fallat. Mulier Hebræa septem peperit martyres, & in septem corporibus pugnauit: at tu solus ad meam gloriam satis es, vt inter alias matres beata sim. Iam à te discedo, fili mi, & meum corpus à tuis suauissimis oculis separatur; sed anima mea semper à tua pendebit, cuius virtute ante Christi tribunal fidenter me præsentabo, gloriabor in tuis afflictionibus, & in cicatricibus vulnerum, quæ pro eo accepturus es. Hæc bona mater suo filio dicebat, & simul singula illius membra osculabatur, inquiens: O me felicem, quæ martyris membra exosculor, & membra quæ Christo in sa-

Digitized by Google

crifi. ium offerrentur: quę dum dicebat, & eum cōplectebatur, & os
& cum eo verba suauiter faciebat, in pace obijt, spiritum suum D
corpus commendans.

Tunc pius filius, sepulto corpore matris honestè, rationē mon
suscepit, in hoc materno præcepto inseruiens, mundum relinquēdo
ea vitam pro Christo relicturus erat. Illa igitur ætate patre & matr
Deum in patrem suscepit, qui aliam illi parauit matrem, quæ nom
litate, sanctitate, diuitijs, priori par erat: Sophia enim quoq; nom
quæ diu noctuq; in orationibus versabatur. Quæ cùm diu filios habe
rasset, nunquā tamen fuit voti compos: Diuina verò prouidentia, q
bus rebus ab alto consulit, vt seruus suus illa tenera ætate matre ca
nimè passus est, & sic hanc ei prouidit. Quæ, vt fœmina sancta, &
hunc nouum filium tanto amore, & cura educabat, quanta si ex s
peperisset. Ipse verò non minori amore, & veneratione eam prose
Et cœpit ipse puer confestim tāquam fertilis terra benedictionis fr
re. Cùm enim in Galatia esset maxima sterilitas, & fames, orbatos &
pueros colligebat, qui fame laborantes, & nudi incedebant, quos
& vestiebat; cùm illi bona mater maxima cum lætitia dabat, quid
esset, vt illorum corpora nutrirentur: ipse verò illorum animaru
gerebat omni virtute illis educandis, instruēdis in Iesu Christi amo
& hac cura ita eos lucratus fuit, vt vnà cum illo passi sint. Et hac ra
phia, quæ nullum antea filium habebat, plures deinde habuit, & vir
ditos. Clemens autem interea omnia corporis commoda refugien
Dan.1. 3. minibus tantùm nutriebat: in memoria habens illos tres sanctos a
tes, qui hoc cibo vtebantur, quo nec vitiorum, nec Babyloniæ ig
illos quidquam potuit.

Sed cùm necesse esset, vt candela super Ecclesiæ candelabrum p
disposuit Deus, vt qui tam multis virtutibus eluceret, alijs salutis vi
deret: & ita communi consensu eorum, qui in Galatia habitabāt, h
mum munus imposuerunt, vt verbum Dei annuntiaret, & paulò p
natu initiatus fuit, & Sacerdotio; & duobus annis elapsis, cùm ille
annos peruenisset, populus illius ciuitatis, cùm illius virtutis can
turitatem cerneret, eum in suum Episcopum delegerunt. Et in e
positus, cœpit magis parentibus orbatos curare, illis omnem bon
nam tradens, & sanctum baptismum administrans; & huius bon
onis fama multi ex finitimis locis ad eum parentes ibant, illi suos f
rentes, vt in sua doctrina illos erudiret: quos ipse educabat, & do
aliter, atque si sui filij essent. Hi fuerunt primi huius bonæ plant

Iam tempus est, quo de illius martyrio agere incipiamus. Qua
illud sciendum est, quòd Diocletianus eodem tēpore regnare cœpit
mo sui scelerati Imperij anno, ad præsides totius Imperij edicta m
bus imperabat, vt tormentorum vi Christianorum nomen de toto
orbe in exilium eijcerent; illi maiora præmia pollicens, qui in hac r
diligentia vteretur. Vbi hoc edictum ad Domitianum Galatiæ præsid
uenit, apud eum Clemens accusatus fuit, quòd multos adolescētes ad
cognitionem perduxerat, & illorum Deorum cultum penitus d

Domitianus statim accersiuit Clementem, & priùs humanioribus, atque simulatis verbis, & promissionibus tētauit, possetne illum à suo cōsilio amouere. At ille Sanctus illos honores, promissa, atque minas nihili faciebat.

Iudex verò cùm illius constantiam cerneret, remota simulatione, cœpit suum virus, quod in corde habebat, euomere, & iussit, vt magno ferreo pectine illius caro laceraretur. Hoc modo cùm vulnera penitus infligerent, tantum carnis ab eo abstraxerunt, vt iam illius intestina apparere cœperint; & ita laceratus, & tectus sanguine erat, vt, qui aderant, tam horrendum spectaculum ferre non possent. Sanctus autem Martyr semper æquo animo, & eadem facie fuit, neque vllam verbum dixit, quod misericordiam mouere posset; neque vllam emisit vocem, cuiusmodi solent hi, qui torquentur: sed maiori securitate perseuerans, quàm qui aderant, tanquam minùs quàm tortores, dolores perciperet, in eo tantùm occupabat animum suum, vt Christo suo duci gratias, qui eum corroborabat, ageret. Cùm autem satis temporis in hoc tormento esset consumptum, & tortorum manus defessæ, & is forti & cōstanti animo perseueraret, & iudex vellet illam fortissimam arcem expugnare; Ne existimes, inquit ille, fore, vt tibi tantæ sint vires, quæ meam fortitudinem vincere possint. Nam licet sint defessi, qui hactenus te supplicijs affecerunt, alios recentes mittam, qui defessis succedant, qui te carne penitus spolient, vt omnia ossa tua nuda cernantur. Hi verò venerunt, idem quod primi fecerunt, & defatigati sunt, non aliter ac primi.

Ille autem crudelis tyrannus ex altera parte Martyris constantiam admirans, ex altera se irrisum, & victum ab eo cernens, iussit vt à ligno solueretur; qui huiusmodi erat, vt vel ipsis carnificum oculis horrorē afferret: erat enim sua carne spoliatus, & speciem hominis tantummodò habebat, quòd ossium fabricatio sanguine perfusa aderat. Quamobrem tyrannus desperans fieri posse, vt vi illum vinceret, iterum eum suauibus verbis alloqui cœpit, & dicebat, vt aliquod temporis spatium illi miserabili corpori ad quietem daret, neque robur ostentare vellet in re tam vana, & pro ea mortem appetere. Martyr verò hæc verba negligens, inquit: Quam mihi mortem minitaris, cùm in eo corpori vitam eripiat, animæ immortalitatem affert. Quamobrem cùm hoc meum consilium tibi notum sit, omissis verbis aggredere quiduis, & experiare, quidquid tibi videtur huiusmodi, quod minimè sufferri possit. Tunc tyrannus sua consueta ira percitus inquit: Hic homo est, vt equus reses, ob id eum vehementer in facie, & ore feriatis, quòd cùm hanc partem tantummodò sanam habeat, libertate loquendi vtitur. Tunc ministri, qui humaniores erant, manibus tantummodò eum in facie percutiebant, alij ne contingere quidem audebant; totum enim illius corpus ita resolutū erat, vt vix ossibus hæreret: qui verò crudeliores erant, in ore lapidibus feriebant. Tunc Martyr dixit: Hoc nō est tormentū pro me: magnum enim est serui decus, idem quod suus Dominus pati, qui colaphis percussus fuit, & illius seruus sanctus Stephanus lapidatus: imitatio passionis hoc tormento me leuat, & æqualitas honoris eorum, qui me maiores sunt. Hæc autem dum dicebat, identidem oculos ad Christum suum ducem eleuabat, illi omni deuotione gratias agens.

Tunc Domitianus, omni spe vincendi Martyris abiecta, iussit, vt in carce-

Digitized by Google

rem perduceretur, duoq; homines illũ per brachia deferrẽt, existimans minimè fieri posse, vt præ tantis tormẽtis moueretur. At ille Dominus, qui debiles confirmat, & iacentes erigit, noluit, vt hoc auxilio indigeret; sed amouens à se, qui eum deferre volebant, ipse per se suis pedibus ad carcerem progressus est. Tanto robore stupefactus tyrannus, dixit ijs, qui aderant; Huiusmodi militibus indigeret Imperator, qui in difficilibus rebus huiusmodi spiritus haberent. Ille autem non ampliùs ad meum tribunal perducetur: ad Imperatorem Diocletianum eum mittam, quòd is solus eum vincere poterit. Quo dicto, rei euentum Imperatori scripsit, & Ancyra Romam, vbi erat Domitianus, captiuum misit. Martyr autem, cùm se extra suam ciuitatem cerneret, manus & cor ad cælum tollens, sic orare cœpit: Domine Deus, qui omnia ad salutem humani generis disponis, & multos nobis ad salutem aditus aperis, te rogo pro hac mea ciuitate, & pro animabus, quæ in illa crediderunt, ne in diaboli laqueum cadant, neque tyrannorum artificio decipiantur; ne permittas, vt ex hac ciuitate, quæ creauit eos, in exilium eijciãtur. At tu, qui Iacob ad domum patris reduxisti, & à manibus Esau liberasti, per fecisti, vt Iosephi ossa ex AEgypto ad suorum maiorum monumẽta portarentur, illud cura, vt ad hanc ciuitatem, quæ me genuit, quæqúe ad hanc vsque ætatẽ nutriuit, deferar, & hac ratione hoc suum depositum illi restituatur. Hac oratione facta, in viam se dedit.

Vbi verò Romam peruenit, & literis Diocletiano redditis, iussit statim, vt ad se perduceretur Clemens. Cuius lætam & generosam faciẽ vt vidit, quod in animo habebat occultans, admiratus eum passum, quod per literas sibi significabatur, Martyri dixit: Esne tu ille magnus Clemens, forti & nobili animo ornatus? æquum quidem esset, vt eum ad magna facinora conferres, non ad huius vanæ fidei defensionem, quæ tum nostram iram, tum nostros Deos ad vindictam excitat, quibus istam fortitudinem debes, qua quidẽ tantis disciplinis resistere posses, vt ad veritatis cognitionem peruenires. Quod vbi dixit, ob oculos Sancti posuit aurum, argentum, pretiosas vestes, magistratuum insignia, & dignitatum; ex altera parte tormentorum instrumẽta, quæ erant manicæ ferreæ, ferrei lecti, rotæ, pectines ferrei, craticulæ, ahena, verua frixoria, graues catenæ, & alia genera visu horribilia. Hoc autem facto, Martyrem hilari vultu respiciens, & illas diuitias ostendens, inquit: Hæc omnia tibi dabo, si nostros Deos adoraueris. Sanctus verò suos oculos ab illis diuitijs amouens, & irridens, & magnum trahens de pectore pro ijs, quæ audierat, suspirium respondit: Destruantur vestri Dij, & vos pariter cum illis. Tunc Imperator martyrem Clementem irato vultu respiciens, & ad ea tormentorum genera oculos conuertens. Hæc, inquit, sunt illis parata, qui Deos nostros blasphemant. Martyr tunc inquit: Si vestra tormenta, vt existimatis, sunt terribilia, & intolerabilia, & vestra dona splendida, & magnifica: qualia vobis vidẽtur esse debere ea, quæ Deus largitur? quæ supplicia, & ignis riuuli, quæ improbis hominibus parata sunt? Vestrum enim aurum & argentum, nihil aliud sunt, quàm puluis, & limus, & vilis materia, & sine fructu, & latronibus subiecta; & vestræ pretiosæ vestes, quid aliud sunt, quàm fila & spumæ vermium, & barbarorum hominũ inuentiones? Huiusmodi igitur sunt res vestræ. Sed quæ Dei sunt, contrà se habent: cùm in illis sint immortales

delecta-

delectationes,& perpetuus splendor; cùm temporum vicissitudines minimè timeant, & senectutem ignorent, & semper in eodem suæ pulchritudinis flore perseuerent.

Ad id respondit Imperator Diocletianus: Mihi videris Clemens bene loqui,sed malè sentire. Verbis enim de immortalitate loqueris,& reipsa in mortali homine spem ponis,qui vester Christus est, quem ferunt innumerabiles pœnas Hebræis dedisse, & tandem per eosdem crucifixum esse. Nostri verò Dij immortales sunt,& omni molestia,& dolore liberi.Hoc verum est,inquit Martyr: quomodo enim ei moriendum est, qui vixit nunquam? & quomodo percipiant dolorem ij, qui sensu carent?

Ira commotus Imperator tum his, tum alijs huiusmodi verbis, se ad tormenta conuertit,& iussit, vt martyr in rota ligaretur, & in circuitu magno impetu traheretur, eodemq; tempore crudeliter verberibus afficeretur. Cùm autem rota plana reperiebatur, illius ossa frangebantur; cùm verò erigebatur,ministri verberibus eum afficiebant. Hoc autem in supplicio dum versabatur, ad Christum conuertebatur,inquiēs: Domine Iesu Christe adiuua me, & huius tormenti onere me leua: dolores enim mortis me oppresserunt.Domine, pro gloria tua,& tui nominis confessione mihi faue; & pro tuorū aduersariorum confusione,& dedecore, & vt me ad maiores dolores pro te perpetiendos corrobores. His precibus fusis, rotæ motus statim cessauit, & verberum tormentum, & ligamina omnia statim soluta sunt: & Martyr ad pristinam valetudinem redactus fuit.Quare multi Romani, qui huic spectaculo aderant, ad Christum conuersi fuerunt,& cœperunt exclamare,dicentes:Magnus est Christianorum Deus. & Martyr dicebat: Gratias tibi ago Domine, quòd me in tam magna ciuitate pati volueris,& coram tam multis pro tuo vnigenito filio,qui quoque pro nobis passus est, & suum sanguinem in pretium captiuitatis nostræ dedit.& statim Sanctos, qui Romæ passi fuerunt,nominatim collegit. In hac ciuitate, ille inquit, S. Petrus Deum glorificauit, Paulus prædicauit; Clemens, quo nomine & ego appellor,adorauit;diuinus Onesimus confessus est. Propter quem & illi passi sunt, quos nunc Christiani venerantur, & paucis pòst diebus & Imperatores venerabuntur. Hoc dixit, idololatriæ finem & euersionem prophetizans.

Hæc verba Diocletiani iram magis accenderunt, & propter hanc causam iussit, vt illi os ferri mucrone lacerarent: ex quo dentes commoti, & mandibulæ fractæ essent: Martyris tamen vox nunquam oppressa est, nec loquendi libertas remissa est. Etsi carnifex illi,vt sileret,iubebat: illius tamen vox magis inualescebat, vt metalli statuæ, quæ quò magis percutiuntur, eò magis sonant. Quamobrem defatigatus Imperator & diffisus,iussit, vt in carcerem reduceretur. Multitudo autem, quæ rotæ miraculo crediderat, tam virorum, quàm fœminarū,omnes cōgregati carcerem ingressi sunt, & ad illius se pedes prostrauerunt,& diuinum baptismum petierunt. Sanctus autē hac fide & deuotione motus,omnes cum filijs suis baptizauit. Media verò nocte visio cælestis illi apparuit, quæ erat tam magna lux, vt verbis exprimi nō possit,nec oculi eam ferre possent,quæ vt splendor illū carcerem illuminabat: in lucis medio vir quidam hilari vultu, & splendenti veste amictus apparuit, qui ad Clementem accedens, in illius manu panem vnum,& calicem imposuit,quo

facto statim euanuit, & eos, qui aderant, attonitos hac mirabili visione reliquit. Sanctus autem vir, sciens hanc esse sanctissimi Sacramẽti materiam, fusis suis precibus, & verbis consecrationis prolatis, sanctam communionem ijs ministrauit, qui iam baptizati erant. Multi deinde conuenientes ad sanctum virum, & fidelium numero crescente, & ex carcere ecclesiam efficiente; custodes carceris de hac re Imperatorem certiorem fecerunt; qui iussit, vt omnes noctu caperent, & nisi Christi fidem negare vellent, omnes penitus interficerent. Omnes igitur capti hanc temporalem vitam amittere maluerũt, quàm Christum negare, qui nos creauit, amauit, & pro nobis mortuus est: & ita omnes vrbe egressi, se & filios suos illi vt sanctum sacrificium offerebãt, & ita, vt nullus deesset præter vnũ, cuius animus aliquanto iuuenilior erat: non enim restitit, vt certamen effugeret, sed vt grauioribus doloribus pugnaret. Hic fuit mirabilis Agathangelus, de quo iam tractare incipiemus.

Diocletianus autem accersiri Clementem iussit, cui suadere conabatur, se pœnitere eius, quod fecerat, & cœpit Martyrem collaudare, & cum eo mitiùs agere, si fortè hac ratione posset eum ad se conuertere. Sed cùm videret se nihil proficere, deposita illa simulata mãsuetudine, suum virus detegere cœpit, & aliud horribile tormentum excogitare, cuiusdam primarij viri, nomine qui dicebatur Amphion, consilio ductus. Tormentum illud erat, vt multi homines vnà se ad illius membra adiungerent, & ita ad se traherẽt, vt de loco suo naturali omnia dimouerentur, & præterea quatuor carnifices simul illũ neruis boum siccis verberarent.

Martyr autem cùm mirabili constantia hoc supplicium passus esset, Diocletianus illi dixit: Video, Clemens, te valde pertinacem esse: nollem tamen putares fore, vt me vincas; nũc enim te pectinibus ferreis torquebo, cùm tu quoque ferreus sis, & sensu careas, vt ferrum; si fortè ab hoc profundo somno, quo nunc es affectus, expergiscaris. Bene dicis, respõdit Sanctus, Imperator me dormire: dulci enim somno dormio. Deus mihi dolores soporauit futurorum bonorum spe, & mihi vires ministrat, quibus pro ea maiora tormenta patiar; qui me quoque vigilantem reddit, & attentum, vt liberè loquar, & illius sanctum nomen prædicem. Hæc dum dicebat ille Sanctus, iussit Imperator, ne amplius illum verberarent, sed illum suspenderent in quodam ligno, & pectinibus ferreis illius corpus lacerarent, quoad penitus totam carnem abstraherent, & sine sanguine esset, & ossium structura solùm reliqua fieret. Quo facto, intuens Martyr quomodo se haberet, conuersus ad tyrannũ inquit: Non hoc est corpus meum, quod tantopere torques; at nullum dolorem percipio, cùm illud laceras: corpus enim quod mihi natura dedit, superioribus tormentis consumptum est, vt nulla illius pars mihi reliqua sit: hoc autem nouum corpus, quod nunc torques, mihi meus Dominus Iesus Christus dedit, quo consumpto, aliud mihi dabit: illi enim minimè deest materia, ex qua illud conficiat.

His autem dictis, & alijs multis, iussit Imperator, vt ad illum admouerẽt funalia accensa, quæ Sancto voluptatem afferebant. Quare tanta fortitudine stupefactus Imperator, ad eos qui aderant conuersus, inquit: Multos ex his miseris Christianis tormentis affeci, & occidi; sed huiusmodi furorem, nec tam robustum corpus vnquam, vt hoc est, vidi. Quamobrem statuo illum

Nico-

Nicomediam ad Maximianum Imperij collegam mittere, vbi futurum arbitror, vt quæ in hoc homine sunt prodigia existimet. Nõ enim existimo eum tantam vnquam in vllo homine vidisse constantiam.

Hæc autem maxima cum admiratione inquiēs, iussit, vt Martyr cum suis captiuis, nauibus Nicomediam ad Maximianum perduceretur, vt ab illo examinaretur; ei per literas significans, quæcunque acciderant primùm cum Domitiano, deinde secum: inquiens huiusmodi esse, quæ tum omnem fidem, tum humanæ naturæ vires facilè vincunt, illud præterea addēs, quòd si eum vinceret, & ad suam religionem cõuerteret, (quod minimè sperabat) sibi gratissimum futurum, si eum ad se remitteret, vt in eo magnum illius ingenium, & prudentiam cerneret.

Roma igitur eduxerunt sanctum virū, quem multi fideles comitabātur. Quod autem ipsi dicebant, & faciebant, quis verbis exprimere poterit? Alij enim se ad illius pedes proijciebant, alij illius manus prehendebant; alij collum complectebantur, & osculabantur, amarissimas lachrymas fundentes, quòd separabantur; alij illius sanguine se liniebant; alij illius vulnera contingebant, cùm ab eo illustri viro, & ferro fortiori, discedere non possent. Et ita erant omnes commoti, vt vel ipsi nautæ, propter illud miserabile spectaculum misericordia moti, tantum temporis spatium, quod ad hunc mœstū discessum satis esset, concesserint. Cùm iam tempus discedendi appropinquaret, vix ei nauim conscendere permiserunt, qui comitabātur: videbatur enim illis dimidium animæ suæ à se distrahi. Sanctus autem ille vir tum pro ciuitate, tum pro se preces Deo fundens, nauigare cœpit.

Quid autem summus ille moderator & rector pro societate & consolatione sui Sancti fecit? Ille adolescens Agathangelus, (de quo ante mētionem fecimus, & primum Sanctus baptizauit in carcere, & se ab aliorum martyrio subtraxit) cùm esset eo tēpore Romæ, omni industria adhibita secretò eandem nauim ascendit, & se abdidit: & cùm iam viginti quinq; millia passuum nauigāssent, cumq; nautæ in suo munere essent occupati, & sanctus Martyr in quodam angulo esset, preces Deo fundens, ille adolescens ad Martyrem se recepit, seq; ad illius pedes proiecit, & inquit; se fuisse ex omnibus primum, qui ab eo baptizatus fuit, & à martyrio profugit, seq; Spiritu sancto afflatum ad eum venisse, vt illi esset in suis laboribus comes.

Quid autem hic Martyr? Illi benedicebat, complectebatur, maxima humanitate alloquebatur, illi ostendens, se maxima lætitia esse repletum. Et statim Deo gratias agere cœpit, quòd ille adolescens venerit; à Deoq; petebat ex animo, vt illum roboraret, vt sibi esset in sua confessione socius. Gratias tibi ago (dicebat ille) Domine Iesu Christe, qui mea vnica consolatio, & auxilium es, quòd neque in terris, neque in mari vnquam me deseruisti, in omni meæ vitæ tempore protexisti, & animum meum recreasti laboribus defatigatum, vt sis factus meus consolator, vt scis. Nunc enim in mari me cõsolatus es hoc meo fratre Agathangelo, qui suo nomine mihi tuum fauorem promittit. Agathangelus enim, bonus nuncius Latinè interpretatur. Quamobrem mihi des quæso Rex meus, vt vsque ad vitæ finem in fide perseueret, tuq; eum in fidei confessione glorifices, & tu ab illo glorificeris.

Hoc modo illi Sancti diu noctuq; in orationibus, & ieiunio se continebāt.

nulli enim illorum curæ fuit, vt commeatum pararent, quippe qui vinum panem, & gratiæ aquam in animabus suis haberent, quibus se sustentabant. Milites verò & nautæ, propter tam diuturnum ieiunium misericordia moti, illis cibum obtulerunt; quibus pro illorum propensa in se voluntate gratias egerunt, & nihil ab illis acceperunt, dicentes, quia à Deo id expectabant. quod ita factũ est. Non enim debebat Dei tam fidelis prouidentia tam fidelibus seruis deesse. Et ita prima noctis hora Angelorum ministerio illis cibum & potum prouidit.

Multis suæ nauigationis diebus elapsis, Rhodum peruenerunt; & illorũ multis, qui nauigabant, de naui exeuntibus, vt sibi ea pararent, quæ necessaria erant, Sancti rogabant eos, qui permanebant ad sui custodiam, vt sibi ad Christianorum ecclesias exeundi facultatem darent. Tunc erat dies Dominicus, & qui in illa insula aderant Christiani in ecclesiam conuenerant, & ex illis vnus Clementem cognouit, & insulæ Episcopo nuntiârunt, qui Fotinus dicebatur. Qui nulla mora cum multis fidelibus, qui in ecclesia erant, rectà ad portum profectus est, & à custodibus postulauit, vt eum ex vinculis soluerent, & in ecclesiam ire permitterent: ab ijs impetrauit, quidquid petijt, & Deo gratias agens, eum ad ecclesiam deduxerunt: & Euangeliorũ libro aperto, illa primùm verba legerũt: *Nolite timere eos, qui corpus possunt occidere, & animam interficere non possunt.* His verbis quædam suauitas diuina in Sanctorũ cordibus diffusa est, & eleuatis oculis ad cælum lætitiæ lachrymis Deo preces fundebant. Ex quo illorum animi, qui aderant, molles & teneri facti, multam lachrymarum vim effundebant. Statim ille pius & sanctus Episcopus rogabat Clementem, vt sacra mysteria celebraret. quod cùm faceret, viderunt (qui hoc videre meriti sunt) prunam ardentem in altari positam, & multos Angelos super eam volantes; & qui intererant, se in terram proiecerũt, cùm illum splendorem ferre non possent. Hac autem fama per totam ciuitatem delata, multi conuenerunt infideles, secum suos filios trahentes, & ad pedes Sancti proijciebant, alij illius manus contingebant, & ita morbis liberabantur, vel incurabilibus: quo & multæ gentilium animæ curatæ fuerunt, cùm hac ratione ad veritatis cognitionem peruenerint.

Matt. 10.

Milites autem tanta beneuolentia illius ciuitatis in Clemẽtem stupefacti, & timentes, ne quam nouitatem tentarent, qua ex illorum manibus Clemens effugeret, iterum eum in vincula coniecerunt, & ad nauim perduxerunt. Illis facultate nauigandi data, mare AEgeum nauigârunt, & Nicomediam peruenerunt, vbi Maximianus erat: qui Imperatoris literas accepit, per quas illi significabat quæcunque acciderant: cumque cerneret Sancti faciem, (in qua nihil vile aut abiectum conspiciebatur, & ex illius facie animi magnitudinem conijciebat) eum interrogare non est ausus; sed se impeditum esse simulans belli occupationibus, cuidam præsidi, qui Agrippinus dicebatur, hoc negotium commisit. Qui Martyrem ad se accersiri iubens, eum interrogauit, num Clemens esset: & cùm se ipsum esse respondisset, & Christi seruum, iussit militibus, vt ei in facie grandem colaphum impingerent, inquientes illi, vt se Imperatoris, non Christi seruum vocaret. Vtinam, inquit Martyr, omnes vestri domini, & omnes gentes ei, non vestræ superstitionis improbitati, seruirent.

Index

Iudex hoc responso inflammatus, maioriq; ira affectus, quàm verbis exprimi posset, ad Agathangelum conuersus, inquit: Tu quis es? quòd Diocletiani literæ nullam de te mentionem faciunt. Tunc ille suspiciens cælum, & Clementem intuens, quòd ab vtraque parte auxilium expectabat; Ego, inquit ille, Dei gratia sum Christianus, & Clementis Christi serui opera hoc nomen consecutus sum. Statim iudex Clementem in altum tolli, & illius membra feriri, & lacerari, & Agathangelum crudeliter boum neruis verberari iussit. Clemens autem forti animo & nobili tormentum suum ferens, nihili vulnera faciens, & pro se, & suo socio Deum orabat. Tunc iudex hoc tormentum dimittens, & eos in carcerem remittens, iussit, vt sequenti die in theatro multas feras, & crudelissimas bestias pararent. Interea Sancti in vinculis versantes, in orationibus attentè perseuerabant, ad quos Angeli veniebant, & eos recreabant, & ad martyrium animos dabant. Captiui verò, qui alijs de causis in illis carceribus detinebantur, cùm illius orationis perseuerantiam cernerent, & perterriti Angelorum consolatione & aduentu, se ad pedes Sanctorum proiecerunt, orantes, vt sibi Christi aliquam notitiam darent, neq; eos indignos existimarent, qui eum confiterentur. In multam noctem perduxerunt sermonem suum illi Sancti, quo illos docerent, instituerent, & admonerent, quæcunque ad illos confirmandos in fide necessaria essent, & tandem baptismo purificârunt. Statim Clemens suis orationibus carceris portas aperuit, & omnes in carcere detentos maxima cum lætitia dimisit, & ipse solus cum suo socio remansit.

Hoc quidem maximè iudicem commouit, & cùm iussisset Sanctos in theatrum perduci, ipse primùm vt leo rabidus cœpit in eos rugire, & statim iussit, vt leones adducerentur, & alia fera animalia; quæ nihil Sanctos læserunt, imò lætis oculis illos intuebantur, & complectebantur, vt catuli solent suos dominos, cùm ex longinquis terris domum reuertuntur. Quod quidem in causa fuit, vt iudex maximè admiraretur, & pertimesceret, & ex illis Sanctis victoriam desperaret: illis verò in causa fuit, vt Deum glorificarent: Gloria sit tibi Iesu Christe, pro quo nos feræ non offenderunt, & nobiscum idem fecisti, quod cum Daniele in leonum lacu, & vt verus Danielis Deus idem adhibuisti. Dan. 6. 14.

Neque tum ille iudex omnibus bestijs sæuior suum furorem remisit, imò iussit, vt subulas acutas, & candentes, in manus inter digitos infigerent, ita vt ad manus & brachij nodum peruenirent. Neque id illi satis fuit, sed iussit, vt alias sub axillis infigerent, quæ vsque ad humeros penetrarent. Populus autem qui aderat, cùm tantam crudelitatem ferre non posset; ex altera parte perterritus, cùm cerneret, quòd illi Sancti tam graues dolores ferrent, neque tamen mortem oppeterent, cœperunt tyrannum lapidare, & plena voce dicere: Magnus est Christianorum Deus. Ob id iudex se fugæ penitus dedit, & Martyres tutò in quendam montem Pyramin nomine dictum ascenderunt. Tyrannus autem eos multos dies inquisiuit, & tandem eos inuenit; ac statim illis inuentis iussit, vt omnes illorum Dijs dediti ad illum montem conuenirent: ipse verò pro tribunali sedens illos Sanctos ad se vocauit, & illis dixit: Cur vestris incantationibus, & venefieijs concitastis populum, & in me conuertistis, & vt nostris Dijs maledicerent? Nos, responderunt Martyres, nihil

horum quidem fecimus; sed nobis tacentibus veritatis vis effecit, vt Christi cognitionem haberent, & ita plena voce illum prædicârunt, vt ipse vidisti. Quamobrem si habes aliud tormentũ, quod in nobis experiare, illud ne differas. is enim poterit nos à tuis manibus liberare.

Tunc tyrannus nouo crudelitatis genere vtens iussit, vt Sancti in quodam lapide distenderentur, qui in illo monte erat, & illis ossa frangerentur, perticis illos fortiter percutiendo. Quo facto, ita fractos in saccis imposuerunt, & illorum oribus magnũ saxum alligârunt, & ita iussit vt de monte præcipitarentur; vnde rotarum more vsque ad mare peruenerunt, quod ad montis radicem erat. Qui aderant, existimabant quidem fore, vt statim ex hac vita migrarent; & idcirco nonnulli ex fidelibus ad mare iuerunt, vt inde aliquid reliquiarum ex illis colligerent. Sed ô miram potentiam, & prouidentiã tuam, Christe rex noster: nam vbi Sancti diu sub aqua fuerant, facci apparere cœperunt in aquæ superficie, & ad litus appropinquârunt; quibus solutis, eos inuenerunt omnibus membris integris, & sanis. Neque Deo pio Domino hoc satis fuit, sed nocte intempesta ad eos misit Angelos, vt pro præterito tormento illos reficerent, & cibum pararent. Inde ad ciuitatem venerunt, & fidelibus mirabilia Dei narrârunt, & manibus ad cælum eleuatis ex animo Deo gratias agebant.

Hoc vbi audiuit præses, & reipsa cognouit minimè fieri posse, vt illos Sãctos vinceret, quódq; multi ex gentilibus, his miraculis visis, ad Christũ conuertebantur; non ausus est vlteriùs procedere, sed hoc Maximiano Imperatori significauit, illi dicens, eos esse Ancyræ natos. Quod cùm audiuit Imperator, & rem ipsam timens, hinc occasionem cœpit, vt illos in suam patriam remitteret, hoc onus præsidi imponens, qui ibi Curitius dicebatur, inquiens: Æquum est, vt terra, quę illos genuit, eos teneat, & pœnis afficiat. Hoc modo diuina prouidentia præstitit, quod ille Sanctus in discessu petijt, quod erat, suum diem in patria obire, vbi Episcopus erat, postquam tot ac tanta maria, ac terras pertrãsiuisset. Vbi ad ciuitatem peruenit, ingressus est Sanctus maxima lætitia, dicens: Gloria sit tibi Domine Iesu Christe, qui meas orationes exaudisti, & me in patriam meam reduxisti, & ad meorum maiorum sepulchrum; præsertim cum hoc fructu Agathangeli, qui mihi in meis molestijs socius fuit.

Curitius pręses, vbi ad illum Sancti venerunt, humanioribus verbis, & laudibus primùm eos ad se conuertere tentauit, cuius longi sermonis conclusio fuit, vt Dijs sacrificarent; cùm facere non possent, quin multa paterentur, nisi illis immolarent. Ad id sancti viri responderunt: Cur nobis flagella minaris, cùm hęc pro Christi nomine sint nobis voluptates; neque in nostra corpora misericordia mouemur, sed in vestras miserabiles animas, cùm Dijs seruiatis, qui nullum sensum habent.

Hoc inflammatus iudex, Cùm tantopere, inquit, flagellis delectemini, in vos ero largus, & benignus in hac re. Iussit itaq; vt ferrum acuminatũ & candens Sanctis sub axillis infigeretur; in terramq; duobus lignis defixis, altero Clemente, altero illius socium alligari; & crudeliter omnes corporis partes ministri flagellârunt. Tunc iudex eos irridens ab ijs petijt, num illa flagella
2.Cor.4. sentirent. Cui respondit Clemens illud, quod ait Apostolus, *Quò magis exterior*

rior homo corrumpitur, eò magis interior renouatur, & perficitur. Neque hac re contentus tyrannus, vt candentem galeam in Clementis capite imponerent, voluit; & statim fumus carnis, quæ comburebatur, ex ore, & naribus, & auribus egredi cœpit. Tunc sanctus vir valde suspirauit, & Deum inuocauit, dicens; O aqua viua, ô pluuia nostræ salutis, Domine, tuæ roris guttam ad me mitte; cùm antea nos de aqua erueris, nunc de igne erue, & refrigerationem tribue. Quę cùm ab illo dicerentur, paulatim ferrũ frigidius fiebat, & qui Agathangelum verberabant defessi sunt. Tunc tyrannus perterritus propter ea, quæ videbat, iussit, vt Sancti soluerentur, & in carcerem deducerentur, misericordiæ specie dubium tegens, in quo versabatur.

Illa verò sancta Sophia, quam diximus sibi in filiũ Clementem adoptasse, & in eum officio magis quàm matris functam esse, cùm cerneret multò pòst tempore cum splendore & pulchritudine suæ gloriosæ confessionis eum in patriam reuersum esse, nimio gaudio exiliebat, coronam statim expectans, quæ illi de cælo mitteretur. Noctu igitur illa ad carcerem accessit, Clementem complectitur, multam vim lachrymarum profundit, illius manus, vultum, & omnia illa sacrata membra piè osculatur, ab eo rogans, vt omnia itinera, pericula, & nauigationes sibi narraret. Quod dum faceret, illa sanguinem & vulnera linteis abstergebat, & statim illi eos cibos tribuit, quos domi comedere solebat.

Iudex autem minimè fieri posse existimans, vt tantam constantiam vinceret, hoc negotium iudici Amesenorum, qui Domitius dicebatur, tradidit. Sancta verò Sophia minimè poterat ab ijs corpore separari, quos corde complexa erat: & ita libenter cum ijs pueris, quos diximus Clementem baptizasse & instituisse, venit. Id vbi audiuit Maximianus Imperator, iussit, vt si pueri à Clemente discederent, liberos dimitterent; quod si facere nollent, eos interficerent. Hac sententia prolata, milites conabantur eos omni vi à Martyre separare: at hi illis resistebant, quantum in se situm erat, & se humi prosternebant, & sancti Martyris pedes complectebantur, idq; maiori constantia, quàm illa ætas ferre potest: & ita omnes ibi mortem appetere maluerunt, quàm à suo præceptore separari. Pia verò Sophia sibi dandam operam cẽsuit, vt mortuos sepultura afficeret; & ita maximo cum dolore à Clemente, & ab illius socio discessit, vt illos innocentes sepeliret, inquiens Deum curaturum, vt ad eandem terram reuerterentur.

Vbi verò ad Amesenorum ciuitatem peruenissent Martyres, & multis deuotis lachrymis Deo preces fudissent, vt sibi in hoc nouo certamine auxilium ferret, ad Domitium supradictum perducti fuerunt. At tantum aberat, vt ipsi tormenta recusarent, vt iudicem ad Christianam fidẽ conuertere sperarent. In quam sententiam Clemens tam diuinum sermonem habuit, vt illius comes Agathangelus se ad illius pedes maxima cum lætitia prosterneret, & inde se erigens eum complecteretur, & maxima cum deuotione illius faciem oscularetur. Tyrannus verò pertinax, & in suo errore cęcus, arma, vt cum illis pugnaret, sumpsit. Propter hanc causam eos ab inuicem separauit, vt ita debiliores fierent: at id contrà euenit; nam licet corpore essent segregati, spiritibus tamen coniuncti erant. Post hęc tyrãnus iussit, vt quędã cisterna viua calce impleretur, & in eam illi Martyres demitterẽtur; & ad cisternæ

os duos ad custodiam posuit milites, ne fortè inde Christiani eos eruerēt; nesciens ille stultus, quòd qui à Babyloniæ camino tres liberauit pueros, hic quoque suos custodiret seruos, sicut fecit; & ita in illo loco totum diem sine vlla læsione permanserūt. Præterea sequenti nocte super eos cęlitus lux splenduit: quam cùm cernerent duo milites, præstantiorem lucem in animas suas acceperunt, tanta fide ac deuotione, vt se in illam cisternam demiserint, seq́ue cum illis Sanctis coniunxerint.

Dan. 3.

Tyrannus autem sequenti manè, existimans eos esse mortuos, misit qui eorum corpora de cisterna extraherent; qui eos viuos, & sanos repererunt, hilariq; vultu, & illos duos milites cum illis, qui Phlegon, & Eucarpus dicebantur. Qui iudicis mandato statim crucifixi fuerunt, & eos diuina bonitas Christi mortis imitatione, martyrijq; corona honorauit. Clemens verò cum suo socio stadium suum currebant. Tyrannus autem iussit, vt ex humeris duæ corrigiæ detraherentur, & crudeliter flagellarentur: cumq; videret, neq; hoc modo quidquam proficere, duos ferreos lectos deferendos iussit, & subter ignem poni, & super eos bulliens oleum fundi, cum pice fusa, & sulphure: videbatur tyranno & cęteris, ita fore, vt morerentur, & ita ab ijs lectis remouendos, & in flumen proijciendos iussit. At hi dulcem dormierunt somnum, & Christus cum Angelis, qui eum comitabantur, illis apparuit, inquiens, ne timerent, quòd cum illis semper erat.

Quod cùm videret Domitius, & rebus visis perterritus, & nesciens quidnam sibi faciendum esset, eos ad Maximianum remisit, qui Tarso Ancyram venerat. Habent igitur hi sancti hoc iter, & cum militibus, qui eos custodiebant, multi quoque fideles sequebantur. Iter longum, atque desertum erat, & ita sine aqua, vt omnes maxima siti afficerentur. Sanctus autem Martyr cùm viua fide plenus, & maxima spe orationem ad Deum fecisset, illa hora in illo deserto fons erupit, quo omnes sunt recreati. Ad huius miraculi famā omnes illius regionis ægroti conuenerunt, quibus omnibus sanctus ille Martyr, illos suis manibus tangendo, pristinam valetudinem restituit.

Hîc autem cùm sanctus Martyr euolueret in animo omnia mirabilia, quę Deus quotidie pro eo operabatur, quantaq; gratia & prouidentia in omnibus suis magnis necessitatibus succurreret, in corde illius maior flamma, maiorq; ignis Dei amoris accenditur, tantaq; sitis & desiderium pro tam bono, tamq; fideli Domino patiendi, vt deuotissimam orationem efficeret, vehementer ab eo rogans, vt sibi illud daret, vt per singulos dies dum vitam agebat, semper supplicia & dolores pro eo pateretur, singula sui corporis membra pro illius amore sacrificans. Hac autem oratione facta, visus sibi est audire vocem ex alto, quæ dicebat: Tibi concessum sit Clemens, quidquid petijsti: enitere, & te para, vt constanter hoc stadium curras. Nam cum tempore, quo pugnasti, & pugnaturus es, viginti octo anni martyrij tibi numerabuntur.

Sanctus ille hoc responso lætus Ancyram ambulabat; & milites cùm scirent Imperatorem adhuc esse Tarsi, qui erat magnus Cilicię locus, ad eum Sanctos perduxerunt. Qui primò cum illis Martyribus verbis agere cœpit, & magnis promissis, hoc consilio, vt illos ad suam religionē conuerteret. Ipsi verò contrà nitebantur diuinis verbis eum conuertere ad suam, ei prophetizantes, fore, vt illius Imperij successores Christi cultores forent. Hoc iratus Maximi-

Maximianus,& missis multis verbis,vltro citroq; habitis,iussit,vt magnus locus ignis plenus pararetur,& illi Sancti in eo imponerentur. Sed qui Dominus illos tres pueros in fornace ignis Babyloniæ seruauit incolumes, & hos ita seruauit,vt licet diu noctuq; in illo igne versarentur,nunquam tamen ignis illa membra Deo dicata lædere potuerit, creatura Creatoris serues cognoscente, & honorante. Dan 3.

Hoc miraculo stupefactus Maximianus,& videns Sanctos in medio ignis stantes,manibus & oculis ad cęlum eleuatis Deo gratias agentes,inde extrahi, & ad suum tribunal perduci iussit. Illud vnum,dixit,à vobis quęro & oro, vt mihi dicatis,quibus incantationibus ignis vim retudistis. Non incantationibus,dixerunt illi, sed illius Domini virtute, qui nobis dixit; *Cùm ambulaueris in igne,non combureris*. Tunc tyrannus ministris iussit, vt eos publicè raperent,& cæderent vsque ad mortem. Sed illud etiam malè cessit tyranno: multi enim gentiles videntes ex altera parte illorum nobilia corda, & loquendi ad Imperatorem libertatem, & inuictam fortitudinem,& constantiam; ex altera verò considerantes eos in tormentis vitam conseruare, his Dei digitum & potentiam cognoscentes,suos Deos negabant,& ad Christum conuertebantur. Isa. 43.

Statim cùm nesciret quid sibi ampliùs faciendum esset,iussit, vt ita ligati ad carcerem perducerentur, vbi quatuor annos captiui detinerentur; sperans fore,vt tum tempus, tum diuturnus carcer eos superarent, quos neque ignis,neque ferrum vincere potuerunt.Elapsis quatuor annis, de carcere in sua confessione fortissimi exierunt. Christi enim desiderium,& amor,& futurorum bonorum spes, in causa erant,vt carcer sibi regium palatium videretur.

Hoc vbi audiuit Maximianus, victoriam desperans,præ se ferēs homines hos non esse Imperatorio tribunali dignos, eos interrogare in posterum ausus non est:& idcirco hanc quæstionem cuidam Idolorum crudelissimo sacerdoti cōmisit,qui erat quidem in torquendis Christianis exercitatissimus, & ad peruertenda hominum corda peritissimus. Hoc onus illi imposuit,& vt magis eum ad crudelitatem excitaret,ei persuasit,superiores iudices magis sua ipsorum timiditate esse victos,quàm Martyrum fortitudine, & robore. Hic autem Satanę minister cœpit illis artibus vti, quas à Dęmone suo pręceptore didicerat;Sanctos modò promissis, modò minis aggrediens, modò mitioribus verbis,& amoris simulatione,& bona voluntate illis suadens,se illorum superiores calamitates molestè ferre. Cùm autem cerneret se hoc modo nihil proficere,iussit,vt in scapulis crudelissimè verberarentur,& in humeris; quod ita factum fuit,vt ossium nodi & structura appareret.Quo tormento dimisso,cùm videret Sanctos suis pedibus ad carcerem regredi, pudore affectus,quòd esset victus,penè deficiens animo,per brachia suam domum perductus fuit. Dum autem Sancti ad carcerem irent, vndique concurrebant fideles,qui illorum carnis frusta,& sanguinem qui ab illis effluebat, tanquam pretiosum thesaurum colligebant.Hic quoq; sacerdos omni artificio & dolo diffisus est se posse Sanctos vincere.Hoc vbi Maximianus audiuit,nihili fecit sacerdotem,inquiens; Hiccíne est ille,quem mihi dicebant?

Eo tempore multi primarij viri cum Imperatore erant, quorum vnus,

Digitized by Google

nomine Maximus, motus ira propter ea, quæ audierat, Imperatorem rogauit, vt sibi illos sanctos viros traderet, quòd sperabat fore, vt vel à proposito dimoueret, vel saltem interficeret. Hic fuit octauus tyrannus, qui nonnullis diebus cum ijs amicè sermonem habebat, seque illis amicum profitebatur, & cum illis summa necessitudine coniunctum, propter hanc causam, se velle eis saluiferum consilium dare. Quamobrem eos ad se vocauit, & dixit: Saluete viri à Dijs immortalibus dilecti, quos tanquam charos filios duxiunt Sæpe enim mihi in quiete apparuerunt, & locuti sunt, iram, qua eram in vos affectus, lenientes, neque ob aliã causam, nisi quòd existimant fore, vt à consilio vestro discedatis, idque futurum esse, vt hac nocte magnus Deus Dionysius mihi reuelauit, & vt vos vocarem mihi iussit. Hic igitur adest altare paratum, & sacrificia, accedite proinde, & immolate illis qui tantopere vos amant. Ad hæc Sancti responderunt: Falsum est, quod dicis, ô iudex: hic enim duos tantummodò Dionysios cognoscimus; alterum ex lapide, alterum ex metallo: quorum neuter immortalis est, quòd vita, & sensu caret; alter frangi potest, & in calcem conuerti; alter fundi, & in vasa ad sordidos vsus conuerti.

Cùm autem tyrannus cerneret ad nihil aliud suas artes proficere, nisi ad suorum Deorum vituperationem & ignominiam, deposita amici persona, inimici personam induit. Propter hanc causam lectum sterni iussit multis pedalibus mucronibus acutissimis, super quem distendi iussit Clementẽ, & in ventre & pectore grauibus lignis percuti, vt in humeris & scapulis infigerentur. Sanctus tamen ille vir, neque hoc tormento vitam, neque fidem, quam in Dei promissionibus habebat, amisit; qui illi promisit, non fore vt vllo ex his tormentis suum diem obiret. In Agathangeli autem caput liquefactum plũbum infundi iussit. quod mirabili constantia perpessus est. Quamobrem tum tyrannus, tum qui cum illo erant, cùm Clementem viuum viderent, stupefacti sunt; cùm illius corpus esset vndique perforatum, & laceratum, & ita immutatum, vt nullam hominis speciẽ haberet, nisi quòd loqueretur, vix quod cernebant verum esse existimabant. Martyr verò tyrannum aspiciens, illi inquit: Nunc autem cognosces, quòd non solum nostrum corpus, verùm etiam noster Deus vobiscum pugnat, cùm singularis prouidentia non permittat, vt anima à nostro corpore discedat.

Hic igitur tyrannus in desperatione cùm iam versaretur, quidquid contigerat, Imperatori significauit: qui iussit, vt in carcere clauderentur, & nihil, quod comederent, illis traderetur, vt ita fame perirent. Hi autem perditi homines, licet Sanctorum fortitudinem tamdiu experti essent, sperabant tamen fore, vt eos vincerent. Cùm enim Imperatori Aphrodisius Persicus adesset, dum hæc narrabantur, qui multos Christianos martyrio affecerat, videbatur ipsi fore, vt ab Imperatore gratiã iniret, si perficeret illud, quod aliorum iudicum perficere nemo potuit. Propter hanc causam Martyres ad cœnam opiparè paratam inuitauit, vt hac ratione superiores molestias leuaret, & his illecebris illorum animos ad se traheret. Illi verò, quippe qui abstinentiæ virtuti dediti erant, dixerunt, se cælesti cibo nutriri: ex quo qui comedunt, nunquam amplius fame laborant, sed viuunt in æternum; quòd ibi

Ioan 6

copiosa cœna nobis parata est. Hoc responso tyrannus summa molestia affectus,

festus, Vestra cœna, inquit, mors cum dolore erit, ad quam cras vos inuitabo.

Statim iussit, vt altero die duę moletrinæ perferrentur, quæ duobus Sanctorũ collis alligatæ fuerunt, & ipsi per ciuitatem protrahebãtur, & ab alijs lapidabantur, & præcones plena voce dicebant; Dijs, & Imperatoribus parete; & hoc qui non fecerit, hoc supplicio afficietur. Hoc faciebat tyrannus, vt Martyrum animos frangeret, & ciuitatem in eos concitaret. Sed eum sua spes fefellit: Cùm enim gentiles Martyrum in vultu hilaritatem, & corporum robur viderent, quæ tamdiu tantis doloribus afficiebantur, eos homines, qui nõ possent pati, & immortales arbitrabantur, & ita relicta idololatria Deũ glorificabant, qui tantum robur, & animum illis tradiderat. Iudex autem cùm iam victoriam omnino desperaret, quæcunq; acciderunt, ad Imperatorem scripsit; qui pariter omni spe abiecta statuit, vt in carcere perpetuò detinerentur, quo ita infirmi facti tandem ex hac vita migrarent.

Illis autem ita in carcere versantibus, multi martyrio coronati fuerunt, antequam ipsi paterentur. Carceris autem custodiæ ad nouum Imperatorem nomine Maximinum (qui tunc imperare cœperat) se contulerunt, à quo petierunt, quidnam sibi faciendum existimaret de illis Christianis, qui immortales videbantur. Tyrannus autem primùm suos Deos blasphemans, quippe qui illos suos inimicos vita priuare non potuerunt; deinde cuiates essent petens, & intelligens quòd de Ancyra erant, eos ad Lucium, qui erat illic præses, misit. Et hac ratione Deus ita omnia disposuit, vt post tam longa itinera, Clementis petitio adimpleretur, vt scilicet in patria suum diem obiret. Ad quam vbi peruenit, iudex nullo cum illis verbo facto in carcere claudi, & ita ligari iussit, vt nullo modo neque cruribus, neque brachijs dimoueri posset.

Postero die Agathangelum vocauit, eiq; dixit: Illud quidem certò scio, te non ignoratione, sed facilitate & simplicitate ab hoc Clemente deceptum esse: hac eadem facilitate debes nunc vti, vt meæ voluntati obsequaris, & tui nominis interpretationi respondeas, tuæ conuersionis mutatione nobis bonum nuntium afferens. Ad id respondit Agathangelus: Quam in me constantiam cernis, non ab ea facilitate vel simplicitate proficiscitur, quam dicis: nam si in ea versatus essem, quonam modo potuissem tam multis iudicibus, & ipsimet Imperatori resistere, & tam multis tormentorum inuentionibus, quibus nos superare arbitrabamini, & tam validis promissionibus, & verbis, quibus nos decipere conabamini? Quamobrem non debes hanc facilitatem vocare, sed veram sapientiam, quæ pluris facit bona æterna, & incorruptibilia, quàm hęc caduca, & mortalia, quæ priùs, quàm data, adempta sunt: hæc in causa est, vt falsos Deos negligamus, & verum Deum adoremus; propter hanc causam mortem, tanquam somnium quod citò euanescit, existimamus. Itaque non Clemens solus est ille qui me conuertit, sed multò magis Christus, qui per eum me vocauit: neq; me decepit, imò à deceptione, in qua tum versabar, liberauit; & sic Deum oro, vt vos quoque eadem deceptione liberet, vt ego vobis sim bonus nuntius veritatis.

Iudex autem cùm cerneret, quàm malè hic primus occursus sibi cessit, iussit, vt sancto viro ferreæ subulæ valde accensæ in aures infigerentur, & ad la-

ad latera accensa funalia admouerentur. Quod satis constanter perferebat Martyr, & orationes Deo faciebat, inquiens: Domine Iesu Christe, ne permittas, vt illorum bonorum immortalium fructibus priuer: sed mihi fortitudinem tribuas, atque patientiam, vt hac die meæ cõfessionis consumpta, cum tuo seruo Clemente coniungar, & cum illis omnibus, qui pro tuo glorioso nomine pugnârunt. Hanc petitionem ex alto Deus exaudiuit. Quamobrem cùm iudex videret id omne superuacaneum esse, quod tentabat, iussit vt seorsim Martyr in quendam locum nomine Cryptum perduceretur, ibique obtruncaretur. quod Non. Nouembris factum est: cùm primùm cum duobus Imperatoribus, Diocletiano & Maximiano, & cum Magistratibus, Agrippino, Curitio, Domitio, & cum idolorum sacerdote, cum Maximo, Aphrodisio, & Lucio pugnasset. At illa pia, & sancta mater Sophia, quæ ex animo illum diligebat, vbi vidit illius gloriosi martyrij finem, seque curis & timoribus liberam esse, quos illius causa patiebatur, maxima cum lętitia illius corpus complexa est, & in aditu ecclesiæ, quæ ibi erat, illud sepeliuit.

Sanctus autem Clemens, vbi sui fidelis discipuli, & comitis gloriosum exitum audiuit, nimia lætitia exiliuit, & pro hoc beneficio Deum glorificauit. Crudeli autem tyranno non satis esse videbatur, ita Sanctum illum in vinculis & carcere detinere, ob id iussit, vt quotidie centies & quinquagies in facie & capite percuteretur: quod cùm quotidie pateretur, tum corpus totum, tum pauimentum sanguine fluebat. At Angeli noctu eum conueniebant maxima cum luce, & splendore, & illius vulneribus medebantur. Eo tempore sancta illa & pia mater Sophia, quæ tantopere illum Sanctum dilexerat, quem sibi in filium adoptauerat, maximo Iesu Christi amoris zelo inflammata, cum omnibus suis familiaribus, & adolescentulis, quos ipsa educauerat, carcerem ingressa est, eum soluit, & eduxit: & statim tum illum, tum se ipsa candida stola induit, in lętitiæ signum: & illi in manibus sanctum Euangelium posuit, multisque cum candelis accensis, & odoramentis, in ecclesiam cum eo ingressa est: cui adiunxit virum, qui eum per brachium duceret, vt ire posset. Clemens in hoc itinere sentiens fore, vt Deus eum breui vocaret, altera manu eleuata (altera enim Euangelium tenebat) primùm pro matre sua Sophia orauit, deinde pro suis clericis, & pro populo, & pro omnibus illis, qui post illius mortem à Deo per illum peterent auxilium: & hoc modo in ecclesiam ingressus est, & omnes diligentissimè præ timore aduersariorum ecclesiæ portam clauserunt. Aurora verò diei sanctissimæ Epiphanię oriente, sanctus Episcopus sacra mysteria celebrauit, & Sacramentum paratis administrauit, & suæ doctrinæ verbis eos roborauit. Ipsis verò suorum aduersariorum vim timentibus, consolatus est eos, dicens fore, vt illorum nemo pereat, præter duos ex vobis, qui mecum passuri sunt, & ex hac vita migrabimus: & statim hæc gentilium rabies atque furor cessabit, & noua pax in Romano Imperio succedet; & omnes terræ Christi cognitione implebuntur, aperientur ecclesię, idolorũ templa claudentur, fugient qui ea adorabunt; timores, quibus vos omnes nunc afficimini, tollentur, & hoc breui fiet, & ex vobis nonnulli hæc profectò videbunt.

Hęc dum diceret Martyr, sancta Sophia martyrum amatrix tanta lętitia causa Clementis filij afficiebatur, vt domumque suam perduceret omnes viduas, & pa-

& parentibus orbatos, quibus per duodecim dies victum satis copiosè ministrabat, idq; & omnibus alijs faciebat, qui superueniebant, & hi omnes festos dies hos celebrabant, propter sui pastoris aduentum.

Interea appropinquabat dies Dominicus, quo Deus suum seruum ad se vocaturus erat. Ingressus est is ecclesiam, & Missa celebrata, & fidelibus sacra communione administrata; vnus ex magistratibus, quem multi milites comitabantur, maximo cum impetu & furore ecclesiam ingressus est, & vni ex militibus suis iussit, vt Clementem obtruncaret; & ita ille sacrificans in sacrificium Deo oblatus est. At qui intererant, inde multa cum lachrymarum vi discesserunt: duo tantummodò ministri, qui sacrificio assistebant, alter dictus Christophorus, alter Chariton, vt sanctus Martyr prædixerat, apud illã sacratam mensam cum illo obtruncati fuerunt.

Sancta verò mater Sophia illud corpus domi suæ in tuto loco claudens, sublatis iam timoribus & curis, in quibus versabatur, multis candelis accensis, in sindone mũda sacrũ corpus inuoluit, & in ecclesia sepeliuit, vbi & illius comes Agathangelus sepultus fuit, vt ea corpora eandem sepulturam haberent, quorum animæ versabantur in cælo; & vnà cum Clemente duo Diaconi, qui cum eo passi erant, conditi fuerunt. Hæc autem sedens è regione sepulchri sanctorum Martyrum, intima cordis affectione hæc verba proferebat: Ego, filij mei, in hoc secreto loco vos sepeliui, sed Christus vos manifestabit, & requiem tribuet, cuius causa tam multa passi estis: mea verò senectus me in vestram societatem vocat, quæ in hoc vsque tempus prorogata est, vt vestra corpora acciperem, & sepelirem. Multis autẽ lachrymis dicebat: Orate Deũ pro me, quæ vestra mater fui, vestraq; nutrix: vt quemadmodum hîc vobiscum versata sum, sic ibi in vestra societate, & circa vos perpetuò versari possim.

Historiæ finis.

QVAM multos, & odoratos flores ex hoc recenti viridario colligeret, qui in ea philosophari historia sciret, & quàm multa incitamenta ad illius infinitæ bonitatis amorem, & confidentiam reperiret, quæ suos seruos tãtopere corroborare, & glorificare voluit. Hic enim primùm eiusdem bonitatis magnitudinem, & fidelissimi Domini prouidentiam in suos fideles seruos cernet; animaduertens, vt sæpe eis in certaminum medio opẽ ferebat, & quàm multis gratijs, & illecebris, quàm multisq; mirabilibus rebus Angelorum ministerio eos curabat, conseruabat, & nouas vires administrabat, vt recentes in nouas pugnas ingrederentur. Vbi animaduertemus (vt ante diximus) gloriosam quandam contentionem inter Dominum, & fideles suos seruos; ipsi vt patiantur; ille vt pro eis mirabilia operetur, & vt quæcunque petebant illis concederet, in quo omnes illorum aduersarios confundebat, & Sanctos gloriosos reddebat. Cùm autem hic Dominus esset, qui in illis, & per illos operabatur, & vincebat, huius actionis meritum pro illis esse volebat. Permittebat, vt aliquantulum paterentur, & statim illis auxilium, tum pro merito, tum pro conatu ferebat.

Hic quoque diuinæ prouidentiæ pulchritudinem & ordinem cernet, quæ improborum malitia vtitur, vt suam gloriam amplificet, non solùm propter eam, quam ex suorum Martyrum constantia consequebatur; verùm etiam

Digitized by Google

propter multos, qui illos Martyres sequentes ad fidem cõuertebantur: ex quo fiebat, vt qua ratione tyranni existimabant fidelium numerum imminuere, eadem adaugerent, vt omnibus compertum est.

Hinc efficaciam sanguinis, & redemptionis Iesu Christi cernet, per cuius merita Martyribus hæc supernaturalis, & permagna fortitudo, & cõstantia data fuit.

Hinc quoque cernet quoddam prouocationis & incitamenti genus, inter gratiæ omnipotentiam (si hoc verbo vti liceat) & omnes totius orbis terrarũ vires, quæ hic ad summum peruenit; cùm in vnum omnes vires, omnia genera, & machinas tormentorum, quos tum homines, tum dæmonia excogitare potuerint, congereret; idq; non vno die, aut anno, sed octo & viginti annos; & iudices iudicibus succedebãt, & posteriores prioribus antecedere maiori crudelitate & artificio contendebant: gratia tamen victrix fuit, & tota mundi potentia victa, vituperata, inhonorata, & dedecore affecta.

Hinc etiam facilè apparebit, quanto in errore versentur ij, qui Dei legem non seruant, dicentes, esse difficilem, atque grauem; nullam rationem virtutis gratiæ habentes, quæ in his Martyribus elucet, quam Deus omnibus tribuit, qui quantum in se situm est eam seruant.

Hinc etiam facilè perspicient, quàm difficili in re atque causa versaturi sint, cùm illis in nouissimo die Deus innumerabilem Martyrum exercitum ostenderit, cum gloriosis sui martyrij insignibus, dicens improbis: Hi omnes, quos hic cernitis, his tormentorum generibus sibi cælorum regnum emerũt: vos verò ne decem mandatis seruandis solis vobis emere voluistis.

Hinc præterea fideles in fide confirmabuntur. Nam (vt alios Martyres omittam) quis erit tam mentis inops, quin perspiciat, quòd huiusmodi fortitudo, sicut huius gloriosi Clementis, & illius socij, minimè fieri poterat vt vllo in humano vel corde, vel corpore reperiretur, nisi Dei brachij & fortitudinis virtus illis auxilium penitus tulisset? Cùm autem hic Dominus ille esset, qui Martyres ad fidei confessionem corroborabat, sequitur, quòd vera sit: non enim potest Deus auxiliari, & opem ferre rebus falsis, neque mendacij esse testis, aut mendacia fouere.

Ad hæc Dei amoris, & Christi charitatis vim facilè cõspiciet, cùm in animo euoluerit, quibus verbis, quibusq; precibus huius Sancti mater à suo vnico, & dilecto filio postulabat, vt pro Christo moreretur; & gaudium, quod celebrauit secunda mater Sophia tum, cùm hunc filium, quem tantopere diligebat, mortuum & obtruncatum in suo sinu vidit; cùm omnes fideles domũ suam ad comedendum inuitaret, vt hoc festum celebraret, quamuis abhorreret à nigra veste huius filij morte: cùm eo die contra morem, & auctoritatem suam, suæq; ætatis, stolam candidam induta est, vt suam lætitiam præ se ferret. Vbinam sunt hic naturæ leges? Vbi vis materni amoris in huiusmodi filium?

Vbi etiam videbit, quàm magnum meritum sit, pro Christi obedientia, & gloria pati, cùm matres filiorum vitæ, & amori eam anteponerent. Hos, & huiusmodi fructus prudens lector ex hac historia colligere poterit. Ex qua etiam verecundia afficietur, cùm suam carnem nimis molliter & effœminatè tractauerit; lætabitur in aduersis rebus, & conabitur in dies aliquid perpeti

pro

pro eo Domino, pro quo tam multa, & magna Martyres passi sunt. Tādem cognoscet, quàm magnum malum sit mortale peccatum, cùm, ne in illud inciderent, licet id futurum esset paruo temporis spatio, tam multa passi sint Martyres, licet scirent, quòd si in illud laberentur tormentorum timore, tam facilè veniam impetraturi essent, quàm facilè & Apostolorum princeps obtinuit, cùm humano timore Christum negauit.

DE PERSECVTIONE, QVAM ANTONINO VERO IMperatore Ecclesia passa est. Cap. XXI.

POST hanc magnam Diocletiani persecutionem, hîc ascribam partem illius, quæ Antonino Vero Imperatore fuit, narrata in quadam deuotissima Epistola fideliū Lugduni, & Viennæ Galliæ, (quæ multa mirabilia continet) quam quidē Eusebius Cæsareensis in quinto libro Ecclesiasticæ historiæ interposuit his verbis:

Nobilissimæ totius Galliæ ciuitates sunt Lugdunum & Vienna: per quas vtrasq; Rhodanum flumē pertransire, ac præcipiti cursu per vniuersam Galliam præterlabi constat. In quibus Antonino Vero Imperatore, multa, tū in persecutorum crudelitate, tum forti nostrorum constantia, cognitione digna acciderunt. Ex quo erunt iucunda auditu ea, quæ narrātur in literis, quas habitātes in illis Ecclesijs Asiæ, & Phrygię scripserūt, cuius exemplū illud est.

Serui Iesu Christi, qui Viennam & Lugdunum Galliæ incolunt, fratribus in Asia & Phrygia, qui eandem nobiscum redemptionis fidem & spem habēt, Pax, gratia, & gloria, à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro sit vobis. Magnitudinem afflictationis, quæ hoc loco ingrauescit, ingens gentiliū odiū contra sanctos incitatum, supplicia, quæ beati Martyres placidè sustinuerūt, neque nos dicendo accuratè exprimere, neque scribendo facilè à quoquam comprehendi possunt. Nam aduersarius noster, aduentum suum (in quo audacter ac liberè Ecclesiam Christi oppugnaturus sit) iam quasi prolusione quadam & proœmio breui futurum prænuntians, omnibus viribus (vt dicitur) Christianos adortus est: atque adeò vbique grassatur, suos consuefecit, & ad bellum contra seruos Dei gerendum vsu & exercitatione mirè instruxit. Quapropter non solùm ædificijs publicis, balneis, & foro nobis interdictum est: sed etiam, ne quisquam nostrûm vsquam locorum in conspectum prodeat, ab illis vetitum. At gratia Dei pro nobis cum diabolo decertauit, & hos, qui sunt paulo remissiore animo, eripuit è periculo: illos autem, qui patientia armati, tanquam firmæ fidei columnæ, non modò impetum hostis nostri diaboli facilè laturi videbantur, verùm etiam in sua ipsorum capita eundem quodammodo prouocaturi, ex aduerso opposuit: qui tum in acie fortiter cū aduersario conflixerunt, omne opprobrij & supplicij genus toleranter sustinendo: tum celeri gradu maturārunt ad Christum, ea mala, quæ erant ingentia & grauia, exigua & penè nulla existimando: perspicuè reuera ostenderunt, quòd (vt ait Apostolus) non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Rom. 8.

Ac primùm cruciamenta quæ confertim erant & tāquam cumulo à multitudine in illos coaceruata, viriliter & magno animo subierunt: vociferationes,

ones,plagas, violẽtos tractus, dilacerationes,lapidum proiectiones,carceres, & quidquid denique ab agresti & furiosa multitudine contra nos, velut contra hostes & inimicos,fieri solet.Quotquot igitur erant à Tribuno plebis,alijque magistratibus,qui ciuitati præerant,in forum deducti,cùm coram vniuersa multitudine esset ab illis de fide quæsitum,& eam liberè ipsi confessi fuissent,vsque ad præsidis aduentum in carcerem coniecti conclusiq; erant.

Deinde cùm ducerentur ad præsidem, & ille in iudicando omni crudelitatis genere cõtra nos nostrosq; vteretur, Vetius Epagathus,vnus ex fratribus, immenso charitatis erga Deum & proximum ardore inflammatus, (qui quidem cùm non modò ad omne officium erga proximum sedulò exequendum impiger & propensus esset, verùm etiam flagranti Dei amore & sacrosancto Spiritus instinctu exardescẽs,in omnibus Domini præceptis,& iustitiæ æquitatisq; institutis integrè incederet, adeò sanè accuratè vitam instituisset, vt
Luc. 1. quamuis esset adolescens, eodem tamen testimonio,quod Scriptura sent Zachariæ sacerdoti tribuit,dignus videretur)hic Vetius inquam,iudicium tam temere & iniuriosè contra nos pronũtiatum non poterat omnino æquo animo ferre:sed supra modum succensebat,postulabatq; vt potestas ei daretur liberè in illo consessu pro fratribus respondendi: seq; perspicuè probaturum dicebat,nihil sceleris nihilve impietatis in nobis omnino posse reperiri. Cõtra quem cùm multitudinis frequentia,quæ tribunal circumsistebat, admodum vociferata fuisset, (erat enim inter illos illustris atque eximius) cumq; præses etiam iustam ab eo propositam postulationem minimè posset tolerare,sed solum istud ab eo quæreret,vtrùm esset Christianus: ille tum,simulatq; erat clarissima voce hoc ipsum confessus, in sortem & numerum martyrum relatus est: ac deinceps aduocatus Christianorum appellatus, nec planè immeritò. Habuit enim aduocatum Iesum in animo commorantem, & Spiritum sanctum multò quàm Zacharias feruentiorem: quem per ingentẽ charitatis quasi cumulum, quo adductus adeò alacri & ardenti studio pro fratrũ propugnatione suam ipsius vitam profudit,satis perspicuè ostendebat. Christi igitur & est,& fuit verus & germanus discipulus:qui Agnum,quocunq; eat, sequitur.

Inde igitur inter reliquos Christianos facilè internoscebatur,nam martyres, qui videbantur cæteris facilè præstare,in publicum prodibant,se paratos ad omnia tormenta ostendebant: omni denique animi alacritate confessionem illam,quæ est martyrij propria, cumulatè, plenèq; explebant. Sed extabant alij imparati, inexercitati,& animo fracto,qui acrem certaminis impetum ferre non poterant:ex quibus circiter decem numero,animis ignauè & muliebriter conciderunt. Qui profectò non modò magnum dolorem mentibus nostris,& immensam acerbitatem inurebant: verùm etiam aliorum, qui hactenus non comprehendebantur, quiq; martyribus etiam in acerbissimo cuiusque generis cruciatu iacentibus præstò semper aderant, & eos non aliquando desertos esse passi fuerant, alacritatem penitus retuderunt. Omnes igitur id temporis propter incertum confessionis euentũ eramus graui metu perculsi:non plagas quidem, & supplicia,quæ illis pòst infligerentur, veriti; sed ancipiti confessionis exitu mente prouiso, magnopere extimescentes, ne quis prælanguida animi infractione prorsus succumberet. Quotidie tamen

qui

qui digni corona martyrij habebantur, ad illorum numerum supplendum prehensi erant: vsque adeò, vt ex duabus hisce ecclesijs omnes pij & studiosi viri (quorum virtute & doctrina in primis status illarum ritè administrari solet) eximerentur.

Quidam etiam ethnici nostrorum serui, vnà capiebantur, (siquidem Præses omnes non passim perquiri præceperat) qui tormenta, quæ sanctos tolerare cernebant, reformidantes, cõtra nos, militibus Satanæ impulsu illos ad hoc idem incitantibus, Thyestæas cœnas, & incestus OEdipodis, falsò commenti sunt, & alia quæ nobis nec eloqui, nec cogitare quidem fas esse iudicatur: quin tale facinus aliquãdo inter homines admissum fuisse, nec credi quidem propemodum debet. Quæ sanè cùm essent fama & sermone hominum passim dissipata, omnes velut immanes beluæ contra nos furere cœperunt: ita vt si qui antea propter necessitudinem moderatè se erga nos gessissent, tũc veluti rabie quadam incitati, dentibus frendere insanireq; propè viderentur. atque id adeò quod à Domino nostro prædicabatur, in eo esset impletũ: Tempus venturum, in quo omnis qui vos occiderit, videbitur obsequium præstare Deo. Ioan. 16.

Vnde deinceps sancti Martyres maiora quædam cruciamenta, quàm quæ possint oratione explicari, (idq; Satana in illud pro viribus incumbente, vt aliquid blasphemiæ contra Christum, ex eorum ore educeret) sufferre cogebantur. Supra modum igitur lethale multitudinis vniuersæ, præsidis & satellitum odium, in diaconum nomine Sanctum, Viennæ prognatum, & in Maturum etiam, recens quidem baptizatum, sed generosum tamen Christi athletam, efferbuit: in Attalum porrò genere Pergamenum, columnam & stabilimentum continuum ecclesiarum, quæ hic sunt: in Blandinam denique, per quam Christus euidenter ostendebat, eos, qui apud homines viles, despecti & contempti videantur, apud Deum, propter charitatem erga illum, non specie iactatam & simulatione, sed vi & virtute declaratam, magno splẽdore & gloria donari. Nam cùm non nos solùm pertimesceremus, sed etiam hera illius secundùm carnem (quæ etiam ipsa vnà in martyrum pugna dimicauerat) ne cùm in certamen descenderet, præ corporis imbecillitate, non liberè & ingenuè fidei suæ confessionem proloqui pergeret: Blandina tanto animi robore & virtute imbuebatur, vt tortores, qui illam vicissim omni suppliciorum genere à primo manè ad vesperam vsque affixissent, propè labore defessi languescerent, seq; tum ab illa victos, tum nihil ampliùs habere cruciamenti reliquum, quod ei irrogarent, faterentur: atque adeò magnopere mirarentur, quo pacto (cùm totum eius corpus ita dilaceratum esset) perseuerans spiritũ duceret: palamq; testarentur, vnum tormenti genus satis habuisse virium ad vitam ei eripiendam, nedum tam multis & varijs opus fuisse. Verùm beata martyr (sicut generosum athletam decet) in ipsa fidei confessione vires colligebat: atque prolatio istorum verborum, Christiana sum, & nihil apud nos admittitur sceleris, erat dolorum, qui eam vrgebant, summa leuatio, fomentum cruciatus, & cuiusque molestiæ depulsio. 1. Cor. 1.

Diaconus ille Sanctus nomine, supra quàm credibile est, & supra omnem humanum captum, verbera à carnificibus impacta toleranter sustinens, cùm scelerati illi carnifices propter assiduitatem & magnitudinem tormentorum,

Rr quæ

quæ ei infligebant, sperarent se aliquid, quod indecorum & eius professioni parum consentaneum videretur, ab eo audituros: ipse tanta animi celsitate & constantia illis ex aduerso restitit, vt ne nomen quidem, vel suum, vel gentis, vel ciuitatis vnde fuit, neque verùm seruus an liber, illis vellet dicere: sed ad omnia rogata ita Latino sermone responderet, Christianus sum: istudqúe pro nomine, pro ciuitate, pro genere, & denique pro re quaque, iterum ac sæpius eloqueretur: aliam autem vocem gentiles ab eo elicere audireq́ue non poterant. Vnde tam graui & acerba bile animus cùm præfecti, tum tortorum contra illum inflammabatur, vt cùm nihil haberent supplicij, quod ei deinceps imponerent, ad extremum laminas æneas feruentes & ignitas tenerrimis corporis membris affigerent. At ille, quanquã corporis membra exurebantur, firmus tamen, constans & immutabilis in fidei confessione perstitit: quippe, qui diuino & cælesti fonte aquæ vitalis, quæ ex Christi vẽtre profluit, tanquam rore cùm aspersus, tum roboratus erat. Corpus autem testimonio fuit eorum, quæ ipsi acciderant, vtpote vulneribus & vibicibus totum cruentatum: quod quidem sic in rugas erat contractum, vt exteriorem hominis formam prorsus abiecisset: in quo Christus afflictationis particeps, res præclaras ad suam ipsius gloriam gessit, cùm aduersarium profligando, tum cæteris præclarum exemplum ostendendo, nullum esse metum, vbi Dei patris charitas; nec vllam molestiam, vbi fides Christi viget. Nam quanquam impij carnifices paucis diebus pòst, cùm martyrem denuò torquerent, putabant, si corporis membris superiore iam cruciatu tumidis, & inflãmatione quadã efferuescentibus, eadem supplicia accumularent, vel se illum facilè euicturos, (præsertim cùm ne manuum propè tractationem perferre iam posset) vel illum tormentis tandem extinctum, grauem reliquis horrorem incussurum: tamen tantum abfuit, vt in illo aliquid eiusmodi cõtingeret, vt etiam præter omnium hominum opinionem, corpus in illis posterioribus tormentis recreatum, & in integrum restitutum, formam priorem atque vsum membrorum recuperaret: adeo vt secunda illa carnificina, non inflicta pœna, sed medicina per Christi gratiam adhibita videretur.

Porrò Biblidem, vnam ex eorum numero, qui fidei confessionem pernegâssent, cùm iam diabolus à se prorsus absorptam putaret, cupiens etiam per blasphemiam in Deum condemnationem eius augere, ad supplicium deducendam curauit, eamq́ue velut fractam & ignauam impia in nos & flagitiosa probra loqui impulit. Illa tamen in tormento redijt ad se, atq́ue (vt ita dicam) ex profundo somno excitata est: præsenti supplicio quodammodo submonita, vt de æterna gehẽnæ pœna seriò cogitaret. At contrà quàm diabolus exspectabat, maleuolis Christianorum obtrectatoribus ex aduerso sic respõdet: Quomodo eiusmodi viri liberos suos deuorare in animum poterunt inducere, quibus ne licitum quidem sit sanguinem animalium ratione carentiũ comedere? Et ab eo tempore se Christianam ingenuè cõfessa est, & forti numeroqúe martyrum adiuncta. Acto. 15

At cùm tyrannica crudeliaq́ue illa suppliciorum genera per beatorum patientiam, Christi virtute firmatam, frustra imposita, irrogataq́ue viderentur, diabolus alias quasdam machinas de integro cõtra illos excogitauit: nempe vt in carcerem coniecti, interdum in locis horrida caligine obsitis, & plenis mo-

lestia-

lestiarum miserè iacerent: nonnunquam illorum pedes in crassas compedes impositi, distinerentur, & ad quintum vsque foramen, longa intercapedine interposita, distenderentur: aliquando vexarentur alijs plagarū modis, quos rabidi diaboli ministri, illiusq; maleuolentia suffusi, hominibus in carcerem conclusis incutere solent: vsque adeò, vt complures, quos Dominus eo pacto è vita exire volebat, ibi ob fœtidum odorem & loci angustiam penitus suffocarentur. Quinetiam non pauci (in quibus illic Dei gloria perspicuè ostentata erat) quamuis ita acerbè excruciati fuissent, vt nulla curatione adhibita viderentur ampliùs posse vitam protrahere, in carcere tamen superstites manebant, omni humana quidem cura & subsidio orbati ac destituti: à Domino tamen tum corporis, tum animæ viribus ita roborati confirmatiq; erant, vt cæteros & ad fidem constanter tenendam tuendamq; incitarent, & grato admodum subleuarent solatio. Alij autem modò capti, & recentes in carcerem contrusi (quorum corpora antehac tormentis subeundis callum haud contraxerant) pondus carceris & grauitatem minimè poterant ferre, sed intus breui mortem oppetebant.

Beatus item Pothenus, cui Lugdunensis episcopatus ministeriū erat concreditum, cùm nonagesimum suæ ætatis annum præterijsset, & corporis imbecillitate ita languesceret, vt vix posset propter virium infirmitatem, qua distinebatur, liberè spirare: spiritus tamen alacritate, propter ardētem qua flagrabat martyrij cupiditatē, plurimùm recreatus, ad tribunal gestabatur: & tāetsi corpus eius iam præ decrepita ætate & cruciatu morbi penè exhaustū esset, anima tamen in ipso seruābatur integra, vt per eam Christus gloriosè triumpharet. Qui quidem ad tribunal, magistratibus ciuitatis eum comitantibus, & vniuersa multitudine varias cuiusque modi vociferationes contra illum vtpote Christianum edente, à militibus deductus, præclarum fidei testimonium perhibuit. Cùm enim à præside rogaretur, quis esset Christianorum Deus? respondit: Si tu ea re dignus sis, cognosces. Inde igitur asperè & immisericorditer raptatus, varias plagas excepit, cùm ab his qui stabant in proximo, qui nihil eius ætatem reuerentes, manibus pedibusqué in illū contumeliosè insultabant: tum ab illis qui longius erant remoti, qui, quod singuli habebant in manibus, illud in illum coniecerūt: idqué propterea, quòd omnes permagnæ culpæ & impietatis loco ducebant, si quisquam petulanter illum insectari vlla ex parte omitteret. nam deorū suorum causam ita se vindicaturos arbitrabantur. Ille vix iam spiritum ducens, in carcerem coniectus fuit: ac biduō pòst efflauit animam.

Ibi verò singularis Dei prouidentia apparuit, & infinita Iesu Seruatoris misericordia patefacta est: quæ sanè talis fuit, qualis quidem rarò inter fratres Christianos contigisset, à diuina tamen Christi virtute ac potentia non omnino aliena. Nam qui, vt primùm erant cōprehensi, fidē inficiati fuissent, non modò in carcerem cum cæteris condebantur, (nihil enim illis, vt tempus ferebat, negatio attulit adiumenti) verùm etiam suppliciorum eorūdem erāt facti participes. atque sicut illi qui ingenuè fatebātur se esse quod erant, nullo alio crimine obiecto, nisi quòd Christiani essent, tradebantur in custodiam: sic isti qui fidem pernegârant, de reliquo in carcere tanquam homicidæ & scelerati detinebantur, duplo grauiore cruciatu & angore q̃ cæteri, afflictati. illos

ti. illos enim subleuabat lætitia ex martyrio percepta, spes promissorũ, charitas in Christum, sacer Patris Spiritus: hos magnum & graue cõscientiæ pondus admodum vexabat, vsque adeò, vt dum per hominum frequentiam palàm gradiebantur, ipso vultu ab omnibus alijs facilè internoscerentur. Illi enim hilares in publicum progressi sunt, in quorum vultu decor quidam gratia & venustate multa aspersus enituit, sic vt vincula etiam, quibus velut sponsa aurearum fimbriarũ varietate decorata mirè erant illustrati, egregiũ quendam ornatum illis adiecisse viderentur: tam suauem item & fragrantem ex ipso Christo egredientem efflârunt odorem, vt nonnullis artificioso quodam vnguento & manu composito delibuti putarentur. Hi autem demissi, abiecti, aspectu horridi, turpi ignominiæ labe deformati, à gentilibus porrò velut ignaui effœminatiq́, probris contumeliosè affecti: ac denique cùm honoratum, gloriosum & salutare nomen Christi amisissent, perinde ac si homicidij rei fuissent, homicidæ iam appellati. Ista vbi cæteri coram aspexissent, magnopere roborati erant, & animo constabiliti. Qui enim prehendebantur, omni memoria diabolicæ cogitationis ex animo deposita, absque hæsitatione fidem suam profitentur.

His igitur rebus confectis, de reliquo martyria, quæ in ipsorum vitæ exitu sufferebant, in quæq; suppliciorum genera dispertiebâtur. Siquidem vnã coronam beati martyres, ex vniuersis & varijs cuiusque generis flosculis cõtextam complicatamq́, Deo patri obtulerunt. Quocirca par erat, generosos & insignes Dei athletas, vbi multiplex & varium martyrij certamen subierant, illustremq́ ab hostibus reportârant victoriam, præclara immortalitatis corona decorari.

Maturus ergo, Sanctus, Blandina, & Attalus, die cum bestijs dimicandi in nostrorum hominum cruciatum de industria præstituta, ad bestias ducebantur, quò publicum & commune gentilibus spectaculum, plenum inhumanitatis & seuitiæ exhiberent. Atque Maturus & Sanctus in amphitheatro omne genus tormẽtorum denuò subeũt, perinde ac si nihil cruciatus antea fuissent omnino perpessi: imò verò vt athletæ, qui modò aduersarium per varias certaminũ vices strenuè profligassent, & pro corona vitæ ipsis proposita, postremum iam certamen haberent in manibus ad conficiendum, de integro tum verberum traiectiones, quibus homines illic plecti solent, sustinent: tum crudeles ferarum tractus, tum alia omnia cruciamentorum genera, quæ insana & furiosa plebs alij aliunde cum vociferatione illis infligi postulabant: tum ferreas denique cathedras & ignitas illorum membris suppositas, quibus corpora miserè frixa & exusta erant. & quanquam gentiles pestifero illorũ nidore non absque molestia saturabantur; tamen ne ea quidem re deterriti, ab insania sua desistunt, sed pergunt adhuc magis magisq́; furere: quãdoquidem illis in optatis erat, eorum patientiam prorsus euincere.

Cæterùm ab ipso Sancto nihil aliud elicere poterant, præter illam vocẽ, quam ab initio de fidei suæ confessione proferre consueuisset. Isti autem Martyres, quoniam in hoc ingenti certamine vita adhuc in ipsis residebat, singularium certaminum loco, quæ magna cum varietate ibi fieri solebant, illo die spectaculum vniuerso populo præbẽtes, ad extremum securi percutiuntur.

At Blandina trabi ligneæ sublimis affixa, præda bestijs incursantibus obijcitur:

ijcitur: quæ quoniam & in crucis specie suspensa cernebatur, & ardenter preces fundebat, magnam concertantium mentibus alacritatem iniecit: quippe in ipso certamine, ex sorore cruci suffixa, ipsum Christum, qui pro nobis crucifixus est, oculis corporeis quodammodo videbant: vti credentibus in illum pro certo persuaderetur, quòd qui pro eius gloria quidquam perpetiatur, hæreditatis sit cum Deo viuente consors & particeps futurus. At cùm nulla bestia eius carnem tangere vellet, à trabe mox abrepta, in carcerem iterum truditur, & ad aliud reseruatur certamen: vt per varia concertationũ genera victrix facta, tum tortuosum serpentem condemnationi, quam ab se auertere non posset, iure addiceret, tum fratres pariter ad constantiam incitaret: quæ licet humilis, imbecillis, & propè abiecta virgo esset, armatura tamen Christi fortis athletæ induta, non solùm per multas cruciamentorum vices aduersarium superauit, verùm etiam per illustre illud certamen coronam immortalitatis tandem assecuta est.

Attalus item, clarus & magni nominis vir, importuno multitudinis rogatu ad supplicium euocatus, ob rectè factorum conscientiam (siquidem ingenuè in Christiana institutione & disciplina exercitatus, fidelis semper apud nos & constans veritatis testis extitisset) alacri animo certamen ingreditur. Ac cùm vndique per amphitheatrum circunduceretur, tabula, in qua Latinis literis hæc inerat inscriptio (Hic est Attalus Christianus) illum præcedente, cumq; in eum admodum petulanter populus insultaret, præses, vbi Romanum esse didicisset, mandauit vt in carcerem denuò cum reliquis, qui in eodẽ erant, concluderetur: de quibus literas ad Cæsarem scripsit, eiusq; expectauit de illis sententiam.

Sequitur eiusdem Epistolæ historia.

TEMPVS verò quod interea intercedebat, illis quidem neque otiosum, neque infrugiferum fuit: sed per mortem eorum dilatam, immensa Christi clementia, quasi lumen suum propalàm profudit. Nam intermortua Ecclesiæ membra, viuorum subsidijs fuerunt ad vitam reuocata: & qui fidem confessi fuissent, ijs qui eandem pernegassent, magna beneficia detulerunt. atque adeò permagna lætitia sanctæ matri & virgini Ecclesiæ exorta est, cùm eos quos ab ortu tanquam mortuos eiecisset, viuos & incolumes recuperasset. Illorum enim hortatu & exemplo complures, qui fidem negassent, erant tãquam in vtero matris Ecclesiæ iterum concepti, iterum in membra formati, iterum ad vitam reducti, iterum deniq; ad fidem suam confitendam perdocti. Atq; cùm ad vitã essent restituti, & viribus confirmati, suauitatem Dei (qui non vult mortẽ peccatoris, sed pro sua benignitate eum ad pœnitentiam inuitat) animis haurientes, ad tribunal spontè accedunt, vt iterum à præside de fide denuò rogarentur. Ezech. 18.

Nam cùm Cæsar responsum per literas misisset, illos qui fidem Christi confiterentur, tympanis esse torquendos: hos autem qui eandem inficiarentur, in principio mercatus, qui hic celebrari solet, quiq; est propter frequentiã hominum ex omnibus eò gentibus commeantium, multorum sermone nobilitatus) liberos dimittendos: præses beatos martyres tanquam spectaculum & gloriosam pompam de illis multitudini præstaturus, ad tribunal deduci

iubet: iterum in quæstionem vocat: datqúe sententiam, vt qui municipes Romani essent, securi percuterentur: reliqui autem amandarentur ad bestias. Christi verò gloria in his qui antea fidem abnuerāt, tunc tamen præter gentilium opinionem eandem ingenuè confitebantur, magnopere illustrata fuit. Etenim illi cùm priuatim in quæstionem dati essent, quasi pro certo absoluendi: tamen se Christianos verè confitentes, martyrum choro adijciebantur. Alij autem falsi Christiani à fide penitus lapsi, qui neque vestigium
Matt.22. aliquando fidei, neque sensum & significationem vestis sponsalis, neque cogitationem timoris Dei in animis insidentem habebant, sed per nequam eorum conuersationem, viam veritatis contumelijs affecerant, hoc est, filij perditionis, foris extra Ecclesiam permanserunt: cæteri vniuersi fuère in Ecclesiam denuò ascripti.

De quibus cùm haberetur quæstio, Alexander quidam genere Phryx, arte & sciētia Medicus, multis annis in Gallia commoratus, omnibus ferè propter charitatem erga Deum & liberam in verbo prædicādo alacritatem cognitus, (non enim doni & muneris Apostolici expers erat) cùm astaret tribunali, & illos fratres nutu ad fidei confessionem hortaretur, (ijs qui vndique tribunal circunsistebant, videbatur tanquam parturiens) populi multitudo confessionem eorum qui antea inficias iuissent, ægrè ferens, contra Alexandrum, tanquam eius rei caput & auctorem, vociferari cœpit. Vbi verò præses instabat, sciscitabaturq; quisnam esset: respondet, se Christianum esse. Vnde præses ad iracundiam prouocatus, illum condemnat ad bestias. Postero autem die eandem cum Attalo dimicationem (præses enim, quò populo gratificaretur, Attalum deuuò bestijs obiecit) Alexander ingreditur.

Hi duo in amphitheatro omnes machinas ad eorum cruciatum excogitatas, tanquam præteruecti, maximumq; certamen perpessi, ad extremum gladio feriuntur. Alexander autem neq; ingemuit, imò verò ne gry ore extulit: sed interiore mente & cogitatione quasi cum Deo sermones contulit. Attalus, vbi in ferrea cathedra iam candenti esset impositus, & eius incendio ambustus, quando nidor & fumus è corpore in sublime ferebatur, Latino sermone multitudinem sic affatus est: Ecce ecce, hoc quod vos præstatis, est homines vorare. Nos quidem neque voramus homines, neque aliud quidquam sceleris patramus. Rogatus tandem, quod nomen Deus haberet? respondet: Qui plures Dij sunt, nomine indigent, vt internoscantur: at qui vnus est, determinato nomine non indiget.

Quibus omnibus confectis, postremo die singularium certaminum aduentante, Blandina, & adolescens Ponticus, circiter quindecim annos natus, (hi autem quotidie introducebantur ad reliquorum supplicia contemplanda) in amphitheatrum inferebantur, vrgebanturq; per gentilium idola iurare. Ac quoniam illi perstabant constantes, & ea despicatui ducebant, væsana multitudo contra illos asperè & ferociter sæuiebat, adeò vt neque adolescentuli commiserarentur ætatem, neque mulierem omnino reuererētur. Omnibus igitur tormentis eos obiectare, & per quoduis supplicij genus vndiq; agitare cœperunt: & sine intermissione nunc hanc, nunc illum, per ipsorum Deos iurare impellebant. Cæterùm hoc nullo modo poterant efficere. nam Ponticus, qui ita à sorore erat exuscitatus, vt gentes eam esse animaduerterēt quæ illum

illum cohortata fuisset,confirmassetque,post omnia cruciamentorum genera viriliter & magno animo tolerata, extremum spiritum edidit. Beata Blandina omnium postrema, tanquam nobilis & generosa mater, vbi liberos animauerat ad pœnam,& victores ad Christum regem præmiserat, ipsa eosdem cum liberis certaminum cursus remensa,ad eosdem lætitia gestiens,ac de ipso vitæ suæ exitu permagno gaudio exultans,properabat: non quasi ad bestias crudeliter proiecta;sed ad cœnam sponsi amicè inuitata. Atque post verbera, post bestiarum laniatus,post sartaginis exustionem, ad extremum in rete inuoluta,tauri ictibus obiectatur.Quę cùm ab animali illo diu multumqúe icta exagitataqúe fuisset,ac nullum sensum cruciamentorum,quæ hactenus ei obtigissent, partim propter spem qua Dei promissis firmè adhærescebat, partim propter colloquia quæ intra se cum Christo conferebat, omnino haberet, tandem ense iugulata fuit. Vnde gentes ipsæ palàm testabantur, mulierem apud se nunquam tot tamqúe acerba tormenta, tam constanter pertulisse.

Verùm eorum rabies & crudelitas in sanctos non ita exaturata fuit. Nam ab immani & furiosa belua, diabolo, immanes illæ & barbarę gentes exagitatæ,vix,aut ne vix quidem à furore suo aliquando acquieuerunt: imò verò in corporibus martyrum suam de integro contumeliam cœperunt & maleuolentiam exercere. Nam quamuis martyrum constantia penitus essent superatæ,tamen quia omnem humanam rationem omninò exuissent,illorũ amentia minimè fuit retardata,repressaqúe: sed acerba bilis cùm præsidis,tum populi, (qui quidem in nos lethale odij sui virus euomebât) tanquam immanis beluę magis magisq; incensa,sic vt Scriptura verè impleretur: Impius adhuc impiè agat,& iustus iustificetur adhuc. Etenim corpora eorum quos carceris pestifer odor & cruciatus suffocauerat,canibus laceranda obijciunt: studioseq; nocte dieq; obseruant, ne quisquam è nostris illa tumulis mandet. Tandem verò martyrum in amphitheatro interfectorum membra, quæ nec bestię adhuc vorârant,nec ignis absumpserat,partim minutatim dilaniata,partim instar carbonum ambusta, quin etiam securi percussorũ capita vnà cum corporum truncis collecta, dies complures similiter militum excubijs insepulta custodiunt. Porrò alij fremere,& dentibus contra eos frendere cœperunt,toto animo connitentes aliquam grauiorem in ea exercere contumeliã. Nonnulli irrisione ludere,& falsos cachinnos tollere,summaq; commendatione & præconio idola sua efferre: quibus quidem tanquã auctoribus, pœnam & vltionem Christianorum acceptam retulerunt. Non pauci, quãquam factis aliquanto modestiores erant, & de illorum afflictatione aliquantum condolescere videbantur, verbis tamen eos acerbè vexare,ad hunc modum: Vbi iam illorum Deus? Quid illis hæc profuit religio,quam suæ ipsorum vitæ præposuerunt? Quæ ad gentilium crudelitatem pertinebant, talem habebant varietatem. Quæ autem ad nos,videbantur sanè magnum mœrorem propterea in se complecti,quòd martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur facultas. Neque enim nox ad hanc rem aliquid afferre præsidij, neque magna pecuniæ vis eorum animos flectere,neque preces vlla ex parte placare poterant: sed nulla non ratione & via corpora illa erant assiduè ab illis seruata: & id quasi in magno lucro deputatum,si penitus inhumata iacerent.

Apo. 22.

Paulò

Paulò pòst etiam ista addũt: Martyrum corpora sex dies cõtinuos sub dio iacentia, & maxima ignominia affecta, pòst autem ab impijs illis & facinorosis carnificibus exusta, inque cineres redacta, in Rhodanum fluuium, qui illic in proximo defluit, spargebantur, quò nullæ quidem illorum reliquiæ ampliùs super terram restarent. Ista eo consilio patrabant, quòd Deum se posse vincere, & illis regenerationem corporum prorsus eripere arbitrati sunt, quò ne vlla quidem (sic enim dicebant) spes resurrectionis illis reliqua fieret: quã freti, inquiunt, non solùm peregrinam quandam & nouam nobis induxerunt religionem, verùm etiam neglexerunt penitus tormenta, & prompto atque alacri animo ad mortem properârunt. Iam videamus, vtrùm sint resurrecturi, & vtrùm illorum Deus ipsos iuuare, & è manibus nostris eripere possit.

Eiusmodi persecutionis tempestas, regnante Imperatore (de quo dixi- mus) istis Christi ecclesijs obtigit. Vnde certè, quænam fuerint in reliquis prouincijs eodem tempore factitata, coniectura assequi poterimus.

Sequitur eadem Epistola, & mansuetudinem, & humanitatem, aliasque virtutes superiorum Martyrum narrans.

ILLAS item voces ex eadem Epistola depromptas, in hunc sermonem includere operæpretium arbitramur, quibus modestia & singularis martyrum (quos diximus) benignitas hoc ferè modo descripta sit. Isti verò ipsius Christi (qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens) tam verè æmuli & imitatores erant, vt quamuis in tali gloria & splendore locarentur, & non semel & iterum, sed sæpius, vt martyres decet, pro fidei confessione acerba tormenta perpessi, bestijs obiecti, ab eisdem denuò ablati, ignito ferro exusti, vibicibus liuidi, vulneribus vndique infectis excruciati: non tamen se ipsi martyres esse prędicarent, neque cuiquam nostrûm copiam facerent illos eo nomine appellandi: sed si quisquam nostrûm eos vel per literas, vel per sermonem, vt martyres, fortè salutauisset, grauiter eum reprehenderent. Libenter enim martyris appellationem Christo, fideli & vero martyri, primogenito mortuorum, duci & auctori vitæ, quæ est ex Deo, concesserant: martyrum etiam, qui iam ad Christum ex hac corporis custodia migrauissent, nos non grauatè in memoriam redegerunt, dixeruntque: Illi iam verè sunt martyres, quos Christus propter fidei confessionem ad se recipere dignatus est, & quorum martyrium ipso præclaro vitæ exitu tanquam sigillo certissimo obsignauit. Nos autem tenues solùm & abiecti Christi nominis confessores. Atque fratres obsecrabant cum lachrymis, vt preces pro illis ardenter & obnixè Deo funderent, quò ipso discessu è vita opus, quod Deus tam benignè in illis incepisset, cumulatè expleretur. Et quamuis non modò libera responsa gentilibus dando, sed etiam patientia, magnanimitate, fidenti animi robore, contra omnes cruciatus, se generosos ac strenuos palàm ostendendo, vim & virtutem martyrij perspicuè declarassent: tamen timore Dei referti martyrum appellationem, qua fratres illos donare voluissent, a se repellere studebant. Humilitate tanta erant, vt licet martyres essent, martyrij tamen nomen renuerent.

At cum gentilibus aliter se habebant, quibus animi sui magnitudinẽ ostendebant,

debant,cùm illorum tribunal non recusarent, & illorum tormenta penitus negligerent. Ita quòd inter fratres erant humiles,inter persecutores elati; suis mites,aduersarijs terribiles; Christo subiecti,diabolo & eius ministris erecti. Humiliabant se sub potenti manu Dei, per quam nunc sublimiùs exaltati. Reddere omnibus debitũ,neminem accusare,omnes defendere,omnes è vinculis eripere,colligare neminem conabantur. Pro illis qui supplicia eorum corporibus inflixerant,exemplum Stephani perfecti martyris imitati, benignè orare,dicentes: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Grauissimum autem bel- Actor.7.
lum ab illis,propter ingenuam erga fratres charitatẽ, cum ipso diabolo ideo susceptum erat:quòd tantopere nitebantur,vt voracem illius tanquam malæ bestiæ gulam stringendo,eos viuos denuò euomere cogerent,quos priùs tanquam mortuos se penitus deuorasse putauerat.atque adeò velut matris indulgentis misericordia commoti,multas lachrymas pro eorum salute in conspectu Dei patris profundebant,vitam illis flagitabant. quod quidem adimplebatur. Non enim ad cælestem patriam illo felici dolo soli ire volebant, nec sui martyrij coronam perfectam esse arbitrabantur,cùm suorum membrorum partem in captiuitate sibi relinquere videbantur, quę quidem aduersarius noster diabolus ex Ecclesiæ septis subripuerat.

PROSEQVITVR ALIAM PERSECVTIONEM, QVAM FIdeles in Perside regnante Sapore passi sunt, in qua Simeones Seleuciæ Episcopus, & Vsthazanes vir præstans, & alij sancti Sacerdotes passi sunt.

Cap. XXII.

RELIGIOSISSIMO Imperatore Constantino regnante,apud Saporem tum regem Persarum Simeon Seleucię Episcopus accusari cœpit,quòd Romano Imperatori amicus esset,quodq́ue ei res Persarum proderet. Quorum calumnijs persuasus Sapores, primò omnium,tributis immoderatis eò affligit Christianos, quòd ipsorum quàm plurimos voluntariam egestatem excolere norat. Deinde viris difficilibus & inhumanis illorum tributorum exigendorum potestatem dat,quo & inopia pecunię,& exactorum feritate coacti,suam religionem aspernari inciperent. De qua vna re summopere ab eo laboratum est. Post hæc sacerdotes & ministros Dei gladio trucidari, ecclesias dirui, earum thesauros ac monimenta in publicum proferri,& Simeonem,vt regni Persarum & religionis proditorem adduci iubet.

Itaque Magi ope Iudæorum,qui in ea re eos alacri animo iuuabant,ecclesias demoliuntur:Simeonem comprehensum, & catenis ferreis vinctum ad regem deducunt. Qui se ibi & spectatum & strenuum virum præstitit. Nam cùm Sapores eum,vt daretur in quæstionem, introduci iussisset, neque veritus est quidquam, neque regem adorauit. Quare grauiter commotus Rex,sciscitatur quid sit causæ,cur iam neutiquam ipsum adoret,cùm antè id fecisset? Cui Simeones, Non antè,inquit,deductus eram ad verum Deũ prodendum, & propterea non recusabam debitos honores regi præstare: at iam idẽ ipsum facere fas non est. Nam iam pro pietate & nostra religione decertaturus venio. Quæ cùm dixisset, iubet Rex, vt Solem adoret. Quod quidem si facere

velit, pollicetur ei multa daturum munera, & in magno honore habiturum: sin autem detrectet, & illum & vniuersum Christianorum genus è medio sublaturum minatur.

Vbi verò Simeonem neque minis terrere, neque promissis flectere posset, sed virili & constanti animo affirmantem se nunquam vel Solē adoraturum, vel suam ipsius religionem proditurum audiret: iubet in vinculis aliquãdiu teneri, ratus (vt videtur) eum velle resipiscere. Quem in carcerem deductum conspicatus Vsthazanes senex, eunuchus, educator Saporis, & in familia regia principem locum obtinens, consurgens (sedebat fortè pro foribus palatij) eũ honorificè salutat. At Simeones verbis illum contumeliosis increpare, & bile incensus vociferari cœpit: atque auerso vultu ideo præterijt, quòd cùm esset Christianus, paulò antè vi coactus Solem adorauerat. Quare Vsthazanes eunuchus fundere lachrymas, ingemiscere, vestem splendidam, qua erat indutus, exuere, & tanquam homo in luctu constitutus, nigram circũijcere cœpit: pro portis regiæ sedet, lamentatur, plorat cum gemitu, sicq; ait: Heu me miserum, qualem erga me Deum fore debeo expectare, quem iamdudum denegauerim? Nam ob hanc causam Simeones ne verbum mihi loqui dignatus, sic ore auerso properè prætergressus est. Vbi ista resciuit Sapores, illum accersit, rogat causam luctus, & ecqua illi in ædibus obtigisset calamitas? Cui Vsthazanes: In hisce ædibus, inquit, ô Rex, nihil mihi accidit infortunij. Vtinam autem pro eo, quod mihi contigit, in omnia alia calamitatum genera incidissem: quippe id quidem certè fuisset toleratu multò facilius. Iam verò lugeo, quòd maneam in vita: quodq; cùm dudum mori debuissem, adhuc tamen Solem videam, quem, quò tibi gratificarer, non reuera ex animo, sed specie solùm simulata adorauerim: adeò vt vtraque de causa mortem meritus sim, tũ quòd Christi proditorem, tum quòd veteratorem erga te meipsum ostenderim. Quę cùm dixisset, cæli & terræ opificem Deum cum iureiurando testatur, se in posterum de ea sententia nunquam destiturum. Sapores autem incredibilem eunuchi mutationem vehementer admiratus, grauiore quidem iracundia in Christianos exarsit, perinde quasi illi pręstigijs hanc rem confecissent: sed tamen misericordia erga senem commotus, modò mansuetum, modò ferum se in illum ostendit: atque omnibus viribus laborauit, vt de sententia deduceret. Vbi nihil profecit, constanter affeuerante Vsthazane, se nunquã tam stultum fore, vt pro omnium conditore Deo, res ab eo conditas colat, tum ira inflammatus, mandat caput ense ceruicibus abscindi.

Ad quod supplicium à lictoribus deductus Vsthazanes, orat eos, vt paulisper expectent: rem enim se animo tenere, quam regi significare velit. Vocato igitur ad se eunucho sibi fidelissimo, iubet ista Sapori nũciare. Quam tandem beneuolentiam ab ineunte adolescentia ad hoc vsque tempus, ô Rex, erga tuam familiam præstiterim, & quanto studio cùm patri tuo, tum tibi inseruierim, nullis videor egere testibus: apud te præsertim, qui hæc satis exploratè cognita habeas. Quare pro omnibus officijs, quæ in vos aliquando tam beneuolè cõtulerim, hoc mihi vnum, velut remunerationis loco concede, vt his qui me ignorant, non videar tanquam infidus erga regnũ tuum, aut in aliquo maleficij genere deprehensus, istud supplicium subire. Et quò hoc pateat omnibus, fac præco palàm prædicet, caput Vsthazani amputatum esse,

se, non quòd improbitatis cuiusquam in palatio ab ipso admissæ conuictus sit, sed quòd sit Christianus; & Deum suum, quo regis voluntati morem gereret, negare noluerit. Atque ista quidem regi nuntiauit eunuchus. Sapores autem eadem, sicut Vsthazanes postulauerat, præconem prædicare iubet. Nam ratus erat, alios prompto ac parato animo de religione Christiana descituros, si certiores fierent, nemini Christiano misericordiam tributam fore: quippe cùm Vsthazanes senex, educator regis, ei familiaris & beneuolus, etiam esset interfectus. At Vsthazanes ad alium finem supplicij sui causam prędicari tam impensè desiderauit. siquidem cogitauit, quòd sicut, quando timore perterritus Solem adorabat, multis Christianis metum iniecerat: sic iam non pauciores ad suam animi magnitudinem & constantiam imitādam incitaret, si modò intelligerent, eum pro religione Christiana trucidatum fuisse. Et hoc modo vir fortis Vsthazanes gloriosum suum compleuit martyrium.

DE SIMEONIS MARTYRIO, CVM MVLTIS ALIIS, QVASI *sedecim millibus, qui in Saporis regno propter fraudulentas criminationes Magorum passi sunt.* Cap. XXIII.

SIMEONES autem de eius morte in carcere certior factus, Deo gratias pro illo egit. Postridie eius diei, qui erat sextus dies hebdomadæ, in quo ante celebrem diem festum Resurrectionis, memoria salutaris Christi Passionis quotannis recoli solet, decernit Rex, vt Simeones gladio feriatur. Nam antè denuò è carcere deductus ad regem, forti & magno animo cum Sapore de fide Christiana disseruit: & neque illum, neque Solem adorare voluit. Eodem die centum alios quoque, qui erant in carcere, Rex itidem obtruncari iubet. Ad extremum Simeonem, cùm cæterorum omnium mortem oculis aspexisset, trucidari. Horum pars Episcopi, pars Presbyteri, pars ex alio Clericorum ordine fuerunt.

Cùm omnes ad locum, in quo erant necis supplicium subituri, deducerentur, princeps Magorum percunctatur ab illis, vtrùm velint viuere, & eandem cum rege religionem colere, Solemq́ venerari? At vbi nemo eorum his conditionibus vellet in vita manere, rectà ad locum, in quo erant securi feriendi, deducuntur.

Ac dum lictores in opus incumbunt, & in cæde martyrum occupantur, Simeones astans illis, dum interficiuntur, iubet bono animo esse, verbaqúe apud eos facit de morte, de resurrectione, de pietate: & testimonijs ex sacris literis depromptis confirmat, ita mori, esse verè viuere; atque præ ignauia Deum prodere, esse verè mori. Eos enim etiamsi nemo ipsis necem afferret, breui morituros: quandoquidem à nemine in hanc lucem edito hic finis vitari potest. Post mortem verò, ea quę sunt æterna, non eodem modo omnibus euentura: sed singulos velut trutina quadam examinatos, accuratam vitæ antè actæ rationem reddituros: & hos pro rectè factis præmia percepturos immortalia, illos pro maleficijs pœnas sempiternas luituros: denique pro Deo velle mori, esse in bonis summum, & rem multò beatissimam. Dum ista Simeones dicendo percurreret, & tanquam magister gymnasij præciperet quomodo in certaminibus se gererent, singuli aures attentas ei præbentes,

bentes,ad necem cupidè gradiebantur. Lictor autem, postquam centum illos interemit,postremo in loco Simeonem obtruncauit: atque Abedechalaam & Ananiam vnà, ambos senes, presbyteros ecclesię, cuius Simeones erat episcopus,pariter cum illo & comprehensos,& in vincula coniectos.

Eodem temporis momento Pusices, præfectus omnium regis artificum, ibi fortè stans,cùm videret Ananiam,cui iam cędes parabatur,contremiscentem. Paulisper,inquit,ô senex,oculos occludito,& bono animo esto.nam statim lumen Dei videbis. Vix est hęc locutus,cùm comprehensus est,& ad regem deductus.Atq; cùm esset se Christianum confessus, quoniam libero ore apud regem pro religione Christiana & pro martyribus verba fecerat: idcirco quasi aliquod nefas dixisset, dabatur lictoribus mandatum, vt admodum peregrino & crudeli in primis mortis genere afficeretur. Lictores igitur collo eius circa tendinem perforato, illac linguam extrahunt. Porrò autem eius filia virgo, falsò à quibusdam in crimen vocata, comprehenditur, eodemquè temporis articulo occiditur. Quo quidem tempore multitudo Christianorum,quę ne numerari quidem potest,securi percussa est. Siquidem Magi eos ex vrbibus & vicis,in quibus latitabant, summa cum diligentia eruerunt.

Nonnulli autem sua inducti voluntate,nemine eos ducente, se ipsi adeò indicârunt, ne silentio Christum denegare viderentur. Ac dum omnes,qui erant Christiani,morte mulctarentur,plurimi etiam,qui in ipso palatio ętatem egissent,mactati sunt:in quorum numero erat Azades eunuchus regi longè charissimus.Quem cùm Sapores interfectum accepisset, incredibilem animo dolorem hausit: hancq; communem cædem sedauit,atque solos religionis nostræ doctores trucidari iussit. Statim Magi & eorum principes totâ Persidem obeuntes,Episcopos & Sacerdotes grauibus afficiunt incommodis,cùm in alijs locis, tum maximè omnium in Adiabenorum regione, quę est pars Persidis tota fidei Christianæ dicata.

Sub idem tempus Magi Acepsimam quoque Episcopum, & complures ex eius clericis vnà quidem comprehendunt: sed cùm antistitem, velut prædam per insidias cepissent, eo contenti,cęteros,direptis illorum bonis, dimiserunt. At verò Iacobus quidam presbyter Acepsimam sua sponte sequitur: & potestate à Magis postulata,in eundē carcerem cum eo concluditur:eiquè, vtpote ętate valde prouecto, lubens inseruit, subleuat, quantum potest eius calamitates, & plagarum vibices sanat. Nam paulò pòst quàm erat comprehensus,Magi loris crudis, quò Solem adorare cogerent, eum acerbè verberârant: sed vbi non cessisset, rursum conijciebant in vincula. Per idem tempus Æithalas etiam & Iacobus presbyteri,Azadanes & Abdiesius diaconi,ob Christianam religionem in carcere iacuerunt crudelissimè à Magis cæsi. Multo autem iam dilapso tempore, princeps Magorum cum rege de illis communicat: atque nactus potestatem eos pro arbitrio suo torquendi, nisi Solem adorarent, mandatum Saporis illis, qui in carcere tenebantur, significauit. Atque simul vt respondissent,se nunquam prodituros Christum, neque Solem adoraturos, adeò crudelibus tormentis illos cruciauit, vt Acepsimas in fidei confessione fortiter perstans,mortem obierit. Cuius reliquias quidam ex Armenia, qui obsides erant apud Persas, tumulo condidêre.

Alij

Digitized by Google

Alij autem, licet non minùs acerbè quàm ille verberati, præter omnium opinionem in vita manserunt: qui cùm in eadem perseuerarent sententia, in carcerem denuò compinguntur. Quorum de numero fuit Aeithalas, cuius brachia inter vapulandum sic vsque ab humeris violenta extensione diuulsa & eneruata fuêre, vt manus tanquam mortuæ inde penderent: quo factum est, vt alij cibum illius ori admouerent.

Per id temporis etiam Milles martyrio occubuit, qui primùm apud Persas militauerat: postea autem relicta militia, vitæ genus planè Apostolicum excolere cœpit. Fertur illum, cùm esset episcopus vrbis cuiusdam in Perside creatus, multos sæpenumerò cruciatus perpessum esse, verbera etiam & distractiones membrorum pertulisse: ac cùm neminem in ea ciuitate posset ad fidem Christianam traducere, ægrè & iniquo animo ferentem, ciuitatem execratum esse, indeq́ue decessisse.

Non longo pòst tempore, cùm primarij viri illius vrbis in regem peccassent, exercitum cum trecentis elephantis eò profectum, vrbem euertisse: & velut agrum colentes, in ea sementem fecisse. Millem verò peram solùm, in qua sacratum Euangeliorum librum habebat, secum gestantem, Hierosolymam precatum se contulisse: indeq́ue in AEgyptum ad visendos monachos, qui ibi ætatem degebant, concessisse. Quæ autē, quamq̃ admirabilia, & quàm diuina facinora ab isto Mille edita fuerint, testes sunt Syri, qui eius res gestas & vitam literis prodiderunt.

Per id tempus Regina in morbum delapsa, Tarbula, soror Simeonis episcopi, (de quo diximus) sancta virgo, simul cum ancilla idem vitæ genus colente comprehenditur. Causa autem cur hæ mulieres fuerint comprehensæ, fuit falsa criminatio, quòd videlicet venena Reginæ insidiosè parâssent: eam igitur cum ancilla morte cōdemnant. Tarbula autem non solùm pro fide, verùm etiam pro castitate pugnauit: erat enim forma valde liberali, & honesta. Quamobrem quidam illorum promisit, si vellet ipsius parere libidini, tum eam, tum illius sociam saluam fore. At illa hanc turpitudinem ne audire quidem voluit: sed nuntios verbis contumeliosis excepit, intemperantiæ crimen cum probro illis obiectauit. Et hilari vultu se martyrio obtulit crudelissimo: eam enim cum ancilla patibulis affixerunt, & serra in medio secuerunt, & effecerunt vti Regina spatium inter patibula intermissum transiret, perinde quasi morbus eo pacto depelleretur.

Tandem, Sapore regnante, infinita multitudo Presbyterorum, Diaconorum, Monachorum, sanctarum Virginum & aliorum qui in ecclesiarum ministerio versabantur, & erga religionem præclarè animo affecti erant, egregia piæ vitæ testimonia dedit. quorum numerus creditur fuisse ad sexdecim millia, qui viriliter pugnando pro veritate gloriosi triumphi palmam consecuti sunt.

Hìc pius lector satis latum campum habet in suo intellectu deambulandi, horum fidelium militum admirabilem fidem, atque constantiam dum in animo euoluit, quamq̃ vsque ad mortem suo Creatori fideles fuerint. Ex multis autem cōsiderationibus, quæ hìc haberi possunt, illam vnā hìc animaduertendam censui illis Christianis, qui absque suarum animarum cura, & cum Dei mandatorum negligentia vitam degunt: vt videant, quid in nouissimo

ſimo die reſpondebunt, cùm ille ſummus index cum eis in iudicium intrabit, & ab eis petet, cur ſibi cælorum regnum comparare noluerint, ſolùm decem mandatis ſeruandis; & illis innumerabilem martyrum exercitum, ſenum, adoleſcentulorum, virorum, atque puellarum, oſtenderit, qui morte, & membrorum laceratione illud conſecuti ſunt.

SANCTI POLYCARPI MARTYRIVM, QVI S. IOANNIS Euangeliſtæ diſcipulus fuit, Smyrnæ Epiſcopus, ab Euſebio libro quarto Eccleſiaſticæ hiſtoriæ relatum. Cap. XXIIII.

GLORIOSVM Polycarpi martyrium Smyrnæ fideles ad alios fideles hoc modo ſcripſerunt. Eccleſia Dei quæ Smyrnam incolit, eccleſiæ quæ eſt Philomelij, & alijs omnibus ſanctis & catholicis eccleſijs quæ vbique gentium ſunt, miſericordia, pax, & charitas Dei Patris, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, affatim impleatur.

Scripſimus vobis fratres, quæ videbantur pertinere cùm ad alios martyres, tum ad beatum Polycarpum: qui quidem perſecutionis flammam contra Eccleſiam incenſam, ſanguine ſuo copioſè per martyrium effuſo, penitus reſtinxit. Deinde paucis verbis adiectis ſic inquit:

Nam vndique qui circunſiſtebant, cùm coram cernerent illos partim flagris ad intimas vſque venas & arterias dilaceratos, ſic vt iam viſcera, aliáq; occultiora membra intimis corporis receſſibus abdita, oculis omnium ſubijcerentur, partim buccinorum teſtis è mari deportatis, & lapillis quibuſdam præacutis ſubſtratis afflictos, & per quodque ſuppliciorum ac tormentorum genus raptatos, & beſtijs denique immanibus ad dilaniandum traditos, cùm coràm (inquam) cernerent, illos hæc omnia tam toleranter ſuſtinuiſſe, incredibili propè admiratione obſtupuerunt. Inter quos Germanicum quendam, qui diuina gratia roboratus, imbecillitatem animi naturaliter inſitam, quæ efficit vt corporis mortem vehementer extimeſcamus, erexit, recreauitq́; propter eximiam & ſingularem eius conſtantiam facilè primas tuliſſe memorant.

Nam cùm procōſul illi perſuadere conaretur, proponeret ætatem, & magnopere flagitaret, vt cùm iam adoleſcens eſſet, & in ipſo ætatis flore conſtitutus, ſui ipſius miſericordiam caperet: eum illa minimè curâſſe, ſed abiecta cunctatione, feram parato animo attraxiſſe ad ſe, & prope vi in ſui corporis laniatum impuliſſe, quo celeriùs ab hac iniuſta & impia vita liberaretur.

Verùm quanquam vniuerſa multitudo, tum diuini & cæleſtis huius martyris fortitudinem & conſtantiam, propter egregiam & generoſam mortem magnopere admirabatur, tum excelſam vniuerſi generis Chriſtianorum virtutem vehementer ſuſpiciebat, tamen ſubitò vnà omnes hoc pacto cœpiſſe conclamare: Tolle impios: Quæratur Polycarpus. Ex quo permagna turba iſtis populi clamoribus de Chriſtianis conquirendis facta eſt.

Polycarpum autem, qui maximam omnibus admirationem ſui excitabat, primùm vt iſta de martyribus audiuerat, pacato & tranquillo animo perſtitiſſe: & vultum omnemq́; mentis ſtatū conſtantem & immobilem conſeruâſſe. Et quamuis in animo haberet, illic in ciuitate manere: tamen fami-

Digitized by Google

liaribus petentibus obsecrantibusqúe, vt se inde subduceret, demum morem gessisse: ad villam nõ longè ab vrbe distantem progressum esse, ibiq; cum paucis amicorum commoratum: & dies noctesq; nihil aliud molitum, quàm preces obnixè & instanter ad Dominum fundere: quibus quidem supplex efflagitabat (hoc enim erat illi semper in more positum) vt pax trãquilla concederetur ecclesijs. Ac triduo antequam prehendebatur, cùm in precibus attentè positus, somno oppressus esset, noctu in visione secundùm quietem vidisse dicitur ceruical flãma accensum derepentè consumi, conficiq;. Qua quidem re è somno excitatum, statim visum suum ijs qui vnà aderant exposuisse: & quod futurum erat, mente ferè præsagientem, apertè suis prædixisse necessarijs, se flammarum incendijs corpori circuniectis vitam pro Christo profundere oportere.

Tandem igitur cùm illi, qui eum omni cura & diligentia conquirebant, instarent, iterum incredibili studio & amore erga fratres cõpulsum, in aliam villam se transtulisse ferunt. quò quidem non longo tempore pòst, qui illum insequebantur, rectà peruenisse: duosq; illius loci pueros comprehendisse, atq; alterius illorum indicio, vbi verberibus eum ceciderant, ad Polycarpi diuersorium accessisse. Qui sub crepusculum aduentantes, certiores fiebant, eum in superiori conclaui assidere. Ex quo loco licet perfacilè in aliam domum se recipere potuisset, noluisse tamen: sed dixisse, Fiat voluntas Domini. Quem, vt illos adesse intelligebat, refert epistola descendisse per gradus, & cum illis adeò sereno ac placido vultu collocutum esse, vt qui virum antea ignorassent, cùm oculos in canam eius & ingrauescentem ætatem, in venerandam quoque & constantem vultus moderationem coniecissent, viderentur sibi rem permiram videre: rogarentq; ab se ipsi mutuò, Tantáne, quæso, festinatio in tali sene prehendendo suscipi debuisset? Istum autem abiecta cunctatione, primùm mensam illis actutum apponi iussisse: deinde orasse, vt cibum largè & affatim sumerent: vnamq; horam, qua liberè orationi vacaret, postulâsse. Qua ei concessa, surrexisse: & gratia Domini cumulatè repletum adeò ardenter precatum esse, vt qui præstò illum audirent orantem, admiratione prope obstupescerent: compluresq; illorum tam spectatum, tamq; eximia & diuina virtute præditum senem, morte affici vehementer condolescerent.

Vt primùm finem precandi fecerat, & memoria repetierat omnia, quæcunque illi in vita aliquãdo contigissent, siue magna illa fuissent, siue exigua, siue gloriosa, siue ingloria, & totam denique Ecclesiam catholicam per vniuersum orbẽ dispersam precibus Deo cõmendauerat, cùm iam hora abeundi instaret, satellites eum asino impositum, versus vrbẽ die festo magni sabbati deduxêre. Herodes, qui præfectus pacis dicebatur, & pater illius Nicetes, illi obuiam prodire: qui vbi illum ad se in rhedã transtulerant, propter eum assidentes, ei persuadere conati sunt ad hunc modum: Quid mali est, istud dicere (Domine Cæsar) & illic sacrificare, & sic tandem saluum euadere, & incolumem? Polycarpus primò nullũ dedit responsum, sed illis magis instãtibus, sic tandem locutus est: Non facturus sum aliquando, quod mihi consulitis.

Isti igitur spe illius in suam sententiam pertrahẽdi deiecti, contumeliosa verba in eum iaciunt: & tanta cum celeritate de curru præcipitãt, vt inde delapsus,

lapsus, tibiam magnoperè lacerauit, adhærétque. At ille de ea re minimè laborans, quasi nihil mali fuisset perpessus, lubenti animo à satellitibus ductatus, satis incitato gradu ad stadium proficiscitur. Polycarpo igitur in stadium ingredienti, vox è cælo demissa dixit: Fortis esto Polycarpe, & excelso animo rem gere. Eam à quo esset vox profecta, vidit nemo: vocem autem multi è nostris audiuerunt: sed propter tumultum in stadio concitatum, multitudo omnino eam audire non potuit. Illo igitur ad iudicem deducto, simulatq; intellectum erat, Polycarpum fuisse comprehensum, ingẽs tumultus ciebatur.

Ex quo proconsul, vbi accessit, sciscitatus est: Túne es Polycarpus? Polycarpus, se eundem esse fatebatur. Tum suadere proconsul, vt Christum negaret, sic locutus: Reuerere ætatem tuam: & alia his similia, quæ ab eiusmodi viris dici solent. Iura per Cæsaris fortunam: Resipisce: dic, Tolle impios. Polycarpus graui & constanti vultu in vniuersam multitudinem, quæ erat in stadio, intuens, & manum versus eos intendens, cum gemitu oculis in cælum sublatis, dixit: Tolle impios.

Præsidi, cùm amplius instaret, diceretque: Iurato, conuicijs Christum afficito, & te dimittam. Respondit Polycarpus: Octoginta sex annos illi iam inseruiui, & nullo me hactenus affecit incommodo: quo modo igitur regem meum, qui me ad hoc vsque tempus seruauit incolumem, cõtumeliosis verbis possum afficere? Proconsule denuò vrgente, ac dicente: Iura per Cæsaris fortunam. Polycarpus: Si, inquit, ad inanem ostentationẽ requiris, vt per Cæsaris fortunam iurem (sic enim vocas) & me qui sim ignorare præ te fers, sic, vt liberè & ingenuè loquar, accipito: Christianus sum. Quòd si placet Christiani professionem cognoscere, da mihi diem, & audies. Tum procõsul: Istud, inquit, persuade populo. Tibi equidem, inquit Polycarpus, rationem & sententiam meam (magistratibus enim & potestatibus à Deo constitutis, eum honorem, qui nostrorum animorum saluti nostræq; religioni nihil afferat detrimenti, pro dignitate tribuere docemur) impertire non grauabor: sed illos non satis dignos existimo, quibus de fide nostra per responsum satisfaciam. Et proconsul: Bestias, inquit, habeo in promptu: istis te obijciam laniandum, nisi te maturè pœnituerit. Accerse, inquit: nam nobis rata ac decreta stat sententia: & multum ab eo absumus, vt aliquãdo animo mutato, nos meliorum pœniteat, quò deteriora sequamur. A sæuitia & crudelitate ad æquitatem & modestiam traduci, est pulchra sanè mutatio. Ad quem rursus proconsul: Te, inquit, ardentibus flammarum incendijs domitum & mansuetum reddam, si bestiarum laniatus contemnas, & non resipiscas ociùs. Tum Polycarpus: Ignem, inquit, mihi minitaris, qui ad tempus exardescit ille quidem, sed paulò pòst penitus extinguitur. Verùm ignem illũ futuri iudicij, ad perpetuum impiorum supplicium & cruciatum reseruatum, omnino ignoras. Sed quid cunctaris? Profer bestias, aut aliud quod lubet. Ista & alia complura locutus, tanto vultus decore & gratia imbutus est, tantaq; animi fidentia & alacritate expletus, vti his, quæ ei essent tam minaciter obiectata, non modò non conturbatus succumberet, sed contra certè illum ipsum procõsulem admirabili sua constantia & grauitate prorsus obstupefaceret. Proconsul præconem mittit, qui in medio stadio istud ter prædicaret: Polycarpus professus est se Christianum esse.

Qua

Quæ vox cùm esset à præcone emissa, vniuersa tum gentium, tum Iudæorum multitudo, qui Smyrnam incolebant, animi impetu & bile effrænata exardescens, altâ voce clamare: Iste est Asiæ doctor, iste Christianorum pater, iste nostrorum Deorum euersor. Iste denique est, qui adeò multos perdocuit, vt neque dijs sacrificent, neque eos adorent. Quæ cùm essent locuti, vociferari, & rogare Philippum munerarium, vt leonem, qui Polycarpum discerperet, emitteret. Hic verò respondere, non esse ei integrum: quoniam jam ferarum certamina confecta erant.

Tunc illis visum est, vno consensu clamando instare, vt Polycarpus viuus in rogum conijceretur. Ita enim factum oportuerat, vt visio, quæ de ceruicali illi apparuisset, compleretur. Quod quidem cùm ardens videret, Deum precatus paululum, ad fideles tandem, qui cum eo erant, se conuertit: & mente prophetico more futura præsagiens, dixit: Me viuum oportet cremari. Ista igitur erant tanta cum celeritate suscepta, vt dicto penè citiùs propterea geri viderentur: quòd cùm frequens hominum turba & ex officinis & ex balneis ligna sarmentaqúe actutum coaceruat: tum maximè Iudæi hoc facinus (sic enim illorum mos in eiusmodi negotio erat) operam propenso animo conferebant.

Verùm vbi rogus extructus & paratus erat, Polycarpus soluto cingulo & omnibus vestibus exutis, calceos etiam sibi extrahere cœpit: quod quidem antea non aliquando facere consueuerat, propterea quod singuli fideles magno studio inter se contendebant, quis primùm ei in eo munere inseruiens, corpus illius posset cōtrectare. Nam in toto ætatis curriculo, etiam ante canitiem, propter vitam honestè actam, probeq́ moratam, magnopere colebatur. Paulò pòst igitur instrumenta, quibus in rogo firmè teneretur, apparata, corpori illius circunijciuntur. Et cùm illum clauis vellent affigere, dixit: Sinite me hoc modo. nam qui mihi patientiam ad ignis flammas sustinendas pro sua clementia largitur, largietur etiam, vt sine commissuris clauorum, quibus me affigere statuitis, constans absque vlla corporis commotione rogo adhæresc am. Idcirco illum non clauis, sed vinculis solùm colligârunt. Qui manibus à tergo circumplicatis, constrictisq́, tanquam aries insignis ex immenso grege delectus, vt holocaustum gratum & acceptum fieret Deo omnipotēti, sic locutus est: Pater dilecti & benedicti filij tui Iesu Christi, per quem tui cognitionem accepimus; Deus Angelorum & Potestatum, Deus totius creaturæ, & iustorum cuiusque generis qui viuunt in conspectu tuo, tibi gratias ago, quòd me huius diei & horæ celebritate donâsti, in qua cùm in martyrum numero, tum in calice passionis Christi tui, tormentorum particeps fiam, in resurrectionem vitæ æternæ, tam animæ, quàm corporis, per immortalem Spiritus sancti virtutem: inter quos, quæso, martyres hodie in conspectu tuo pro hostia pingui & accepta admittar: sicut præparâsti, præsignificâsti, & iam tādem cōpleuisti, qui Deus verus es, & omnis mendacij expers. Ac propterea præ cæteris omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per Iesum Christum dilectum tuum filium, pontificem æternum, per quem tibi cum eo in Spiritu sancto gloria nunc, & in futura secula seculorum, Amen.

Hanc vocem, Amen, vbi emiserat, & orandi finem fecerat, carnifices, quibus ignis extruendi cura imponebatur, rogum incenderunt. Qui vbi arden-

tem flammam effuderat, miraculum ingens illis, quibus idem videre à Deo concessum fuit, quiq; ad ea quæ gerebantur, cæteris fidelibus verè in posterũ narranda erant reseruati, visum est.

Ignis enim fornicis speciem gerens, tanquam velum nauigij ventorum flatibus turgescens, corpus Martyris vndique obuallat. Ille in medio cõstitit, non tanquam caro exusta, sed tanquam aurum & argentum in camino ignis ardore probatum. Quinetiam tantum & tam fragrantem odorem inde hauriebamus, vt idem velut ex thure odorifero, aut alio quouis pretioso aromate efflatus videretur.

Ad extremum igitur, cùm nefarij & impij homines eius corpus ab igne minimè posse consumi viderent, carnifici mandata dederunt, vt propiùs ad rogum progressus, illum ense stricto confoderet. Qua re confecta, tanta cruoris copia effluxit, vt ignẽ prorsus extingueret: & vniuersa multitudo quæreret secum magna cum admiratione, vtrùm tantum esset discriminis inter infideles & electos: ex quorũ numero iste Polycarpus vnus erat, vir nostris temporibus omnium facilè præstantissimus: catholicæ Smyrnensis ecclesiæ Episcopus, doctor Apostolicus, & propheta pius. Nam quodcunque verbum ex ore eius exibat, idem vel iam expletum erat, vel postea pro certo explendum. Inuidus igitur, odiosus, & iustorum hominũ generi semper infestus diabolus, cùm martyrij eius amplitudinem, cumq; incorruptam & integram vsque à teneris vnguiculis viuendi rationem, immortalitatis corona remuneratã, cumq; ipsum propterea stabili & certo præmio vitæ æternæ donatum cerneret, omni cura & cogitatione eò incubuit, ne corpus eius inde auferretur: idq; adeò, cùm permulti è nostris permagna cupiditate ducerentur, & huius rei efficiendæ, & sanctæ illibatæq; carnis perfruendæ.

Nam certi homines Nicetem, patrem Herodis, Dalcæ fratrem submonebant, vt præsidem exoraret, ne corpus eius cuiquam daret: ne Christiani, inquiunt, crucifixo illo derelicto, hunc venerari incipiant. Atque hæc Iudæis submonentibus, obnixeq; instantibus, aggressi sunt. Iudæi autem nos, quibus in animo erat illum ex igne eximere, accuratè obseruabant. At illud quidem miseri penitus ignorabant, nimirum nos non aliquando in animum posse inducere, vt vel Christum deseramus, qui pro salute omniũ, qui in toto mundo salui fiat futuri, crucis tormenta perpessus fit: vel alium quempiam aliquando colamus, vt Deum. illum enim qui verè Dei filius est, adoramus: Martyres autem, vt discipulos & imitatores Domini, propter incredibilem eorũ beneuolentiam, quam in proprium regem ac magistrum declarauerunt, meritò amplexamur: quorum nos cùm in pietate discipulos, tum consortes in gloria fore optamus. Centurio autem, cùm videret Iudæos instare contẽtiùs, corpus Martyris in medio poni, &, vt gentium mos fert, igni comburi iubet. Sic nos postea ossa eius, potiora lapillis pretiosis, auroq; puriora, ex cineribus selecta, eo loco reposuimus, qui illis erat decorus, consentaneusqúe. Vbi sanè nobis in vnum aliquando coactis, Dominus præstabit, vt celebrem eius martyrij diem, instar natalis festi, cum exultatione & gaudio, quantum fieri potest, maximo recolamus: idq; cùm ad martyrum memoriam, qui antea tale certamen confecerunt: tum ad eorum exercitationem, mentisq; ad talem constantiam præparationem, qui postea Christum eo genere mortis ingenuè confessuri

fessuri sunt. Ista de beato Polycarpo, qui Smyrnæ martyriũ obiuit, cum alijs duodecim ex Philadelphia profectis, qui idem genus mortis lubentes pertulerunt, literis mandata sunt. Inter quos Metrodorus presbyter, qui erroris à Marcione inuecti fautor esse putabatur, in ignem iniectus, migrauit è vita.

Ex martyribus item qui id temporis obierunt, vnus erat Pionius, fama peruagata & multorum præconijs eximius. Cuius confessiones sigillatim habitas, cuius ingenuam sermonis libertatem, cuius apologias pro fide coram populo & magistratibus recitatas, cuius conciones ad docendum accommodatas, cuius benigna his qui præ persecutionis acerbitate animis omnino cecidissent, humanitatis officia tributa, cuius iucundas & gratas consolationes, quas in carcere fratribus, qui ad eum ingrediebantur, adhibuit, quæ præterea tormenta sustinuerit, quos in eisdem dolores tolerauerit, quàm acerbos clauorum confixus pertulerit, quantam in rogo animi magnitudinem ostenderit, qualem denique & quàm insignem mortem, præter alias omnes res ab eo tanta cum admiratione gestas, subiuerit, eos, quibus lubitum est cognoscere, ad Libellum à nobis de Veterum sanctorum Martyrijs in vnum redactis editum (qui quidẽ omnia facta illius plenissimè complectitur) amandamus.

CONSIDERATIO IN GLORIOSA CERTAMINA, ET victorias sanctorum Martyrum, quæ hactenus relata sunt. Cap. XXV.

VNC autem æquum est, vt in hæc tam gloriosa certamina, quæ hactenus narrata sunt, philosophemur, vt nostræ fidei veritatem, & firmitatem, & diuinæ gratiæ vim, & Christi redemptionis efficaciam cognoscamus, qua ipsi tam fortiter pugnarunt, & vicerunt: hincq; patientiæ exempla, nostrarumq; illecebrarum, & commodorum confusionem capiamus: hincqúe, quantis in erroribus nostra vita versetur, cognoscamus, cùm æternam gloriam mandatorum diuinorum obseruatione nobis emere nolimus, quam sancti Martyres suorum corporum laceratione sibi emerunt.

Communis est Philosophorum sententia, quòd cùm homines admirarentur ea, quæ in naturæ operibus cognitione digna viderentur, vt eclipses Solis, & Lunæ, & alia huius generis, cœperunt philosophari, & illorum causas inuestigare; quibus cognitis, scientiam confecerunt. Scire enim, est rem per suas causas cognoscere.

In his autem martyrijs, quæ hic narrauimus, tam multa sunt admiratione digna, vt nemo futurus sit tam insensibilis, quin cùm hoc patiendi genus cernat, penitus admiratione obstupescat. Quo enim tẽpore ab origine mundi, vsque ad hoc nostrum tempus, visi sunt homines tanta fortitudine perpeti? eo vultu? ea lætitia? ea loquendi libertate, qua iudices in se excitabant? ea patiendi cupiditate, vt sua sponte ad cruciatus sæpe se offerrent? Quòd si hoc fuisset solùm in aliqua barbara natione, & immani, quæ mortem non timet, non esset tam admirandum: at hæc persecutio generalis fuit, in omnibus nationibus, & in omnibus orbis terræ ciuitatibus, & præsertim in primarijs,

vt est Roma, Alexandria, Nicomedia, & aliæ huiusmodi. Quòd si in hac persecutione homines robusti tátùm passi essent, non tam magna esset admiratio: at hîc viros iam senio confectos, pueros tenellos, mulieres plurimas, puellas nobiles, & molles, teneriaq; ætate, coram omnibus nudatas, quo magis, quàm ipsamet morte afficiebantur, esse passas vidimus.

Mortem omnium terribilium vltimum esse inquit Aristoteles, quam naturaliter omnia animalia à Deo creata fugiunt. At multò magis homo à morte abhorret, & illius sensum percipit, quòd sit teneriori carne, & acriore imaginatione, vt damnũ & doloris sensum percipiat, & iudicet non solùm mortæ vitam amittere, verùm etiam quidquid cum vita possidet. Quamobrẽ si quis capite damnatus sit, (licet sit vnicum moriendi genus, vt est obtruncari &c.) nullum est periculũ, nulla molestia, nulla impensa, nulla via, in quam non se det, licet mare, & terra ei perlustranda sit, domus, vxor, filij relinquendi sint, quæ non suscipiat, vt ab ea liberetur. eadem enim natura ad id eos instruit, atque excitat. Alia etiam sunt longè magis horribilia, quàm mors; quæ sunt tormentorum inuentiones, quæ tyranni excogitârunt, vt sanctorum Martyrũ constantiam superarent: non enim ad mortem, sed ad cruciatus respiciebant; non vt semel afficerent morte, sed pluries; non vt vnicam corporis partem affligerent, sed illius omnia membra. Et licet humanum corpus ita sensibile sit, vt non multo artificio sit opus, vt illud dolore afficias: ij tamen ab altera parte à diabolo, qui in illorum cordibus versabatur, inflammati; ex altera verecũdia, & irrisione affecti, quòd ab infirmis mulieribus essent deuicti, propter hanc causam immanes effecti, omnes ingenij vires ad id conferebant, vt sexcenta tormentorum genera, vt vnicum corpus torquerent, excogitarent.

Hoc igitur cùm ita se habeat, quàm mirũ est, fœminas, & teneras puellas, non vocatas ad tormenta tanquam ad nuptias currere? & in eo elaborare, vt alijs priores carnificis gladium suo sanguine inficiant? & certatim cõtendere, quænam eorũ prior patiatur? & quòd virgo Euphemia queratur, quòd cùm esset nobili loco nata, alias priùs quàm se martyrio afficerent. Quænam igitur est hæc noua gens? vbi sunt in hac re naturæ leges? vbi sui amoris vis est? vbi naturalis mortis timor, quo creaturæ omnes affectæ sunt? nonne hæc corpora erant eadem conditione cum nostris?

Quid videbas gloriose martyr, cùm in pœnis fortius persistebas, quàm tuæ pœnæ? & in carceribus magis liber, quàm qui te in carceres cõijciebant? & iacens, magis erectus, quàm qui stabant? & in vinculis magis solutus, quàm qui te ligabant? & dãnatus, in excelsiori solio collocatus, quàm qui te iudicabant? Vulnera rosas & flores existimabas, & sanguinem, qui de tuo corpore manabat, regiam purpuram; & martyrium gratissimum sacrificium, quod tuo Creatori offerebas. Te verò, virgo delicata, quis tanta fortitudine muniuit, vt esses ferro robustior? & tuo corpore lacerato, tua fides integra permaneret? & carnibus consumptis, tua virtus nullam imminutionem pateretur? Potuit tuum corpus carpi, & anima superata non fuit: defecit substantia, sed patientia perseuerauit. Celebrant Romani historici illius militis fortitudinem, qui manum breui quodam temporis spatio super funali accenso continere potuit. At quàm multa fœminarum millia, & virorum dabimus nos omnium ætatum, & conditionum gentium, quorum non manus, sed totum

corpus, vbi ferreis pectinibus laceratum est, in craticulis non breui spatio, sed vsque ad vitæ finem assum fuit?

Quî fieri potest, vt tanta nouitas, nunquam in terris visa, non à causa noua sit profecta? Quî fieri potest, vt res tam extra ordinem nullam quoque extra ordinem causam habeat? Quî fieri potest, vt tam supernaturalis effectus supernaturalem causam non habeat; cùm effectus, vt Philosophi docent, debeant suis causis proportione respondere? Quid autem est magis præter omnes naturę leges, quàm hęc voluntas, & tam inflammatum patiendi desiderium? Quî fieri potest, vt puella tredecim annos nata, vt S. Eulalia fuit, tot tormentorum genera patiatur, nunquam antè visa, idque tanto conatu? tanta constantia? quodque magis est, tanta lætitia, & animi tranquillitate, nisi pręcipuo Spiritus sancti subsidio fuisset adiuta? Quî fieri poterat, vt mater, qualis fuit S. Felicitas, & alia nomine Symphorosa, vtraque ante oculos septem filios adolescentes trucidari vidissent, eosque consolarentur, hortarenturque ad patiendũ, & deinde illæ passę fuerint, vbi suis oculis hæc horrẽda spectacula vidissent? Quænam erat hęc fides? quænam lux erat hæc? vbi erat ille magnus amor, quo in filios affectæ sunt matres, præsertim in tot, tantosque filios? Abraham Patriarcha paratus fuit, vt vnum filium sacrificaret, quem habebat. Et Deus hanc deuotionem & obedientiam tanti fecit, vt pro ea illi Deus promiserit tot filios, quot cæli stellæ sunt. Quòd si tanti fuit hunc Patriarcham Deo vnicũ filium offerre; quanti erit matrem septem offerre, & velle eos ob oculos suos pro Dei amore trucidari? Si Patriarcham vnum filij amorẽ vincere tanti fuit; quanti fuit septem amores, septem filiorum vincere; cùm illud compertum sit, in materno corde septem amores septem filijs respondere? Quòd si tãtopere septem Machabæorum mater celebrata est, quòd ad martyrium suos filios adhortabatur; cur minùs celebrandæ sunt hæ duæ noui testamenti matres, quę idem fecerunt? Quòd si notum est, non potuisse illam matrem illum calicem bibere sine pręcipuo Dei fauore, & auxilio; quis poterit idem his matribus negare? Illud Seneca verum esse iudicat, sine Deo neminem verè virtute præditum esse posse; *Nulla mens bona sine Deo est*, inquit ille. & Tullius inquit, neminem vnquam fuisse fortitudine spectatum: quin à Deo afflatus, & adiutus esset. At quæ virtus, quę fortitudo reperiri potest, quæ cum hac tam admirabili constantia, & animi magnitudine conferri possit, idque in matrum & puellarum cordibus? Quòd si (horum sapientum testimonio) neque illæ virtutes, neque illa spectatorum hominum amplitudo, sine præcipuo Dei fauore, & afflatu exerceri poterant; quî fieri potest, vt tam debiles personæ, vt prędictę, facinora longè maiora perficere possint? Illud quidem compertum est, quòd omnes res gestæ, quæ in profanis historijs narrantur, vix dignę sunt, quę harum vmbræ dicantur. Quid hi duo celeberrimi auctores dixissent, quid scripsissent, si ad illorum manus hæc materia peruenisset? Quibus verbis, quibus figuris, quibus sentẽtijs, qua ingenij acie, quibus exemplis, quibus similitudinibus has tam admirabiles virtutes celebrassent, & amplificassent? Seneca multas scripturæ paginas in eo consumit, vt illud Stilbonis philosophi responsum præclarius reddat, qui post direptam & dirutam illius ciuitatem, interrogatus à Demetrio præfecto, nunquid in illa direptione amisisset; respondit, Se nihil perdidisse, quòd omnia bona sua secum portaret; per

Gen. 22.

2 Mac. 7.

hęc bona philosophiâ intelligens, quę nec eripi, nec surripi potest. Quid autem fecisset hic auctor, si ad scribendam & celebrandam nostrarũ virginũ admirabilem constantiam in tam multis tormẽtis, ne fidem Deo debitam frangerent, se accinxisset? Propter hanc causam initiò dixi, quòd hanc materiam tractare timebam, cùm illius altitudinem, & meorum verborum ruditatem cernerem. Nam (vt S. Hieronymus testatur) infirmiora ingenia non debent materias difficiles tractare: quòd si quis eas suscipere vult, in itineris medio oneri succumbat necesse est; & quò res, quas celebrare vult, maiores sunt, eò magis implicatur, & verba non inuenit, quibus eas explicare possit.

Hieron in Epitaphio Nepotiani.

Quod autem & maiori admirationi est, & magis gratiæ vim declarat, est hanc virtutem & fortitudinem in eo hominum genere videre, quod omnium perditissimum habetur, qui sunt, milites, & gentes, quæ militię degunt. Horũ enim multos scimus diuersis in locis passos esse. Quadraginta superiùs enumerauimus, qui nouo genere mortis damnati fuerũt, vt scilicet frigore perirent. At hi pauci fuerunt. Aliâs fuit vniuersa militum legio Maximiani iussu interfecti, quę legio sex millibus, sexcentis, & sexaginta sex militibus constat. Hic autem illud maximè animaduertendum est, quòd ille tyrannus, ne exercitum imminueret, iussit, vt decimus quisque miles iugularetur, vt alijs terrorem incuteret. Idq; bis fecit. At gloriosi Christi milites certabant inter se, quis primus martyrij coronam susciperet. Cùm autem cerneret, neq; hac ratione illorum firmitatem cessare, iussit, vt quicunq; perseueraret, ab exercitu trucidaretur. Quis autem hîc poterit non admirari, & pro tali martyrio Deum non laudare? O Christi gloriam; ô illius Euangelij gloriam, qui ex lapidibus Abrahæ filios fecit, & ex militibus martyres, & sanctos: non enim martyrium pertulissent, nisi huiusmodi fuissent; neque poterant non amare magis Deum, quàm suam ipsorum vitam, cùm pro eo amittere voluerint. Cùm autem irent in exercitu inter milites gentiles, idololatras, & peruersos, non solùm fidei sinceritatem, sed etiam charitatis ignem, & vitæ puritatem conseruare potuerunt. Quàm iure optimo dixit Apostolus, se in Euangelij prædicatione minimè confundi, cùm in se esset Dei potentia, atque virtus, vt credentes saluos faceret.

At negotiũ vlteriùs progreditur. Aliâs enim Imperatore Adriano nõ vnica legio, sed decem millia militum damnati fuerũt, vt eadem morte perirent, quam Dominus passus est, pro quo & ipsi passi sunt. Quid autem gloriosius est, quàm decem millia laudatissimorum militum cum triumphalibus palmis in manibus, cumq; insignibus, & signis sui Redemptoris in illam cælestem ciuitatem ingredi? Quo vultu accepti fuerunt? quibus cantibus? quibus laudum vocibus? quomodo complexi sunt eos, quòd feliciter venissent? quos in suam gloriosam societatem admiserunt, & ante thronum illius Domini deduxerunt, pro cuius gloria tam gloriosè pugnârunt. Quòd si Romæ tanta celebritate accipiebant Imperatores, qui aliquam celebrem ciuitatem, aut prouinciam deuicissent, & muri diruebantur, vt victorem acciperent, & ipse in suo triumphali curru, quem multæ gentes comitabantur; quod festum celebraretur in cælorum regno, cùm in illud non vnus ingrederetur, sed decies mille victores; nõ vnius ciuitatis, aut prouinciæ, sed totius mũdi, & inferni potẽtię? Hoc autem sic narrari potest, at quis pro rei dignitate amplificare poterit?

Ad

Digitized by Google

Ad hæc aliud addam multò maiori admiratione dignum, quod animaduertit auctor, qui Theatrum totius orbis ciuitatum scripsit, Lugduni Galliæ tantummodò decem & nouem millia martyrum occisa fuisse, tantumq; sanguinis effusum esse, vt flumen Arar, quod illac fluit, penitus sanguine tinctum fuerit. Vnde factum est, vt ex illo pretiosissimo sanguine, qui per illū fluxit, ex Arari, nūc Sonna vocetur. Tantus erat furor, quē infernalis draco in Imperatorum cordibus incendebat, vt Christi nomē extingueret, & in exiliū de mundo eijceret; & tanta martyrū fortitudo, & constātia in fidei confessione erat.

Vt autem redeamus ad rem, & iam ad huius rei conclusionem perueniamus, dicimus hoc esse vnum nostræ fidei veritatis magnum testimonium, videre innumerabilem personarum multitudinem omnium ætatum, & conditionum hominum, vitam pro veritatis confessione profudisse. Et quò tormēta atrociora, & crudeliora propter hanc causam patiebantur, hoc est testimonium apertius & firmius; & eo apertiùs cognoscitur fieri non potuisse, vt humanum corpus inter tot cruciatuum genera, & multiplicata perseueraret, nisi illam fidei, & spei, & charitatis notitiam habuissent, quod initio diximus, & nisi præcipuas vires, & auxilium à Deo consecuti essent. Cùm autem Deus in huius veritatis confessione illis opem ferret, illud sequitur, non solùm Martyres suo sanguine, sed etiam Deum sua gratia, & præsentia, eiusdem veritatis testem esse.

Ex quo duæ aliæ res colliguntur, dignæ quidem, quæ ab omnibus cognoscantur. Altera quidem, de qua diximus superiùs, quæ est, in omnibus totius terrarum orbis gentibus Euangelium prædicatum esse, & Christi regnum fuisse propagatum, vt Prophetæ prędixerunt, cùm in illis tam multi martyres sint passi. Altera est, quòd illius aduentu futurum erat, vt hominum vita in meliorem statum redigeretur, id est, vt homines feri, & siluestres (cuiusmodi erant omnes, qui idolis inseruiebant) puri, & sancti fierent. Quod non solum in sanctitate illorum multorū millium Monachorum, qui eo tempore omni virtutum genere floruerunt, sed etiam in hac admirabili Martyrum constantia cernitur. Nam (vti diximus) minimè fieri poterat, vt tam multis tempestatibus & turbinibus non penitus euerterentur, nisi super firmam petram amoris, & timoris Dei illorum fundamenta iacta essent. Quod facilè quotidiè cernimus, & dolemus, cùm tam multi Christianam fidem negent, vbi se in Mahometanorum terris captiuos esse cernunt. Neque id, quòd eiusmodi tormenta timeant, quæ martyres passi sunt; sed tantummodò, vt captiuitatis pœnam effugiant, & aliquantulo liberiùs viuant. Quemadmodum autem horum infelicium imbecillitas eorundem virtutis impotentiam, & fundamentum debile nobis manifestat; (cùm tam facilè superati sint) ita contrà Martyrum inæstimabilis fortitudo & constantia, illorum virtutis firmitatem nobis ostendit, quæ quidem à robustissimis hostibus, & certaminibus pluribus sæpius repetitis, & mutatis, nunquam deuinci potuit.

QVOD PENE OMNES, IMPERATORES, QVI CHRITIANAM fidem, & religionem persequuti sunt, miserrimè vitam finierunt; & qui ei adiumentum attulerunt, in omnibus rebus à Deo adiuti, & multis bonis cumulati sunt. Cap. XXVI.

ILLVD

LLVD quoque est maximũ veritatis nostræ fidei testimonium, quòd penè omnes, qui eam persecuti sunt, ad finẽ suæ vitæ miserrimè peruenerunt; quiq; illi adiumentũ attulerunt, suisq; studijs complexi sunt, illorũ regna, & imperia prospera fuerunt. Penè omnes, inquã; nam (vt inquit S Augustinus) ita se habet in huius mũdi administratione Deus, vt neq; sceleratos omnes in hac vita pœnis afficiat, & illorum multi tamen supplicijs afficiantur. Nam si omnibus pœnas irrogaret, possent suspicari homines, omnia in hac vita finiri, & in futura nihil reliquum esse; quòd si nullum puniret, facilè sibi persuadere possent, nullam reperiri prouidentiã, quæ humana curaret. Diuina enim sapientia (quæ omnia ad suarum creaturarum bonum refert) nonnulla grauiter castigat, vt prouidentiam adesse homines intelligant; (& maximè ea, quę huiusmodi sunt, vt per se à Deo vindictã postulent) alia verò relinquit, quę in futura vita puniantur, quòd non omnia in hac vita cõcludantur. Quod in nonnullis Imperatoribus facilè cernitur, qui in hac vita meritas pœnas non dederunt, etiamsi Ecclesiam persecuti sint. Sed cùm hæc crudelitas, & sceleritas tanta esset, noluit diuina iustitia, vt multi alij in hac etiam vita impunè ferrent. In quo mirabiliter diuina prouidentia elucet.

Tyrannis enim tanquam ministris vtebatur, & instrumentis, quibus fides sanctę suæ Ecclesiæ ędificaretur Martyrum sanguine, & vt cælum illorum exercitu gloriosissimo exornaretur. Tyranni enim si non fuissent, neque Martyres fuissent: nisi fuisset Decius, neque Laurentius; & nisi fuisset Decianus, neque Vincentius; & nisi Herodes, neque Innocentes martyres. Quorum opera vbi vsus erat, hic & meritum pręmium tribuebat, vt fecit cum Nabucho-
Isa.10. donosor, quo tanquam virga sui furoris (vt inquit Isaias) vsus est, vt populum suum flagellaret. Quo confecto, virgam in ignem coniecit, scilicet funditus illius imperiũ euertit. Idem fecit penè cũ omnibus his tyrannis, quorum alij à dæmonibus raptati fuerunt, alij sibi mortem consciuerunt, alij à feris lacerati fuerunt, alij sibi suas carnes comederunt, alij in flumina proiecti, alij alio mortis genere interierunt. Sic scriptum legitur in martyrio nobilis virginis S. Euphemiæ, quòd cùm vellet iudex eam in carcere violare, statim à Dæmonio raptus est; & carnifex, qui eam iugulauit, statim à leone occisus est; sequenti verò nocte iudex, qui eam damnauit, furore plenus sibi suas carnes comedendo perijt. Quod multos infideles tam Hebræos, quàm Gentiles ad Christianam fidem excitauit.

Eodem modo penè omnes Imperatores, qui Sanctos occiderunt, miserrimè perierunt. Ex quibus primus fuit Herodes, qui vt puerum Iesum interficeret, Innocentes interfecit; cuius morbus, & mors fuit horribilissima, (vt Iosephus multis verbis scribit) & tandem vbi in balneo oculi de capite exiuerunt, vitam desperans, gladio sibi pectus confodit, & se ipse vita priuauit, iubens priùs, vt tertius suorum filiorum interficeretur, vbi & alios duos inter-
Act.12. fecerat. Secundus autem Herodes, qui S. Iacobum gladio percussit, & in carcerem coniecit S. Petrum, ab Angelo percussus fuit, & in vita (vt idem Iosephus, & S Lucas scribunt) à vermibus corrosus fuit. Tertius autẽ Ecclesiæ persecutor, qui Nero fuit, (qui S. Petrum & Paulum interfecit) cùm videret minimè fieri posse, vt è coniuratorum manibus effugeret, qui eum persequebantur,

tur,vt occiderent,hoc onere eos leuauit,sibi mortē consciscens. Quartus,qui Domitianus fuit,& S.Ioannem Euangelistam in exilium eiecit, suorum manibus interfectus est. Valerianus crudelis Ecclesiæ persecutor à Persarum rege in prælio deuictus est,& captus,cui oculos erutos voluit,& eo pro scamno, cùm in equum ascēdebat,vtebatur. Aurelianus suorum manibus perijt. Decius,qui S.Laurentium martyrio affecit,vnà cum suis interfectus est. Diocletianus crudelissima bestia, qui tanquam Deus coli voluit, eò perditionis & dementię peruenit, vt coronam & sceptrum dimittere,& vt vnus de populo viuere fuerit coactus. Maximianus illius collega,illud pariter dereliquit Imperium, & vt ille vitam agebat; cui neque sic viuere datum fuit. Maxentius enim illius filius, qui se ad imperium extollere cupiebat, Roma illum eiecit; vnde effugiens ad Constantini perfugium,qui illius gener erat,se recepit. Et cùm satis honestè fuisset acceptus,eum tradere conabatur: quod vbi resciuit, eum morte cum dedecore & ignominia affecit. Statuę enim & toreumata illius,vt abraderentur vbicunque essent iussit, & publicorum ędificiorum inscriptiones,quæ ab illo nomina sortita erant,mutari voluit. Illius autem filius Maxentius, vitiorum hæres,& patriæ crudelitatis,præcipuo miraculo,& diuina dispositione mortuus est. Cùm enim super quodam flumine pontem falsum effecisset prope Romam,vt Imperator Constantinus,vbi illum ascendisset,demergeretur in flumen; ille,vt homo inconsideratus,& immemor eorum,quę alijs parauerat,concitato equo illum ascendit,in flumen decidit,& perijt.

Maximinus quoque Ecclesiæ crudelissimus persecutor, ab eodem Constantino in acie deuictus est,& effugit cum ijs,qui aquam ad exercitum ducebant. Quamobrem in augures maxima concitus ira,qui illi victoriam polliciti erant,occidēdos iussit. Pręter hanc autem ignominiam grauissimo morbo eum Deus affecit, cùm illius intestina tumida fierent,& putrescerent, & in pectore vlcus efficeretur,quod paulatim serpebat,& latius fiebat præter reliqua,quæ in toto corpore illi erāt,à quibus vermium riuuli emanabant:à quo tam grauis fœtor exibat,vt ipsi chirurgi nedum cęteri homines ad eum accedere molestissimè ferrent. Cùm autem videret suos Medicos sibi remedium & auxilium ferre non posse, imò ab eo se subtrahere propter nimium fœtorem ab eo promanantem,ex illis multos occidendos voluit. Ex quibus vnus ad illum se recepit potiùs, vt iugularetur, quàm vt illum curaret, & diuino numine afflatus ei dixit: Cur erras Imperator, cùm putes fieri posse, vt homines ea peruertant, quę disposuit Deus ? Hic tuus morbus non ab homine est,nec homines eum curare possunt. Recordare quomodo Dei seruos tractaueris, quamq; illis te crudelem præstiteris,qui illum colebant: ita fiet, vt intelligas,à quibus subsidium tibi petendum sit. Ego enim potero, vt alij, mortem oppetere;at tu Medicorum opera pristinam valetudinem minimè consequeris. Tunc Maximinus se colligere cœpit, & se hominem cognoscere, & memoria repetere,quæcunque mala perpetrasset,& se errasse fateri. Tandem visum amisit, & suorum scelerum turpitudinem cognoscens, afflicta morte vitam finiuit sceleratam.

Licinius item,qui in Oriente dominabatur Cōstantino Imperatore, non minùs crudeliter quàm sui maiores Ecclesiam affligebat, qui cum Constan-

tino pugnās ab eo in acie occisus est. Post hos Iulianus Apostata (qui alijs nouis artibus tetrius bellū cum Ecclesia gessit) paucis diebus Imperiū cum vita terminauit, in bello contra Persas interfectus, exercitum in maximo periculo relinquens, vt neque augures, neque Dij, neque incantationes, quibus maximè fidebat, quidquam illi prodessent. Valens autem Arrianus, Catholicorum acerrimus hostis, in prælio aduersus Gotthos ab illis dispersus fuit, qui se in humili casa abdidit, quam combusserunt, & ita miserè, vt illius opera merita erant, mortuus est.

Hi fuerunt fines, & infortunia eorum, qui contra Christianam religionem arma tulerūt; quod non debile argumentum est illius veritatis, & sanctitatis.

Idem argumentum confirmatur prosperis rebus, & victorijs Imperatorū, qui eam honorârunt, & venerati sunt. Ex quibus omnibus spectatissimus fuit Constantinus Imperator, qui tantopere Christū honorauit, & ita fuit à Christo adiutus, & fortunatus, vt inter se contendisse videantur, alter, vt Christo seruiret; Christus, vt Constantino gratias concederet, cui omnia felicissimè cesserunt. Is enim primùm diuersis prælijs tres deuicit Imperatores, qui ei rebellârunt, qui fuerunt Maximinus, Licinius, & Maxentius. Post has victorias subiugauit Sarmatas, & Gotthos in suis terris; & omnes gētes barbaras, pręter illas, quę sibi amicę erant, ad suum imperium adiunxit, & nonnullæ sine bello se illi dediderunt. Quò enim humiliorem se Deo præbebat, eò plures gentes sub illius imperio collocabat. Quid autem de duobus Theodosijs dicam, de maiori, qui valde catholicus & religiosus fuit? qui non armis solùm, verùm etiam clarissimis miraculis in acie tyrannos superauit, qui ad imperium se extollere conabantur, vt pluribus verbis in Tripartita historia narratur.

In hoc numero haberi potest Heraclius Imperator, qui cùm Imperium armis Cosdroes Persarum regis satis dirutum inuenisset, ad eam angustiam peruenit, vt ab ipso rege pacem peteret; qui superioribus victorijs elatus, eam concedere noluit. Tunc tam bonus Imperator tantis in angustijs positus, & cōstitutus in vitę discrimine vnà cum Imperio, se in tutum portum omnium remediorum recepit, qui Deus & Dominus noster est; & ab eo ieiunijs, & deuotis orationibus fauorem, & gratiam procurauit: his autem armis munitus hostem aggressus est, & tribus prælijs, in quibus cum illo pugnauit, semper victor fuit. Ex quo ille barbarus dissipatus, sese in fugam secundùm flumen Tigrim dedit, & filium minorem suum sibi collegam in imperio delegit. Quare iniuria affectus maior filius, patrem vnà cum filio minore occidit, ita disponente Deo, vt multa Christianorum millia, ab eo in terra sancta interfecta, vlcisceretur. Hic autem filius maior Persarum regnum ab Heraclio Imperatore suscepit, vnà cum pace, quam illius pater concedere noluit, & Imperio restituit prouincias, quas illius pater occupauerat. In hac ipsa historia facilè cernuntur boni & catholici Imperatoris secundę res, & Christi persecutoris, & Christiani sanguinis effusoris aduersæ. Nihil enim peius accidere potest, quàm vitam illius manu amittere, cui ipse dederat vitam, cùm illum genuit: & æquum erat, vt filius à patre deficeret, cùm pater in suum Creatorem insurrexisset, qui verus pater est.

Ex quibus rebus omnibus facilè cernitur, quàm vera sit illa Domini sen-
1.Reg.2 tentia, quę inquit: *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem conte-*

munt me, ignobiles erunt. Hanc autem partem vt concludā, illud affirmo, quòad cætera nostræ fidei testimonia adiungi possunt calamitates quoque, & infortunia eorum, qui eam persecuti sunt; & res secundæ, prosperitates, & gratiæ cælestes illorum, qui eam sunt venerati. Solet enim Deus sæpe improborum hominum pœnis, & supplicijs, & proborum prosperitatibus, & gratijs, veritatis testimonium afferre.

DE DECIMAQVINTA RELIGIONIS CHRIstianæ præstantia, quæ est, multis, & magnis miraculis confirmatam esse. Cap. XXVII.

POST sanctorum Doctorum, & Martyrum testimonium, aliud maius sequitur, quod est miraculorum testimonium. Quamobrem sciendum est, quòd diuina prouidentia, (quæ omnia disponit suauiter, & ordinat numero, pondere, & mensura, id est, summa æquitate, & sapientia) non debebat obligare hominem vt crederet ea, quæ sunt super omnes rationes, & super omnes naturæ leges, sine medijs efficacibus, & ad id credendum accommodatis. Per media enim supernaturalia ea probanda sunt, quę omnem naturæ facultatem superant. Hæc autem media sunt miracula, & prophetiæ, de quibus hîc locuturi sumus. Miracula enim sunt solius Dei opera, qui creaturis, quas ipse creauit, leges imposuit; quas nemo mutare potest, nisi qui eas tulit. Et hoc est miracula facere, vt igni iubere, ne comburat, vt egit cum illis tribus pueris in camino Babyloniæ impositis; & aquæ iubere, ne in decliue fluat, vt fecit cùm Iordanis aquas continuit, vt suus populus per eum siccis pedibus transiret. Sap. 8. Dan. 3. Iosue 3.

Hęc autem miracula sunt argumēta ita firma, vt nulla demonstratio mathematica cum his conferri possit. Cùm enim fit miraculum, vt confirmetur doctrina, quæ prædicatur, compertissimum est, huius veritatis Deum esse testem: cùm nemo præter Deū, vel Sanctos per illum, miracula facere possit. Et Dei testimonium alia omnia veritatis testimonia facilè vincit. Inde proficiscitur multorum fides, & veri Dei cognitio, vt multis tum veteris, tum noui Testamenti exemplis facilè apparet. De Naaman Syriæ principe leproso legitur, quòd cùm Eliseus eum subitò sanaret à lepra, sanauit etiam à grauiori morbo, qui erat infidelitatis lepra. Ab hoc enim tam euidenti miraculo conuictus, solum Israelis Deum verum esse Deum fassus est, seque in posterum illum esse vnum adoraturum. Nabuchodonosor Babyloniæ rex, vbi tres pueros iussit in camino ignis imponendos, & vidit nullam lęsionem accepisse, neque in corporibus, neque in vestimentis, non solùm hoc tanto miraculo credidit Israelis Deum verum esse Deum; sed generale edictum per totum imperium misit, quo iubebat, eum morte multandum, & illius domum funditus tollendam, qui eum blasphemaret. Et ipse vbi vidit Danielem somnium narrauisse, quod oblitus erat, & illud interpretatum esse, eandē agnouit veritatem, inquiens: *Verè Deus vester, est Deus deorum, & Dominus regum.* Idē Dario vsu venit, qui in hac monarchia Nabuchodonosor successit. Nam cùm ab hominibus peruersis, & inuidis adductus esset, vt Danielem in lacu leo- 4. Reg. 5. Dan. 3. Dan. 2.

leonum imponeret; & cùm videret noctis & diei partem esse elapsam, & nihil tamen damni accepisse Danielem, sic veri Dei potentiam agnouit, vt regale scriptum per totum suum Imperium miserit his verbis: *Pax vobis multiplicetur. A me constitutum est decretum, vt in vniuerso imperio & regno meo tremiscant, & paueant Deum Danielis: ipse est enim Deus viuens & æternus in secula: & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsque in æternum. Ipse liberator atque saluator, faciens signa & mirabilia in cælo & in terra.*

Dan 6.

Hæc sunt veteris Testamenti exempla: in nouo autem inter multa alia, illorum habemus exempla, qui in Saluatorem crediderunt, vbi eum Lazarum quatriduanum resuscitauisse à mortuis viderunt. Sic & Nicodemus credidit, cùm Christum magistrũ de cęlo venisse confessus est, vbi miracula vidit, quæ ipse faciebat. Sic etiam regulus statim credidit, vt audiuit dixisse Saluatorem, Vade, quia filius tuus viuit; & statim filius fuit sanus.

Ioan. 11. Ioan 3. Ioan 4.

Id omne eò spectat, vt intelligamus, miracula esse media ad fidei nostræ veritatem sufficienter probandam accommodata; & ad inuitandos homines ad credendũ, aut si iam credunt, ad eos in fide confirmandos, quod magnum bonum est, vt postea dicemus. Quamobrem sapientes verum miraculum maximi faciunt. Et ex illorum vno audiui, cùm diceret, se libenter vsque Hierusalem iturum, vt vnicum miraculum videret. Ego autem Deo fretus spero fore, vt hîc non vnum, sed plura, non minùs certa, quàm quæ oculis cernuntur, absque labore ante legentium oculos proponam.

Et licet veritas, quæ hoc testimonio comprobatur, omnem humanam rationem, & intelligentiam superet; non tamen eo fit, vt ei fides minimè præstanda sit, propter infallibile auctoritatis testimonium, quod eam comprobat, qui Deus est huius miraculi effector. Quod in sanctorum Magorum adoratione apertissimè cernitur. Cùm enim vsque ab Oriente ad illum nouũ Iudæorum regem adorandum venissent, cùm domum nullam apparatam viderent, vbi ipse commoraretur, neque comites, neque famulos, neq; aliud quod esset regium, imò tantam humilitatem, tantam paupertatem, quantam in eo loco repererunt; tamen humi prostrati summa veneratione puerum linteis pauperrimis inuolutum adorârunt, & illi munera, quę secum portabant, obtulerunt. Quomodo igitur potuerunt tam sapientes viri rem ita omnibus rationibus, & humanæ prudentiæ contrariam credere? Illud compertum est, quòd, quando aliud maius testimonium habebant, quàm stella erat, quæ ducebat eos, vnde illum esse stellarum Dominum, cui stellæ seruiebant, & testabantur, intellexerunt.

Matth 2.

Sed antequam ad miraculorum narrationem accedam, Christianũ lectorem admonitum volo, quòd licet miracula, quatenus talia, sint (vti diximus) argumenta ad nostros intellectus conuincendos sufficientia, & ad obligãdos ad credendum: tamen pręcipuo Dei concursu, & gratia opus est, vt hanc fidem complectamur. Illa enim cùm Dei donum sit, (vt Apostolus testatur) necesse est, vt nostrum intellectum contingat, & eum in captiuitate & subiectione ponat, vt quæ fidei sunt humiliter complectatur. Inde fit, quòd licet multi Saluatoris, & Apostolorũ miracula viderunt, tamen non crediderunt: quòd sua malitia obcęcati, non ita se disposuerunt, vt hunc pręcipuũ Dei contactũ reciperent.

Digitized by Google

perent. Quamobrē, qui miracula leget, quæ hîc narraturus sum, nō curiosè ea legat, sed humilitate, & pietate; vt ita mereatur, cui Deus hac ratione fidem, quā acceperat, adaugeat, & perfectam reddat, qui inæstimabilis thesaurus est.

Hic quoque animaduertendum est, quòd fides duplex est: Altera infusa, (de qua iam tractauimus) quæ illa est, quam Spiritus sanctus in nostras infundit animas. Altera humana est, quæ est illa fides, quam hominibus, & humanis rationibus præstamus. Illud præterea sciendū est, quòd in fide infusa non adest medium, quod in virtutibus moralibus reperitur, quemadmodum neque in charitate reperitur. Nam cùm non sit in Deo amando neque modus, neque medium, neque in credendo inest; quò enim magis amabimus, magisq; credemus, eò nostra charitas, & fides perfectior erit. In fide verò humana, vt in cæteris moralibus virtutibus, inter duo extrema medium inest, vt in liberalitatis virtute, quæ inter auaritiam, & prodigalitatē consistit, cernitur. Sic igitur hæc humana fides, de qua tractamus, media inter duo extrema est, quæ sunt credulitas, & incredulitas: in quarum medio humana fides cōsistit, quod medium tam in hac, quàm in cæteris virtutibus, prudentia ponit, quæ est (vt S. Bernardus eam vocat) cæterarum virtutū abbatissa: illas enim regit, & medium, in quibus virtutes consistant, docet. Hæc autem duo extrema, quæ sunt credulitas, & incredulitas, ambo vitiosa sunt. Facilè enim omnia credere, vitium est; & nihil credere, vitium est, cùm res huiusmodi est, vt per prudentiæ regulas fide digna sit. Ex quibus vitijs extremum, quod incredulitatis est, sic video in sacra scriptura reprehendi, vt Saluator (cùm sit mansuetudinis perfectissimum exemplar) cōtra hoc vitium valde cōmotus sit, & dixerit: *O generatio incredula & peruersa, quousque ero vobiscum? vsquequo patiar vos?* Matt. 17.
Et S. Marcus illorum incredulitatem reprehendit, qui testimonijs suæ resurrectionis fidem non præstiterunt. Apostolus verò in Epistola ad Hebræos eos admonet, vt diligenter caueāt, ne quid incredulitatis in eis sit, inquiens, quòd propter hoc peccatū Deus iurauit, eos qui ei increduli forent, in terram promissionis minimè ingressuros: & sic omnes in deserto mortui sunt. In hunc errorem permisit Deus vt caderet S. Thomas Apostolus ad nostræ fidei confirmationem. Nam cùm omnes illius socij dixissent, vt qui id oculis vidissent, se Christum resuscitatum vidisse, erat quidem omni rationi consentaneum, vt illis fidem præstaret; eò magis, quòd paulò ante ipse Lazarum à Christo resuscitatum vidisset. Rationem, cur hoc vitium tantopere vituperetur, illam esse censeo, quòd à multa malitia, & pauca fide proficiscitur. Malitiæ enim est, credere omnes homines mentiri, & miracula fingere; & à fidei paucitate proficiscitur, nō credere, quæ fides nostra proponit. Nam quemadmodum de homine, quem studiosum esse existimamus, quidquid virtutis de eo dicitur, credimus: sic Christiano, qui firmus est in fide nostrorū mysteriorum, & miraculorum, quibus illa fundata fuit, durum non videtur alia miracula illis similia credere, quæ antea credidit.

(Marginal references: Mar 16. Heb. 3. Ioan 20.)

Nunc autem propter hanc causam, qui non errare cupit, debet prudentiæ iudicium sequi, & non leuiter, & temere credere, (quod vnum extremū vitiosum est) neq; vt hoc extremum fugiamus, debemus in eius contrariū, hoc est, in infidelitatem incurrere, (in quo maius periculum versatur) nam (vt dicitur) ne decidas in Scyllam, cupiens vitare Charybdim; & hæc fugiens, credat

Aliud autem miraculum huic simile, fuit Spiritus sancti die Pentecostes aduentus in visibili forma, aeris scilicet & ignis, & magno sonitu discipulis linguarum totius mundi donum afferentis. Hoc enim dono accepto, hi cœperũt loqui magnalia Dei. De hoc miraculo inquit S. Lucas fuisse testes omni- Actor. 2. um nationum gentes, quæ sub cælo sunt, quæ tunc Hierusalem morabantur. Cum enim Assyriorum rex, qui mundi monarcha erat, decem tribus Israel in captiuitatem duxit, paulatim in omnes orbis terrarum gentes se distribuerunt, & sic illarum linguas didicerunt. Qui autem ex ijs Deum colebant, & in idololatrarum societate se minimè contaminarant, se Hierusalem contulerunt, vt ibi habitarent, vbi sacrum templum erat, vbi solũm sacrificium offerri poterat, & agni Pascha celebrari. *Hi omnes* (inquit S. Lucas hoc miraculo Actor. 2. viso) *stupebant, & mirabantur dicentes: Nónne ecce, omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt, & quomodo audiuimus vnusquisque linguam nostrã, in qua nati sumus?* Narrat præterea Euangelista nominatim omnes nationes hominum, quæ illic interfuerunt.

Vt autem id verum habeatur, memoria tenenda est eadem ratio, quam de Eclipsi adduximus: Nã si falsum dixisset, contra se habuisset Euangelista omnes totius orbis terrarũ nationes, quæ quidem dixissent: Quàm manifestum mendacium hoc est? nam ego, & ille, & ille eramus Hierusalem, quo tempore hæc accidisse dicuntur, (quod fuit anno decimooctauo imperij Tiberij Cæsaris) nihil tamen huiusmodi accidit vnquam. Quo quidem Euangelista omnẽ Euangelij fidem resignâsset. Quod (vt dixi) in humanam mentem cadere nõ potest. Quamobrem iure optimo hoc inter præcipua nostræ religionis miracula ponimus, & ad eam propagandã satis accommodatũ. Nam si Saluator volebat, vt in toto terrarũ orbe prædicaretur Euangelium, idqúe discipulis mandauit, (vt dicunt Euangelistæ) maximè conueniens, & necessarium erat, vt illis omnium linguarum notitiam tribueret, vt vbique illud prædicare possent. Quamobrem, vt diuina prouidentia disposuit, vt tunc vniuersalis pax in vniuerso terrarum orbe esset, & omnia Romano Imperio subiecta essent, & totius orbis vnicus fieret populus, vt hac ratione liberè in omnes gentes Euangelium curreret; (nam si regna ita diuisa fuissent, vt hoc tempore sunt, id minimè fieri potuisset) sic quoque necesse erat, vt Euangelij prædicatores omnes linguas scirent, vt illud in omnibus nationibus prædicarent. Hoc enim pacto & per hæc media, diuina prouidentia sua disponit, & ad finem dirigit. Et propter hanc causam mundum pacatum reddidit, vt per eum prædicatio curreret; & linguas prouidit, vt in omnibus gentibus prædicaretur.

Crucis miracula.

POST hæc miracula, Eclipsis in passione Christi, & Spiritus sancti aduentus, non erit æquum Crucis miracula, in qua Redemptor passus est, silentio præterire. Cùm enim ipsa sit signum atque vexillum, quo summus Rex de huius mundi principe triumphauit, & bacu- Gen. 3. lus, quo veteri serpenti caput contriuit, vt ab origine mũdi prædictum fuit; non erat consentaneum, vt sine honore hoc diuinum instrumentum, quo ad nostram salutem vsus est Redemptor, relinqueretur, vt ostenderet, quanta gloria sub illa ignominia subesset. Primùm autem satis notũ est miraculum,

quod

quod in Crucis inuentione apparuit. Cùm enim cum duorum latronum crucibus esset sepulta, minimè sine miraculo internosci poterat, ob id pristinã valetudinem cuidam nobili mulieri, iam animam expiaturæ, restituit.

Illud quoque compertissimum est miraculum, quod in exaltatione accidit, cùm eam ipse Imperator Heraclius suis humeris Cæsareo habitu indutus ferebat. Nam vbi peruenit ad portam, quà ipse Saluator cum eadem Cruce transiuit, vlterius progredi nequiuit, donec Cæsareas vestes deposuit, & humili habitu indutus est.

Neque minus est Crucis miraculum, quam vidit Constantinus cum toto suo exercitu, cum his literis in cælo positam meridiem versus: Constantine IN HOC SIGNO VINCES. Eusebius autem scribit, se audiuisse ab eodem Imperatore, cùm hoc miraculum coram multis ipse narraret, & id verũ esse iuramento affirmaret. Et sine hoc testimonio satis est ipsius Imperatoris mirabilis conuersio, cùm omnes Romani Imperatores illius antecessores idololatræ fuerint, & Christi nominis persecutores: at is eũ adorauit, & pro vero Dei filio recognouit, & illius tẽpla ædificauit, & multis diuitijs exornauit, & illius sacerdotes veneratus est, & hoc glorioso signo sua vexilla exornauit, & eo tres Imperatores tribus diuersis prælijs deuicit, & multas barbaras nationes suo Imperio subiugauit. Hæc autem tanti Monarchæ cõuersio, qui omnia idola, quæ illius antecessores adorârunt, relinquens, pro vero Deo, & cæli & terræ Creatore recepit hominem flagellatum, crucifixum, & pro filio fabri lignarij habitũ, huius miraculi veritatẽ testatur. Fieri enim non posset, vt hæc tanta cõuersio fieret, nisi hæc singularis veritatis fidei confirmatio extitisset.

Ad quæ miracula aliud quidem addam compertissimum, & tam verũ, vt nulla falsitas ei opponi possit vt negetur, quod quidem accidit Constantino Imperatore filio illius Magni Constantini, de quo diximus: quod miraculũ scribit Cyrillus Hierusalem Patriarcha huic Imperatori his verbis:

Religiosissimo Imperatori Constantino Cyrillus Hierusalem Episcopus optat salutem in Domino. Hanc primam epistolam tibi de ciuitate Hierusalem mitto religiosissime Imperator, quam meritò tibi mittere debui, tuqúe eam recipere, non assentationum, sed de cęlo signorum plenam, quæ te Imperatore in hac ciuitate Hierusalem acciderunt. Neque id, vt nouam tibi Dei cognitionem compares, quam iam diu habes; sed vt magis in ea te confirmes, & cùm à tuo patre Imperij hæreditatem acceperis, cum'q; ille cælestibus coronis fuerit à Deo exornatus, dignè illi gratias agas; & vt maiori confidentia tuum imperium administres, ac tuorum inimicorum sis victor, cùm videas miracula, quæ tuis temporibus Deus fecit, & per ea, te ab eo amari cognoscas. Profectò memoria tenere debes tempus, quo tuo patre religiosissimo Imperatore Hierusalem gloriosum Crucis signum repertum est: nunc autem te imperante, voluit Deus pro tua summa religione & pietate magnum miraculũ facere, cùm hoc gloriosum signum in cælo maximo cum splendore apparuerit. Nam his sanctis Pentecostes diebus pridie Non. Maij, hora diei tertia, Crux satis magna apparuit, quæ tota ex luce constabat, quæ à sanctissimo Golgothæ loco, vbi Christus Dominus crucifixus est, vsque ad montem Oliuetum se extendebat; & visa fuit non ab vno, sed à tota huius ciuitatis multitudine; neque ita apparuit, vt subitò euanesceret, imò per multas horas

Xx coram

Aliud autem miraculum huic simile, fuit Spiritus sancti die Pentecostes aduentus in visibili forma, aeris scilicet & ignis, & magno sonitu discipulis linguarum totius mundi donum afferentis. Hoc enim dono accepto, hi cœperũt loqui magnalia Dei. De hoc miraculo inquit S. Lucas fuisse testes omnium nationum gentes, quæ sub cælo sunt, quæ tunc Hierusalem morabantur. Cùm enim Assyriorum rex, qui mundi monarcha erat, decem tribus Israel in captiuitatem duxit, paulatim in omnes orbis terrarum gentes se distribuerunt, & sic illarum linguas didicerunt. Qui autem ex ijs Deum colebant, & in idololatrarum societate se minimè contaminarant, se Hierusalem contulerunt, vt ibi habitarent, vbi sacrum templum erat, vbi solùm sacrificium offerri poterat, & agni Pascha celebrari. *Hi omnes* (inquit S. Lucas hoc miraculo viso) *stupebant, & mirabantur dicentes: Nónne ecce, omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt, & quomodo audiuimus vnusquisque linguam nostrã, in qua nati sumus?* Narrat præterea Euangelista nominatim omnes nationes hominum, quæ illic interfuerunt.

Actor. 2. Actor. 2.

Vt autem id verum habeatur, memoria tenenda est eadem ratio, quam de Eclipsi adduximus: Nã si falsum dixisset, contra se habuisset Euangelista omnes totius orbis terrarũ nationes, quæ quidem dixissent: Quàm manifestum mendacium hoc est? nam ego, & ille, & ille eramus Hierusalem, quo tempore hæc accidisse dicuntur, (quod fuit anno decimooctauo imperij Tiberij Cæsaris) nihil tamen huiusmodi accidit vnquam. Quo quidem Euangelista omnẽ Euangelij fidem resignâsset. Quod (vt dixi) in humanam mentem cadere nõ potest. Quamobrem iure optimo hoc inter præcipua nostræ religionis miracula ponimus, & ad eam propagandã satis accommodatũ. Nam si Saluator volebat, vt in toto terrarũ orbe prædicaretur Euangelium, idque discipulis mandauit, (vt dicunt Euangelistæ) maximè conueniens, & necessarium erat, vt illis omnium linguarum notitiam tribueret, vt vbique illud prædicare possent. Quamobrem, vt diuina prouidentia disposuit, vt tunc vniuersalis pax in vniuerso terrarum orbe esset, & omnia Romano Imperio subiecta essent, & totius orbis vnicus fieret populus, vt hac ratione liberè in omnes gentes Euangelium curreret; (nam si regna ita diuisa fuissent, vt hoc tempore sunt, id minimè fieri potuisset) sic quoque necesse erat, vt Euangelij prædicatores omnes linguas scirent, vt illud in omnibus nationibus prædicarent. Hoc enim pacto & per hæc media, diuina prouidentia sua disponit, & ad finem dirigit. Et propter hanc causam mundum pacatum reddidit, vt per eum prædicatio curreret; & linguas prouidit, vt in omnibus gentibus prædicaretur.

Crucis miracula.

POST hæc miracula, Eclipsis in passione Christi, & Spiritus sancti aduentus, non erit æquum Crucis miracula, in qua Redemptor passus est, silentio præterire. Cùm enim ipsa sit signum atque vexillum, quo summus Rex de huius mundi principe triumphauit, & baculus, quo veteri serpenti caput contriuit, vt ab origine mũdi prædictum fuit; non erat consentaneum, vt sine honore hoc diuinum instrumentum, quo ad nostram salutem vsus est Redemptor, relinqueretur, vt ostenderet, quanta gloria sub illa ignominia subesset. Primùm autem satis notũ est miraculum, quod

Gen. 3.

quod in Crucis inuentione apparuit. Cùm enim cum duorum latronum crucibus esset sepulta, minimè sine miraculo internosci poterat, ob id pristinā valetudinem cuidam nobili mulieri, iam animam expiraturæ, restituit.

Illud quoque compertissimum est miraculum, quod in exaltatione accidit, cùm eam ipse Imperator Heraclius suis humeris Cæsareo habitu indutus ferebat. Nam vbi peruenit ad portam, quà ipse Saluator cum eadem Cruce transiuit, vlterius progredi nequiuit, donec Cæsareas vestes deposuit, & humili habitu indutus est.

Neque minus est Crucis miraculum, quam vidit Constantinus cum toto suo exercitu, cum his literis in cælo positam meridiem versus: Constantine IN HOC SIGNO VINCES. Eusebius autem scribit, se audiuisse ab eodem Imperatore, cùm hoc miraculum coram multis ipse narraret, & id verū esse iuramento affirmaret. Et sine hoc testimonio satis est ipsius Imperatoris mirabilis conuersio, cùm omnes Romani Imperatores illius antecessores idololatræ fuerint, & Christi nominis persecutores: at is eū adorauit, & pro vero Dei filio recognouit, & illius tēpla ædificauit, & multis diuitijs exornauit, & illius sacerdotes veneratus est, & hoc glorioso signo sua vexilla exornauit, & eo tres Imperatores tribus diuersis prælijs deuicit, & multas barbaras nationes suo Imperio subiugauit. Hæc autem tanti Monarchæ cōuersio, qui omnia idola, quæ illius antecessores adorârunt, relinquens, pro vero Deo, & cæli & terræ Creatore recepit hominem flagellatum, crucifixum, & pro filio fabri lignarij habitū, huius miraculi veritatē testatur. Fieri enim non posset, vt hæc tanta cōuersio fieret, nisi hæc singularis veritatis fidei confirmatio extitisset.

Ad quæ miracula aliud quidem addam compertissimum, & tam verū, vt nulla falsitas ei opponi possit vt negetur, quod quidem accidit Constantino Imperatore filio illius Magni Constantini, de quo diximus: quod miraculū scribit Cyrillus Hierusalem Patriarcha huic Imperatori his verbis:

Religiosissimo Imperatori Constantino Cyrillus Hierusalem Episcopus optat salutem in Domino. Hanc primam epistolam tibi de ciuitate Hierusalem mitto religiosissime Imperator, quam meritò tibi mittere debui, tuqúe eam recipere, non assentationum, sed de cęlo signorum plenam, quæ te Imperatore in hac ciuitate Hierusalem acciderunt. Neque id, vt nouam tibi Dei cognitionem compares, quam iam diu habes, sed vt magis in ea te confirmes, & cùm à tuo patre Imperij hæreditatem acceperis, cumq́ ille cælestibus coronis fuerit à Deo exornatus, dignè illi gratias agas; & vt maiori confidentia tuum imperium administres, ac tuorum inimicorum sis victor, cùm videas miracula, quæ tuis temporibus Deus fecit, & per ea, te ab eo amari cognoscas. Profectò memoria tenere debes tempus, quo tuo patre religiosissimo Imperatore Hierusalem gloriosum Crucis signum repertum est: nunc autem te imperante, voluit Deus pro tua summa religione & pietate magnum miraculū facere, cùm hoc gloriosum signum in cælo maximo cum splendore apparuerit. Nam his sanctis Pentecostes diebus pridie Non. Maij, hora diei tertia, Crux satis magna apparuit, quæ tota ex luce constabat, quæ à sanctissimo Golgothæ loco, vbi Christus Dominus crucifixus est, vsque ad montem Oliuetum se extendebat; & visa fuit non ab vno, sed à tota huius ciuitatis multitudine; neque ita apparuit, vt subitò euanesceret, imò per multas horas

coram omnibus perdurauit, idq; maiori splendore, quàm sit Solis splendor; nam si non sic se habuisset, Solis splendor, qui Lunæ & stellarum splendorem tollit, hanc quoque lucem extinxisset, ita vt minimè cerni potuisset. Qua de causa omnes ciuitatis habitatores, partim timore, partim lætitia affecti, viri, & fœminæ, senes, & pueri, puellæq; clausæ, ad ecclesiam cōcurrerunt; & tam indigenæ, quàm aduenæ, tam Christiani, quàm gentiles, & diuersarum sectarum, qui tunc illic erant, omnes vna voce laudabant & confitebantur Christum Redemptorem nostrum verum Dei filium, & miraculorum operatorē; re ipsa cognoscentes, Christianam religionem non in verbis, & humanæ sapientiæ argumentis, sed in Spiritus sancti demonstratione, & omnipotentia fundatam, quam non solum hominum prædicatio testabatur, verùm etiam cælitus diuina testimonia confirmârunt. Quamobrem nos, qui in hac ciuitate habitamus, cùm tam magnum miraculum nostris oculis viderimus, summo Regi, & vnigenito eius Filio gratias agimus, & agemus, quem quidem adoramus, cui in hoc sancto loco pro tuo religioso Imperio preces fundimus. Nobisq; æquum visum est, hanc cælestem visionem non præterire silentio; sed de tam noua re tuam pietatem certiorem facere, vt huius miraculi memoria, fides & constantia, quæ iam in anima tua erga Iesum Christum nostrum Saluatorem est fundata, firmior perseueret: præterea, vt, cùm cognoscas Deum auxiliatorem, ab eo roboratus signum sanctæ Crucis imperatorium ad defensionem conserues. Hæc Cyrillus.

Quisnam homo futurus est, qui de hoc miraculo dubitare possit? Qui enim fieri poterat, vt tam celebris Patriarcha tanto Imperatori miraculum falsum conscribat, neque de re veteri, sed de recenti, & noua? Hoc enim nisi certissimum fuisset, Imperator offensus esset; & Patriarcha ipse sine fide, & maxima cum turpitudinis nota; & (quod magis est) tam multi testes adfuissent, qui eum mentiri affirmassent, quàm multi indigenæ & peregrini in illa magna ciuitate fuissent.

Ex miraculis autem Saluatoris nostri nonnulla fuerunt tam publica, & Ioan. 11. tam omnibus nota, vt hoc loco ea producere possemus: vt fuit Lazari resur-Mar 8. rectio; septem panibus quatuor millia hominum saturare, & septem reliqui-Matt 14. arum sportas superesse; aliâs quinque millia virorum, exceptis fœminis & pueris, quinque panibus, & duodecim cophinos plenos superesse. Cùm enim hæc miracula fuissent tam manifesta, Euangelistæ non ausi essent ea scribere, quæ cùm vera non essent tot contra se testes experti fuissent, qui tunc viuebant, ex quo Euangelij fidem resignassent, & suam doctrinam penitus (vt diximus) sustulissent.

Tandem Saluatoris miracula, tam multa fuerunt, tamq; omnibus nota, vt vel ipsi Iudæi ea negare non possent. Sic enim Iosephus testatur, qui ex illis fuit, vt postea dicemus, inquiens Christum miraculosa opera fecisse; & Hebræorum Rabini idem testantur in quodam libro ab eis scripto, de Iesu Nazareni generatione, qui inquiunt eum vnum mortuū resuscitauisse, & vnum claudum sanauisse; vt Nicolaus de Lyra contra eos disputans refert. Sed huius rei lepidam quandam causam adducunt. Inquiunt enim, quòd fœderis arca aliâs super lapidem stetit, & sub arca scriptū fuisse, quomodo Dei nomē ex quatuor literis pronuntiandum esset: & quòd Christus, cùm hac scriptu-

ra ede-

ra edoctus illud pronuntiare sciret, hæc miracula faciebat. Hoc est ex ijs mendacijs, quæ ipsi confingunt, cùm veritatẽ negare nõ possunt. Illud enim compertum est, Deum solum esse, qui per se, vel per suos Sanctos miracula facit; neque id, quòd literas nominis Dei quis pronuntiare sciat, sed Sanctorum fide, meritis & precibus. Aliam huius rei causam afferunt, quam, tum quòd est nimis longa, tum quòd ineptiarum plena est, hic ascribere nolui.

Miracula à sanctis Doctoribus relata.

POST hæc miracula narrabo alia, quæ nemo mentis compos, licet infidelis, iure negare poterit. Ex innumeris enim miraculis, quæ narrantur in Sanctorum Vitis (quibus nostra religio fundata est) pauca tantùm hic apponã: ex plurimis, quæ doctissimi, & sanctissimi, & grauissimi Patres se suis oculis vidisse testãtur. De huiusmodi enim viris (quorũ sanctitatem, & auctoritatem per scripta cognoscimus, vt fuerunt SS Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius, Cyprianus, Bernardus, & alij huiusmodi) quis sibi persuadere poterit, eos miracula finxisse; cùm id sit blasphemare, quod tãtopere ab illorũ sanctitate, & auctoritate abhorret?

Sed antequam ad miraculorum historiam veniamus, operæpretium erit explicare, quemnam fructum ab ijs nobis percipiendũ esse speremus, vt maiori voluptate, & vtilitate legantur. Quorum primus, & qui magis ad rem nostram facit, est fidei confirmatio, quæ in mundo illorum virtute accepta fuit, vt postea dicemus. Nam quemadmodum cùm clauum in aliquo ligno figere volumus, quolibet mallei ictu magis ille figitur: sic quodlibet miraculum est tanquam ictus, quo Spiritus sanctus fidei habitũ in animabus nostris firmiorem, & radicatiorem reddit: & quò miracula sunt plura, euidentiora, eò magis hic nobilissimus habitus fit robustior, quoad eò perueniat, vt oculis nos cernere faciat, & manibus cõtrectare nostræ fidei mysteria, quæ ipsa prędicat, quod inęstimabilem vtilitatem affert, vt postea dicemus.

Neque hic solus est miraculorũ fructus, vt nonnulli sibi persuadent: nam ad hunc alius quoque adiungitur. Sæpe enim Deus miracula facit, vt magnæ alicui seruorum suorum necessitati opem ferat, cui ipse solus remedium afferre potest, & vt aliquos morbos insanabiles curet. In quo illius bonitatis & misericordiæ maximè lucet magnitudo, & paterna prouidentia in illos, cùm de throno suæ maiestatis illorum necessitates memoria teneat, & supernaturale remedium afferat.

Alia miracula facit, vt suos Sanctos honoret, cùm velit, vt non solùm ossiũ reliquiæ, verùm etiam vestium fragmenta mirabilia efficiant, & morbos curent incurabiles: vt hoc indicio amoris magnitudo, quo in suos fideles seruos est affectus, intelligatur; & desiderium, quo eos honorare cupit, à quibus ipse honoratur, cùm hunc honorem non illis solùm tribuat, sed rebus etiam, quæ illorum corpora contigerunt. Hoc modo S. Pauli sudarium omnes morbos curabat: & aqua, in qua sanctus Eduardus Britãniæ rex manus abluerat, cæcis visum reddebat. Hic est miraculorum fructus satis admirabilis; in causa enim est, vt cognoscamus, quàm bonum Dominum, quàm amicum, & suis seruis fidelem habeamus; & piorum hominũ corda mouet ad amandum huiusmodi Dominum, qui tantopere suos seruos in hac vita etiam diligit, & bene tractat. Actor. 19.

ne tractat. Ex quo, quàm multa à tam potenti, & diuite Domino in futura vita speranda sint, facilè cognoscimus.

Ex hac igitur miraculorum lectione pius lector hos tres fructus maximè percipiet. Inter hęc autem primum locum ea, quæ Apostolus S. Paulus narrat, eos testes vocans, ad quos scribit, habebunt, quòd ea Deus inter illos opera-
1.Thes. 1. tus sit. Et sic scribens ad Thessalonicenses, inquit illis, vt memoria teneant, quòd sui Euangelij doctrina ad eos non fuit in sermone tantùm, sed etiam miraculis, & in virtute, & Spiritu sancto, qui in hac re interuenit. Apertius de hac
1.Cor 9 re scribit ad Corinthios, hoc argumento suum Apostolatum his verbis pro-
2.Cor. 12. bans: *Si alijs non sum Apostolus: sed tamen vobis sum, qui vidistis signa Apostoli facta super vos in omni patientia, in signis & prodigijs & virtutibus.* Sic igitur argumentor, vt superiùs argumentatus sum: Si, quod inquit Apostolus, non ita se haberet, ipsi sibi fidem abrogâsset, & affecisset dedecore: dixissent enim tum Thessalonicenses, tum Corinthij: Hoc apertissimum mēdacium est, quia inter nos nullū miraculum operatus es. Sed huius Apostoli res gestæ huiusmodi sunt, & tantæ, vt omnes miraculosæ fuerint. Miraculosa fuit illius conuersio, miraculosus prædicationis fructus, miraculosa in calamitatibus patientia, cùm septies diuersis locis, & regionibus, & temporibus fuerit cæsus, sæpe captus, in carcerem coniectus: & totidem vicibus Iudæi, & Gentiles eum persecuti sunt. Illius charitas in primis miraculosa fuit, cùm ille iureiurando affirmauerit,
Rom 9 se cupere anathema à Christo esse pro ijs, qui toties eum flagellârunt, & persecuti sunt. Tandem res huius Apostoli huiusmodi fuerunt, vt solæ (licet nullæ aliæ adessent) ad nostram fidem confirmandam satis essent, quod satis compertum erit ei, qui nostrum Sermonem in festo SS. Petri & Pauli legere voluerit.

Post hæc addam nobilissimum miraculum, quod S. Ioannes Chrysostomus in secunda ex quinque Homilijs contra Iudaicam obstinationē narrat. In cuius initio admiratur tantum gentium concursum, quæ ad concionem conuenerant, quam penè iam confecerat. Inter autem cætera notanda prętipuū miraculū refert, quod illius memoria accidit: cuius (inquit ille) omnes, qui tum aderant, poterant esse testes, quòd paucis ante annis acciderat. Illud autem fuit, quòd Iulianus Apostata (qui crudelitate omnes tyrannos suos antecessores facilè vicit) volebat, omnes Iudæos idolis suis sacrificare: ob id eis dixit, cur Deo non sacrificarent, vt antea veteribus temporibus solebāt. Hoc autem cupiebat, quòd sibi persuadebat facilè posse fieri, vt ex consuetudine sacrificandi Deo ad immolandum idolis eos induceret. Ad id responderunt, quòd extra Hierusalē sibi sacrificare non licebat, nisi maxima suæ religionis violatione, si in terra aliena sacrificarent. Quamobrem (dixerunt illi) si vis nos nostro Deo sacrificare, templum Hierusalem vt resarciamus, necesse est, & ibi altare erigamus: & tunc sacrificabimus, vt olim nostri patres facere solebant. Hoc illi Apostatæ adeò placuit, vt pro opere faciendo illis pecuniam suppeditauerit, & vnà cum illis ad id artifices comparandos curauit. Ad id vndique conuenerunt Iudæi, existimantes sibi has Imperatoris gratia & auxilio facile fore, vt Rempublicam vnà cum templo restaurarent, vt illis Cyro regnante post Babyloniæ captiuitatem accidit. Opere autē incepto fossis satis profundis apertis, vt ad tantam ædificationem opus erat, cùm iam ad parie-

parietes se accingerent, de fundamentis ipsis ignis exiuit, & artifices cum operarijs inde depulit, & opus inceptum interruptum est. Quod vbi resciuit Imperator, opus inceptum dimisit, licet id maxima cum diligentia curasset, veritus ne ille ignis in suum caput caderet. Quòd si nunc (inquit sanctus doctor) Hierosolymis essetis, in huius veritatis testimonium fundamenta aperta videretis. Cuius quidem rei omnes testes sumus: nostra enim memoria, neque multis antè annis id accidit. Illud animaduertendum est, quòd hoc miraculum non accidit cùm Imperatores Christiani erant, vbi quis suspicari poterat, id ab illis fuisse factum; sed tum, cùm omnia nostra iacerent maximè, & omnes libertate priuati essent, & in vitæ periculo versarentur; cùm idololatria maximè floreret, & Christiani partim per mõtes fugerent, alij domi abditi se continebant, neq; in aspectum prodire audebant. Hæc Chrysostomus.

Quis autem erit ille, qui suspicari possit, tantum doctorem, tantæque auctoritatis, & sanctitatis, coram tam multis, & tot testibus id dixisse, quod cùm verum non esset, quicunque affuissent, non solùm eum exsibilassent, sed fortasse lapidassent?

Hoc idem miraculum scribit Ruffinus pluribus verbis, qui ad hæc etiam addit, quòd fossis excauatis noctu, paulò ante lucem, cùm fundamenta iacere cœpissent, tantus terræmotus factus est, vt non solùm lapides, & omnem materiam, quę apud opus erat, in diuersas partes disiecerit; sed multa ciuitatis ædificia, & templi xysti, vbi Iudæi, qui operi inseruiebant, habitabant, corruerunt, & quotquot ibi erant occisi sunt. Vbi manè aduenit, visum est illis, qui illam calamitatem effugerunt, iam liberos esse. Omnes conuenerunt, vt mortuos subtraherent. Erat ibi quædam humilis casa apud xystos, qui conciderunt, vbi operarij sua ferramenta conseruabãt, & alia ad ædificationem accommodata, quo loco terribilis ignis subitò exiuit, & per mediam plateam cucurrit, & vndique percutiebat, & inflammabat, quotquot reperiebat. Quo modo ignis sæpe exiuit, & sæpe eodem die suis flammis infidelem populum puniendo. Quo timore, & horrore, qui superfuerunt, soli Iesu Christo sacrificandum esse confitebantur. Vt autem perspiceretur, eum effecisse hoc miraculum, & non videretur casu accidisse, sequenti nocte in illorum vestimentis Crucis signum apparuit ita firmum, & apertum, vt licet multi sua incredulitate vellent illud vel tegere, vel tollere, nulla arte, vel ingenio id facere potuerint. Hoc modo perterriti, non solùm ab incepto opere destiterunt, verùm etiam qui Hierusalem incolebant suas domos deseruerũt. Quod audiuit Iulianus; sed vt alter Pharao indurato corde in sua blasphemia perseuerauit. Eccl. histo. lib. 10 c. 11.

Hæc Ruffinus in priori libro, ex duobus, quos adiunxit ad historiã Ecclesiasticam Eusebij: qui scripsit hanc historiam tam omnibus notam, paucis annis pòst quàm accidit. Quo tempore minimè fieri poterat, vt quidquam fingeretur, quod cùm esset falsum, multos testes eorum, qui adhuc viui erant, cùm hoc miraculum contigit, contra se habuisset. Quantum verò hoc est nostrę fidei argumentum, & testimonium, cùm Danielis prophetia adimpleta sit, qui inquit, fore vt Hierusalem post Christi mortem deserta, & diruta esset, quæ ita vsque ad finem perduratura erat?

Alia duo miracula publica idem S. Chrysostomus narrat, quæ eodem tempore contigerũt. Alterum fuit, quòd huius Imperatoris quidam patruus, qui etiam Chryso. hō. 4 sup Mat. op. imperfect.

Digitized by Google

etiam Iulianus dicebatur, à vermibus corrosus mortuus est: & quidam pręcipuus Imperatoris domus minister, qui quæstorum erat præfectus, statim crepuit, & mortuus est. Huius autem rei causam historia Ecclesiastica scribit, & sic se habuit. Cùm hi duo Christianorum ecclesiam ingrederentur, quę multum argenti habebat, multaq; ornamenta, iusserunt, vt ad se afferrentur. Tunc ille perditus patruus turpiter in eis sedit, vt ea irrideret: alter autem Imperatoris minister, ostendens ecclesiæ argentum, eadem irrisione inquit: Respicite quibus vasis filio Mariæ seruiant. At impunè id minimè tulerūt. Hic enim statim euomuit, quidquid sanguinis in se haberet, & ita mortuus est: alter in eum morbum incidit, vt illius caro à vermibus corrosa fuerit. Cumq; nō possent Medici eum curare, quem altissimi dextera puniebat; illius vxor, quæ Christiana erat, illi dixit: Animaduertas domine hunc morbum ex alto tibi contigisse, quòd Christo iniuriam intulisti: & ob id ab ijs, quos offendisti, auxilium tibi petendū est. Ita hic Christi inimicus miserè suam vitam finiuit, à pœnis temporalibus ad ęternas transiens.

Hęc duo miracula hic sanctus Doctor coram populo, qui eum audiebat, vt quæ recenter contigerunt, & omnibus nota, prædicabat; vbi quod falsum erat mirimè dicere poterat, ne omnes illi cōtradicerent, si vera non extitissent.

Iam ad S. Hieronymum veniamus, qui maximum miraculum, & omnibus notum refert. Id fuit, quòd in monte Oliueto, vnde Ascensionis die glorioso ad cælum ascendit Saluator, voluit, vt suorum sacratissimorum pedum vestigia remanerent: cumq; inde quotidie terra vt pretiosæ reliquię auferatur, semper illa vestigia eandem figuram conseruant. Et addit præterea, quòd fideles eodem loco templum ædificârunt concameratū: at illam templi partem, qua Saluator ad cælum ascendit, nunquam tegere potuerunt, & ita semper sine tecto fuit. Hoc miraculum cognitione dignum in Vitæ sanctæ Paulæ scholijs est scriptum, & huius auctor citatur S. Hieronymus.

Idem S. Hieronymus in epistola ad nobilem fœminam nomine Lętam aliud magnum miraculū sic refert. Himetius nobilis eques Romanus, & virginis Eustochij patruus, cùm molestè ferret hāc suam propinquam nolle nubere; cumq; vellet tam illius sanctum consilium, quàm eius matris S. Paulæ desiderium vincere; suæ vxori, quæ Prętexta dicebatur, mandauit, vt virginem velaminibus exornaret, & aptè vestiret, & capillos pulchriores redderet. Cùm autem illa mulier hoc mariti iussum facere incepisset, in quiete illi Angelus terribili & horribili vultu apparuit, qui ita dixit: Cur mariti mandatum, quàm Christi pluris fecisti, quæ Dei virginis capillos sceleratis manibus contingere ausa fuisti? quę paulò pòst propter hoc peccatum arescent, vt hoc supplicio, quid feceris intelligas: & hinc quinque menses ad inferos perlata eris, & si in sententia perseueraueris, maritum, & filios amittes. Id omne, inquit sanctus Doctor, factum fuisse, vt dixerat Angelus: subdens, quòd ita defendit has pretiosas margaritas, quæ sunt virgines illi consecratæ. Id omne hic sanctus Doctor narrat.

Quis igitur erit tam sceleratus, qui sibi persuadeat, fieri posse, vt id fuerit fictum? præsertim cùm hę mortes, & huiusmodi casus fuerint multis noti, cùm non obscuræ personæ fuerint, quo tempore sanctus Hieronymus id scribebat?

Eandem materiam persequitur.

POST

POST S. Hieronymum ad gloriosum doctorem, & Ecclesiæ lumen S. Augustinum venimus, qui inter multa nostræ fidei testimonia, miraculorum quoq; testimonia adducit, & veteribus omissis, multa enumerat, quæ sua memoria gloriosi martyrum principis Stephani reliquijs acciderunt, quorum multis hic sanctus Doctor interfuit, vt quilibet videre poterit, qui in lib. 22. de Ciuitate Dei id legere voluerit.

Præter autem hæc vnũ satis præcipuum narrabo, quod ipse pluribus verbis refert. Inquit igitur: Venientes de transmarinis ego & frater meus Alipius, nondum quidem clerici, sed iam Deo seruientes, ad quendam cum domo sua tota religiosissimum venimus. Hic hospes curabatur à Medicis propter fistulas, quas numerosas atq; perplexas habuit in posteriore atq; ima corporis parte. Iam secuerant eum, & artis suæ cætera medicaméntis agebant. Passus autem fuerat in sectione illa & diuturnos & acerbos dolores. Sed vnus inter multos sinus fefellerat Medicos, atq; ita latuerat, vt eum non tangerent, quem ferro aperire debuerant. Visum est deinde Medicis, sine sectione curari non posse. Multa fuerunt super id à Medicis disputata, quæ breuitatis causa prætereo. Postea tot dies inaniter consumpti transierunt, vt fessi atque confusi faterentur, eum nisi ferro nullo modo sanari posse. Expauit, expalluit, nimio timore turbatus, & tota familia ita se lachrymis tradidit, ac si mortuus illorum dominus esset, & illius cura in crastinum diem dilata est. Visitabant eum quotidie sancti viri, Episcopus tunc Vzalensis, beatæ memoriæ Saturninus, & Presbyter Gelosus, ac Diaconi Carthaginensis ecclesiæ. In quibus erat, & ex quibus solus est nunc in rebus humanis iam Episcopus cum honore à nobis debito nominandus Aurelius, cum quo recordantes mirabilia opera Dei, de hac re sępe collocuti sumus, eumq; valde meminisse, quod commemoramus inuenimus. Qui cùm eum sicut solebant vespere visitarent, rogauit eos miserabilibus lachrymis, vt manè dignarentur esse præsentes suo funeri potiùs quàm dolori. Tantus enim eum metus ex prioribus inuaserat pœnis, vt se inter Medicorum manus non dubitaret esse moriturum. Consolati sunt eum illi & hortati, vt in Deo fideret, eiusqúe voluntatem viriliter ferret. Inde ad orationem ingressi sumus. Vbi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terrę, ille ita se proiecit, tãquam fuisset aliquo impellente grauiter prostratus, & cœpit orare. Quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluuio lachrymarum, quibus gemitibus atque singultibus succutientibus omnia membra eius, & penè intercludentibus spiritum, quis vllis explicet verbis? Vtrùm orarent alij, nec in hęc eorum auerteretur intentio, nesciebam. Ego tamen prorsus orare nihil poteram, hoc tantummodò breuiter in corde meo dixi: Domine quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? Nihil enim mihi videbatur addi iam posse, nisi vt expiraret orando. Surreximus, & accepta ab Episcopo benedictione discessimus, rogante illo vt manè adessent, illisqúe, vt æquo animo esset, hortantibus. Illuxit dies qui metuebatur, aderant serui Dei sicut se affuturos esse promiserant. Ingressi sunt Medici, parantur omnia quæ hora illa poscebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis suspensisqúe omnibus. Eis autem, quorum erat maior auctoritas, defectum animi eius consolando erigentibus ad manus secturi membra in lectulo componuntur, soluuntur nodi ligamẽtorum, nudatur

tur locus, inspicit Medicus, & ad secandum illum sinum armatus atque intentus inquirit. Scrutatur oculis, digitisq; contrectat. Tentat denique modis omnibus, inuenit firmissimam cicatricem. Iam illa lætitia, & laus, atque gratiarum actio misericordi & omnipotenti Deo, quę fusa est ore omnium lachrymantibus gaudijs, non est committenda meis verbis: cogitetur potiùs, quàm dicatur.

Ad hoc celebre miraculum idem S. Augustinus alia duo addit in suarum Confessionum libro nono cum Deo his verbis loquens: Sed nec oblitus sum, nec silebo flagelli tui asperitatem, & misericordię tuæ mirabilem celeritatem. Dolore dentium tunc (hoc est, ante baptismum) excruciabas me, & cùm tantũ ingrauesceret vt non valerem loqui, ascendit in cor meum admonere omnes meos qui aderant, vt deprecarentur te pro me Deum salutis omnimodæ, & scripsi hoc in cera, & dedi eis vt legeretur. Mox vt genua supplici affectu fiximus, fugit dolor ille. Sed quis dolor? aut quomodo fugit? Expaui fateor Domine meus, Deus meus: nihil enim tale ab ineunte ætate expertus fueram. Et insinuati sunt mihi in profundo nutus tui, & gaudens in fide laudaui nomen tuum, & ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis quæ mihi per baptismum tuum remissa nondum erant.

Aliud quoq; illustre exemplum, & magis notum idem Sãctus in eodem libro nono narrat his verbis: Tunc antistiti tuo Ambrosio per visum aperuisti, quo loco laterent martyrum corpora Protasij & Geruasij, quę per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recõdideras, vnde opportunè promeres ad coercendam rabiem fœmineam, sed regiam, & persecutionem Iustinæ Arrianæ, Valentiniani Imperatoris matris. Cùm enim propalata, & effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam, non solùm quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem dęmonibus sanabantur, verũ etiam quidam plures annos cęcus ciuis, ciuitatiq; notissimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ causam quęsisset atq; audisset, exiliuit, eoq; se vt duceret, suum ducem rogauit. Quò perductus, impetrauit admitti, vt sudario tangeret pheretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod vbi fecit atque admouit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde laudes tuæ feruenter lucentes, inde illius inimicę animus etsi ad credendi sanitatem non applicitus, à persequendi tamen furore compressus est.

Hæc sunt S. Augustini verba, cuius tempore hoc tam manifestum miraculum effectum est. Et constat vel ipsis incredulis, quòd tantus doctor, & antistes fingere non debuit hoc miraculũ, præsertim cùm eo tempore fuerit tam notũ.

Cum hoc autem miraculo duo alia coniuncta sunt, non minùs illustria, neque minùs vera, quàm priora. Vnum, illa sanctissima corpora integra ducentis & amplius pòst annis esse reperta: passi enim sunt Nerone Imperatore. Alterum fuit reuelatio S. Ambrosio facta, vbinam illa corpora iacerent. In quo Dei bonitatis, & amoris in suos Sanctos magnitudinem cernimus; cùm tantæ curæ illi fuerit, vt non solùm sepelirentur, verùm etiam magno cum honore sepelirentur, & loco quàm aptissimo. Quomodo igitur animas tractabit, & quo illas honore afficiet, qui tanti facit corpora, quę ex terra constant?

Post hoc autem tam illustre miraculum, alia decem & nouem, vel viginti miracula hic sanctus Doctor refert, quæ ad reliquias sancti Stephani facta fuerunt;

erunt; quorum vnum recitare mihi visum est, quòd satis spiritale est. Res autem ita se habuit: In ciuitate Calamæ fuit quidam vir in ordine suo primarius, nomine Martialis, euo iam grauis, & multum à religione abhorrens Christiana. Illi filia & gener satis religiosi erant, & virtute prędıti, qui cùm patris cæcitatem viderent, & illius perditionem summopere dolerent, valde eum rogârunt, vt se ad Christum conuerteret. Quod non solùm illis non concessit, sed à se irato vultu depulit. Tunc ille gener tantam cæcitatem molestè ferens, ad huius sancti Martyris reliquias confugit, & multis lachrymis, suspirijs, & internis gemitibus ab ijs lumen pro tanta cęcitate magnopere petijt; & nonnullos flores, qui in illarum altari erant, secum tulit, & eos sub soceri sui ceruicali collocauit. Dormiuit illa nocte, manè verò à somno excitatus iussit, vt Episcopus vocaretur, qui tunc mecum Hipponę erat: cùm autem videret procùl abesse, sacerdotes accersiuit, dicens se velle Christianum fieri; quod omnes admirati, & gauisi sunt. & statim baptizatus fuit, & per totum vitæ suæ tempus illud semper in ore habebat: Domine Iesu suscipe spiritum meum. quibus cum verbis paulò pòst suum diem obijt, cùm ille nesciret quòd hæc fuerunt vltima verba, cum quibus ille sanctus Martyr animam efflauit.

Hoc autem narrato, & alijs miraculis, ægrè fert hic sanctus Doctor, quòd ibi multa non referat miracula, quæ sibi nota erãt, & sic inquit: Quid faciam, cùm his libris finem imponere cogar, & multa alia miracula præterire molestè feram, quod & illis accidet, qui non ignorant, quæ silentio prætereo. Illud quidem compertum est, quòd si mihi omnia miracula scribenda essent, quæ Calamæ huius sancti Martyris virtute facta sunt, multos implere libros necesse esset: innumerabilia enim sunt, quæ ibi fiunt. Ex Hippona solũ (cùm hęc scribebam) septuaginta miracula scripta data sunt, & multa minimè scripta fuerunt. Vzali verò, quæ ciuitas apud Vticam est, vbi priùs, quàm apud nos fuerunt huius Sancti reliquiæ, eadem fiunt.

Nunc autem Christianum lectorem rogo, vt hic aliquantulum conquiescat, & immensam Dei bonitatem, charitatem, & suauitatem in suos Sanctos animaduertat, cùm non satis sibi videatur illis in alia vita gloriam tribuisse, tot etiam honorũ genera tribuat in terris. Solus Deus sua propria auctoritate potest miracula facere. Cumq; iam trecenti anni elapsi essent, ab eo tempore quo hic Sãctus pro eius amore passus erat, videbatur quò magis pro eo miracula faceret Deus, vbicũq; illius reliquię essent, eò plura etiã facere velle; cùm vel ipsi flores in illarum altare positi satis essent, qui animæ perditæ salutem afferrent, (vt vidimus) eam ab inferni faucibus eripiendo, & baptismi gratia in salutis statu ponendo. Quis igitur tantam bonitatem non amabit? Quis ei seruire non desiderabit, qui tantis honoribus suos afficit seruos? Quis non existimabit prudenter vitam in seruitio huius Domini profusam esse, qui tantis prosequitur honoribus eos, à quibus ipse honoratur? Quam gloriam animabus tribuet is, qui eorum corporum terram tanti facit? Tandem quid non fideles serui sperabunt à Domino tam fideli, tam bono, tam benigno, tam grato, tam suis amico, qui tantopere eos honorat? Propter hanc igitur causam initio dixi, non solùm ad fidei confirmationem miracula conducere; verùm etiam, vt ex his intelligamus, quàm magnus sit Dei amor in suos Sanctos, quantopereq; cupiat eos summis honoribus afficere, cùm per illorum cor-

porum cineres,& reliquias,tot,tantaque miracula operetur.

Sanctus quoque Ambrosius aliud satis notum miraculum refert, quod in translatione corporum gloriosorum martyrum Geruasij & Protasij factum fuit, qui Mediolani Nerone Imperatore passi sunt. Quòd autem loco abiecto, & vili sepulta erant, ille Dominus, qui tanti suos Sanctos facit,& illorum reliquias, locum illorum sepulturę S. Ambrosio Mediolani episcopo reuelare voluit, vt inde illa transferrentur ad locum talium martyrum dignitati congruentem. Qua reuelatione accepta,sanctus ille Pastor iuit vna cum alijs Episcopis,& Sacerdotibus,& Clericis omnibus,& in loco notato fodientes, inuenerunt sanctorum Martyrum corpora cum libro sub ceruicali, in quo illorũ martyria narrabantur. Ea igitur inde sublata, vbi ad ecclesiam cum totius ciuitatis solenni processione portarent, aduenit quidam cæcus,& illorum reliquias tangens,coram omni populo visum consecutus est. De hoc miraculo S. Ambrosius sermonem habuit,& eo Arrianos confundens,hanc rem admirabilem contra illos laudat,& celebrat. Huic miraculo interfuit etiam S. Augustinus,qui in libro 22 de Ciuitate Dei de eo fert testimonium, inquiens satis notum fuisse,quòd Mediolanum ciuitas magna est, & eo tempore Imperator cum curia in ea erat. In libris quoque Cõfessionum de eodem miraculo scripsit,inquiens, quòd Iustina Imperatoris mater Arriana, & ob id Catholicorum aduersaria,hoc miraculo adducta,à persecutione cessauit, licet ab hæresi minimè cessasset.

Eadem miracula sequuntur.

NEQVE hîc deest gloriosissimi Papæ S. Gregorij testimonium, qui quatuor conscripsit libros de Sanctorum Italicorum Vitis, idq; Dialogorum more, in quibus multa refert miracula, quæ ipse ex relationibus hominum fide dignissimorum accepit. Cuiusmodi quidem esse debebant hi,quorum verbis hic prudentissimus & sanctissimus Pontifex fidem præstare debuit eam, quæ ad libros conscribendos necessaria esset. Ex tam multis autem miraculis vnum tantùm attingam, quod ad illius personam attinet. Inquit ille se huiusmodi morbo laborasse, vt magno animi deliquio afficeretur,nisi cibum sumendo ei statim succurreret. Aduenit Paschatis Vigilia,& sanctus vir dicit,se maiori molestia affectum esse,quòd hac sacra Vigilia non posset ieiunare, quàm quòd eo morbo laboraret. Quamobrem sanctum quendam virum,(cuius miracula in suis Dialogis conscripserat) vt sibi precibus impetraret à Deo vires, quibus illo die ieiunare posset,rogauit. Quod ille vir sanctus fecit:quo facto, ita robustus euasit, vt non tantùm illo die,sed & postridie sine vlla buccea vigere posset. Et inquit ille,se hac subita & admiranda sanitate recepta, in fide miraculorum, quæ de eo conscripserat, valde fuisse confirmatum.

Theodoretus pariter grauissimus auctor, & antiquus, aliam sanctorum Monachorum historiam scripsit,quorum suo tempore aliquid dignum scire potuit,in qua illorum magnas virtutes,& miracula refert. Inter quæ miram S.Simeonis vitam narrat,qui super quandam columnam vitam agebat,cuius quidem hic doctor familiarissimus fuit,& se illius prophetiarum,& miraculorum testem fuisse gloriatur:& vnum præcipuè narrat,quod ipse suis oculis vidit.

Ad

Ad hunc Sanctum quidam miles paralyticus à suo præfecto perductus fuit, vt ei, quemadmodum & alijs innumerabilibus facere solebat, sanitatem daret. Tunc ille vir sanctus de summitate columnæ ei dixit: Credis in sanctissimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum? Qui respondit: Credo. Tunc vir sanctus dixit: In nomine igitur Iesu Christi surge, & tuum præfectum in equum tolle, & cum eo vade. Quo dicto, surrexit paralyticus, & in sinu suscipiens præfectum, (qui homo satis crassus erat) cum eo profectus est. Qua in re ille vir sanctus Saluatoris verba imitatus est, cùm ad piscinam paralytico dixit: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Ioan 5.

Ex ijs, quę hactenus dicta sunt, facilè apparet, cur ego in hoc libro miracula cōscribere voluerim tam certa, vt nemo mentis compos ea negare possit. ea enim omnia doctores sanctissimi, & sapientissimi suis oculis viderunt. Et huiusmodi illud est, quod hic de S. Ioanne Climaco narraturus sum: qui vbi decem & nouem vixit annos sub obedientia cuiusdā sancti viri, eo mortuo, quadraginta annos in solitudine cum maxima sanctitate, & spiritus feruore vixit. Hic igitur in quarto cap. de obedientia, & alijs insignibus virtutibus, quas in quodam monasterio illius temporis vidit; inter cætera narrat miraculum, quod ego hic referam his verbis:

Noluit Deus, vt ex illo monasterio discederem sine precum prouisione cuiusdam sancti, & admirabilis viri, qui Mena dicebatur, & secundum locum post Abbatem in monasterij administratione habebat, qui septem dies, antequam discederem, mortuus est, vbi eo in monasterio quinquaginta annos vixisset, & in omnibus illius muneribus seruiuisset. Nos autem post illius è vita discessum (vt assolet) pro tanti Patris anima cùm mortuorum officia celebraremus, statim locus, vbi illius corpus iacebat, mira suauitate odoris fuit repletus. Ille igitur sanctus Pater permisit, vt locus retegeretur, vbi illud sacrum corpus collocatum erat. Quo facto, vidimus omnes ab illius pretiosissimis pedum plantis, tanquam à duobus fontibus, suauissimum vnguentum emanare. Tunc cœnobij Pater ad nos conuersus, inquit: Animaduertite fratres, quemadmodum illius defatigationum, & laborem sudores, Deo vt pretiosissimum vnguentum accepti fuerunt.

Huius beatissimi Patris Menæ illius loci patres multas, & magnas virtutes narrabant. Ex quibus illam referebant, quòd cùm monasterij Pater vellet illius patientiam experiri, cùm ille aliūde domum rediret, se ad pedes Abbatis proiecit benedictionem petens, (vt fieri solet) Abbas eum sic proiectum reliquit ab initio noctis vsque ad matutini horam. Tunc eò se contulit, vt ei benedictionem daret, & eum de terra erigeret, reprehendens eum tāquam qui impatientissimus esset, & omnia vanitate, & obstinatione faceret. Compertissimum erat quidem illi sancto Patri, quàm fortiter id pertulisset: sed hoc publicum exemplum ad omnium doctrinam dare voluit. Quidam autem huius S. Menæ discipulus, qui sui magistri omnia secreta optimè norat, (cum quo nonnunquam sua communicabat) à me nimis fortè curiosè interrogatus, nūquid ita humi prostratus dormijsset; affirmauit eum ita iacentem totum Dauid Psalterium recitasse. Hęc S. Ioannes Climacus.

Hoc antiquior fuit Gregorius Nazianzenus, qui propter summā doctrinam Theologi cognomen consecutus est, & Cōstantinopolis Archiepiscopus

 fuit,

fuit, licet maiorem gloriam illa dignitate contempta, quàm ex comparata, conſecutus ſit: ſanctus autem Hieronymus eum habuiſſe præceptorem gloriatur. Hic tam celebris vir, vt illius ſcripta declarant, in Sermone, quem habuit in morte ſuæ ſororis Gorgoniæ ſanctiſſimæ fœminæ, dixit, ſe iam miraculum publicare poſſe, quod ad illud vſque tempus ſecretum tenuerat. Illud fuit, quòd, cùm ſua ſoror grauiſſimo morbo laboraret, & Medici nullum remedium ei reperirent; ipſa, vt potuit, noctu de lectulo ſurgens, in ſuum oratorium ſe recepit, genua fixit ante altare vbi ſanctiſſimum Sacramentum erat, & fide, & ſpe plena, Deo, qui in illa ſacrata hoſtia aderat, dixit: Domine hinc minimè ſurgam, quoad mihi ſalutem tribuas. Inde ſana ſtatim ſurrexit, quod deinde admirati ſunt valde Medici, rei cauſam ignorantes. Huiuſmodi fide vult ille clementiſſimus Dominus rogari, & huiuſmodi fidei nihil (vt ipſe dixit) impoſſibile eſt.

Hoc miraculum in ſecreto hic ſanctus doctor habuit, dum in vita maneret ſoror, vti diximus. At ille in eodem Sermone aliud narrat, & dixit fuiſſe publicum non ſolùm in ea ciuitate, vbi habitabat, verùm etiam extra ciuitatem. Res ita ſe habuit: cùm illa in curru veheretur, mulæ illum trahentes perterritę omni furore currebãt, & huius fœminę ita raptabãt corpus, vt omnia oſſa ſuo loco naturali dimouerent, & fœdè, & miſerè omnia membra tam intrinſecus quàm extrinſecus tractârunt. Illa verò ſancta mulier tam fuit honeſtatis amica, vt nullum neque Phyſicum, neque Chirurgum ſuam carnem videre permiſerit: ſed fide munita, & Dei amore, quem valde diligebat, ab eo petijt, vt ſibi medicus eſſe vellet, atque ſanaret. qua oratione confecta, ſtatim ſana fuit. Quamobrem videmus (inquit ſanctus Doctor) Deum hic plura præ-

Pſal. 36. ſtitiſſe, quàm per ſuũ Prophetam pollicitus eſt, cùm inquit, quòd ſi iuſtus caderet, nõ frangeretur, quòd ei ſupponeret manum: at hic plura pręſtitit, cùm corpori caſu læſo bonam valetudinem reſtitueret. O miram calamitatem (inquit hic Sanctus) & tanta laude dignam: ô dolorem, & morbum ipſa ſanitate

Iob 5. præſtantiorem: ô quàm verè illa promiſſio adimpletur, quæ dicit: Dominus percutiet, & ſanabit. Hoc autem miraculum, vti diximus, ſatis notũ eſt, quòd fama ad alias quoque longinquas ciuitates peruaſit, & ita ad linguas, & ad aures omnium peruenit.

Hæc inquit hic Sanctus: qui, præter illius ſanctitatem, & doctrinam, (quæ huiuſmodi fuit, vt S. Hieronymus ſe illius diſcipulum fuiſſe glorietur) minimè dixiſſet in publica concione illud, quod cùm eſſet falſum omnes auditores in eum concitaſſet, & omnes in illo loco habitantes eum mentitũ fuiſſe dixiſſent. Ex quo facilè cernitur, me non narrare hic miraculum, quod non ſit dignum, cui omnes prudentes homines fidem præſtent.

His omnibus doctoribus vetuſtior fuit Cyprianus, qui in vita, in morte, & in ſuis ſcriptis ſemper martyr fuit, & omnium martyrum corroborator, (vt cernitur in illius elegãtiſſimis literis, quas ad eos captos ſcribebat) ille pariter in Sermone, quem de Lapſis inſcripſit, nonnullas refert miraculoſas pœnas eorum, qui ſine debita pœnitentia indignè altaris Sacramentũ ſuſceperũt. In Epiſtolis verò nõnullas reuelationes refert, quibus Deus Eccleſiam admonebat, eiq́ prędicebat, cùm aliqua perſecutio impenderet. In quodam verò Sermone, quem hàbuit ad Chriſtianos, in quo eos ad mortem contemnendam

dam animabat, inquit; sibi sæpe à Christo Domino mandatum fuisse, vt fratribus prædicaret, ne suos fratres defunctos lugerent, neque pro eis nigris vestibus induerentur, cùm ipsi iam in cælo stolis candidis vestiti essent, scirentque se eos non perdidisse, sed præmisisse, vt regni cælorum hæreditatem inirent. Hoc diuinæ reuelationis miraculum in eo Sermone refert.

Non erit quidem consentaneum, inter tot grauissimos Doctores dulcissimum, & sanctissimum Bernardum non inserere, qui, quò fuit humilior, & à vana gloria alienior, hoc maiorem gratiam, & virtutem ad facienda miracula consecutus est, adeò vt patina, ex qua ille comederat, cuidam ægrotanti sanitatem dare potuerit. tanti Deus omnia suorum seruorum facit: & ita eos honorat. Aliàs cùm sanctus vir contra diabolicam quandam hæresin prædicaret, quæ eius tempore excitata erat, cistã panis ad se afferri iussit, magnaque cum fide, & zelo gloriæ Dei, & omnium animarum salutis, vniuerso populo, qui aderat, inquit: Vt veritas confirmetur, quam vobis prædicaui, & hæc noua hæresis damnetur, quicunque ex hoc pane comederit, ex omni morbo, quo laboret, conualescet. Episcopus autem qui aderat, tantũ promissum veritus, dixit: Id de ijs intelligatur, qui cum fide comederint. Cui vir ille sanctus occurrit, inquiens: Non ita dico, sed quicunque ex illo comederit sanus fiet: & ita factum est.

De huius sancti viri Vita quinque libri scripti sunt: quorum vnus miracula narrat, quæ, dum vixit, fecit, & hic centum & sexaginta, & amplius miracula conscripta sunt. Quis tam incredulus, tamque fidei inimicus, qui hæc omnia miracula ficta esse credat? Omissis tamen alijs, vnum tantùm referã, quod idem Sanctus in Vita S. Malachiæ, quam conscripsit, ipse narrat. Vbi ille inquit, quòd cùm huius sancti Episcopi corpus sepeliendum esset in suo Claræuallis cœnobio, vbi mortuus est, & Monachi sepulturæ officio fungerẽtur, se ibi vidisse puerum quendam brachio attracto, quod commouere non poterat, neque in vllas partes vti: Tunc sanctus vir illum puerum per manũ cepit, & ad mortui corpus perduxit, & illud vt contingeret iussit; & statim sanus factus est. Hoc per eundem gloriosum Bernardum factum fuit, qui virtute illius sancti viri facere voluit, quod ipse per se efficere posset; sed vt verè humilis sibi detraxit gloriam, quam illi Sancto tribuit.

Eadem materia sequitur.

IAM ad Sanctos, qui nostris temporibus propiores fuerunt, venimus; cuiusmodi eodem tempore fuerunt duo gloriosi Patres duarũ religionũ tam illustrium fundatores, S. Dominicus, & S. Frãciscus, quorum vitæ virtutum & miraculorum plenæ sunt. Et multis alijs miraculis omissis, quæ de glorioso Patre nostro S. Dominico scribuntur, ob quæ paulò post illius gloriosam mortem canonizatus fuit, & illius sacratum corpus ad alium locum translatum illius sanctitate dignum; quis negare audebit illud miraculum, cuius tota Roma testis fuit, cùm cuiusdam Cardinalis consobrinum, cui de equo decidenti totum corpus fractum fuerat, resuscitauit, præsente eo Cardinale cum tota sua familia, omnibus cuiusdam nobilis cœnobij virginibus, & alijs multis? Eo modo, quòd non curauerit vt omnes foras mitterentur, qui aderant, (vt sanctus Petrus fecit, cùm illam sanctam viduam resuscitare voluit) sed coram omnibus cùm Missam celebra- Actor. 9.

 retin

ret in ſpiritu raptus eſt, & Miſſa peracta ad corpus accedit, & illius membra ſingula compoſuit, & deinde in virtute nominis Chriſti iuuenem mortuum nominatim vocando in vitā reuocauit, & omnes præſentes maxima admiratione ſtupefactos reliquit. Quod ſi verum non fuiſſet, quis tam ſtultus id ſcribere auſus eſſet, qui contra ſuum mendacium totam Romam teſtem habiturus eſſet? Hoc igitur modo, & hoc ſanctitatis ſpecimine Deus auctoritatem dabat Sanctis, qui Patriarchæ futuri eſſent, & Ordinum fundatores, quos ad Eccleſiæ ædificationem inſtituere volebat.

Vbi autem patris ſanctitatem attigi, vnius etiam illius glorioſorū filiorum attingam, qui fuit ſanctus Vincentius Ferrer, Chriſtianum lectorem rogans, vt illius Vitam legat: videbit enim Apoſtolorum & ſancti Pauli ſpiritum cum illorū vita non finiſſe. In huius enim beati Patris vita huius ſancti Apoſtoli ſpiritū reſuſcitauit: per tot enim terras & nationes prædicādo [illegible], per quot & ille, idque maximo cum fructu, & multarum animarum fidelium & infidelium conuerſione; cui tam facilè erat miracula facere, omne morborum genus ſanando, quàm manu caput contingere. Præterea non ſemel, ſed pluries pauco cibo innumerabiles gentes, quæ ſequebantur eum, ſatiauit, vt, cùm canonizatus fuit, octingenta & ſexaginta miracula enumerata fuerunt ab eo extra Hiſpanias facta. Quis autem tam incredulus erit, aut tam improbus, qui hæc omnia miracula ficta eſſe dicat, licet quodammodo vnum verum ad noſtram fidem confirmandam ſatis ſit? In hoc autem numero nō ſunt ea, quæ in Hiſpanijs operatus eſt: quæ multò plura fuerunt, quòd diutius in eis prædicauerit. Præterea viſum eſt Domino eum conſolari in tantis laboribus, & itineribus, quæ illius cauſa ſuſcipiebat, cùm ei reuelauerit fore, vt canonizaretur, & in Sanctorū catalogo poneretur, & quis id facturus eſſet, & quo tempore. Itaque cùm quidam iuuenis ad eum Valentiæ iuiſſet, vt ab eo benedictionem impetraret, qui poſtea Caliſtus Papa fuit, Deus ei reuelauit futurum eſſe, vt is Papa eſſet, & eum canonizaret; & horum aliquid cum iuuene communicauit, & literarum ſtudium ei commendauit, & multò magis virtutem. Cùm autem S. Bernardinus illius quandam concionem audiret, coram omnibus dixit: Hic adeſt Pater quidam S. Franciſci, quo inſtrumento vtetur Deus ad Italiam illuminandum, & licet ſit me iunior, in Eccleſia prior quàm ego honorabitur. Hoc eò dixit, quòd ſex annos ante eum canonizatus fuit, & licet tot, ac tantas reuelationes à Deo haberet, & per eum tot miracula operaretur, Satanæ ſtimulus ei non fuit opus, quo humiliaretur, ne per ea nimis elato animo fieret. De cuius virtutibus hic de vna tantùm dicam, quòd ſingularis, & rara fuit, quæ eſt, cùm non eſſet cōtentus quotidianæ prædicationis labore, & aſſiduis itineribus, quotidie ſolebat ſe diſciplina afficere, & ſi quando in lecto ægrotus iaceret, hoc onus ſuo ſocio imponebat, & rogabat Chriſti nomine, vt eum grauiter flagellaret: tanta erat illius deuotio & conſtantia in bonis propoſitis, quæ ſibi ſuſceperat. Quid igitur ille tam fidelis & gratus Dominus præſtare non debuit ei, à quo tanto feruore, & animi conſtantia ſibi ſeruiebatur?

Cùm autem de filio breuiter egerimus, non æquum erit, filiam ſilentio præterire, præſertim huiuſmodi filiam, qualis S. Catherina Senenſis eſt, in cuius vita multa inueniemus miracula, & vera, & admirabilia. Vitam enim

eius

eius scripsit Frater Raymundus illius confessarius, qui suis meritis eò peruenit, vt nostri Ordinis fuerit generalis, & ex ipsius virginis ore multa, quæ scripsit, acceperat. Præterea initio trium librorum, quos de illius Vita scripsit, solenne iusiurandum facit, & pollicetur, se nihil dicturum, quin & dicat quonam modo id scierit; & multorum ipse testis fuit.

Ex tam multis autem miraculis vnum tantum ascribam, quòd notum satis fuerit, & à Papa Pio secundo in diplomate illius canonizationis approbatum. Fuit autem illud, quòd ea sine cibo (præter altaris Sacramentum) à primo die Cinerum vsque ad Pentecosten, quod tempus amplius quàm tres menses est, sine cibo fuit. Et ab illo tempore vsque ad mortem, eodem modo perseuerauit, licet propter scandalum, & magnas persecutiones, & ignarorum hominum iudicium, quod in eam insurgebat, nonnullas manderet herbas, quarum succum tantummodò deglutiebat; & vbi comederat, penna ore imposita vomitum excitabat, & eundem eijciebat, quòd dum in ventriculo eum contineret maxima molestia afficeretur. Hoc autem erat quoddam martyrij genus, quod Dominus hanc suam sponsam, dum vixit, sufferre ac perpeti voluit. Hoc vnum miraculum referre volui, quòd satis notum fuit, & quòd illius confessarij, vt huius veritatem cognoscerent, tanta diligentia vsi sunt, (cùm tam supernaturale id esset, & nouum) vt illud negari minimè possit; præsertim quòd huius pars (vt dixi) in diplomate ante dicto comprobata sit.

Quæ inuestigatio, quæ inquisitio vulnerum S. Francisci, (quòd tam nouũ, tamque admirabile esset, videre filij Dei, & Domini rerum omnium creatorum, insignia in homine crassiori panno induto) dum in vita fuit, cùm iurarent omnes per sancta Euangelia, qui huius rei testes esse poterant, quippe qui id oculis vidissent? Neque plures testes, quàm oculi, ad hoc miraculum cognoscendum opus erant. In illius enim gloriosi Sancti corpore, vbi è vita excessit, quicunque aderant, hanc admirabilem rem viderunt. Quod & beata virgo Clara vidit cum omnibus suis virginibus, per quarum cœnobium cùm ad sepulturam perferrent illius corpus, transierunt, qui illud deportabant.

Hæc pauca miracula tam fide digna hic narrare volui, tum ad Christianæ religionis gloriã, quæ huiusmodi testimonia habet (tum ad illos conuincendos, qui miraculis fidem non satis magnam præstant. Qui si alia præterea testimonia requirunt, legant canonizationis Sanctorum diplomata, in qua magnam adhibet Ecclesia diligẽtiam per viros summa auctoritate (vt in canonizatione S. Catherinæ Senensis videre licet) præter Spiritus sancti assistentiam, qui vt in tanta re Ecclesia erret, minimè permittet; ibiq; plurima, & verissima miracula comperiet. Legat præterea multorum Sanctorum Vitas, quas grauissimi auctores scripserunt, vt Athanasius, Magni Antonij vitam; S. Hieronymus, *Hilarionis*; S. Bernardus, Malachiæ; S. Theodoretus, S. Simeonis, illius scilicet qui super columnam ætatem degebat; & multas alias; & Seuerus Sulpitius, S. Martini: qui ijsdem temporibus, quibus & Sancti, quorum vitas & miracula scribunt, & ipsi fuerunt; & posteriores duo familiares amici, & testes miraculorum fuerunt, quæ ipsi conscribunt.

Quorum nonnulla ita nota fuerunt, vt omnes, qui tum viuebant, illorũ testes fuerint, vt fuit hoc quod dicturus sum. Erat in Senonum terra vicus

quidam,

quidam, vbi quotannis tam multa grādo cadebat, vt agricolarum labores, & segetes penitus destrueret: qui hac calamitate afflicti à S. Martino auxilium petierunt. Pro hoc vico rogauit Deum S. Martinus, & viginti annorum spatio, quo S. Martinus vixit, nemo in illa regione grandinem vidit. Et vt Deus ostenderet, id non casu, sed S. Martini meritis esse factū, post eius mortem statim in eodem loco (vt solebat) grandinauit. Hoc scribit Sulpitius suo tempore accidisse. Hic autem auctor in tam manifesta re quidquam confinget?

Legat præterea peregrinationem illorum septem religiosorum ex Palæstina, qui iuerunt sanctos monachos AEgypti salutatum, de quibus antea diximus, quæ in sanctorum Patrum Vitis legitur, & ibi miracula cernet, quæ hi religiosi viderunt, & experti sunt. Primus enim, cuius vita ibi narratur, qui fuit S. Ioannes AEgyptiacus, (quem historiæ Ecclesiasticæ dicunt Theodosio Imperatori illius præliorum exitus reuelasse) vnum ex comitibus, quem secum habebant, ægrotum sanauit; eique reuelauit, Alexandriam nuntium peruen isse, qui narrauerit quòd Theodosius Eugenium tyrannum superasset, & paulò pòst bonum illum Imperatorem è vita discessurum, & Palladium (qui vnus è septem peregrinis erat) episcopum futurum Cappadociæ, vt postea fuit: & cùm ille sanctus rogaret nunquid vllus ex illis esset sacris initiatus; & responderent non esse; ille digito vnum monstrauit, & inquit: Hic est diaconus. Quod nemo præter vnum comitem sciebat. Diaconus enim ille maioris humilitatis causa hanc dignitatem tectam tenebat.

Huius peregrinationis historiam Palladius Græcè scripsit, & alij ex comitibus Latinè. vbi sanctitas, & consensus historicorum, in eo quod scribunt, & septem fuisse harum rerum testes, nullum dubitandi locum relinquunt.

Hactenus de antiquis miraculis, vt intelligatur non solùm in religione Christiana miracula adesse, sed innumerabilia reperiri. Nunc autem consentaneum non est, vt nonnulla nostræ ætatis satis manifesta silentio prætereamus, quæ superiorum veritatem confirmabunt.

Miraculum ab Antonino Pio Imperatore relatum.

POST hæc miracula, quæ homines sanctissimi narrāt, qui ea viderunt, non possum non aliud narrare non minùs illustre, quod nostri inimici narrant, qui testes sine suspicione sunt, quòd gentiles auctores sunt; qui Romanorum Imperatorum vitas scribentes, hoc miraculum narrant. Ex quibus vnus est Amianus Marcellinus in vita M. Antonini Imperatoris. Quod miraculum etiam scribit Iustinus martyr & Philosophus in nostræ fidei Apologia, quam ad Antoninū Piū Imperatorem misit, in cuius fine ternas ponit Imperatorū literas pro Christianis scriptas, & tertiæ sunt Imperatoris Aurelij Antonini ad Senatum, quarum verba sunt hæc:

Imperator, Cæsar, M. Aurelius Antoninus, (Philosophus) Germanicus, Parthicus, Sarmaticus, populo Romano & sacro Senatui salutem.

De magnitudine consilij instituti que mei vos certiores feci. Supra modum consecutæ sunt in Germania ærumnæ graues, ad confinium periclitantibus laborantibusque, & à septuagintaquatuor draconibus nono miliario oppressis nobis in Cotino. Qui cùm non longè abessent, exploratores id nobis indicārunt: itidem Pompeianus copiarum nostrarum militarium præfectus ea signi-

significauit,quæ priùs nobis cognita erant. oppressus autem eram ab ingenti multitudine, cùm mecū essent copiæ delectæ legionis primæ,decimæ,geminæ, ferentariorum, mistæ. Cùm ergo renuntiatum esset, exercitum ex omni turba conferta noningentorum septuaginta millium adesse: ipse quoque vires meas inquirens,& copiarum numerum iniens, & cum multitudine barbarorum atque hostium conferens, ad rem diuinam dijs patrijs per preces faciendam decurri.

Et vires meas in angustum redigi cernens, euocaui qui apud nos dicūtur Christianos:ac per inquisitionem magnum eorum inueni numerum: acriusq; in eos infremui.Quod quidem minimè factum oportuit, propter eam,quam in illis postea comperi esse virtutem:vnde illi pugnam,non autem à telorum armorumq; expeditione,neque à tubarum classico exordiuntur:quòd ingratum atque inimicum hoc eis sit, propter Deum, quem in conscientia gerunt. Quapropter æquum est, quos ἀθέους & à Dijs alienos esse suspicati sumus: vt eos norimus Deum in conscientia, suapte sponte illapsum,atque ibi inclusum (seu potiùs incolentem) habere. Nam proijcientes se in terram, non pro me tantùm, sed & pro exercitu,qui tum ibi aderat vniuerso, precati sunt, ita vt solatio nobis essent in præsenti fame & siti.In quintum enim iam diem aquā, quòd ea defecisset, non ceperamus.nam in meditullio Germaniæ, & in finibus hostium eramus. Simulatque verò illi in terram sunt prouoluti, & Deum precatione inuocârunt, quem ego ignorabam, confestim aqua de cælo est consecuta: ad nos illa quidem frigidissima,in Romanorum verò imminentes hostes grando ignea. Sed & cū oratione ipsa illicò præsentia Dei affuit, tanquam insuperabilis & inuicti.

Inde igitur incipientes, permittemus hisce,Christianis esse:vt ne id genus armorum aduersus nos (precibus) illi vtentes, voti compotes fiant.Quocirca consulens statuo, ne hominem huiusmodi,quòd videlicet Christianus sit, accusare liceat.Si quis autem inueniatur,Christianum,propterea quòd Christianus sit, deferre: delatum ipsum Christianū,qui hoc sit professus, nulloq; alio crimine accusatum, quàm quòd Christianus sit,manifestò se pro eo gerere:delatorem verò ipsum viuum comburi volo. At Christianum confessum, ac proinde eo nomine tutum atque securū,is cui prouinciæ præfectura credita est,ad pœnitentiam eiusmodi professionis, & statum illiberalem non traducet. Hæc verò etiam Senatusconsulto confirmari volo: & constitutionem hanc meam in foro Trajani proponi iubeo,vt legi possit. Illam quoq; in prouincias quasque mittendum curabit Verasius Pollio præfectus.Quicunque autem hac vti, & habere exemplar eius voluerit, ne recipere id ex eo quod à nobis propositum est,prohibeatur.

Hæc igitur est huius Imperatoris Epistola, in qua ille ipse hoc magnificū, & famosum miraculum refert, quo supernus Rex nostræ fidei veritatē confirmare voluit,& ostendere quanta sit perfectæ orationis efficacia, & quàm iure in scripturis Deus exercituum dicatur, cùm vno temporis momento sine arcu,sine sagittis tam potentem exercitum dissipauerit.

De alijs nostræ ætatis miraculis.

POST miracula à Sanctis relata, quæ hic adſcripſimus, alia noſtræ ætatis narrare mihi viſum eſt; vt eos conuincam, qui non ſatis ſuperioribus miraculis credunt, & his illorum incredulitas cõuinci poterit, & fides eorum augebitur, quæ hactenus narrata ſunt.

Ex his autem ſatis notum eſt illud ſanctorum Corporalium Darocæ, quę hoc tempore extant: de quo miraculo ſcriptus eſt liber ad inuictiſſimum Carolum huius nominis Imperatorem Quintum, & ad glorioſam Imperatricẽ illius vxorem, qui ea viſerunt, & Dominum, qui in illis eſt, adorârunt.

Hic autem ſummatim dicam illud, quod hic liber continet, quodq́; omnibus notum eſt. In Valentiæ Regno, anno Domini 1239 maximus Barbarorũ exercitus aduerſus mille Chriſtianos, qui in paruo erant oppido, venerunt. Cùm autem ipſi viderent ſe tam paucos eſſe, & longè abeſſe à Valentia, vt inde auxilium ſperare non liceret, & fieri non poſſe humana ratione, quin ſuperarentur à tam numeroſo exercitu, niſi præcipuo Dei miraculo, & gratia defenderentur; curârunt magnopere, vt ſex ex præcipuis ducibus, qui in illo exercitu erant, hanc gratiam impetrarent, ſua peccata cõfitendo, & ſanctiſſimũ Sacramentum ſumendo: quòd pauci ſacerdotes ibi erant, & hoſtes vicini, neque ſatis temporis, quo id omnes facerent. Ipſi autẽ vbi cõfeſſi ſunt peccata, Miſſam audierunt; & iam ſex formis conſecratis, quas ipſi ſumerent, datum fuit ſignum, iam Barbaros oppidum oppugnare: vnde neceſſe illis fuit communionem relinquere, & ad arma ſe conferre. Tunc ſacerdos, qui Miſſam celebrabat, maxima cum celeritate in Corporalibus ſex formas inuoluit, & ſub quodam ſaxo abdidit. Deus aũt, cùm illorũ fideliũ ducũ præparationẽ, & bonam voluntatem ſuſcipiendi Sacramenti, reſpexiſſet, cumq́; confidentiæ, quam in illo habebant, rationem habuiſſet, & auxilij, quod ab eo poſtulârũt; ita eos animauit, & alios illorum cauſa, vt breui Barbaros diſſiparent, & illorum innumerabiles occiderent, & reliqui ſe in fugam darent: ipſi autẽ victores reuertentes, & beneficij accepti nomine grati, quod cœperunt, perficere voluerunt, quod erat ſumere ſanctiſſimum Sacramentum.

Tunc ſacerdos, vt abdita Corporalia expromeret, ſe contulit, & cùm in altari ea explicaret, formas ſanguine aſperſas vidit, & cum Corporalibus conglutinatas, vt hoc tempore cernuntur. Quo myſterio declarato, & Corporalibus retectis, maxima fuit admiratio, & deuotio, & lachrymarum vis, quas ibi profuderunt, Deo gratias agendo, gloriamq́; dando, quòd pro illis tam admirabilem rem feciſſet. Hoc tempore Barbari virès ſuas collegerũt, & omnes vicinos in armis eſſe voluerũt, & iterũ in Chriſtianos ſe contulerunt. Ipſi autẽ beneficio accepto corroborati, mandârunt ſacerdoti, vt in loco eminentiori ſe cũ Corporalibus ita collocaret, vt ea omnes milites intueri poſſent, vt inde vires ſuſciperẽt. Quo facto, in hoſtes maximo impetu irruerunt, & tantopere cum ijs pugnârunt, vt omnis humus illic eſſet ſanguine & mortuorũ corporibus cõtecta. Habita hac victoria, & eo bello cõfecto, quæſtio orta eſt, quonam loco illa pretioſa res collocaretur: quiſq; enim ea ſe honorari vellet. Dux autem generalis prudẽtiſſimè dixit, quòd cùm illud opus Dei eſſet, ad eum quoque ſpectare locum, in quo ſit collocanda, declarare. Hoc æquum viſum eſt omnibus, & in eo conſenſerunt, vt Dei voluntas ſorte cognoſceretur.

Ter igitur sortem extraxerũt, & semper Darocæ obtigit; de quo loco erat ille sacerdos, qui illas formas sacrauit. Neque hoc cōtenti fuerũt, sed ad aliam viā confugerũt, hoc est, vt mitis perquireretur mula, quæ nō amplius per terras Christianorum deambulare solita esset. & Corporalibus in arca positis, & ea benè ligata super illa, mula permitteretur, quò vellet iret; vbi vero conquiesceret, ibi esset illi pretioso deposito locus. Mula præibat, sacerdotes sequebantur cum cereis accensis, post illos ordine sequebantur milites cum suis ducibus: dum in hoc itinere versabantur, è vicis egrediebantur sacerdotes, & gentes Deum laudantes, & coram mula fruges, & trifolium, aut herbā medicam, & alia huiusmodi ponentes, vt ibi comederet, conquiesceret, & illis sacratis rebus fruerentur. Mula tamen nusquam cōquieuit, quoad Darocam peruenit, & cuiusdam Xenodochij, quod extra ciuitatem erat, portas ingressa est: & ibi aliud miraculum contigit. Mula enim ecclesiam ingressa, humi genua fixit, & ita mortua est: noluit enim Deus, neque consentaneum fuit, vt quæ bestia in tali re seruierat, ad alium humanæ vitæ vsum seruiret.

Hoc igitur modo illa Corporalia Darocæ permanserũt: eò Reges, & Principes conuenerunt, & alij primarij viri, vt illud miraculum viderent, & adorarent Deum, qui in illis Corporalibus est. Inde Legati ad Vrbanum Papam IIII. vt eum hac de re certiorem facerent, iuerunt, qui multas concessit Indulgentias ijs, qui illas reliquias visitarent, & alij summi Pontifices easdem confirmârunt, & auxerunt, vt in ecclesiæ Darocæ archiuo apparet. Viginti autem annis post hoc miraculum festum Corporis Christi institutum fuit. Hæc est tandem huius miraculi summa: cuius veritas vt comprobetur, nullis nisi oculorum testibus indiget, eorum scilicet, qui quotannis ea proprijs oculis cernunt, cùm ea expromunt Corporalia, vt in illis Deus, qui in illis est, adoretur. Vbi duo cernuntur miracula: vnum est, adhuc illas formas integras, sine vlla corruptione esse, iam trecentis & triginta annis elapsis, ex quo illæ formæ sacratæ fuerunt; quod natura fieri non potest; alterum est, esse sanguine infectas, & aspersas. Accedite iam hæretici Sacramentarij; & si sacris scripturis non creditis, vestris saltem oculis credite; & viso hoc tam magno miraculo, vnà nobiscum Dominum ibi præsentem adorate, ne vestra hæresis excusationem apud illum habeat.

Aliud miraculum non minùs illustre, & certum, & comprobatum, scribitur in historia Pontificali cap. 14. pag. 85. ad quem locum pium lectorem remitto, quòd is locus est maximè lectione dignus. In vlteriori Hispania in terra Formestæ Diœcesis episcopatus Potentiæ accidit, vt homo quidā nomine Petrus Fernandez quosdā nũmos cuidam deberet, qui nullam habebat viam exigēdi ab eo, quoad sententia excōmunicationis sibi obligauit, qua æs alienũ dissoluere coactus fuit. Cùm autem existimaret hoc modo satisfecisse, cēsuræ absolutionem petere neglexit. Ad mortis terminum peruenit hic homo, & sacerdos ad eum sanctũ Sacramentum pertulit multa gente comitatus: & solitis petitionibus factis, cùm vellet ei Sacramentum administrare, quod in patena argentea habebat, nulla via aut diligentia ab ea potuit amouere. Qua re tam ille, quàm cæteri, qui aderant, commoti, omnes foras vt irent sacerdos iussit, existimans id aliquo magno peccato posse accidere, quod confitendum illi reliquum esset: hoc autem ab illo petijt, & audiuit eum nullius peccati fuisse

reum quod minimè cõfeſſus ſit. Tam igitur ſacerdos quàm ægrotus maxima moleſtia affecti ſunt, & ſacerdos ægrotum interrogauit, num in aliquã incidiſſet excommunicationem, cuius abſolutionem non eſſet conſecutus. Tunc ægrotanti in mentem ſuperior ſua negligentia venit; & abſoluto, alia hoſtia illi adminiſtrata fuit, cùm illa prior ad perpetuam huius miraculi memoriam conſeruetur. Quod adhuc extat; & ſanctiſſimum Sacramẽtum in eadem patena ſine vlla corruptione eſt, tanquam ſi nunc tantùm confectum eſſet. Viſitur hoc ſanctiſſimum myſterium à multis gentibus. Et ego (inquit Hiſtoricus Illeſca, licet indigniſſimus) in meis manibus patenam maxima cum admiratione habui, cùm viderem panis ſpecies incorruptas permanere ab hinc centum & viginti annis. In quo duo miracula cernuntur: alterum, quòd hoſtia ita ſit patenæ affixa; alterum, tamdiu ſine corruptione eſſe.

Quæ miracula non ſolùm eò conducunt, vt nos ad adorationẽ, & venerationem ſanctiſſimi Sacramenti excitent, verùm etiam vt eccleſiaſticarum cenſurarum efficaciæ nos admoneant; & vtrunque ad hæreticos confundendos, qui vtrunque negant. Qui neſcio quomodo non confundentur, vbi tam ſenſibile miraculum viderint, tamq; manifeſtum, vt hoc eſt, quod ſui oculis, ſi vellent, videre poſſent.

In eadem ſecunda parte Pontificalis hiſtoriæ § 3. pag. 448. aliud ſingulare miraculum huius ſanctiſſimi Sacramenti ſcribitur, quod in Sarmatiæ regno accidit noſtra penè memoria, propter quod multi hæretici ad noſtram fidem ſe conuerterunt. Et miraculum eſt lectione non minùs dignum, quàm alia, quod Chriſtianus lector legat velim.

Aliud quoque miraculum adhuc extat in Italia quodam loco, nomine Montefalco, in quodam cœnobio Auguſtinianarum virginum, quod teſtatũ & ratum eſt ſcriptis Reuerendiſſimi Cardinalis Seripandi, cùm ordinis S. Auguſtini Generalis erat, & viſum, & relatũ ab hominibus fide digniſſimis tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, ex quibus vnus eſt Reuerendiſſimus Georgius Taidæ olim Viſei epiſcopus. Miraculum autem illud eſt, quòd in eo cœnobio olim vixit ſancta quædam virgo ſacratæ Paſſioni deuotiſſima: quæ vbi mortua eſt, præcipua Dei diſpenſatione & voluntate cor ei extractum fuit, & adapertum, in quo & nunc omnia ſacræ Paſſionis inſtrumenta impreſſa cernuntur; & in fellis veſica tres glãdes repertæ ſunt ſingulæ auellanæ magnitudine, quæ ſi ponderantur, inuenitur, vnam duabus pondere ex altera parte reſpondere, & vnam tribus. Vnius enim pondus notant alia re, & hac in altera lance poſita, & in altera illæ tres glandes ponuntur, & ita inuenitur tribus vnã pondere reſpondere. Quod triũ diuinarum perſonarum myſterium declarat, in quibus vnica tantùm eſſentia in tribus perſonis eſt. Vnde non minor vna eſt, quàm omnes tres, quòd vnius eſſentia eſt eadem, quæ in tribus eſt.

In eadẽ Italia ſatis notum eſt miraculum ſanguinis S. Ianuarij. Loco enim à Neapoli diſtanti ſex millia paſſuum hic glorioſus Martyr iugulatus fuit, vbi quædam mulier pietate adducta humi ſanguinis aliquantulum illius Sancti collegit, & in ampulla conſeruauit, in qua & nunc cõſeruatur, & ita durus, vt ſi lapis eſſet: & quotannis primo ſabbato Maij huius ſancti caput quodam loco ciuitatis Neapolis collocatur, & in ſolenni proceſſione per totam ciuitatem defertur hæc ampulla, in qua ille ſanguis durus exiſtit; qui vbi ad locum

aduenit,

aduenit, vbi Sãcti caput est, coram omnibus liquefit ita, vt, quod tam durum erat, liquidum fieri, & moueri in ampulla, & spumam emittere cernatur, non aliter, ac si tunc de Sancti capite exhauriretur. Et ita omnes congregati & sociati idem caput, & sanguinem liquefactum, in processione deferunt, & in suo solito loco reponunt, quæ est maior ecclesia Neapolis, in quadam parte vbi multa Sanctorum corpora sunt, & sanguis in suo loco positus à suo capite seiunctus iterum durescit. Et non solùm hoc die ad id stato, sed quotiescunque apud suum caput ponitur, iterum funditur ita, vt dictum est, scilicet moueri conspicitur, & in sanguine nonnullæ paleæ, quæ cum sanguine ab illa pia fœmina collectæ fuerunt. Neque cõsentaneum est, vt hinc discedat Christianus, & diuinæ prouidentiæ amorem, & benignitatem non agnoscat, tum vt suos Sanctos honoret, (cùm tam multis annis pòst, ex quo sanctus Martyr eum sua passione honorauit, hoc miraculo illum Sanctum honorat, toties repetito, vt ita ille Sanctus magis honoretur) tum vt incredulos miraculorum illuminet, & vincat, cùm hoc tam notum & manifestum fit.

Neque miraculum omnibus notum præterire volumus, virtutem, quæ in Gallorum Regibus est sanandi illius morbi, qui struma dicitur, & contagij species, & incurabilis morbus est. Ille enim Dominus (ad cuius prouidentiam spectat suis creaturis remedium prouidere) inter innumerabiles herbarum medicinalium species, quas ad morborum depulsionem nostrorum corporum creauit, huic incurabili morbo, in tantis viris, & Christianissimis, vt Galliæ Reges, & illorum successores sunt, non solùm regni hęredes, verùm etiam fidei S. Ludouici eiusdẽ regni gloriosissimi Regis remedium esse voluit. Quòd autem id miraculum sit, ex eo conspicitur, quòd sine emplastro, sine purgatione, sine sanguinis missione, nullaq; alia medicina hunc morbum curant, solùm ægrotos tangendo, & dicendo; Rex Galliæ te tangit, Deus te sanet. Huius autem miraculi die dicti Reges sacram sumunt hostiam, se omni deuotione parantes, vt Deus per eos hanc miram operetur sanitatem.

De alijs miraculis nostra memoria compertissimis.

NEMO mihi vitio vertet, si in hac miraculorum relatione, de ijs mentionem fecero, quę omni diligentia adhibita mihi compertissima fuerunt. Mihi enim multi sunt auctores tam antiqui, quàm recentes, qui miracula suis temporibus facta diligenter in memoria conseruanda censuerunt, illud Tobiæ ab Angelo Raphaele dictum memoria tenentes: Bonum est, inquit ille, Regum secreta tacere, at Dei opera, & mirabilia publicare, maximè laudabile est. Ego igitur id spectans, Dei operum, quę in hoc catholico Lusitanię Regno ipse oculis vidi, in hoc libro testimonium adscribam. Tob. 12.

In Eurora ciuitate est virginum Augustinianarum cœnobium S. Monica appellatum, in quo Iesu pueri imago est. Post Natalis festum solent illę virgines, cui datum est, illum puerum sumere, & in suo oratorio collocare, & quotidie ante illum aliquas preces fundere, anno verò elapso aliqua parua veste eum induere, & ad eum locum referre, vnde sustulerunt. Tum fortè quædam religiosa omnibus virtutibus ornata, quæ adhuc viuit, & diuersis & grauissimis morbis duodecim annis afflictata fuit, & primis tribus annis elapsis nerui, qui in poplitibus sunt, ita contracti fuerunt, vt vel duobus feru-

lis iret, vel quadrupedaret. Hoc autem morbo ferè octo annis detenta fuit, cui penè omnes medicinæ, & medicamenta, quæ fieri possent, adhibita sunt, vt illi nerui molliores redderentur, atque distenderentur, idq; sine vllo fructu. Preterea ad Caldas perducta fuit, quæ sunt balnea, in quibus aquę calidę sunt, & ad frigidos morbos satis accommodatæ, & ad neruorum attractorum extensionem; attamen ei nihil profuerunt. His omnibus remedijs adhibitis, Medici sibi diffidentes, multis antè annis nullum medicamentum illi adhibebant. Hæc pręterea virgo alio grauissimo morbo laborabat. Nam quolibet primo mensium die ita epilepsiæ morbo afficiebatur, vt multæ virgines magna cum difficultate eam tenere possent.

Vbi autem S. Natalis festum aduenit, eò spectabat monacha, vt pueri Iesu imaginem habere posset, vt illam deuotionem exhiberet, quam cęteræ exhibere solebāt. Et ante festum cœpit de cælo illam procurare medicinam, quam in terris habere minimè potuit. Ex quo eam spem consecuta est, fore, vt Deus illam sanaret. quod cuidam monachæ, quæ illius magistra fuit, dixit; quæ quidem illam spem minimi fecit. Sacrum festum aduenit; dum maior Missa celebraretur, hæc monacha apud cancellos inferioris chori sedebat. Cùm autem Epistola legi cœpta esset, statim se sanam factam esse sentit: at nihil dixit, ne Missæ officium turbaretur; qua confecta, surrexit, & matribus dixit: Ego pueri Iesu magna bonitate, & misericordia sana sum. Tunc vna ex matribus, quæ manu baculum gestabat, ei porrexit, eam huiusmodi auxilio egere existimans, vt ambulare posset: illa verò manu illum capiens, cœpit per chorum ambulare, & cùm videret sine eo facile incedere posse, eum proiecit. Tantam multę fuerunt lachrymę & singultus illarum omnium, & gratiæ, & laudes, quas Deo dabant, tanta admiratio, & timor, cùm viderent eam suis pedibus ire, quę octo annos ferulis tantummodò ibat; in toto autem choro tantus motus factus, vt omnes, qui in ecclesia erant, sibi narrari vellent, quo modo res se haberet, & illo die toto attonitæ ibant in animo suo hoc miraculum euoluentes.

Tunc illa, quam antè diximus fuisse huius monachæ magistram, ad puerum Iesum se contulit, & in lachrymarum lætitię & pietatis flumē conuersa, manibus sacrū filium suscepit, & eum osculari non cessabat, inquiens: Domine sanasti Creueram, Domine sanasti Creueram, (sic enim illa vocabatur) hęc verba sæpius repetens. Ille autem sanctus puer hac misericordia non contentus (illius enim opera, & gratię perfectæ sunt) epilepsiæ quoque morbo eam liberauit, qua eam laborasse antè dictum est. Nam paulò pòst primus Ianuarij dies cùm appropinquaret, cumq; hoc accidēs expectaretur, nulla molestia affecta est, imò eo die matutini hora à somno excitata est, & astulis sonum fecit, vt solebat, & neque illo die, neque in posterum vsque ad hoc tempus vnquam illum morbum passa est. Hoc miraculum statim ad aures omnium illam ciuitatem habitantium peruasit, & finitimorum etiam, & per Ordinarium huius rei facta est diligens inquisitio, quam scriptam ego legi. Neque hoc veritatis argumento contentus, meos oculos huius rei testes esse volui. Ad illud enim cœnobiū me contuli, & omnibus matribus vocatis ad inferiorem chorum, aderat cum illis & hæc virgo; quam rogaui, vt me præsente deambularet, quod fecit tam bene, quàm si nullo vnquam morbo laborasset, & hoc tempo-

tempore viuit, & illius sanitas huius miraculi testimonium perhibet.

Hęc monacha in illo monasterio amitam habebat loci Abbatissam, quæ illi magis mater, quàm amita erat, & ita omnibus illis annis eam multis sumptibus, magnaq; molestia, tanquam filiam medicauerat. Quæ quidem primis diebus illius miraculi penè stupefacta, & tristis ibat: cui cùm reliquæ monachæ dicerent, Quid mater? Omnes lętæ sumus propter ea, quæ vidimus, & tu tam tristis, & ægra incedis? respōdit illa: Matres, huius miraculi stupore, quod ego vidi, & hoc tanto pręmio, quod mihi Deus tribuit, apud me non sum. Hęc est summa illius miraculi, quod factum est, quo die puer Iesus natus est. Sed qui illas virgines audiret hanc historiam, cum ijs omnibus quæ vera concurrerunt, particulatim narrātes, vt ego audiui, licet duro corde esset, multas lachrymas deuotionis, & admirationis profunderet.

Hoc autem miraculum non solùm fuit: nam multa deinde alia consecuta sunt. Ex ijs tamen omnibus vnum tantùm animaduersione omnium dignissimum ascribam, & publicum, & quod satis probè mihi compertū fuit. Apud hoc cœnobium quædam mulier morabatur satis probè virtutibus ornata, & vt columba simplex. Hæc quatuor annis cruribus capta & debilis in lectulo iacebat, & vnà cū hoc morbo sæpe molestissimis symptomatibus laborabat: cùm autem hæc ęgrota peccata sua confiteri, & sanctum altaris Sacramentum sumere volebat, in illius monasterij ecclesiam in sella sedentem deferebant. Cùm igitur illuc quodam die esset delata, vt solebat, vbi primùm sacerdos Sacramentum altaris administrauit, ei dixit: Hîc expectes, vt te puero Iesu offeras. Sacerdos igitur de altari puerum Iesum sustulit, & illum ei obtulit: ipsa verò vbi illius vestem contigit, sibi intrinsecus dici visum est; Surge. cumque surgere incepisset, illius pater, qui ad illius latus erat, existimans solita mala affectione commoueri, eam tenere cœpit. Illa tum respondit: Ego surgere possum. Et ita surrexit sana illa, quæ tam debilibus cruribus erat, & ita sana proprijs pedibus domum reuersa est; & quicunque in ecclesia erant, attoniti & stupefacti, quòd eam per se ire videbant, quę antea in sella deferri solebat, eam domum suam comitati sunt. Illa autem dicebat non aliter multos post se venire, vt hoc miraculum viderent tam nouum, ac solent post eum, qui ad mortem capite damnatus ducitur. Vniuersa illa gens huius miraculi testis fuit.

Ego autem ab ipso Medico, qui eam curabat, & Fregosus dicebatur, scire volui, quisnam illius morbus esset: qui vt testis, qui rem tractauit, tam de annis, quibus illo morbo laborauit, quàm de morbi causa, me certiorem reddidit: neque eo contentus fui, sed ter aut quater ad hanc mulierem me contuli, adeò maximam percipiebam voluptatem, & admirationem ex huius miraculi historia, vnà cum omnibus illius morbi circunstantijs, & modo sanitatis: & illud memoria teneo, postremò me ad eam iuisse, vt sciscitarer, nūquid domum reuersa fuerit baculum manu gestans, nec ne; sciens Dei curationes miraculosas perfectas esse debere; responsum mihi fuit, quòd non gestabat. Alius celebris Medicus illius ciuitatis, nomine Ariez Diaz, huius infirmitatis notitiam habebat, & maxima admiratione perterritus eam visit, & ab ea petijt, vt se præsente deambularet, vt id oculis cerneret, quod fama ad suas aures pertulerat: quod factum est, & ille Medicus Deo gratias agebat, quòd tantum miraculum videret.

Sequun-

Sequuntur adhuc miracula.

NOLO, vt puer Iesus longè à nostris oculis absit; qui licet infans sit, ad omnia tamen miracula est omnipotens. Et tale illud est, quod hic à me narrabitur, & intra decē annos in cœnobio virginum ordinis S. Bernardi, quod est in terra Coz in Aliobazæ finibus, accidit. In eo cœnobio quædam virgo duodecim annos nata, & paulò antè monachali habitu induta, mensis Octobris initio ægrotare cœpit. Longum esset omnia narrare, quæ huic virgini acciderunt grauissima, vt est epilepsia, & cætera huiusmodi, quibus Medici nunquam remediũ accõmodatum inuenire potuerunt. Quo monachę maxima molestia afficiebãtur, cùm viderēt quæ illa dies noctesq́ pateretur, & nullum remedium aut leuamen ei reperiri. Hæc molestia à festo S. Martini vsque ad Christi natalia perdurauit. In eodem cœnobio habebant monachæ in quodam loco sanctum Pręsepium, in quo & puer Iesus cum sanctissimæ Matris imagine erat. Dixerunt autem ægrotæ, num ad infantem Iesum, qui in eo pręsepio erat, deduci vellet. Quæ cùm se velle respondere; eam per brachia, quòd ipsa per se ire non posset, ad sanctum infantulum sistentes, eum in illius manibus posuerunt. Tunc illa ad Virginis imaginem oculos conuertens, sic dicere cœpit: Domina, hunc tibi minimè traditura sum, quoad bonam valetudinem, qua tibi seruire possim, mihi non tradideris. Quæ dum sæpius hæc verba repeteret, monachis ad id eam adhortantibus, & dicentibus, Dic puella, dic. paulò pòst illa ægrota se humi abiecit, & ibi tam diu, tanquam si dormiret, stetit, quoad monachę, quę aderant, verentes ne quid mali ei accideret, curãrunt, vt se ipsa colligeret. Tunc illa, Cur me, dixit, excitatis? Nunc enim aliam videbam Dominam, alium infantem, aliud præsepium, quæ omnia ab his, quę hîc sunt, longè differunt. Quo dicto, mirifica huius sancti infantis virtute, & illius matris misericordia, quæ tantorum laborum in tam tenera ętate, & innocenti miserta est, tam sana surrexit, quàm si nullo morbo laborasset; & monachæ stupefactę sunt, cùm tantum miraculum viderent, & Deo pro ea gratias egerunt. Statim Abbatissa iussit cuidam monachæ, vt hanc historiam, vt se habuit, conscriberet, quam ego legi, & in mea manu fuit, & duobus antè annis, cùm ego Aliobazæ essem, Serenissimus Cardinalis Infans D. Henricus, qui nunc Rex noster dominus est, hoc cœnobium visit, & ibi monachę ad eum hanc virginem adduxerunt, in qua Deus hoc miraculum operatus est, quo die in terris propter nostram salutem nasci voluit.

Ad hoc aliud miraculum adiungam non minùs notum, quod magnum Dei amorem in suos Sanctos declarat. Fuit quædam mulier, quę Romæ habitabat, cui Deus se valde communicauerat: quæ inter alias molestias, quibus suum corpus afficiebat, vna erat, catenam ferream circa corpus carnem contingentem ferre. Ea mortua, eius confessarius illam catenam, quam plurimi faciebat, condidit, quippe qui illius fœminæ sanctitatem cognoscebat. Cùm autem Reuerendus P. F. Franciscus Forerus, completo Tridentino Concilio, Romam iret, & huic Patri propinquitate esset coniunctus, ab eo huius catenæ annulũ tanquam pretiosam rem accepit. Idem autē Pater cùm in hoc regnum venisset, nostræq́ prouinciæ esset Prouincialis, Auerum peruenit, vbi nobile virginũ eiusdem ordinis cœnobiũ erat: quod ingressus, vt domum visitaret, intel-

intellexit nobilem ibi esse monacham, at ita morbo affectam, vt illius loci Physici, & alij qui de Porto illuc venerunt, illi nullum esse remedium existimarent; & illius vestes, vt in illa domo fieri solet, pro Dei amore datæ erant. Ipsa verò iam ex altera parte mortua erat, & super hepar duritiem habebat lateris magnitudine, in labris squamę fuluę inerant, tantum erat corpore debilis, vt, cùm ei lectum sternere volebant, opus esset eam linteis tollere, quòd aliter commoueri minimè posset. Supradictus P. Prouincialis ad eam, vt salutaret, se contulit, eamque adhortatus est, vt æquo animo ferret, quidquid Dei voluntate illi accideret. Eique illum annulum catenæ tribuit, quem secum habebat, inquiens cuiusdam sanctę mulieris fuisse. Inde se ad cœnobiū suorum fratrum recepit, quod non longè abest: ægrota verò ad aurem admouit illud ferrum, eius partis, quæ paralytica & iam demortua erat, qua quidem aure nihil audiebat; & statim audiuit, & ei dixit, quæ sibi ægrotæ seruiebat: Soror, ego audio. Illa respondit; Admoue etiam ad duritiem, quam super hepar habes. Quod fecit, & statim Dei virtute, & eius seruæ meritis, illa duritie mollis effecta est, & perfectè se sanam esse cognouit. Hoc per totum cœnobium percrebuit: ad eam concurrunt virgines illæ omnes, alienis vestibus, quòd illius pauperibus datæ erant, induunt; & omnes cum ægrota, quę iam suis pedibus ambulabat, ad chorum eunt, vt pro hoc miraculo Deo gratias agant, idque multis lachrymis, & singultibus. Huius rei fama ad aures Prouincialis peruenit, qui vbi ad cœnobium peruenerat, iam comedere cœperat, & illi narratum est, quidquid acciderat. Pransus ad illud cœnobium se contulit, ægrota suis pedibus ad sermonis locum iuit penitus sana, & sic semper se habuit.

Hoc ego ab ipso Patre Prouinciali audiui, & ab illius comite; deinde à Patre Priore cœnobij Aueri, qui & eiusdem virginum Vicarius est, cum quo sæpe de hoc miraculo sermonem habui. Et vt huius rei veritas mihi magis comperta esset, ad illius cœnobij Abbatissam scripsi, vt huius miraculi historiam fusè mihi perscriberet: quod quidem fecit, & primariarum matrum illius loci testatum chirographis ad me misit, & apud me conditum seruo. In cuius scripturę fine addunt, se maximas gratias Deo agere, quòd sibi hoc miraculū videre suis temporibus permiserit. Hoc miraculum eam habet opportunitatem, (vti dixi) vt inde intelligatur, quantopere Deus suos fideles seruos diligat, & honoret, qui tantam vim rebus tribuit, quæ illorum corpora contigerunt: cùm tanto pòst tempore, tantoque locorum interuallo, voluerit vt illud parum ferri longè omnes medicinas superaret, & naturę leges, cùm statim valetudinem tribuerit, quam omnis vis naturæ, & medicinę negauit.

Apud hanc Aueri terram est ciuitas Porti, vbi ab hinc sex annis, paulò plus vel minus, miraculū magis celebre, & magis nobile accidit, quàm aliud, quod vnquam in hoc regno, vel hac ætate contigerit, & sic se habuit: Apud duas studiosas fœminas quædam puella cæca degebat, cui nulla vnquā medicina profuit. Accidit vt quędam puella ad has fœminas quoddam mantile perferret, quo Crucifixus cœnobij S. Dominici illius ciuitatis pręcinctus fuit, vt lauaretur. Tunc altera ex illis duabus sororibus manu cepit illud mantile, & hæc verba dixit: Domine Iesu, cùm tua vulnera sint omnibus hominibus aperta, placeat tibi huius cæcę puellę oculos aperire. Hoc dicto maxima fide, & deuotione, mantile oculis puellę admouit; & statim illorum pretiosorum vulne-

rum virtute illi ad aperti sunt oculi, & visum, quo carebat, consecuta est. Illæ bonæ sorores vellent quidem id tegere potuisse: sed, quoniam tum cæcitas, tum visus vicinis notus erat, id minimè potuerunt. Hoc ad Ordinarium delatũ fuit, qui vt rei veritatem assequeretur, multos interrogauit testes, quibus omnino veritas comperta est. Tunc communi cõsensu tam ecclesiasticorum, quàm secularium, generales supplicationes factæ sunt, & satis solennes, & omnium ecclesiarum campanæ sonabant, vt in solenni festo fieri solet. Puellam in sinu gestabant illius capiti corona imposita, vt & omnes eam conspicerent, & omnes vno ore Deo gratias agerent, qui sic omnium, qui fide & pietate ab eo auxilium petunt, necessitatibus fert opem. Eodem mantili post hoc alia miracula facta sunt; sed cùm non ita nota sint, vt hoc, ea hic scribere nolui.

Ad hoc miraculũ aliud satis notum addam. Doctor Gueuara, vir multa fide dignus, cuidam monachæ cœnobij Celæ, in quo multæ monachę sunt ordinis S. Bernardi, medebatur, quę per tres annos habuit crus penitus debile, quo nullo modo vti poterat. Aduenit dies festus Reginæ S. Lusitaniæ, per quã preces in hoc regno fundimus, illius Vita & miracula impressa sunt. Hęc igitur monacha, quòd pręcipua deuotione in hanc sanctã Reginam affecta erat, decreuit de lectulo surgere matutini hora illius festi diei, & sella delata est, quòd aliter ire minimè poterat. Illa autem dum ad preces matutinas staret, se sanam esse cognouit, & Deo gratias egit, & illi sanctæ Reginæ, cuius meritis sanata fuit. Cuius miraculi omnes illius cœnobij virgines testes sunt.

Vbi autem in huius Reginæ mentionem incidi, quòd maximè cognitione dignum est, & in illius Vita scribitur, silẽtio non prætermittam. Habebat hæc Regina puerũ omnibus virtutibus ornatum, & præsertim fidelitate, per quem eleemosynas faciebat. Sed alius quidam puer perditis moribus de hoc studioso puero ea ad Regẽ detulit, vt ipse rex eum interficere decreuerit. Vnde iussit cuidam calcis artifici, vt cùm tali die, & hora, ad eum misisset quendam puerum, ipsum in calcariæ ignis medium proijceret. Puerum igitur die & hora dicta illuc misit: at cùm solitus esset in ecclesiam ingredi, cùm campanæ sonitum audiebat, qua significabatur hostię ad populũ ostensio, & ibi permanere vsque ad finem, tantum spatium in nonnullis ecclesijs consumpsit (ita Deo disponente) vt hora data præterierit. Tunc Rex rei exitum cùm scire vehementer desideraret, alium puerum, qui erat calumniator, ad calcis artificem misit, sciscitatum num perfecisset, quod à Rege sibi impositum fuit. Ille autem hunc esse puerum existimans, de quo Rex locutus erat, brachijs apprehendit, & in calcariam proiecit. Hoc modo summus ille iudex innocentis causam tutatus est, & reum debito supplicio affecit; & in eum illud malum conuertit, quod ipse alijs moliebatur, vt facere solet. Hoc casu Rex veritatem agnouit, & pœna huius tam inopinati exitus alterius pueri innocentiam, & alterius improbitatem cognouit. Hoc non vt miraculum, sed vt historiam cognitione dignam, narraui.

De alijs recentioribus miraculis.

ED quoniam miracula recentia, quorũ testes præsentes sunt, hominũ corda magis mouere solent, à Christiano lectore peto, ne defatigetur, si ad ea, quæ narrata sunt, alia tria adiunxero. Quę cùm tam noua

noua sint, veniam ab ijs, quos spectant, petenda fuit, vt ea scribere possem.

Primùm autem vnum referam tam magnum, tam certum, atque notum, vt si gentilis essem, satis esset, quod me ad fidem conuerteret, non aliter, ac satis fuit illud cùm Naaman per Prophetam Eliseum à lepra liberatus fuit. In 4 Reg 5. hac Olysippi ciuitate habitat quædam nobilis mulier, nomine Catherina de Thaide, domus Villæviridis domina, de cuius virtutibus nihil hîc attinet dicere, cùm nolint Sancti, vt viuos laudemus, sed mortuos. Tunc enim laus nec laudatos, nec laudantes damnat. Hęc nobilis fœmina cùm ætatis suæ annum ageret decimum tertium, aut quartum, in maximum morbũ incidit, & cum ijs symptomatibus, quę illam ad mortem perducebant. Tandem eò peruenit, vt, quęcunque ad funeralem pompam necessaria essent, iam parassent. Eo tempore illius nutrix, quæ eam educauerat, & ab ea suæ vitę subsidium, suorumque filiorum expectabat, ad sanctissimæ Virginis ecclesiam iuit, & multis cum gemitibus & lachrymis ei vitam orabat; quibus quidem id exorasse ab ipsa Virgine Maria credendum est, & ita paulatim tribus mensibus cum dimidio elapsis conualuit, sed ita, vt corporis pars sinistra tota paralytica remanserit, tantoq́ue cum tremore, vt si qui brachium tenere vellet, ei quoque penitus tremeret.

Hoc per nouem menses perdurauit, cui licet omnes ciuitatis alicuius nominis Medici omnia remedia, quæ fieri poterant, adhibuissent, nihil tamen illi profuerunt. Illa autem semper in Virgine Maria spem habebat, fore, vt ex illo iam deplorato morbo valetudinem etiam tribueret integram, inquiens, Virginem gratias diuisas minimè facere. Nouem ijs mẽsibus elapsis, eam ad quoddam cœnobium Carmelitarum perduxerunt, quod in eadem illius terra erat; cuius ecclesia dicitur Domina nostra reliquiarum, & est domus multæ deuotionis, & à multis peregrinis frequentata. Ipsa autem ante Virginis imaginem abiecta suppliciter, anum audiuit post se, quę magnopere à Virgine suo filio ægroto valetudinem petebat. Tunc inde occasionem cepit, vt & ipsa Virgini preces funderet, inquiens: Domina, si huius anus fidem haberem, salutem mihi tribueres. Dum hęc verba dicebat, & alia huiusmodi, quæ illius fidem declarabant, illius Dominæ virtute, quæ est mater misericordiæ, se sanam esse factam statim cognouit. Quo sic perterrita fuit, & tanquam attonita, vt vbi esset profectò nesciret. Tandem confestim surrexit, & ad Comitissam suam matrem, quæ in eadem ecclesia erat, se suis pedibus recepit, quæ pariter admiratione stupefacta est: & omnes, qui aderant in ecclesia, qui erant multi, cùm dies Dominicus esset, cœperunt conclamare miraculum. Quod cùm cœnobij Patres audirent, Deo gratias agere cœperunt, & cantare: Te Deum laudamus. Postridie autem eius diei solennem processionem propter hanc causam omnes illius terrę sacris initiati fecerunt, in qua & hęc nobilis fœmina fuit, suisq́ue pedibus semper iuit; cùm verùm fuerit, quod superioribus nouem mensibus nunquam ne passum quidem sine ferula in altera parte, & ab altera alicuius brachio sustentata, ire potuerit. At in posterum ita sana fuit, vt dicere solita esset, valetudinem datam à nostra Domina ex lapide & calce esse. Cuius rei illud argumentum est, quòd nunc quotidie in ecclesia à summo manè vsque ad horam aut duas ante meridiem genibus flexis sine vlla defatigatione perseuerat. Et in huius beneficij memoriam

quotannis hęc illustris fœmina diem, quo sanitatem consecuta est, celebrat maxima lætitia in Virginis honorem, quem diem & famuli, & tota familia sanctificant vt diem festum, vt huius miraculi memoria conseruetur. Cuius rei omnes illam terram incolentes, & huius dominę familia testes sunt, & Patres, qui in illo cœnobio commorantur.

Huius rei fama statim multi ex finitimis locis concurrerunt, vt hoc opus viderent, quod fecerat Virgo Domina nostra, tam diuturnum morbum miserata. In quo licet videre non solùm Deum miracula facere ad nostræ fidei confirmationem, verùm etiam, vt nonnullis necessitatibus, & morbis succurrat, quibus nulla industria mederi potest, vt hic morbus fuit, vnà cum quatuor superiùs narratis. Præsertim cùm vitæ integritas, & puritas virginalis vnà copulantur cum morbo, sicut superioribus accidit; cùm hæc virtus virginum Virgini, & Agno, quem illę sequuntur, quocunque eat, tam grata sit. Apo. 14.

Aliud miraculum ab ijs differens, quod nunc narraturus sum, licet fuerit & sit valde notum, tamen mihi dubium fuit, nunquid illud scriberem: at cùm recordarer simile esse ei, quod S. Benedictus fecit, cùm vas fictile renouauit, quod de manibus suæ nutricis in terram ceciderat, & fractum fuerat; & alteri huiusmodi, quod in Vita S. Antonij narratur; & alteri, quod in suis Dialogis Gregorius narrat, de quodam sancto viro, qui coniunctis fragmentis cuiusdam lampadæ, ita integram reddidit, vt primùm fuit; mihi faciendum visum est, vt hoc quoque, cùm illis simile sit, narrarem, quibus autem id contigit, adhuc in viuis sunt. Quidam eques, qui in terra Setubal habitabat, ad piscandum ire volebat, & suæ ancillæ iussit, vt arundinem sibi deferret, qua ipse satis bona ad id solebat vti. Hæc autem ancilla, cùm ab ea vellet puluerem abstergere, tenuiorem partem humi defixit, & ita grauiter manu pressit, vt arundo in multas partes fracta sit, & ita, vt nulla illius pars esset digito maior. Hera verò, quæ aderat, iram mariti timens, se ad Virginem Dominam nostram, & ad nutricem suam mortuam, à qua educata fuit, confugit, & ab ijs remedium petijt, (de cuius sanctitate & miraculis multa scribi possent, quòd ea familiariter vsus sum, quæ ita Dei amore bulliebat, cùm iam grandis natu esset, vt nonnunquam diceret: Omnis maris aqua nequiret ignem, qui in meo corde ardet, extinguere) hac igitur oratione facta, eques, qui ad domus portam erat, arundinem petijt; quę cùm ad eum deferretur, se ipsa fragmenta ita ad inuicem coniunxerunt, vt primùm se habuerunt, & eodem laqueo in extrema parte, cui alligabatur filum ad captandos pisces. Cùm autem filius huius fœminæ egrederetur, & arũdinem integram videns, statim currẽdo ad matrem veniret, inquiẽs; Domina, canna integra est, canna integra est; ei colaphum infregit, & dixit; Accipe hoc leuiusculè, vt in posterum à mendacijs caueas. Tunc famula venit, & videns integram cannam, cucurrit ad heram, & idem valde perterrita dixit. Cui respondit: Tu quoque mendacijs delectaris, vt & ille leuiusculus? Si fragmẽta hic mihi adsunt, quomodo fieri potest, vt integra facta sit? Huius nobilis fœminæ egreditur amita, vt idem videret; cumque verum esse cerneret, regreditur statim stupefacta, & quasi extra se posita, & rem ita se habere confirmat. Id omne intelligebat ille nobilis vir, & id, quod acciderat, admiratus, iussit vt arundo custodiretur,

retur, ea vti in posterum non audens, tanquam re sacra, & in qua Deus suam manum posuerat. Et partes illius arundinis habui ego apud me aliquot annos ob memoriam illius miraculi. Et licet res sit admiratione digna, nō erit tamen incredibilis ei, qui huius nobilis fœminæ virtutem & mansuetudinē, & nutricis sanctitatem, qui eam educauerat, cognoscet.

Ex hoc autem exemplo intelligemus, quàm pius pater sit Deus, qui tanta misericordia ad suos fideles seruos se conuertit, cùm eum vocant, non solùm in rebus magnis, verùm etiam in valde paruis, vt hæc fuit. Quod S. Bonifacij exemplo confirmabo, quod S. Gregorius in primo suorum Dialogorum refert. Hic Sanctus adhuc puer cùm esset, ad suæ domus portam vidit vulpem venire, quæ gallinam rapiebat, & secum perferebat, vt aliàs facere solebat. Tum ille sanctus puer in ecclesiam cucurrit, & supplex dixit: Placet ne tibi Domine, vt hæ gallinæ, quas mea mater educat, vt suam tenuitatem sustentet, à vulpe comedantur? Ab oratione surrexit, & domum reuersus, quò & vulpes venit, & gallinam restituit, quam ore deferebat: & ipsa vulpes ad pueri pedes mortua est, sua morte pœnam culpæ luens. Hic autem quis Dei suauitatem, benignitatem, & amorem in puras & simplices animas non cernit? Quis non timet, cùm illam maiestatem, qua cæli potestates tremunt, pueri voci respondere, & tam paruæ rei remedium afferre videt? Iure quidem optimo Petrus S. Gregorij Diaconus admiratur, cùm diuinam maiestatē ad tam paruam rem, vt hæc est, procliuem cernat: & S. Gregorius respondet, dicens hanc esse præcipuam Dei dispensationem, qui hoc modo suis fidelibus seruis vult declarare, quàm futurus sit eis propitius in magnis rebus, cùm in minimis tantum eis auxilium ferat.

Nunquam profectò in narrando tam propenso Dei amore in fideles seruos suos defatigabor: Ob id huic rei finem imponam, si priùs rem narrauero, quæ huius amoris facilitatē declarat: quod quidē nō inuitus faciā, ꝙ mihi præ manibus fuit, & tam recens, vt mēse Maij Anno M.D.LXXXII. acciderit. In hac nostra Olysippi ciuitate fuit quædam nobilis puella, sed admodum tenuis; quæ inter alias virtutes valde tacita erat, solitaria, deuota, humilis, mā-sueta, & suis parentibus obediens, & propter hanc causam illis valde dilecta. In quendā morbū incidit, qui tandem eò peruenit, vt in hecticam febrim se cōuerterit. Morbus nouem perdurauit menses, quē maxima cum patiētia ferebat, & Deo semper gratias agebat. Cùm erat sola, audiebatur verba proferre cuidam Crucifixo, quem illic habebat, satis deuota, & amoris plena, & sæpe dicere audiebatur: Domine, quando me de hoc carcere educes? Quando ibo, & apparebo coram te, & præsentia, & pulchritudine tua fruar? Hæc & huiusmodi verba sæpe maximo cum amore, & deuotione repetebat. Quamobrem ille Dominus, qui virginalis puritatis, & animarum humiliū & mansuetarum, quæ eum in tribulationibus inuocant, amator est, eam exaudiuit, & consolatus est, eiq; promisit fore, vt suæ gloriosæ Ascensionis die perficiat, quidquid petijt, vt eam secum eo die ad cælum extollat. Quo verò modo ei promiserit, ignoratur: nemini enim id manifestare voluit. At quindecim dies ante hunc diem festum, cùm illius mater in lachrymis & planctu versaretur, quòd filiam, tantoperè à se dilectam, à Medicis derelictam videret, ei dixit: Ne lugeas mater, has lachrymas ad diem Ascensionis serues.

Huius diei vesper aduenit, quo quidem non magis suo morbo afficiebatur, quàm antea. Tunc hospes, quæ domi erat, illius valde familiaris amica, ei ridens dixit: Heu mendax quidem es, nosq; decepisti, cùm diceres fore, vt Ascensionis die ex hac vita migrares. Ad id ægrota nihil respondit, licet id fore, quod dictum erat, certò sciret. Die autem postero illius festi, nescio quid confessario suo domum misit, qui eam sæpe visebat, & illius peccata audiebat, & aliqua charitate ei ferebat opem, cui dictũ voluit Bene valere suo nomine, quòd discederet eò vbi suo sponso & Domino frueretur. Statim etiam matrem vocauit, & nonnullas reliquias, quas in capite habebat, cepit, & matri dedit, & annulum, quem quædam illius amica digito imposuerat, iussitq;, vt ei redderetur. Iussit præterea nutrici, quæ illam educauerat, vt nouum indusium sibi ferret, quod ipsa habebat; duo nummi aurei illi soluerentur, quos ab ea mutuo acceperat, & propter hanc causam quædam eius vestis venderetur, reliquum verò quod esset, pro anima sua pauperibus daretur. Hoc autem dicto, vbi meridiei hora aduenit, Crucifixum altera manu cepit, & moriendi cereum altera, & ita mortis iter ingressa est. Cùm verò mater id vidit; Filia, inquit, ora Deum pro me, vt hunc haustum deglutire possim. Illa multa fide dixit fore, vt quod postulabat illi concederetur. Hæc autẽ inquiens, & deuota verba Crucifixo pronuntians, spiritũ Deo reddidit, & vbi expirauit, horologium horã post meridiem significauit, qua Saluator noster ad cælum ascendit.

In quo cernitur (vti diximus) quàm tener, & suauis in puras animas sit Dei amor, cùm non illi satis fuit hanc animam ad suam gloriam perducere, sed illud etiã addere voluit, vt ei diem reuelaret mortis, isq; esset idem, & eadem hora, qua ipse ad cælum ascendit. Non est profectò valde mirum, Deũ nostrum, & Dominum suos fideles seruos diligere: sed quod admirationẽ affert, est, hunc amorẽ esse tam tenerum, tamq; suauem, illi similem, quo sponsi in suas sponsas affecti sunt, & parentes in suos paruulos filios, quos in sinu gestant, & illis blandiuntur, & osculantur. Quod sæpe fecit hic Dominus, cu-
Proue. 8. ius deliciæ sunt esse cum filijs hominum. Hoc illud est, quod illorum corda surripit magis, & in causa est, vt mille mortes appetant pro eo Domino, qui tam dulcem, tam suauem, tam amantem se illis præbuit, vt in superiori exemplo videre licet. Mater verò cùm videret ita factum, vt prophetauerat filia, & hinc sibi persuaderet filiam ad vitam æternam peruenisse, ita sibi gauisa est, vt in gratiarum actione continuò versaretur, quòd Deus sibi eiusmodi dedisset filiam; & sepultam eam videre, & aqua benedicta aspergere ausa est.

Miraculum in curatione eorum, qui spiritibus immundis corripiuntur.

INTER miracula, quæ nostram fidem confirmant, narratur etiam Dæmonia de humanis corporibus eijci. Et verum esse, quòd Dæmoniaci reperiuntur, non solùm omnes scripturæ sacræ testantur, quæ harum rerum plenæ sunt; sed multorũ etiam experientia, qui hoc viderũt: idq; à cælorum influentijs, & varijs stellarũ aspectibus non perfici, verum est. Cælum enim artificialia facere non potest, sicut sunt illa, quæ in Dæmoniacis videntur. Nam licet ignari sint, Latinè loquuntur, campanas pulsant,

Digitized by Google

pulsant,& cùm egrediuntur,aliquo modo id significant; & multis, qui præsentes sunt, multa dicunt,quæ ipsi clam fecerunt; & alia huiusmodi, ad quæ cælorum influentiæ minimè se possunt extendere.

Hæc autem dæmonia malè torquent humana corpora, vt apparet in Cananeæ filia, qua malè ab hoc maligno spiritu torquebatur;& in illo puero lunatico, qui sæpe in ignem cadebat; & in alijs innumerabilibus. Et licet hic hostis sit tam potens,& peruersus, & tam vehementer appetat Dei creaturas malè tractare,(vt de Deo,qui de cælo eum deturbauit, vindictam sumat) tamen maxima vi de corporibus hominum eijcitur, Ecclesiæ Catholicæ precationibus,cùm exorcizatur in nomine sanctissimæ Trinitatis, & Christi Saluatoris nostri, & per mysteria sacratissimæ Passionis, Resurrectionis,& Ascēsionis,& per merita B.Mariæ Virginis: per cuius virtutem, vel inuitò de corpore afflicto egreditur,& sui exitus signum dat,& in posterum Dei creaturam liberam relinquit. Et ad maiorem huius veritatis confirmationem, hic duo narraturus sum in hanc sentētiam satis nota, valde cognitione digna, & quibus fides præstetur dignissima. Matt. 15. Mar. 9.

Primum mihi narrauit Illustris, & Reuerendissimus Gregorius de Thaide,olim Visei Episcopus,nunc Henrici domini nostri Regis Capellanus maior. Ille igitur mihi dixit, Visei affuisse mulierem quandam eiusdem terræ viro nuptá,quæ malè à dęmonio torquebatur;quæ,vt huic morbo mederetur, sæpe sua peccata cōfitebatur,& sanctissimū Sacramentum sumebat,& ad multas pias domos peregrinabatur. Hoc modo amplius quàm duo anni elapsi sunt. Episcopus autem cùm non crederet eam dæmoniacam esse,hanc rem nō animaduertebat,& sic in hac incredulitate perdurauit,quo ad omnia signa id verum esse significârunt, & hanc veritatem illi persuaserunt, qui sibi cum illa fera belua,fide,& Ecclesiæ exorcismis contendendum esse statuit.

Propter hanc causam tres dies ieiunauit,vt præcipitur in simili re, & quotidie Missam celebrauit quàm maxima posset deuotione, ante meridiem sexta hora incipiens celebrare, & Missa confecta,vestitus ita vt erat,vsque ad vnā horam ante meridiem cum illo immundo spiritu decertabat. Id quinque perdurauit diebus, & spiritus nunquam exorcismis parere voluit: in quibus nonnulla inserebantur verba,quibus, dum proferebantur, dæmon maxima molestia afficiebatur, & tunc maximè commouebatur, & ita interdum illam miseram fœminam malè afficiebat, & torquebat, vt nonnunquam illi gula ita turgeret,vt cum mento esset æqualis: verba verò,quibus maximè torquebatur Dæmon,ea erant: Infelix,qui nunquam Deum videbis. Nonnūquam illi dicebat; *Dereliquisti Dominum Deum tuum, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Et quotiescunque hæc verba repetebat, ita illud corpus commouebat, & ita illā infelicem fœminam torquebat, vt illius maritum, qui aderat, & alios eam manibus tenere necesse esset.

Eo tempore audiuit Episcopus ex his,qui aderant,qui dicebāt fieri posse, vt hæc mulier non fuerit baptizata. Facta huius rei diligenti inquisitione, inuentum est, quòd illius baptismi tempore in Ecclesia maximus tumultus fuit, quòd ibi Parocho mandatum fuit à Prælato, ne suo officio fungeretur. Ex quo non perfecit, quod inceperat. Hoc igitur sibi cognito, decreuit Episcopus eam baptizare,& propter hanc causam extra ecclesiam perducta est, vt

exorci-

exorcizaretur, quemadmodum fieri solet. In quo quidem maximā difficultatem experti sunt, quòd dæmonium maximè obsistebat; neque minorem, cùm exorcismis confectis iterum in ecclesiam introduxerunt. Vbi autem ad baptismi fontem peruenerunt, remota vitta vt baptizaretur, Episcopo illa verba proferente: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* eodem temporis momento illa proba mulier manus sustulit, & dixit: Benedictum, & laudatum sit Dei nomen, quòd iam me dereliquit.

Quamobrem quicunque aderant omni deuotione Deum laudabant, cùm tam subitam, & miram sancti baptismi virtutem cernerent. Vt autem Episcopus rei veritatem magis cognosceret, supradicta verba, quibus ita torquebatur, repetiuit, & nihil fœmina commota est. Tunc Episcopus, vbi baptismū absoluisset, ei confirmationis Sacramentum administrauit: & pariter fecit vt maritum iterum acciperet, qui præsens erat, quòd ante baptismum matrimonij Sacramentum non erat. Hoc in ciuitate Visei accidit apud S. Marthæ altare paucis ante annis.

Hoc veritatis nostræ fidei, & sancti Baptismi virtutis, & Passionis, & Christi nominis, cuius potentia inferni potentia deuincitur, quàm magnum testimonium fit, quis non videt? Huius miraculi non solùm ante dictus Episcopus testis est, qui adhuc viuit, sed omnes qui aderant.

Neque illud tacendum est, quod eadem hora accidit, antequam fœmina dæmonio libera esset. Nam cùm hic Episcopus Missam celebraret, qui illi ministrabat, initio aquam pro vino ei tribuit, quòd & vinum album erat, & ita hic contigit error: at cùm sumendi tempus esset, errorem percepit, & statim in calicem vinum infudit, & consecrauit, & sumpsit, idq; ita fecit, vt nullus ex ijs, qui aderant, animaduerterit. At tunc cùm aquam pro vino sensit, dæmoniaca, quæ ad ecclesiæ caput erat, profusum risum emisit, & nemo huius rei causam cognouit, nisi qui Missam celebrabat: intelligebat enim, dæmonium hoc errore valde lætari.

In hanc sententiam aliud simile referam, quod iureiurando mihi, & alijs Doctor Barbosa, Medicus Henrici Regis Domini nostri narrauit: & sic se habuit. Hic habuit quandam puellam seruam nouem annos natam, de Brasilia perductam, qui locus infidelium est, & valde barbarorum. Hæc autem serua satis officiosa, & bonæ indolis erat, sed à dæmonio valde torquebatur. Illius tamen dominus eam epilepsia laborare cùm existimaret, omnibus remedijs vsus est, quæ Medicina ad hunc morbum depellendum tradit: & nihil tamen beneficij inde consecuta est. Et iam nihil à remedijs sperans, in eo elaborauit, vt ab ijs, qui eam de eius patria perduxerant, intelligeret nunquid baptizata esset. Cùm autem intelligeret, non esse baptizatam; baptismum parauit placenta, & cereo, & cum reliquis omnibus ad id requisitis, & ita baptizata est. Ex quo factum est, vt ab eo tempore nihil vnquā ex ijs, quæ antea passa erat, vsque ad finem vitæ senserit. Nihil hîc fingi potest: in tam tenera ætate huiusmodi malitiæ esse non possunt, præsertim, quæ tanti constant, & tam diuturno tempore. Hîc etiam aliud miraculum, & aliud non minùs illustre sancti Baptismi, & nostræ fidei veritatis testimonium habemus.

Ad hoc nostræ sanctæ fidei, & religionis testimonium aliud adiungam, quod illud est. Ante Saluatoris nostri passionem dæmonia in idolorum ore loque-

loquebantur, & illis respondebant, qui eos interrogabant, & hac ratione mũdum deceptum penitus detinebant: efficiebant enim, vt omnes crederent Idolum Deum esse viuum, cùm loqueretur, ac diuinaret. Post autem gloriosam victoriam, & triumphum Crucis (qua antiqui serpentis vires fractæ fuerunt) quemadmodum illius imperium in dies magis imminuebatur, ita & responsa huiusmodi cessabant. Quod non solùm Christiani scriptores, verùm etiam Gentiles testantur. Plutarchus enim grauissimus auctor, & Traiani præceptor, librum scripsit, in quo hoc tractauit argumentum, hoc est, Cur suo tempore Deorum responsa cessassent. Hunc effectum in mundo videbat, veruntamen causam ignorabat, quæ Christi victoria aduersus dæmonium erat.

Cùm autem ad id peruenerimus, hîc non præteribo quoddam Dei singulare opus, & miram cuiusdam Apollinis sacerdotis cõuersionem, quam Eusebius in historia Ecclesiastica refert, vbi de virtutibus & miraculis Gregorij Ponti episcopi tractat. Ille igitur inquit, quòd cùm is sanctus vir hyeme per asperos montes deambularet, & ad iugum perueniens, cùm iam vicina nox esset, totum montem niuibus onustum inuenit, & nullam domum, aut locum, quo ipse tegeretur. Erat tantùm non procul Apollinis templum, & ea nocte in illud se recepit, manè verò suum iter prosecutus est. Illius templi sacerdos solebat ibi Apollinem interrogare, & ab eo responsa accipere, & ea ad sciscitantes referre, & hac ratione sibi victum quæritabat. Vbi verò Gregorius ibi quieuit, veniebat sacerdos, vt solebat; proponebat, quæ scire volebat, responsa petebat, & nihil ei respondebat: ei plura sacrificia offerebat, & nihil proderat; oblationes adaugebat, & continuò perseuerabat mutus. Cùm autem sacerdos maxima molestia afficeretur, sui Dei taciturnitate stupefactus, Dæmoniũ in somnio illi apparuit sequenti nocte, & ei dixit. Cur me vocas eò, quò amplius venire non possum? Et de causa interrogatum, respondit, quòd vbi Gregorius eò ingressus fuit, in exilium eiectus erat. Sacerdos ab eo remedium petijt. Dæmonium respondit, se nullo modo amplius posse templum illud ingredi, nisi Gregorius se ab exilio liberaret. Hoc vbi sacerdos audiuit, statim se in viam dedit, & secutus Gregorium, multis molestijs conflictatur, quoad eum assecutus est. Cui dixit quæcunque acciderunt, remedium ab eo petens pro hospitio & tecto, quod in suo templo inuenit frigoris tempore; quòd suus Deus querebatur, & ipse, quæ ad viuendum essent necessaria, amittebat: ob id eum rogabat, vt ambos in pristinum suum statum restitueret.

Ille vir sanctus absque mora hoc modo Epistolam scripsit. Gregorius Apollini. Tibi permitto, vt ad tuum locum reuertaris, & facias quæcunque solebas. Epistolam sacerdos accipit, & in templum defert, & in Idoli manibus ponit, & statim dæmonium in illud ingressum est, & respondit ad id, de quo interrogatum erat. Tunc sacerdos se ipse colligens dixit: Si Gregorius iussit, & Deus reuersus est; nónne melior est Gregorius, quàm Deus qui Gregorij mandato paret? Hoc dicto, templi portas clausit, & iterum inquisiuit Gregorium, secum Epistolam, quam ab eo acceperat, ferens, & quæcunque acciderant ordine narrauit: & se ad illius pedes abijciens, rogauit illum, vt eius manu vero Deo se offerret, cuius virtute Dij gentiũ ipsius seruis obediũt: & persistente ac perseuerante in sua petitione, catholicam doctrinam eum do-

cere cœpit. Et quoddam tempus castissimè viuens, magna cum abstinentia, non solùm paganorũ erroribus dimissis, sed omnibus exercitijs & bonis mũdanis, baptizatus fuit: & adeò in virtutibus, & vitæ meritis creuit, vt Gregorio in eodem episcopatu successerit. Et non solùm se in virtutum operibus præstantibus conspiciendum præstitit, verùm etiam in doctrina, & in diuinarum scripturarum expositione.

Hæc inquit Eusebius. Quæ hìc referre volui, non solùm pro eo, quod significant Christi victoriam aduersus dæmonia; verùm etiam, vt Dei operum mirabilia cernantur, & media, quibus vtitur, vt animabus salutem tribuat, &
Matt 3. ex lapidibus filios Abrahæ efficiat.

DE OMNIVM MIRACVLORVM MAXIMO, QVAE mundi conuersio fuit. Cap. XXVIII.



NVNC quidem æquum est, vt de omnium maximo miraculo agamus, quæ mundi conuersio fuit, quod quidem cæterorum miraculorum firmamẽtum, & testimonium est, cùm cætera ad id facta fuerint. Hoc quidem longè humanorũ verborum facultatem superare apertissimè video: & propter hanc causam hic auxilium ab eo Domino peto, qui puerorum linguas disertas facit, & per beluarũ os, cùm sibi videtur, loquitur; vt ipse velit aliquam paruam huius tanti miraculi partem dicere, quod hominum, qui illud in animo euoluunt, corda suspensa reddit, & quadam suauitate rapit; vt Isaias Propheta significauit tunc, quãdo loquens cum spiritali Hierusalem, quæ
Isa. 60. Christiana Ecclesia est, inquit: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti cõgregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando cõuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium* (quæ sunt præcipuæ mundi nationes) *venerit tibi.* Hic singularis fructus (qui est Dei operum admiratio) vnà cum fidei confirmatione, & augmento, ex hac consideratione proficiscitur.

Vt igitur huius operis amplitudo intelligatur, necesse est, vt non solùm rem ipsam consideremus, verùm etiam, quæ cum re concurrerunt: id est, quid prædicatum sit, cui hominum generi, qui prædicatores fuerint, qui huic prædicationi obsistebant, quo modo resistebant, & tandem qui fructus ex ea prædicatione consecutus sit. Hæc sex nunc ordine declaraturi sumus.

Quod autem ad primum attinet, cùm in homine duæ præcipuæ potẽtiæ sint, quæ intellectus, & voluntas sunt, vtrique prædicatores proponebãt res magis arduas, & difficiliores, quàm cætera, quæ proponi poterãt. Intellectui enim proponebant, quæ sequuntur: id est, Mortuorum resurrectionem, in qua nos credere obligãt, fore, vt humanũ corpus, vbi in puluerem redactum est, vel combustum, vel in cinerem conuersum, vel à piscibus deuoratum, vel ab auibus, vel ab hominibus, resurgat in nouissimo die, neq; aliud corpus de nouo fabricatum, sed idem, quod ante fuit. Prædicabant præterea sanctissimæ Trinitatis mysterium, in qua (vt Catholica doctrina docet) credendum est, quòd Pater est Deus, & Filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus: non tamen tres Deos, sed vnum Deum esse. Sic etiam eis prædicabant sanctissimi altaris Sacramenti mysterium, confitentes, quòd virtute verborum Consecra-

tionis,

tionis, substantia panis & vini, realiter, & verè in corpus, & sanguinem Christi conuertebatur, quodq́ in qualibet horum parte tota diuinitas, & humanitas, eiusdem Christi consistebat.

Hæc erant ardua, & creditu difficilia: sed multò difficilius erat, humanitatem Christi credere, & confiteri, propter eas difficultates, quæ in hac re humanæ rationi offerebantur. Primùm enim, cùm huius Domini incarnationis, & conceptionis mysterium Spiritus sancti virtute, esset mundo penitus ignotum, Saluator (vt sanctus Lucas inquit) Ioseph filius existimabatur, cùm eum Virginem duxisse sciretur. Prædicare autem, quòd homo, qui generatim filius fabri lignarij existimabatur, (qui ascia, & serra sibi in sua officina victum quæritabat) erat Deus, qui Solem, Lunam, Stellas, & Mundum totum creauerat, huiusmodi erat, quod gentiles irridebant. Itaque Sapor Persarum rex, qui Solem adorabat, cùm equitem Christianũ coram se videret, vt eum irrideret, dixit: Adhuc in eo perseueras, vt fabri lignarij filium adores? Ad hanc humilitatem adiũgebatur crucis mors. Neque Crucem nos debemus ijs oculis intueri, quibus nunc intuemur, & veneramur; sed ijs, quibus tunc omnes aspiciebant, & detestabantur. Illud enim mortis genus turpius tunc existimabatur, quàm nunc habetur suspendium. Crucifixi enim tormentum longè suspensi tormentum superabat: hoc enim momento definit; illud verò diu perdurat, maximisq́ cum doloribus, quòd vulnera in locis sunt neruorum plenis, qui sensus organa sunt, cumq́ corporis pondus deorsum trahat, semper magis dolor crescit. Præterea nudus crucifigebatur patiẽs, & detectus, quod maximum dedecus affert; quod ijs, qui suspenduntur, nõ accidit. Hominibus igitur prędicare, hominem inter duos latrones crucifixum Deum esse; idem est ac si diceres, hominem suspendio interfectum esse Deum, cæli, & terræ, & maris Creatorem. Quodq́ vel de cruce cælos moueret, & sustineret, & totam hanc mundi machinam administraret, erat, vt gentiles opinabantur (vt Apostolus inquit) pura dementia. Hæc Euangelij prædicatores proponebant humano intellectui, vt ea complecteretur, & crederet.

Luc. 3.

1 Cor. 1.

Neque minus ardua, aut difficilia factu erant ea, quæ volũtati, & sensibus carnis proponebant. Ijdem enim prædicatores docebant, Christianam vitam esse perpetuam crucem, carnisq́ mortificationem cum omnibus suis coniunctis, quæ sunt omnes illius delectationes, ac voluptates. Et ita Dominus (vt S. Marcus inquit) cùm vocaret turbam, quæ eum sequebatur, vnà cum discipulis suis, dixit omnibus: *Si quis vult me sequi, deneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me.* Se ipsum negare, est omnibus carnis appetitibus, & desiderijs inordinatis repugnare; neque vt amicus, sed vt aduersarius in hac re se ipsum tractare debet: Crucem autem suam tollere, est se omnibus calamitatibus, & molestijs parare, quæ necessariò ferendæ sunt, vt regno cælorũ potiamur, & in arcta virtutis via: & Christum sequi, est per eandem viam ire, qua & ipse iuit, quæ humilitatis, paupertatis, patientiæ, obedientiæ, & crucis via fuit.

Mar. 8.

Easdem autem lectiones, & in S. Paulo inueniemus, qui inquit, *quòd qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Et carne mortificata vult, vt secundùm leges spiritus viuamus, quæ carni contrariæ sunt.

Galat. 5.

Ex quo perpetualis, & perpetuum bellum cum omnibus illius appetitibus & sensibus necessarium est. In Epistola verò ad Corinthios magis particulatim huius professionis forum, & leges declarat, inquiens: *Fratres, in omnibus exhi-*
2 Cor. 6. *beamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt seductores & veraces: sicut qui ignoti & cogniti.* Hactenus Apostolus. Quàm multa asperitatum genera in his verbis continentur? Hæc igitur est Christiani professio, hæc philosophia, & doctrina, quam Apostolus fidelibus proponebat, tot generibus laborum plena.

Iam videamus, quibus hominibus hanc tam spiritalē legem, quæ tantopere carni aduersatur, proponebat. Hoc declarat idem Apostolus initio Epistolæ ad Romanos, & in Epistola ad Ephesios, & illorū peccata, & vitia animaduertēs, inquit; quòd cùm futuræ vitæ spem amisissent, nihil aliud adesse existimantes nisi nasci, & mori, se omnibus impudicitijs, & immunditijs, & cupiditatibus tradiderunt, & in hoc omnem ætatem conterebant: & horum omnium malorum idololatria causa erat. Cùm enim vera religio, & Dei timor, sit vitiorum frænum, & cùm hæc tātum à vera abesset, vt adorarent pro verò Deo lapides, & ligna, & dracones, & crocodilos, & boues, & capras, & serpentes, & (quod peius est) Deos carnales, & adulteros; qui fieri poterat, quin & ipsi adulteri essent, qui eos adorabant, cùm in hoc eos imitarentur?

Hi erant igitur hominum mores, quibus Euangelij sanctitas, & puritas prædicabatur; hæ tenebræ, & cæcitas, & miserabilis status, in quo mundus tam multis annorum millibus ante erat. Ille enim fortis tyrannus, & armatus, & crudelis, qui peccatum in mundum tulit, & cum eo mortem, ita eum cōprimebat, vt humanis viribus fieri non posset, vt ab illius manibus liberaretur. Cùm ex historijs nobis notum sit, multos grauissimos, & eloquentissimos Philosophos illis tēporibus extitisse, vt fuit Aristoteles, & Plato, & Theophrastus, & alij horum discipuli, qui horū adulterorū, & immaniū Deorū vanitatem cognoscebant, & hominum, qui eos colebant, perditionem, & stultitiam: illorum tamen nemo omni sua scientia, eloquentia, & ingenij acumine ausus est hominibus veritatem ostēdere, & ex tam pernicioso errore mundum eripere: vnus enim ex illis, qui Socrates fuit, capite damnatus est.

Iam videamus, quænam sint instrumenta, & ministri quos Deus elegit, vt hanc legem persuaderet, & idololatriam funditus tolleret. Ad id autem sup-
1. Cor. 1. ponendum est, illum esse communem Dei morem (vt inquit Apostolus) debiliorem, magis calamitatibus oppressum, & nullo subsidio munitum, quiq; vix est, deligere, vt omnem mundi vim, & sapientiam penitus frangat. Cùm enim in omnibus suis operibus sui sancti nominis gloriā potissimùm respiciat, nulla penè gloria esset, si paribus gladijs & armis de mūdo triumpharet. Illius gloria est, rebus infirmis, & abiectis, superborū ceruicem, & potentiam
Iudith 13 frangere. Hac ratione per debilem mulierculā (quæ fuit Iudith) illum innu-
1. Reg. 14. merabilem Assyriorum exercitum dissipauit; per Ionathæ manū cum puero lan-

Digitized by Google

ro lanceam ferente Philistheorum; per Gedeonem cum trecentis hominibus Iudic. 7
Madianitarum, qui innumerabiles erant; per pedissequos principum pro- 4.Reg. 6
uinciarum exercitum Syriæ regis. Et idem ranis, muscis, & culicibus crudele Exod.8.
bellum cum Pharaone gessit. Quid autem dicam de Dauid? Qui cùm esset pau-
perrimus pastor, non alijs armis nisi funda & saxo, cum acri gigante, omnibus 1 Reg.17.
armis munito, & in illis exercitato pugnauit, & eum interfecit, & eodem en-
se, quem aduersarius ferebat, obtruncauit. Et Samson nullis alijs armis, quàm
asini mandibula, mille Philistheos armatos, qui eum aggrediebantur, inter- Iudic 15.
fecit. Quare inquit S. Gregorius, quòd Saluator Apostolorum ruditate vtens
mundum conuertit.

Cùm hic igitur sit Dei mos, & consuetudo, cumq; sint eò maiores victoriæ, quò sunt instrumenta debiliora; inde fit, vt ad tantum opus, quantum fuit mundi conuersio, debiliora, & infirmissima instrumenta totius mundi delegerit, quæ tanquam feces & scoria cæterorum hominum erant. Duodecim enim homines huiusmodi delegit, & maior illorum pars piscatores erant, & ita pauperes, vt illorum nonnulli sua retia resarcirent; homines sine literis, sine Philosophia, sine eloquentia, sine vrbanitate. Et in primis animi ita abiecti, quod cùm Dominus captus esset, qui tanta miracula coram illis fecerat, tanto timore fugerunt, & eum dereliquerunt, vt ex illis vnus, qui nudus ibat corpore linteo tantùm tecto, cùm inimici eum capere vellent, eis linteum reliquerit, & ita turpiter profugerit. Et Princeps Apostolorum, quod maius est, animosior, & fortior, ille, cui Pater de Filij diuinitate & gloria reuelauit, ille, qui paulò antè professus erat Dominum vsque ad carcerem, & mortem comitaturum, hic solùm puellę timore, sine satellite, sine sceptro, Dominum in eadem domo, in qua erat, negauit. Quænam impotentia, qui timor, quæ infidelitas, cum hac comparari potest? Quòd si hic, qui fortior erat, tam abiectum animum habebat; quonam fuisse alij illius socij existimandi sunt, qui neque tam animosi erant, neque Dominum transfiguratum viderant & gloriosum, vt ipse vidit? Quęnam debiliora instrumenta his reperiri possent? Hos autem tales ministros elegit diuina prouidentia, vt idololatriam deijceret, vnà cum omni mundi potentia, vt hominibus tam abominandis, vt gentiles erant, persuaderet ea, quæ tum omnium longè creditu, tum factu difficillima sunt.

Nunc autem videamus, quinam erāt illi, qui Euangelij prædicationi resi-
stebant? At quis non repugnabat? Omnes mundi Imperatores, Reges, & Mo-
narchæ; omnis Romani Imperij potentia, mundi domitrix, & victrix; omnes
maris insulæ; omnes mundi gentes, & nationes, non solùm Gentilium, verùm
etiam Iudęorum: Crucis enim prædicatio alteris scandalum, alteris stultitia 1. Cor. 1.
erat. vt quocunque Sol aspiciat, nulla esset gens, nulla natio, quę contra prædicationem arma non ferret.

Quo verò modo repugnabant? Iam superiùs declaratum est in testimonio sanctorum Martyrum, qui suo sanguine nostram fidem confirmārunt, quod fuit maiori crudelitate, maioribusq́ue tormentis, quàm omsne homines à diabolo edocti, & excitati inuenire, & in humano corpore exerceri possent.

Persequitur mundi conuersionem.

SVPER his, quæ iam à nobis declarata sunt, philosophari incipiamus, vt hoc tam magnum opus à nemine, prꝣterquam à Deo, fieri potuisse apertè conspiciatur.

Cùm enim mundus in tot vitiorum generibus esset inuolutus, & ita, vt neque Philosophi, neque alij mundi Sapientes illi remedium afferre auderent; & terrarum Reges, & magistratus non solùm id non procurarent, verùm etiam ipsi essent tantorum malorum auctores: hi homines pauperes, & rudes, quos diximus, mundum de tenebris tam densis eripere, & idololatriam funditus tollere, & in hominum cordibus veram religionem inserere decreuerunt.

Quibus autem viribus, quibus diuitijs, qua nobilitate, qua arte & scientia, hanc arduam, & difficilem prouinciam susceperunt? Paulò antè dictum est. Nam si quæris de nobilitate, obscurissimo loco nati erant; si de diuitijs, tenuissimi; si de scientia, imperitissimi; si de eloquentia, barbarissimi; si de ingenij acumine, obtusissimi; si de genere vitꝣ, seuerissimi, & omnium turpitudinum, & corporis commoditatum, quibus omnes gentiles dediti erant, grauissimi persecutores. Quamobrem vt omnes ab illis abhorrerent, omnes persequerentur, non solùm vt suꝣ religionis, verùm etiam omnium mundi voluptatū, & commodorum euersores, necesse fuit.

Iam videamus, quis finis fuerit huius tanti conflictus. Quid hi ministri effecerunt, ad hoc opus à Deo delecti? Primùm perfecerunt, vt illi Dij, culti & adorati omnibus superioribus seculis, in omnibus nationibus, à Regibus, & Monarchis mundi, conspuerentur, pessundarentur, comburerentur, & funderentur, vt ex illis catini, & ænea, & alia vasa (vt dictum est) conflarentur: & vnà vt illorum altaria profanarentur, & solo æquarentur.

Perfecerūt, vt omnia crederent, quæ humano intellectui tam ardua, tamq; creditu difficilia sunt, & præsertim crederent, quòd homo, filius fabri lignarij creditus, quem omnes sciebant iudicis sententia flagellatum, & crucifixum fuisse, (quod est, vt si diceres suspensum) esse Deum verum, cæli & terræ factorem, & omnium rerum creatarum Dominum: quiqúe, cùm erat cruci clauis affixus, cælos mouebat, Solis, & Lunæ, & omnium stellarum reuersiones regebat. Quid igitur admirabilius est, quàm perficere, vt id homines crederent, & ita crederent, hoc est, tam firmè, tamq; constanter, vt mallent trucidari, quàm vel minima quidem pars illius fidei imminueretur? Hoc est vnum ex tribus mirabilibus, quæ iuxta S. Bernardum Dei omnipotentia potuit simul coniungere, quæ fuerunt, Deus, & homo; Mater, & virgo; Fides, & cor humanum: cùm vellet declarare per prima mirabilia, quæ à nulla potentia creata fieri possent, hoc fidei miraculum, quod est sic cum hominibus egisse, vt absque omnium dictarum difficultatum impedimento, hanc fidē complecterentur. Ex quo nonnulli Doctores, cùm vellent hoc opus amplificare, inquiunt, se nescire iudicare, quidnam fuerit admirabilius, vel Deum in cruce propter homines mori, vel homines credere Deum esse, qui hoc modo in cruce mortuus est.

Perfecerunt etiam, quod non minùs difficile est, vt homines illorum doctrina genus vitæ, & mores mutarent, adeò vt ex carne spiritus, ex terra calū, ex hominibus Angeli efficerentur. De hac re fusiùs suo loco egimus. Vt autem

id de fonte hauriretur, necesse esset historias Ecclesiasticas legere, quæ quidem de hac re tractant; & illas præsertim, in quibus Sanctorum Vitę perscribuntur, qui illis temporibus diuersis locis fuerunt. De quibus S. Hieronymus, S. Ioannes Climacus, Theodoretus in Religiosa historia, Palladius, Seuerus Sulpitius in suis Dialogis, scribunt. Et post hos omnes S. Gregorius in suis Dialogis, & alij huiusmodi auctores: qui de sanctitate, & puritate vitæ narrant mirabilia multa, quæ illis temporibus, quibus sanguis, & doctrina, & miracula Christi recentia erant, & sanctorum Apostolorum maximè vigebant, quæ suis locis perlegat lector velim. Hic autem nonnulla de sanctitate illorũ temporum breuiter attingemus. Quæ quidẽ ex parte aliqua cognoscitur ex martyrum multitudine, qui vbiq; terrarum constantissimè passi sunt. Fieri enim minimè poterat, vt tam multa, magnaq; tormenta paterentur, nisi firmissima fide, securissima spe, & ardentissima charitate, fortitudine inuincibili, incomparabili patientia, & tandem omnibus virtutibus, quæ ad hoc bellum necessarię sunt, munitissimi essent. Nam si illud verum est, minimè fieri posse, vt vlla perfecta virtus sine alijs esse possit; illud sequitur, minimè fieri posse, vt tam in præstanti gradu prędictas virtutes sine aliarum choro haberent. Ex hoc indicio intelligemus, quodnam fuerit eo tempore fidelium vitæ genus, quamqúe fuerit illa mutatio mirabilis, cùm ex tam peruersis hominibus (quales erant, qui idola colebant) in Angelos, & Christi martyres conuersi sunt.

Perfecerunt, vt mundus, qui desertum erat, (in quo arbores tantùm steriles erant, quæ ad nihil aliud valebant, nisi vt in igni arderent, aut vt porcis victum suppeditarent) crescerent arbores, quę vitæ ęternę fructus ferrent: vtq; loca solitaria, arida & sine succo, in aquarum flumina, & fontes se conuerterent: vtqúe cauernæ, vbi dracones tantùm versabantur, pomaria, & deliciarum paradisi fierent. Superbi enim, & crudeles vt dracones, humiles facti sunt; & carnales, spirituales; & auari, liberales; & crudeles, pij, & misericordes.

Perfecerunt etiam, vt qui aliena surripiebant, sua pro Dei amore darẽt; & qui totum suę vitæ tempus in congregandis diuitijs conterebant, ij suos thesauros in cęlo collocarent; & quibus venter suus Deus erat, (cùm omnia sua in eo essent, vt suam carnem indies molliorẽ redderent) asperitatibus & abstinentijs affligerent, multisq; incommodis afficerent; & quibus sua ipsorum voluntas, & appetitus pro suæ vitæ regula, & lege erat, hac lege remota, sancti Euangelij vitam complecterentur, suam carnem cum omnibus vitijs, & cupiditatibus suis crucifigendo.

In quo duæ magnæ difficultates fuerunt. Neq; enim solùm in eo illis elaborandum erat, vt ad hoc tam asperæ vitę genus eos impellerẽt; sed priùs omnium vitiorum morem inueteratum funditùs tollerent, & ritus, & consuetudines patriæ remouerent, quas à patribus, & ab atauis, & ab omnibus suis maioribus acceperant, auctoritate & exemplo omnium regum, & multorum seculorum vsu confirmatas. Id enim totum Euangelij doctrina damnabat; quæ homines à voluptatibus ad vitæ asperitatem, ab auaritia ad paupertatis amorem, à via carnis lata & spatiosa ad arctam spiritus semitam trahebat.

Id autem persuadere potuerunt, vt S. Chrysostomus inquit, quo tempore Chryso. in Hom.

Digitized by Google

Quod Christus est Deus pore fides per totum terrarum orbem dispersa erat) nō decem, aut viginti, sed omnibus, quos Sol intuebatur. In omnibus enim nationibus Romanorum, & Persarum, & Scytharum, & Indorum, & tandem Græcorum, Iudęorum, & barbarorum, Christo ecclesias, & altaria ędificārunt. Et hac ratione mundus (qui tanquam herinaceus erat spinarum plenus) purgatus fuit, & ad culturam paratus, & ad Dei verbi salutare semen suscipiendum.

Quamobrem hæc noua philosophia non solùm ad terras Hierusalem (vnde ipsa exiuit) finitimas peruenit, sed vsque ad vltimos terræ fines; idque tam Isa. 24. breui tempore, vt admiretur Propheta Isaias hanc celeritatem, qua discipuli, tanquam nubes per totum terrarum orbem euolauerint, terram suę doctrinæ pluuia irrigantes, vt vitę æternæ fructus ferret. Et in cap. 24. vbi apertissimis verbis Hierusalem & sui populi euersionem declarat, nos inuitat ad agendas gratias Deo, eumq́ laudandum, quòd pro huius ciuitatis, & sui populi amissione totum mundum ad se conuertisset, inquiens: *Propter hoc in doctrina glorificate Dominum: in insulis maris nomen Domini Dei Israel. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti.* Et iustum Saluatorem dicit, cùm per excellentiam sit iustus, & nostræ iustitiæ auctor.

Eandem materiam persequitur.

HAEC autem fidei dilatatio maior fuit Christianissimi, & magni Imperatoris Constantini tempore, quo sanctus Hieronymus natus est, qui hanc mundi conuersionem, in Epitaphio Nepotiani his verbis breuiter attingit: Ante Christi resurrectionem solùm in Iudæa Deus cognitus erat, & in Israel magnum erat illius nomen. Nunc autem omnes linguæ, & literę gentium illius sacram passionem, & resurrectionem canunt. Illas tres nationes prætermitto Hebręorum, Gręcorum, & Latinorum, quas in titulo suę crucis dedicauit: qui his tribus linguis scriptus erat. Iam Indus, Persicus, Gotthus, Ægyptius, de animæ immortalitate, quę post corpus viuit, philosophari & tractare sciunt. Quod Pythagoras somniauit, Democritus non credidit; Socrates, vt se ipse in carcere consolaretur, quòd capite damnatus esset, disputauit. Thraciæ populorū feritas, & illa barbara gens, quæ sub Septentrione habitat, quæ ferarum pellibus tegitur, (qui antiquis temporibus in mortuorum funeribus homines sacrificabant) suam barbariem, in dulcem Crucis melodiam mutauit, & communis orbis terrarum vox Iesus Christus est. Hæc sanctus Hieronymus. qui in Epistola ad nobilem matronam nomine Lætam scripsit, quòd quidam illius affinis ex nobilissima Gracchorum familia paucis antè diebus diuersæ gentis idola, de quibus ibi mentionem facit, antè etiam, quàm sanctum baptismum susciperet, deiecit. Illud præterea addit: Gentilitas in ciuitatibus suorum idolorum solitudinem & defectum patitur; & qui antea gentium Dij erant, stant nunc cum noctuis & bubonibus in summitate tectorum Purpuræ & Regum coronę, quę pretiosis lapillis splenduerunt, glorioso Crucis signo exornātur. Iam Serapis AEgypti Deus Christianus factus est. In hac nostra terra quotidie monachorum societates accipimus, quæ ex India, Persia, & AEthiopia veniunt. Armenia iam suas sectas deseruit. Iam Huni Psalteriū discunt. Frigidi Scythæ apud Septentrionem fidei calore bulliunt. Gotthorum splendens exercitus, & rubeus,

beus, Ecclesiæ signa portat: & propter hanc causam forsitan æqualibus viribus nobiscum pugnant, quòd simili religione. Hæc S. Hieronymus. Ex quibus intelligimus, quàm Euangelij prędicatio & fides per vniuersum terrarum orbem eo tempore fuerit propagata.

Ad ea, quę dicta sunt, S. Ioannes Chrysostomus hoc mirabile opus collaudat, inquiens, quòd si hæc tanta mundi mutatio pacis tempore facta fuisset, vbi nullus nos oppugnasset, mirabile tamē opus esset: at non ita fuit, sed omnes gentes, Regna, & prouinciæ, omnes Reges, & mundi Monarchæ se in eam armarunt, & coniurarunt, cùm hanc doctrinam contra suos Deos prævalere, illorum solennitates irridere, sacrificia abominari, & illorum idolorum statuas pessundare viderent. Quod tam ęgrè ferebant pagani, quàm & nos ferremus, si illi nos, id cum crucifixi imagine, quod nos cum imaginibus suorum Deorum faciebamus, facere obligarent.

Tyranni autem non eo erant contenti, quòd fideles vita priuarent, ob id in dies magis noua tormentorum genera contra illos excogitabant; verbera, catenas, exilia, bonorum proscriptiones, ignes, cruces, craticulas, frixoria, feras beluas, harpagines, pectines ferreos, vasa olei bullientis plena, carceres obscurissimos, & continuam famem.

Nihil horum, Sanctorum fidem, & constantiam vincere potuit. Imò, quod omnem admirationem superat, ex illis multi ita Christi amore ardebant, vt multò magis per ea tormenta perpeti cuperent, quàm mundani homines honores, & prosperitates desiderabant. Sciebant enim, quantò maior esset hic honor, quàm quoscunque mundus dare potest. Ita etiam Apostolus in Epistola ad Hebræos scribit, de illis verba faciens, qui inter illos fideles erant, qui facilè passi erant suis bonis se spoliari, & priuari, quippe qui longè maiora, & durabiliora in cælo sperarent. De gentilibus autem, qui in Macedonia crediderant, inquit, quòd magnis persecutoribus afflicti, non solùm non perterrebantur, imò ab ijs maxima lętitia afficiebantur. Hebr. 10.

De Apostolis autem ita scribitur, quòd cùm iussu summi sacerdotis vapularent, ibant gaudentes à conspectu concilij, quòd digni facti essent, qui pro Christi nomine contumelias paterentur. Iam enim Spiritus sanctus illis dederat tantum luminis, quantum satis esset ad huius gloriæ magnitudinem cognoscendam. Hanc voluptatem in verberibus experti sunt illi, qui paulò antè præ timore profugerant, & Saluatorem solum in medio inimicorum deseruerant; vt intelligatur, non ex illis hanc oriri lætitiam, sed à Spiritus sancti virtute, qui nouum illis cor, nouasq; vires tribuerat. Actor. 5.

Quid autem de lætitia dicam, qua S. Andreas crucem, in qua passurus erat, salutauit, & complexus est? Quid de lætitia, qua Apostolus S. Paulus horam sui martyrij tantopere desideratam expectabat? Qui cùm esset catenis vinctus, hęc ad Philippenses scribit: *Sed & si immolor, supra sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis. Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi, propter hanc gloriam quam expecto.* Quis vnquam vidit vllum tantam congratulationem petere, vt hæc, quæ petitur hîc? Id amici ab amicis, cùm aliquam dignitatem consecuti sunt, petere solent. At id petere, dum in vinculis, & carceribus est, & dum carnificis securim expectat, quis vnquam vidit? Quod autem sæpe vidit, est homines timore perterreri, qui hæc ex- Philip. 2.

pectant, somnũ & famem amittere, vnà cum omni lætitia, & ad mortis locum exanimes proficisci: at ita gaudere, & ab amicis petere, vt eo die congratulentur, & festum diem celebrent, quis vnquam vidit? Vbi hîc est ille naturalis vitę amor? vbi naturalis mortis timor, quo animalia omnia maximè timent? vbi naturę leges, quæ tam magnis propensionibus singulorũ salutẽ procurat? Quid hîc agis hominis natura? quis te tuo iure priuauit? quis te tuis viribus spoliauit? quis te ita mutauit, & alijs legibus subiecit? Quis igitur tam rudis erit, quin perspiciat, non naturam hîc operari, sed gratiam? non humanam, sed diuinam virtutem? non solum hominem, sed Deum cum homine?

Hoc etiam, quod dicturus sum, admirabilius est. Omnibus enim tormentorum machinis non solùm omnes Reges, & Imperatores, hominum conuertionem impedire nequiuerunt, imò (quod omnem admirationem superat) quò magis eos persequebantur, hoc magis conuertebantur: & quò plures Christianos martyrio afficiebant, eò maior illorum numerus fiebat, cùm scirent, quàm multa tormentorum genera sibi parata essent, si fidem susciperent. Quibus singulis in suo corde humana prouidentia loquebatur, & dicebat: Quid agis homo? quid tibi constituis? quò tendis? nónne vides omnes Reges, & Imperatores aduersus te in armis esse? nónne vides, vel ipsos parentes in suos filios sæuire, & eos propter hanc nouam doctrinam tanquam hostes persequi? Nónne vides stultitiam esse, eos deserere Deos, quos Imperatores, & omnes mundi nationes adorant, vt crucifixum colas? Nónne vides carceres omnes huiusmodi hominum in vinculis positorum esse plenos? nónne vides quanta illorũ quotidie strages fiat? nónne sanguinis flumina, quæ quotidie latè funduntur, timore te afficiunt? Illud autem nónne compertissimũ est, quòd tam dæmonium, quàm mundi prudentia, hæc omnia, & plura illis ad timorem proponerent, qui ad fidem se conuertere vellent? Hæ igitur rationes, hi timores, innumerabiles viros, fœminas, puellas, & pueros deuicerunt, qui quidem sine eorum, quæ quotidie oculis cernebant, impedimento se ad fidem conuertissent.

Quis igitur hîc tantã cordium mutationem Dei virtuti acceptam non ferret? Hic idem cernimus, quod filijs Israel in AEgypti terra accidit, vt quò magis Pharao rex eos persequebatur, & imminuere conabatur, cùm filios masculos demergendos curaret, hoc magis ipsi multiplicarentur: Sic etiã in mundi conuersione, quò magis conabantur Imperatores, vt fidelium numerum imminuerẽt, eò magis crescebat: idem enim Deus, qui illic Pharaoni resistebat, hîc mundi Imperatoribus repugnabat; quiq; illic filios Israel multiplicabat, hîc fidelium numerum augebat. Quòd si nemo illic Deum operatum esse negare potest, multò minus hîc negare poterit: illic enim Pharao cum illo populo bellum gerebat, cùm infantes demergeret; at hîc Imperatores acerbissimis tormentis pugnabant. Exod. 1.

Eandem materiam persequitur.

HOC igitur initio dixi maximum fuisse omnium miraculum, cùm in eo tam multa mirabilia concurrant. Mirum enim fuit, idololatriam funditus tollere, quæ omnium seculorum præteritorum moribus confirmata erat. Mirum fuit, perficere, vt homines crederent, hominem inter latrones crucifixum, & mortuum, & sepultum, verum Deum

esse, & vniuersi Dominum. Mirum fuit, hominũ mores, ex tam molli, & peruersa vita, ad tam sanctam, & asperam conuerti. Mirum fuit, tot millia martyrum tanta lætitia, & constantia, tam multa tormenta perpeti. Mirum fuit, quòd Christiani, quò magis affligerentur, in dies plures se ad fidem conuertebant, & multiplicabantur. Mirum fuit, Deum hoc opus per pauperes piscatores, & homines rudes, & ignaros, perfecisse.

Hęc omnia simul, & singula per se, tam magna sunt, & tam mirabilia, vt sine supernaturali Dei auxilio perfici non potuerint. Et omissis omnibus illis mysterijs, quę initio proposui de corporũ resurrectione, de beatissima Trinitate, de sanctissimo altaris Sacramento, vnum Crucis mysterium intueamur, & memoria, quod initio proposuimus, repetamus, scilicet eo tempore Crucis nomen, quàm furcę; & crucifixi, quàm suspensi, propter ea, quæ diximus, lõgè magis fuisse abominandum. Nunc igitur prudentes viri in animo euoluãt, quid eo tempore videri debebat prædicari hominem à iudice damnatum, inter latrones tam turpi supplicio affectum, Deum esse; idq; non Aristotelẽ, non Platonem, neq; alium celebrem Philosophum affirmare; sed homines sine veste, qui nunquam literas, aut humanas scientias didicerunt? Qui fieri igitur poterat, vt à tot millibus hominum omnium totius terrarum orbis, tam prudentium, quàm imprudentium, id crederetur, nisi Spiritu sancto moti, & euidentissimis miraculis conuicti essent? prętertim cùm suas vitas manifestissimis periculis obijcerent, qui hanc fidem complecterentur?

Vt autem id meliùs intelligatur, aliquo exemplo illustrandum est: Constantinus Imperatorum fuit, tum bello, tum pace omnium totius orbis terrarum præstantissimus, vt iam dictum est, qui solus sine collega Romanum Imperium tenuit. Quî fieri poterat, vt huiusmodi princeps omnes Deos Imperatorum, qui ante eum fuerunt, eijceret & pessundaret, (quorum temporibus ipsi totius orbis terrarum imperium consecuti erant, sibiq; subiecerant) & pro vnico & solo Deo hominem inter latrones suspensum haberet? Vtor (vt dixi) hoc nomine, vt contumelias, quæ tum in cruce erant, ostendam. Quî fieri igitur poterat, vt tam præstantissimus princeps huic rei fidem pręstaret, nisi miraculorum vis, & Spiritus sancti virtus hanc ei veritatem, tam arduã, tam difficilem creditu, ipsi persuaderet; idq; tantopere crederet, vt omnibus suis signis, & vexillis nullum aliud nisi Crucis signum inesset?

Omnium autem miraculorum illud primum fuit, quòd cùm congressurus esset cum Maxentio tyranno, qui Romę imperabat, ipse vnà cum toto exercitu gloriosum Crucis signum in cęlo factum meridiem versus sub noctem vidit, cum his verbis adscriptis: Constantine, HOC SIGNO VINCES. Eusebius, se id ab ipso Imperatore, qui hæc multis narrabat, & iureiurando confirmabat, audisse testatur. Et statim in suo vexillo hoc gloriosum signum esse voluit, & subitò tyrannum sine sanguine, vel suo, vel suorum, vel Romanorum, quod ipse magnopere expetebat, deuicit.

Hoc autem exemplo intelligetur, quàm mirũ fuerit, vt non solùm hic Imperator, verùm etiam tam multa nationũ genera, vnà cum eo crederepossent, quòd homo, tam turpi tormento damnatus & interfectus, Deus esset. Quid hoc tibi narranti respondisses Aristoteles? Quid sensisses, si miraculorum vi id credidisses, cùm tanti faceres illam diuinissimam, & altissimam substan-

tiam, vt illa maiestate indignũ iudicares aliud, quàm suã ipsius amplitudinẽ, & pulchritudinem cogitare? Quid si credidisses, eò illius Domini bonitatem, & charitatem peruenisse, vt propter nos homines se fecisset hominem? Quo stupore esses affectus, si vnà credidisses hunc eundem Dominum venisse, vt mortem pateretur eam, quam pro ijs passus est? Quo timore esses perterritus, si in hac bonitatis, & tam magnę charitatis abysso te demersisses, & incomprehensibiles fructus, qui ex hac morte percipiuntur, intellexisses?

Hoc igitur illud miraculum est, quod celebrat Apostolus, cùm inquit: Facilè apparet, quàm magnum mysterium fuerit, se in carne nobis ostendisse, 1. Tim 3 seq; à Spiritu sancto testatum & approbatum esse, Angelis reuelatum, gentibus prædicatum, ab hominibus creditum: quod est fecisse, vt homines crederent, & humani intellectus tam difficilia creditu sibi vera esse persuaderent.

Propheta Isaias hanc victoriam cum Gedeonis victoria comparat, quam Isa. 9. ex Madianitis reportauit, cùm inquit: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.* Hanc victoriam assecutus est Gedeon aduersus innumerabilem Madianitarum exercitum, quem prope populum Israel habebant, cui iussit Deus, ne plures quàm trecen- Iudic. 7. tos homines secum duceret, quorum quilibet tubam in altera manu portabat, & in altera funale accensum in fictilibus vasis. Et vasis fractis, lumen, quod intus erat, splendebat, & tubis sonantibus aduersarij perterriti, sic Deo disponente arma in se conuerterunt, & se ipsi inuicem occiderunt: & hac tanta victoria, populus Israel, qui à Madianitis oppressus erat, liberatus fuit. Quis igitur erit tam mentis inops, quin apertè cognoscat hanc victoriam à sola Dei virtute esse profectam? Cum hoc igitur victoriæ genere Propheta illam comparat, quam Christus de potentia & tyrannide huius mundi principis consecutus est: in qua quidem totum hominum genus detinebat, graui peccatorum onere eos premens, virga suorum appetituum & animi affectionum verberans, quotidie primi peccati tributum ab eis petens, quod mors, & pœnæ erat, quę ab illo profecta sunt. Quemadmodum igitur Gedeon tubis, & illorum luminum splendore, qui emergeret vasis fictilibus fractis; sic Saluator Euangelij prædicationis sono, & virtutis splendore, qui in moribus, & vita hominum Apostolicorum lucebat, (qui maximè in carnis mortificatione cum omnibus suis appetitibus, & in patientia, quam habebant in suorum corporum laceratione, cernebatur) his duabus rebus ab huius crudelissimi tyranni imperio, & captiuitate nos liberauit. Hæc autem victoria tantò fuit illa clarior, quantò fuit maius, homines à Dæmonum potestate, quàm filios Israel à Madianitarũ seruitute liberare; & quò animarum pressura, & captiuitas, est corporũ peior; & quo maior actio est, mundum Christi imperio subijcere, quàm aduersariorum exercitum superare. Victoriam igitur Gedeonis si miraculosam esse fatentur; quantò maius miraculum est, hanc rem paucis hominibus consecutum esse, hisq; tam rudibus, & humili loco natis, vt hic declarauimus?

Vt autem cernatur, quantò hoc opus omnem humanæ potentiæ, & sapientiæ facultatem superet, animaduertendum est, quàm magni Philosophi, quàm eloquentes, & sapientes in mundo fuerũt; quorũ vires nõ satis fuerunt ad hoc opus perficiendum, neq; vt homines ex hoc tam abominando errore, atque

atq; deceptione eriperent: ex altera verò parte videamus,quinam fuerint,qui hoc perficere potuerunt. Omissis autē cæteris Philosophis,Platonem tātummodo intueamur, qui,vt credit Tullius,fuit omnium præstātissimus. Quàm magna fuerit illius sapientia, & eloquentia,illius opera testantur. Neq; illius virtus minor fuit,& desiderium perducendorum hominum ad virtutis amorem. Cumq; videret Athenis se sua industria nihil prodesse, inde in Siciliam, & Cyrenen,& AEgyptum,& in Italiam se contulit, si fortè his locis homines reperiret, quibus virtutem,quam ipse appetebat,persuaderet. Si igitur virtutis opinio & fama aliquid perficere posset, nemo illis temporibus fuit illo virtute clarior. Si eloquentia quidquid vult persuadere potest, & falsas opiniones radicitus conuellere,nemo Athenis fuit,vbi nata & alta est eloquētia, qui eo fuerit eloquentior. Vt autem homines ad virtutem alliceret,non illis ante oculos proponebat labores,& molestias,sed pulchritudinem, dignitatē, & gloriam, quæ illam sequuntur. Iam igitur his præcipuis rebus quid perfecerit cum hominibus videamus,quæ vitia eradicauit? quos abusus sustulit? Quam Rempublicam,vt magnopere expetebat, constituit? Nullam compertum est. Hi verò nostri piscatores, ignari, & rudes, & ab omni arte & bonis literis alieni, mundū mutârunt, & ab innumeris vitijs, & abominandis peccatis, in quibus inuoluti erant, omnes ad amorē, & studiū veræ religionis, & sanctitatis transtulerunt: & ita eos corroborarunt, vt mallent vitam, quàm virtutem amittere. Quis igitur id Dei potentiæ non acceptum refert,cùm per omniū hominū infimos id perfecerit,quo maius nihil in mūdo videri possit?

Aliud exemplum addamus. Quàm multi prædicatores nunc in Ecclesia sunt, qui totam ætatem in perdiscendis literis consumpserūt, vt hoc munus probè explere possint. Ex eorū aliquo quęratur,licet ex nobilissimis sit,quàm multos ex ijs, qui peccatis inuoluti erant,ex illis eruerit, & virtutis amatores reddiderit? quàm paucos numerare poterit profectò videbimus. At hi iam itineris dimidium confecerunt, cùm ijs prædicent, qui iam fidem susceperūt; & ijs,qui licet doctrinam accipiant, carceres tamen & tormenta timere non debent,vt ij,qui illis temporibus se conuertebant, imò virtute auctoritatem, & existimationem sibi comparant: tam pauci tamen sunt illi, qui doctrina vitæ genus mutet, vt eos digitis numerare possemus. Illi autem piscatores, nihil dictis rebus retardati,satis fuerunt,vt tam multæ gentes,& nationes ita viuendi rationem mutarent, vt ex hominibus diabolicis in diuinos,& cælestes euaderent. Quid autem hic de illo mœchanico ministro dicam, qui vnà cum alio ministro eiusdem artis dies noctesq; suis manibus laborabat, vt suā ipsius vitam, suorumq; tueretur? qui omni hac occupatione, & vili exercitatione, omnes maris Illyrici terras finitimas Euangelij prædicatione,& sanctitate repleuit? Hac autem re quid admirabilius, quid magis præter hominū spem,quid magis humanas vires superat? Cui in hac re Dei assistētia,& gratia nota non est? Hoc igitur satis est, vt intelligatur, quàm magna miraculorum copia Christiana fides, & religio constituta, & confirmata sit. Acto.20.

Neque hîc de Mahometi secta,quæ iam ita in mundo latè patet, mentio facienda est. Nihil in ea est illarum difficultatum, quas supra narrauimus. Primùm ille seductor humano intellectui non proposuit, quæ credenti difficultatem afferrent. Non enim obligauit hominem plures, quàm vnum Deū

credere: quod omnes magni Philosophi assecuti sunt, & sola naturali ratione, sine fidei lumine cognoscitur. Neque voluntati, & carnis appetitibus aliud proposuit, præter illud, quod volunt: quod est, fornicandi habere licentiã, (simplicem enim fornicationem peccatum non esse dixit) & quotquot vxores alere possint ducere: quod neque in auibus reperitur, neque Romani, licet gentiles, facere solebant. Homines voluptatibus dediti hanc legem toto pectore complexi sunt. Hoc enim illud erat, quod illorum appetitus postulabat: huic Imperatores non repugnabant, nec innumerabiles martyres, qui pro hac lege, carni & sanguini tam grata, paterentur; neque miraculis, neq rationibus confirmata est, sed armis, quibus dilatata est, cùm carnis potentia & imperium in mundo latè pateat, & spiritus dominatio angustis finibus cõtineatur. Hæc autem lex primis temporibus solùm à gentibus immanibus, & barbaris suscepta fuit; nostra verò religio primis temporibus recepta fuit à nationibus omnium nobilioribus, & ciuilioribus, quod in Romano imperio fuit, vbi terrarum orbis Monarchia erat; & in Græcia, vbi sapientiæ scholæ florebant; & in Iudæa, vbi veri Dei cognitio, & Prophetarum doctrina ab eo reuelata, dominabatur.

Qui autem hanc Sectam diligenter intuebitur, cognoscet profectò nihil aliud esse, quàm omnium legum Farraginem ab hoc seductore confectam, vt omnes illarum professores ad se traheret. A Iudæis enim Circuncisionem petijt, & de sue non comedere: à Christianis accepit, Christo, & eius sanctissimæ matri maximas laudes dare, & confiteri, quòd Christus ei longè antecedebat: à se verò illum turpissimum & sordidissimum paradisum, comedendi, & bibendi, & cæterarum corporis voluptatum, de quo superiùs mentionem fecimus; cum alijs mendacijs, & nugis falsissimis, vt eùm inquit, quòd Lunæ pars sibi in manicam ceciderit, quodq; iterum eam in suum locum retulerit, & alia huiusmodi, quorum eius Alcoranum plenum est: in fine verò, vt omnes effugiat contentiones, inquit, omnes in sua lege saluari posse; quod quidem minimè fieri potest, nisi lex vera sit. Quòd si Christianorum lex vera est, & cæteras omnes leges damnat, & falsas esse iudicat; qui fieri potest, vt in illis saluētur? Hoc autem monstro misso, & Epicureæ scholæ, & Arrij discipulo, ad prophetias veniamus, quibus nostra sanctissima religio confirmata est.

DE POSTREMA CHRISTIANAE RELIGIONIS PRAEstantia, quod est, prophetarum testimonio esse confirmatam. Cap. XXIX.

POST miraculorum testimonium, Prophetiarũ sequitur, quod non minorem auctoritatem habet; cùm vtrunq; Deum testem habeat, qui solus per excellentiam miracula facere potest, & solus futura cognoscit, licet ea sint, quæ à libero arbitrio, & ab hominis voluntate proficiscuntur: de quibus sæpe in Isaia Propheta ipse gloriabatur. Sed licet vtrunque testimonium sit æqualis auctoritatis, prophetiarum tamen testimonium magis, quàm miraculorum, nos mouet. Miracula enim credimus, sed non vidimus; at prophetias videmus, & credimus: nostris enim temporibus videmus ex illis multas esse adimpletas, vt ex ijs, quæ dicturi sumus, facilè apparet.

Ex his

Ex his autem prophetijs aliæ veteris Testamenti sunt, de quibus in libro quarto agetur; aliæ verò noui, de quibus hic dicturi sumus.

Ex ijs autem primum locum illam prophetiam habere volui, quæ hoc mundi conuersionis miraculum, de quo dicere iam desinimus, apertissimè testatur. Cùm enim iam Saluator ad sacram suam passionem accederet, & videret per eam mundi appropinquare redemptionem, & aduersus diabolum victoriam, coram populo hæc inquit: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Addit præterea Euangelista: *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.* quod erat suspensum esse in cruce. Hæc prophetia paucis verbis mundi conuersionem prænuntiat, vt diximus. Dicere enim, quòd princeps huius mundi iudicandus est, & foras eijciendus, est prophetizare, quòd futurum erat, vt Dæmonium, quod in omnibus mundi nationibus, & in eo omni quod intuetur Sol, præter Iudææ angulum, adorabatur à Regibus, & Imperatoribus, & ab omnibus gentibus; negligeretur, & pessundaretur, est prænũtiare omnium Christi triumphorum maximum, qui Idololatriæ fuit, de quo supra narrauimus. Dicere autem, quòd in cruce moriens omnia ad se traheret, est prædicere fore, vt cognosceretur, ipsi obsequium præstaretur, & pro vero Deo adoraretur, eiectis falsis dijs & mendacibus. Ioan. 12.

Hoc est mirabilia mirabilibus rebus, & miracula miraculis cumulare. Magnum enim miraculum fuit, mundi conuersio, vt iam vidimus; alterum, hoc antequam factum fuerit prædictum esse, quod ad solum Deum pertinet. Hominem enim, quod facturus est per se, prædicere, nouum non est: at dicere, quod ex aliena voluntate pendet, neque ex paucorum, sed gentium, & Regnorum, & Principum, non hominum est, sed vnius Dei; qui sua sapientia omnia futura cernit, & suâ omnipotentia voluntatem inuitat in omni eo, quod facere vult: & ita mutauit, vt homines dimissis Dijs, crucem adorarẽt, & qui in ea crucifixus erat.

Hanc autem Crucis gloriã (de qua superiùs breui diximus) iure optimo S. Chrysostomus celebrat. Vt autem huius gloriæ magnitudinẽ intelligamus, debemus animo complecti, quod superiùs de crucis tormenti vituperio attigimus. Ex omnibus enim tormentorum generibus à mundi magistratibus inuentis, vel vt fontes punirent, vel vt scelerum veritatem retegerent, vt erãt verbera, carceres, catenæ, cruces, forcipes, dentes ferrei, plumbum fusum, foci, oleum bulliens, & alia huiusmodi, quæ videntibus tantùm terrorem incutiunt, hoc crucis tormentum in scriptura maledictum dicitur, quòd ignominiam maiorem affert, & est omnium vilissimum, & horribilissimum, & maximos cruciatus affert, vt antea dictum est. Quid autem magis admirandum est, quàm quod omnium contumeliosissimũ erat, omniũ generosissimũ factum esse, & multò magis, quàm Imperatorum & Regum coronas, cùm ij coronas deponant, & hoc gloriosum signũ in sua capita recipiant? Hoc in sua purpura, hoc in armis, hoc in coronis, hoc in templorum aditu, hoc in altaribus, hoc in sacerdotum consecratione, hoc in mali nauigiorum summitate, in publicis locis, in solitudine, in vijs, in montibus, in dæmoniacorũ corporibus, & ægrotorum, in prælijs, in vexillis, in omnibus tandem rebus ponunt: neq; reperitur quisquam, qui ob hanc causam se iniuria affectum dicat, neque Chrysost. in Hom. Quod Christus est Deus. Deut. 21.

pudore

pudore afficitur maledicti tormenti signum ferre, imò eo fiunt homines ornatiores, quàm pretiosis lapillis, & ex auro torquibus.

Ex quo, quantum inter se differant Dei operũ, & hominum ordo, facilè cernitur. Reges & Principes in terris cernimus gentibus imperantes, bella gerentes, populis dominantes, quousque volunt in exilium eijcientes, alios interficientes, alijs vitam concedentes; qui cùm tam potentes, & gloriosi in vita fint, sæpe post mortem omnes illorum obliuiscuntur, illorum statuæ deijciuntur, & omnis illorum gloria, vt fumus euanescit, vel vt comœdia, vbi acta est. At quàm Dei opera ab his differunt? Dum Christus viuebat, (vt diximus) erat Crux signũ maledictionis, & vituperij, & post illius mortem in terris magis, quàm Sol, & omnes stellæ, lucet: ante omnes ab illa abhorrebãt, omnes eam timebant; nunc ab omnibus amatur, & desideratur. Omnes in calamitatibus, & paruis, & magnis, domini & serui, Reges, & subditi, tandem omnes hominum status & conditio ad eam perfugiunt. Ante crucẽ Apostolorum princeps ancillæ minis perterritus est, & illius socij omnes profugerunt, & Dominum dereliquerunt: at post crucem totum mundum ad pugnã prouocârunt, & omnes Deos pessundârunt, vnà cum omnibus terræ principibus, illorum minas irridentes, & illorum tormenta negligentes. Neque sola Crux, verùm etiam Apostoli, qui eam prædicârunt, (qui in vita dum fuerunt, omnium hominum fæx, & scoria habiti sunt) post eam pluris à terræ regibus facti sunt, atque culti, & ita illorum sepulchra, & reliquias venerantur omnes, vt reges præclarè secum agi existiment, si apud illa sepeliantur. Si qui autem aliquam particulam illius sacri ligni habere possunt, illam auro cooperiunt, pretiosis margaritis exornant, de collo pendentem ornamentũ, & periculorum munimentum ferunt. Vt quod maledictionis signum erat, benedictionis materies, securitatis murus, nostri aduersarij flagellum, & dæmonum frænum factum sit. Hæc mortem interfecit, vectes ferreos confregit, oppida huius mundi principis expugnauit, peccati neruos incidit, mundum à damnatione, cui subiectus erat, liberauit, & naturæ humanæ vulnus sanauit. Quamobrem quod homines in aperta maria & Pharaonis currus demersi, & manna de cælo, & aqua de duro lapide, & cætera miracula, quæ in AEgypti exitu Deus operatus est, perficere non potuerunt, Crucis virtus id perfecit, neque in vna solùm gente, sed in vniuerso terrarum orbe. In quo facilè cernitur, quàm magnum mysterium fit in his paucis Saluatoris verbis inclusum, Si exaltatus fuero à terra, (quod est in cruce affigi) omnia traham ad meipsum. Hæc Chrysostomus.

Post hanc Prophetiam aliam in Euangelio legimus. Cùm enim illa pia mulier pretiosum vnguentum super caput Saluatoris effunderet, id ægrè ferentibus discipulis, quòd ibi dispersum esset, Christus quod mulier fecerat
Mat. 14. approbauit, inquiens: *Amen dico vobis, quòd vbicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.* Et ita adimpletum est, vt Saluator prædixit. Hanc prophetiam idem S. Chrysosto-
Chryso. Homi. 1. cõtra Iudæos. mus amplificat his verbis: In omnibus ecclesijs Reges, Consules, & Duces, viri & mulieres, nobiles, & illustres, summo silentio huius mulieris opus audiunt. Quàm multi reges in mundo fuerunt, qui in multos multa beneficia contulerunt, magna prælia fecerunt cum alijs, sua signa & triumphos ad glo-

riam extulerunt, qui gentes gubernârunt,& ciuitates ædificârunt,& suas respublicas nobilitârunt, & auxerunt: ipsi tamen simul cum suis beneficijs obliuioni traditi sunt. Extiterunt etiam Reginæ, & illustrissimæ fœminæ, quæ magna beneficia in populos,& in suos subditos contulerunt, quarum nomina, & beneficia ignota sunt,& nulla illarum memoria extat. Hæc autem paupercula mulier, quæ nihil aliud fecit,quàm quòd parum vnguenti effunderet, in toto terrarum orbe celebratur. Et licet tam multa secula sint elapsa, illius tamen memoria hactenus deleta non est,nec delebitur vnquam. Et licet actio parui momenti sit,(quanti enim erat parum vnguēti effundere?) & persona particularis sit,& huius operis testes non multi,(hoc enim inter discipulos accidit) neque locus publicus sit, nec à gente frequentatus, sed parua domus: tamen neque particularis persona,neque testium paruus numerus, neq; loci obscuritas,huius mulieris memoriam delere potuit,quæ his temporibus magis,quàm omnes terrarum reges & reginæ, celebratur. Quis autem efficere potuit, vt hoc Euangelium in toto terrarū orbe prædicaretur? Quis prophetizare potuit tot annis ante, quod nunc adimpletum est, & quotannis adimpleri cernimus? Nónne illud compertum est, hoc potuisse facere, præter Deum neminem; neque ante prædicere, quàm factum est, præter illum vnum?

Ad hanc prophetiam aliam similem addere possumus, & illustriorem, quam Virgo sanctissima in suo Cantico prophetauit, cùm inquit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Lucę 2.
Quæcunque adhibet S. Chrysostomus ad miraculum superioris prophetiæ celebrandum, in hac sunt,& præterea aliquid. Illius enim mulieris fama intra terminos tantùm catholicæ Ecclesiæ celebratur,& earum nationum, quæ Euangelium acceperunt: at gloria & laus huius Virginis vlterius progreditur: nam præterea per omnes barbaras gentes,& Turcas, & Mahometanos peruasit,qui licet infideles sint,Christi tamē nomen, & illius sanctissimæ Matris celebrant, & sic in Alcorano tam Filij, quàm Matris maximæ laudes leguntur, idq; tantopere, vt Virgini sanctissimæ,Aue Maria,orationem recitēt, remoto illo verbo, Mater Dei. Illa enim gens in peruersi Arrij hæresi edocta, licet Christum celebret, illius tamen diuinitatis gloriam confiteri non vult. Hanc autem prophetiam,tantæ tamq; vniuersalis gloriæ, inter tot, tamq; diuersas gentes, licet infideles, dixit paupercula virgo, fabro lignario desponsata; & intra quatuor parietes eam protulit coram vno teste, quæ S. Ioannis Baptistæ mater fuit: & licet hoc ita se habeat, huius tamen Virginis famam per omnia secula præterita,& præsentia volare cernimus,& eam omnes gentes beatam dicere. Quis autem mundum ita describere, & disponere potuit, vt huius Virginis filius adoraretur, & illa, vt huius filij Mater, beata diceretur? Facile fuit huic mulieri hæc proferre verba; at tantæ rei perfectionem, quis præter Deum moliri,& quis,nisi sit Deus, reuelare potuit?

Adest etiam alia prophetia huic similis, & præteritarum consequens, in qua Saluator suæ Ecclesiæ stabilitatem contra totius mundi potentiam prophetauit, cùm S. Petro inquit: *Et ego tibi dico, quia tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Per Matt. 16.
portas inferi, omnes tempestates, & persecutiones, quas dæmones inferi ad-

uersus eam per sua membra, & ministros excitaturi erant, intelligit. Vbi primum mundi conuersionem prophetizat, quod fuit illud miraculum, de quo suprà tractauimus, vnà cum ijs, quæ simul concurrerunt. Propter hanc causam hic, quæ dicta sunt, repetere noluimus. Deinde persecutiones, quæ in Ecclesiam excitandæ erant, prophetizat. Quæ prædixit apertiùs in sancto Lu-
Luc. 21 ca, cùm inquit: *Iniicient vobis manus suas: & persequentur tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides propter nomen meum*. & nonnullis additis subdit: *Trademini autem à parentibus & fratribus & cognatis & amicis: & morte afficient ex vobis: & eritis odio omnibus propter nomen meũ: & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Easdem persecutiones prophetauit Saluator, & apertiùs demonstrauit apud S. Ioannem, discipulos suos multò ante admonens, ne scãdalizarentur, cùm ea sibi accidere cernerent,
Ioan. 16. & ita inquit: *Absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Hæ igitur erant inferni portæ, & potentiæ quæ impedimento esse non potuerunt, quo minùs Ecclesia fundaretur, & dilataretur.

Quàm autem magnæ fuerint tempestates, & persecutiones, quas inferi
Chryso. in loco supradicto. vires in Ecclesia excitàrunt, (præterea, quæ dicta sunt, & paulò pòst dicentur) S. Chrysostomus declarat, vt magnitudinem illius potentiæ & sapientiæ expressam, quæ tam magna operari potuit, faciliùs homines cernant. Quis enim omnes aduersus Ecclesiam pugnas manifestare poterit? Quot exercitus in eam se armarunt? Quod tormentorum genus in eam non est inuentum, frixoria, craticulæ, sulphur, calx viua, pix fusa, altissimæ rupes, lacus, camini accensi, ollæ ardentes, bestiarum vngues, maria, exilia, bonorum amissiones, & alia innumerabilia tormenta, quæ neque numerari, neque sufferri possunt. Et hæc excogitata non solùm ab alienis, verùm etiam à domesticis, & fratribus. Hoc enim erat ciuile bellum, quod totum terrarũ orbem inuaserat, (vel vt verius dicam) omni ciuili bello longè crudelius. Nõ enim solùm ciues cum ciuibus, sed propinqui cum propinquis, domestici cum domesticis, amici cum amicis pugnabant. nihil tamen horum potuit Ecclesiam tollere, neque perditioni tradere. Et quod incredibilius videtur, est, quod initio fundationis hæc tempestas coorta est. Nam si inuasisset, vbi radices altiùs egisset, & in omnibus mundi partibus plantata fuisset, non valde mirandum esset, si homines eam eradicare nõ potuissent. At cùm id acciderit Euangelij initio, & doctrina fidei nuper seminata, & fidelium animis adhuc teneris, vt tam multi persecutionum fluctus Ecclesiam non solùm deijcere nõ potuerint, imò per hæc omnia in dies magis fidelium numerus augeretur, id omnia mundi miracula facilè superat. Et propter hanc causam permisit diuina prouidentia, vt eo tempore tam fortiter Ecclesia oppugnaretur, & inuicta permaneret; ne fideliũ multitudo, qui nunc his pacis diebus degũt Christianorum Imperatorũ gratiæ, sed vni Deo accepta referretur, qui tum, cùm omnes Imperatores infideles, tam vehementer ei resistebant, eam defendit, & auxit. Quod etiam apertiùs in multitudine hæreticorum cernitur, qui deinde non armis, sed captiosis argumentationibus, eam expugnare voluerunt. Qui omnes, vt nebula euanuerunt: & Ecclesia, super hanc firmam petram ædificata,

cata, in suo loco stabilis, & integra perseuerat. Hæc Chrysostomus.

Omnes hæ prophetiæ, quas hactenus retulimus, (licet diuersis verbis) mūdi conuersionem prædicunt, nisi quòd quælibet aliquid præterea addit particulatim, vt in illarum qualibet cernitur. Quæ verò sequuntur, euersionem Hierusalem, & totius Iudææ regni, propter culpā in morte Saluatoris commissam, prophetizant. Et ita S. Lucas scribit, quòd cùm iret Hierusalem, vt eam vidit, fleuit super eam, inquiens: *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt. & non relinquent in te lapidem super lapidem: eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Hac autem prophetia quæ apertior esse potest; & quis tam cæcus intellectus erit, qui non conuincatur ab ea, cùm tam perfectè adimpleta cernatur? Sic enim res ipsa effectum est, vt hic describitur. Quibus verbis Saluator non solùm generatim huius ciuitatis euersionem narrat; verùm etiam particulatim docet, quòd ita euertenda erat, vt lapis supra lapidem non relinqueretur. Ciuitas enim cum suo templo, & muris, & domibus ita funditus sublata fuit, vt (quemadmodum Iosephus scribit) quicunque eam videret, nunquā ibi profectò hominum habitationem extitisse arbitraretur. Facit etiam mentionem de vallo, & obsidione, de quibus idem Historicus narrat, quòd omnes exercitus milites (inquit ille) diuino impetu moti totā ciuitatē tam firmo, & stabili vallo, & aggeribus circundederunt, vt tanquam murus magnus esset, ne vel præsidium, vel cibaria obsessis comportarentur, vel qui intus erant egredi, & periculum euadere possent. Et quod magis mirandum est, licet ille agger esset tam magnus, vt penè quatuor millium passuum occuparet spatium, tribus tantùm diebus confectum fuit. quod quidem, vt idem historicus animaduertit, homines stupefactos reddere debet. Idem Euangelista narrat, quòd cùm discipuli olim Saluatori lapidum, & operum templi pulchritudinem, & magnitudinem ostenderent, illis dixit: *Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Et interrogatus, quando hæc futura esset, inter alia dixit: *Cùm autem videritis circundari ab exercitu Hierusalem: tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes: & qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam. quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia quæ scripta sunt. Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus. erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic. Et cadent in ore gladij: et captiui ducentur in omnes gentes. & Hierusalem calcabitur à Gentibus: donec impleantur tempora nationum:* id est, donec gentiles, Idololatria relicta, se ad Deum conuertent: tunc enim ciuitas iterum à fidelibus habitari cœpta est.

Luc. 19.

Luc. 21.

Hæc Saluatoris prophetia tantā vim habet ad nostrā fidem confirmādam, vt licet innumerabiles aliæ deficerent, hæc vna satis esset ad fidei cōfirmationem. Nam si rex Pharao Patriarcham Iosephū Dei spiritū habuisse credidit, quòd septem annorum abundantiam, & sterilitatem prophetauit: nónne diuinitatis Saluatoris argumentū erit, quadraginta annis ante Hierusalem euersionem cum obsidione, & cæde, & pressura, & destructione ciuitatis, & templi,

Gene. 41.

Digitized by Google

quæ in ea futura erant, prophetasse? Quòd si rex Nabuchodonosor mundi
Dan 2. Monarcha, humi prostratus Danielem adorauit, & illi tanquam Deo thus & sacrificia offerri imperauit, quòd somnium, quod somniauerat, illi manifestauit, cuius iam oblitus erat; nónne Saluatoris diuinitatis argumentum erit, tam distinctè & apertè prophetasse ea, quæ huic ciuitati euentura erant; cùm non minùs Dei proprium sit futura scire, quàm cordium secreta aperire? In quo diuinæ prouidentiæ cura cernitur, qui tam multis rationibus nostræ fidei veritatem comprobari, & confirmari voluit.

Hæc prophetia euersionē illius nobilissimi templi, quod in ciuitate erat, continet atque comprehendit, quod Iosephus scribit Titum Imperatorem conseruare voluisse: at non defuit, qui eo inuito, diuina dispensatione, illi ignem admouit, & ita combustum est, & euersum, vt Saluator prædixerat. In quo sanctus Chrysostomus animaduertit in fine illorum verborum, quæ in
Iob 12. Iob scripta sunt: Si destruxerit, nemo est, qui ædificet; & si ædificauerit, quis illi manum tenuerit? Voluit (vti iam videmus) in mundo Ecclesiam suam ædificare, & omnes mundi, & inferni vires illi impedimento esse non potuerunt: & hoc templum destruere voluit ob populi peccatum, & nunquā hactenus ij, qui illi diditi sunt, resarcire potuerunt: licet ad id Iulianus Imperator opem ferret, vti iam dictum est. Quādo verò hoc templum primùm euersum fuit à Nabuchodonosor, septuaginta annis elapsis, qui ex captiuitate egressi fuerunt, iterum illud ædificārunt; Deus enim illis auxiliabatur: nūc autem, mille & quingentis annis elapsis, reædificatum non est; quòd Deus illis auxilium non præstat. Quid igitur est in causa, cur deserantur, nisi quòd Deus nunc eos non respicit, nec vt tunc adiuuat?

Ad hanc euersionis Hierusalem prophetiam aliam addere possumus, in qua idem Dominus idem prophetizat, quod in hac, non lachrymis, sed ea-
Matt. 23. dem affectione, & sensu, quem in hac ostendit, vt in his verbis apparet: *Ecce ego* (inquit ille) *mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem: vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus* (quod est vestra Respublica, & templum) *deserta.* Hæc sunt Saluatoris verba. Quis modò non videt hæc omnia adimpleta esse, & huius prophetiæ veritatem? Vbi hoc tempore illud regnum, & illa antiqua Respublica est? Vbi templum? vbi sacrificia? vbi sanctuarium? vbi sacerdos? & sacerdotales vestes? & vasa sacra? Hæc omnia euanuerunt, & nulla horū memoria reperitur: cùm iam mille & quingenti anni elapsi sint, & amplius, præsertim post vltimam AElij Adriani euersionem, de qua antea dictū est.

Hoc etiā idem Saluator in vineæ parabola prophetauit: in qua vbi retulit
Matt. 21 agricolas domini vineæ filium occidisse, vt haberēt eam, dicit fore, vt vineæ Dominus illos homicidas perdat, & vineam suā alijs agricolis locet, qui reddant ei fructum temporibus suis. Quòd autē Pharisæi horū verborū sensum

non

non assequebantur, statim Saluator interpretationem subiecit, dicens: *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Hoc adimpletum esse cernitur. Nam templo diruto, sacrificijs sublatis, & festis, quæ in eo celebranda erant, simul cum Sacerdotibus, & Prophetis, & Regibus, & Dei amicis, regnum, quod possidebant, amiserunt, quod vnà cum sanctis scripturis, & veri Dei Israel cognitione, & Saluatoris, qui ab eo missus fuit, ad gentilitatem se transtulit. Hæc prophetia ad superiorem aliquid addit: illa enim inquit fore, vt illis cælorum regnum auferatur; at hęc addit, quòd hoc regnũ illis ablatum gentibus tradetur, qui Saluatorem cum Spiritu sancto, & omnibus Ecclesię Sacramentis, & thesauris acceperunt.

Prophetiæ autem, quæ ad Christi mysteriũ pertinent, magis veteris, quàm noui Testamenti sunt. Vnde Saluator dixit, quòd leges & prophetæ vsque ad Matt. 11. aduentum S. Ioannis Baptistæ perdurabant. Quæ cùm multæ sint, de ijs posteriùs dicemus, licet in huius libri fine præcipuam summam ascripturi simus.

Hæ, Christiane lector, sanctissimæ fidei nostrę, & Christianę religionis pręstantię, & pulchritudines maiores sunt: quæ quidem satis apertè demonstrãt, eam à Deo datam, atque reuelatam fuisse; quod illud est, quod initio huius secundi libri proposuimus.

In fine eorum, quæ dicta sunt, mihi operæpretium esse duxi, ignaros admonere, contra nostrę fidei veritatem, & sinceritatem non esse, ipsis in ea proponere, quæ humanæ rationis facultatem superent: imò hæc (si rectè perpendas) sunt illius veritatis indicium. Experientia enim cognoscitur, quòd, qui in mundum nouas Sectas introducere conati sunt, & falsas religiones, & populos fallere, & sibi conciliare, salutis aditum expeditissimum ostendunt, & ea credenda proponunt, quæ creditu & factu facillima sunt: nam si aliter facerent, facilè exploderentur; vt hæreticorum princeps Mahometus fecisse cernitur, & infelices nostrorum temporum hęretici faciunt: qui omnia ardua & difficilia tollunt, & facilia comprobant, & quæ nostrę carnis appetitibus gratissima sunt. Inde fit, vt multos huic rei deditos, multosq́ue sequaces, quibus hæc grata sunt, reperiant. Veritas autem, nullam rationem vel grati, vel ingrati ducens, solum quod est dicens, aliò se conuertit. Quamobrem eò magis meretur, vt credatur, quò longiùs ab illo instituto, quod isti deceptores complexi sunt, abest. Itaque ardua dicere, & quæ cum omni virtute & honestate consentiant, & nostrorum sensuum voluptatibus sint contraria, indicium est, quòd pro vero, non contra verum facit. Prętereà cùm nostræ fidei fundamentum esse statuamus, quòd ea à Deo reuelata, & data sit, nõ humana ratione inuenta; æquum est, vt humanæ rationis terminos excedat, & ea doceat, quę eius sapientiæ, qui illam reuelauit, consentanea sint. Animalia rationis expertia à diuina prouidentia regi, & gubernari fatemur: ex quo fit, vt ea in illis videamus, quæ nõ solùm illorum facultatem superant, verùm etiam hominis, & diuinæ sapientiæ propria sunt; vt est, medicas herbas cognoscere, ac illorũ morborum curã, & tempestatũ, serenitatum, pluuiarum, exercituum cędis, aeris mutationis diuinationem habere, antequã eueniant, & se ab illis tueri. Si igitur cõfitemur nostram legem descriptam, & traditam, esse à Deo, non autem ab hominibus, æquum est, vt ea contineat, quæ hominis captum superent, & eius sapientię, qui ea tradidit, respondeant, quòd si res

 ita

Digitized by Google

ita ſe non haberet, diuina lex eſſe non videretur, ſed ſimpliciter humana, cùm humanæ ſapientiæ terminos non excedat.

Hîc autem in primis notandum eſt, quòd conſentaneum erat, vt in fidei doctrina multa eſſent, quæ rationis noſtræ facultatem ſuperarent, ne quid in homine reperiretur, quo non in amorem, & ſeruitium eius, qui eum creauit, vteretur. Cùm enim omnia creaſſet, æquum erat, vt illi omnia ſuum ſeruitium pręſtarent; & in primis ea, quæ in nobis maiora ſunt, quòd hæc Deo propinquiora ſint. Ex quibus voluntas primum locum tenet, quæ omnium animę noſtræ potentiarum regina eſt; & intellectus, qui illius conſiliarius eſt, qui nos à beluis differre, & Angelis ſimiles facit. Si igitur Creatori ſeruire debemus noſtra voluntate, non minùs id intellectu faciendum eſt. Quemadmodum autem huius voluntatis perfectum ſeruitium non eſt, quando ea amamus, quę vel facilè, vel naturaliter amare ſolemus, vt cùm parentes ſuos filios amant; ſed cùm noſtram voluntatem incidimus, & mortificamus, & quidquid appetit valde ei negamus, vt Dei voluntatem adimpleat. Hoc etiam modo conuenit, vt noſter intellectus Deo ſeruiat; & illius perfectum ſeruitium eſt, cùm (vt inquit Apoſtolus) noſtrum intellectum captiuamus, & rationem noſtram, eo credendo, quod omnem rationem ſuperat, quòd ita Deus iubet: qui cùm ſit ipſa bonitas, dignus eſt, qui ametur; ita quoque, quòd eſt eadem ipſa veritas, dignus, cui credatur: neque leuitatis eſt, id credere, quod noſtræ rationis vires ſuperet; cùm tam multę rationes à nobis hîc allatę ad ea credenda nos impellunt, quæ rationis terminos excedunt; & cùm compertum ſit, (vt Ariſtoteles inquit) noſtrum intellectum eſſe tam rudem, & ineptum ad alta, & diuina intelligenda, vt noctuæ oculos ad Solis lumen intuendum.

DICTORVM OMNIVM CONCLVSIO, VT FRVCTVS intelligantur, qui ex his omnibus percipiuntur. Cap. XXX.

IAM tempus eſt, quo ſuper ea, quę in hoc ſecundo libro dicta ſunt, philoſophemur, & ab illis ſuos fructus percipiamus. Ex dictis igitur primùm Chriſtianæ religionis dignitatem, & pręſtantiam cognoſcimus, in qua omnes præſtantiæ, & confirmationes, quas humanus intellectus capere poſſit, inſunt. Quod nos ad agendas gratias Deo pro fidei beneficio impellit, hoc eſt, quòd voluerit inter tot infidelium, & hæreticorum nationes, quæ in vniuerſo terrarum orbe diffuſę ſunt, ita nobiſcum præclarè agere, vt in ſinu Eccleſiæ Catholicę, & Chriſtianorum parentum nati ſimus, vt deinde & aqua ſancti Baptiſmi renati, & Dei filij, & hæredes, & Chriſti eius filij viua membra facti ſimus. Fidem enim habere, eſt Spiritus ſancti lucem in anima, quæ nos rectà ad vitæ æternæ felicitatem dirigit, habere, ſi voluerimus ſequi viam, quam ipſa nobis commonſtrat.

Secundus autem fructus, quem hîc potiſſimùm declarare volumus, eſt mira quædam ſuauitas, & ſpirituale gaudium, quod ex ſuperiorum præſtantiarum conſideratione in animabus puris, & mundis excitatur, quod ille Spiritus ſancti fructus eſt, quem fidelibus Apoſtolus optabat, cùm dicebat: Deus, qui ſpei auctor eſt, veſtras animas pacis, & lætitiæ impleat in credendo.
Rom. 15.

Hoc

Hoc eſt, vt eam fidem conſequamini, & ita credatis, vt non ſolùm non titubetis, & dubitetis in fidei myſterijs credendis, ſed in certitudine, & firmitate, pleni ſitis illius pacis, & lætitiæ. Hanc firmitatem ille Reginę AEthiopiæ Theſaurarius expertus eſt, (Act 8.) cùm prædicatione ſancti Philippi diaconi fidem, & baptiſmum ſuſcepit, de quo ſcriptum eſt, quod ſuum iter conficeret maxima cum lætitia, quòd hunc fidei theſaurum inuenerat, quem omnibus ſuę Reginæ theſauris facilè anteponebat.

Vt autem huius lætitię fundamentum, & cauſa intelligatur, illud priùs ſupponendum eſt, quòd (vt inquit Ariſtoteles) [illegible] cognitio cauſarum, & altiſſimarum veritatum, maximeq́; primæ veritatis, primæq́; cauſæ, qui Deus eſt, (cuius cognitio per huius mundi fabricam, & creatarũ rerum ordinem comparatur) licet parum ſit, & pauca certitudine, maximam tamen voluptatem, & ſuauitatem ſecum trahit. Quam tam magnam eſſe debebat hic Philoſophus fateri, cùm in huius contemplatione vltimum humanæ vitæ finem, & felicitatem eſſe cenſeret. Dico igitur, quòd ſi Dei naturalis, & acquiſita cognitio, licet parua ſit, neque ſatis certa, tam magnam lætitiam, & ſuauitatem ſecũ fert, quàm inquit Ariſtoteles; quantò maiorem veritatis cognitio, quam nobis fides tradit, in nobis generare poterit: quæ ſuper omnes cęlos volat, ſuper omnes hominum intellectus, & quò non poteſt humana ratio, peruenit; neque id vlla cũ dubitatione, aut pauca certitudine, (vt Philoſophi) ſed infallibili certitudine, & Dei veritate?

Secundo loco illud etiam ſupponendum eſt, quod idem Philoſophus inquit, illud indicium eſſe rei veritatis, cùm omnia cum ea conſonant. Quare ſciendum eſt, quòd quęcunque in mundo ſunt, alias cauſas habent quæ præcedunt, alias quæ comitantur, alias quæ ab illis conſequuntur, & nonnunquã etiam alias, quæ illis extrinſecus eueniunt. Cauſę pręcedunt, accidentia comitantur, & rerum proprietates effectus ſequuutur: extrinſecus veniunt, quod dictum, aut tractatum, aut teſtatum de illis rebus ſit. Inquit hic Philoſophus, quòd alicuius ſententiæ veritatis ſignum eſt, cùm hæc omnia cum illa dicant, & concordent; quòd ſi aliquid, vel aliqua ei contradicunt, aut repugnant, minimè verum eſſe poteſt, ſed mendacium eſt.

Hoc autem congruentiæ, & conſonantiæ genus in omnibus noſtrę fidei, & Chriſtianæ religionis myſterijs perfectiſſimè cernitur. Prophetiarum conſonantiam, & veteris Teſtaméti figurarũ cum nouo, omniumq́; Chriſti actionũ, omniumqúe concordantiarum myſterij noſtræ redemptionis (de qua alio loco agitur) prætermitto, & ad hanc venio, quæ eſt omnium dictarum præſtantiarum cum fidei, & Chriſtianę religionis veritate conſonantia. Hæ autem hæ omnes, & ſingulæ in ſuo genere, cum illius veritate dicunt, & concordant. Nam (vt omnia paucis verbis complectar) quę vnquam in mundo fuit religio, quæ altiùs & magnificentiùs de Deo ſenſerit? quę meliores leges proponat? quę magis ſalutaria conſilia donet? quæ huiuſmodi Sacraméta, & ſpiritales medicinas habeat? quæ tantopere virtuti faueat, tãta bona ei pollicendo, & vitia damnet, tam magna ſupplicia ei minãdo? quæ huiuſmodi doctrinam cõtineat, vt ſcripturarũ doctrina eſt, tam multis myſterijs plenam & ſententijs tam ſalutiferis, & præceptis, & ſtimulis tam efficacibus, vt homines ad Dei amorem, & timorem excitet, & à peccato eos alienet, & mũdum negli-

gere

Digitized by Google

gere faciat. Quòd si ab effectuum dignitate, & excellentia, causarum dignitas, & præstantia cognoscitur: quæ religio vnquam fuit in terris, à qua tam multi Martyres, Confessores, sanctissimi Pontifices, & Doctores, Virgines, & innumerabiles Monachi, qui solitudines sanctuaria fecerunt, & magis angelicam, quàm humanam vitam degerunt, egressi sunt? In qua religione, quo tempore, quo loco fuit tanta fortitudo, vt nostrorum Martyrum est? huiusmodi puritas, huiusmodi abstinentia, huiusmodi misericordiæ viscera, huiusmodi mundi despicientia, huiusmodi orationis & contemplationis studium, vt in omnibus nostris Sanctis fuit? Consolationes autem omnes, & spiritales lætitias, quibus Dei amici fruuntur, vel etiam in hac vita pacem, quietem, spem, qua viuunt, quòd Deo hęrent, & sub illius custodia sunt, quis enarrabit? Hi particulares huius sanctissimę legis effectus sunt. Generales autem, quos in mundo efficit, quis pro dignitate celebrabit? Quis malorum omnium maximum, quod Idololatria est, in exilium eiecit? quis tanta constantia Imperatoribus, & Regibus, qui eam defendebant, restitit? Quis idolorum templa Christianorum oratoria fecit? Quis homines ad veri Dei cognitionem perduxit? Quis superborum hominum feritatem in agnorum mansuetudinem, & serpentum astutiam in columbarum simplicitatem commutauit? Cuinam hæc tanta beneficia, nisi huic sanctissimæ religioni, accepta referenda sunt? Non enim consentaneum erat, tantam lucem, & legem tam sanctam, ab eodem Deo datam, tanquam in aliquo angulo absconditam esse, ita vt suos radios non emitteret vsque ad extremos mundi terminos, & eos illuminaret, qui degebant in tenebris, & vmbra mortis.

Sed quoniam ad veritatem confirmandam testes fide digni maximè conducunt; quę religio vnquam in terris fuit, quę huiusmodi testes habuerit? Testes enim primùm sunt innumerabiles Doctores, sanctissimi, doctissimi, eloquentissimi. & in omnibus Philosophorum scientijs, & in sacris literis peritissimi; qui professi sunt, prædicârunt, testati sunt, & defenderunt hanc sanctissimam religionem, contra calumnias, & falsitates hæreticorum, qui aduersus illam insurrexerunt. Testes sunt etiam innumerabiles Martyres, quos neque carceres, neq; ferrei pectines, neque ferarum dentes, neque craticulæ accensæ, ab huius fidei confessione auocare potuerunt, & eam ita testatam, & comprobatam, non atramento, sed sanguinis fluminibus reliquerunt: quod testimonium non vt humanum, sed vt diuinum celebratur. Cùm enim humanum corpus sit omnium delicatissimum, (quod vix acus punctionem ferre potest) fieri non poterat, vt tam multa, tamq; crudelia tormenta ferret, totq; cruciatus, totiesq; repetitos, (pręsertim in puellarum corporibus delicatis & teneris, & adolescentulorum) nisi diuina potentia roborati, & adiuti essent. Quid de tam multis & apertis miraculis dicam, quorum testimonio fides nostra (vt antea diximus) confirmata est? quod testimonium infallibilem veritatem continet: naturæ enim Creatoris, & auctoris est, qui solus suas leges abrogare potuit, & dispensare. Ad hæc autem quid dicam de Prophetijs futurorum, quæ vnius Dei pariter miracula, & opera sunt?

Vt autem redeam ad rem, cùm anima pia omnia, quæ dicta sunt, compertissima habet, & quasi vno intuitu has pręstantias, & veritatis testimonia considerat, & cernit quòd omnia concordant, & cum ea consentiunt, & omnia

hanc

hanc veritatem prædicant & testantur,hoc modo in fide maximè confirmatur,& à se omnes nubes eijcit,quæ sibi offundi possent; & in pace, & maxima animi quiete permanet,ex qua maxima lętitia cõsequitur,cùm in tam magna re,tam bene sitam se esse & confirmatam, cernat. Cùm enim fidei veritas sit omni veritate altior, & præstantior, magisq; afferat salutem, & vtilitatem, (cùm nobis Dei cognitionem afferat, & iter ad felicitatem,vt diximus, & vitam æternam ostendat,& adaperiat) inde fit,vt illa anima gaudeat mirum in modum, tam pretiosum thesaurum se sortitam esse.Etiam in credendo nullam difficultatem experitur, quòd videt animalis rationis expertis esse ea nõ credere,quæ tam multis,& apertis testimonijs confirmantur.

Si quis autem hanc pacem,& lætitiam in anima sua crescere velit,humilitate,& attentione has præstantias consideret, & animaduertat,quomodo omnes hanc veritatem testentur, & approbent,& omnes cum ea concordent. Vera enim fides & religio omnes has præstantias,& conditiones tenere debet, & hac congruentia, & consonantia rerum omnium, illius anima mira quadam ratione roborata,consolatione affecta,& recreata erit. Quare sciendum est,quòd cùm corporalis musica,& melodia existat,ita & spiritalis,& eò suauior,quò spiritalia,quàm corporalia,præstantiora sunt. Musica & melodia corporalis est,cùm diuersæ voces ita ordinantur, vt altera alteri respondeat & concordet,& ab hoc ordine vel proportione melodia proficiscitur,& ab hac auditus suauitas,vel(vt veriùs dicam)animæ per auditum Cùm enim rationalis creatura sit,naturâ ex ijs voluptatem percipit,quę sibi similia sunt, ab ijs scilicet,quæ sibi inuicem proportione respondent,& multa ratione collocata sunt. Et ita à perfectiori musica voluptatem percipit, & à perfecta pictura,ab ędificijs,& pulchris vestimentis,&ab eo omni,quod propter rationẽ & perfectionem dignum est,quod perspiciatur. Ita igitur,quemadmodũ musica corporalis adest,atque melodia,quæ resultat ex diuersis vocibus in vnum concentum redactis; sic & spiritalis adest,quę ex diuersis rebus congruentia, & conuenientia cum aliquo mysterio fit, quæ melodia atq; concentus eò est corporali præstantior,atque suauior,quò res diuinæ sunt humanis pręstantiores.Huius rei exemplum apud S.Augustinum habemus,qui de seipso scribit, quòd recepto sancto baptismo, & omnibus curis pręteritæ vitę omissis, non satiebatur ijs diebus cogitando cum admiranda quadam suauitate altitudinem consilij, quod diuina sapientia,vt hominum genus saluaret,ceperat. Hæc mirabilis huius sancti viri suauitas oriebatur ex mirabilium conuenientiarum contemplatione,quę in hoc diuino mysterio sunt,tum ad Dei gloriam, tum ad hominis redemptionem,& sanctificationem,& illius miseriarum remedium.Quæ quidem sanctę Crucis arboris fructibus,de quibus postea dicemus,curabuntur.Harum igitur rerum omnium conuenientia,est suauissimus concentus, & spiritalis musica, quæ tantam suauitatem, & quietem in anima dicti Sancti efficiebat. Nam hæ conuenientiæ,& concordantiæ, quidnam aliud erant,nisi suauissimæ voces,quibus suauiter illius animæ aures circumsonabant,& in ea hanc melodiam & suauitatem efficiebant? qua quidem magis in fidei mysterio confirmabatur,& seipsum in admirationem huius diuini consilij rapiebat,& in eo se diutius penè extra se continebat.

Hoc autem vt in nostram rem conuertamus, illud affirmo, quòd quemadmo-

admodum in redemptionis nostræ mysterio hæ conuenientię, & concordantiæ reperiuntur, quę tam perfectè cum eo concordant; ita etiam omnes hæ prȩstantię, quas hic narrauimus, cum nostrę religionis veritate concordant. Et quemadmodum ex ijs conuenientijs fit concentus quidam, & melodia, à qua mira suauitas consequitur, & cum ea nostrę fidei magna confirmatio; sic ab harum præstantiarum concordia, & conuenientia cum fidei veritate, alia quædam fit spiritualis melodia, & concentus, à qua alia similis suauitas spiritalis, & gaudium, & noua fidei confirmatio oritur. Et hinc intelligitur, quod initio Apostoli citauimus, qui à Deo postulabat, vt hanc pacem, & gaudium in fidei mysterijs credendis nobis daret.

Et omissis omnibus præstantijs adductis, quarum singulæ sunt huius veritatis magna confirmatio, illius testimonium maius, & euidentius in fine recitare volo, quod in quatuor veteris Testamenti præcipuis prophetijs consistit. Prima mundi conuersionem prænuntiat, vt æternus Pater per Isaiam testa-
Isa. 49. tur, cum suo filio loquens quatenus homo est, his apertissimis verbis: *Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israel conuertendas. Ecce, dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Huiusmodi prophetiarum plenus est hic Propheta. Secunda verò prophetia locum declarat, ex quo futurum erat vt exirent illi, qui in hoc opere Dei ministri futuri erant, qui Hierusalem erat, vt apertè idem Isaias testatur cap. 2. & Micheas 4. & Dauid Psalmo 109. Hi enim tres Prophetæ vna voce testantur, fore vt ex Hierusalem huius mundi conuersionis ministri proficiscerentur. Tertia prophetia tempus docet, quo Saluator pateretur, post quod tempus hęc conuersio incipienda erat, quod erat post septuaginta Danielis hebdomadas. Quarta est eiusdem Prophetæ, qui apertissimis verbis testatur, quòd post Christi mortem ciuitas Hierusalem, vnà cum sanctuario, hoc est, cum sancto templo, euertenda esset.

Nunc reliquum est, vt videamus, quot annos hæ septuaginta hebdomadæ comprehendant. Hebræorum enim magistri, cùm hoc tam aperto huius Prophetæ testimonio se vrgeri sentiant, has hebdomadas vt volunt interpretantur. Quibus respondeamus, quòd in tota sacra scriptura duo tãtummodò hebdomadarum genera reperiuntur, aliud dierum, aliud annorum. Et septuaginta hebdomadæ annorum, quadringentos & nonaginta annos complectũtur. Quòd si quis aliter hoc interpretari voluerit, id est ex proprio cerebro sine scripturę fundamento loqui. Id autẽ alia ratione tam euidenti probatur, vt omnes humanos intellectus conuincat. Duo enim simul hic Propheta prędicit, quæ has septuaginta hebdomadas consequutura erant, hoc est Christi mors, & ciuitatis cum sanctuario euersio. Iam igitur videmus, quòd his quadringentis & nonaginta annis elapsis, illa ciuitas, & templum solo ęquata fuit. Hic igitur erat annorum numerus, qui per illas septuaginta hebdomadas significabatur. Ita quòd tempus, quo adimpletum illud est, quod prophetatũ erat, nobis ostendit, quot annos illæ hebdomadę complecterentur; cùm in annis elapsis perfectum sit, quod hæc prophetia prædixerat. Quid huic rationi responderi potest?

Vt autem super hoc philosophemur, nobis omnibus compertum est, has quatuor

quatuor prophetias multis annis antè esse prædictas, & hoc tempore perfectè adimpletas esse cernimus. Primùm enim illam Iudææ Rempub. paulò post Christi passionem funditus euersam, sine templo, sine sacerdotio, sine sacrificio, sine Rege, sine Reipublicę forma, & per totum terrarum orbem esse dispersam cernimus. Deinde mundi conuersionem, idololatria in exilium eiecta, & in illius loco veri Dei cognitione collocata, perspicimus. Præterea ex Hierusalem ciuitate Christi discipulos profectos esse cernimus, qui constantissimè contra idololatriam, vsque ad mortem, & ad suum sanguinem profundendum pugnârunt. Ad hæc videmus id omne cœptum esse perfici eo tempore, quod iam prophetatum erat. Nunc igitur quæro, quis tot annis ante hæc duo tam notabilia opera, cum his duobus præcipuis relationibus loci, & temporis, quo id fieri debuerat, præter Deum prædicere potuit? Fuit enim hoc intellectus omnes conuincere, omnibus dubijs, quæ in eo poterant oriri, ostium claudere. Duo enim tanta prophetare, quæ solus Deus facere potest, & addere præterea, fore, vt id inde tot annis adimpleretur, & ita factum esse; & præterea prophetare, fore, vt ex Hierusalem ciuitate illi egrederentur, qui hoc tantum opus aggrederentur, & perficerent, inuitis omnibus mundi Monarchis, & id ita perfici; (vt in omnibus sacris, & profanis historijs constat) satis est, quod omnes humanos intellectus stupefactos reddere possit, in eo magnitudinem sapiētiæ, & potentiæ Dei considerando, qui talia, & facere, & prophetare potuit. Neque minùs stupefacti fiunt, cùm videant, quòd licet hęc veritas tam aperta sit, incredulitas tamen, & cæcitas eorum locum habeat, qui Christum adorare, & cognoscere noluerunt.

A firmitudine autem fidei, quæ ab his prophetijs, & ijs omnibus, quæ hactenus dicta sunt, conficitur, singularis fructus consequitur, ad quem omnia referuntur, quæ in hoc secundo libro continentur. Vnde sciendum est, quòd quemadmodum habitus charitatis, & cęterarum virtutum, vsu & exercitatione earum augetur, & diuinę gratię auxilio, & in dies perfectiores fiunt, & in anima radices altiùs agunt; sic etiam fidei lumen, & habitus crescit, & in intellectu illius pręstantiarum, & donorum Spiritus sancti intellectualium consideratione, fit firmius, & apertius, iuxta illud Salomonis: *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit, vsque ad perfectam diem.* Quod est æternitatis dies clarus, in quo cessabunt vmbræ, & gloriæ lumine Deum videbimus, & illius datorem. Hæc autem fides ad eam perfectionem peruenire solet per ea, quæ diximus, media, vt in multis exprimatur, quòd fidem iam ampliùs non habeant, sed aliud lumen, quàm fidei maius. Falluntur tamen; quòd non aliam ab ea, quam habebant priùs, fidem habent, sed hæc iam roboratur in anima, & ita augetur, vt alia videatur, licet non sit. Huiusmodi erat sanctorum Martyrum fides, pro qua tanta patiebantur tormenta, tam constanter, & eorum præsertim, qui sine accusatione ipsi à Deo afflati pro illius veritate se supplicijs offerebant. Hoc igitur iacto fundamento, sciendum est, quòd cùm anima religiosa has fidei præstantias cum humilitate, & pietate considerat, (quæ omnes vna voce cantant, & testantur apertissimis conuenientijs, & testimonijs illius veritatem, & sinceritatem) tantam fidei firmitatem concipit, & cum ea tantam pacem, & gaudium, (cùm Prou. 4.

fibi denuò hanc incomparabilem thesaurum comparasse videatur) vt vix
verba reperiantur, quibus id explicari possit, vt ei accidit, qui noua induitur
veste, sic illius anima noua luce, & noua fide induta esse videtur.

Et cùm ad singulorum nostrę fidei mysteriorum considerationem descen-
dit, alijs oculis, alijs affectibus & sensibus ea considerat ac solebat antè, cùm in
illorum contemplationem veniebat. Et cùm illum fidei articulū considerat,
qui bonis gloriam, & improbis pœnam proponit, iterum propter pœnarum
inferni æternitatem, & futuri iudicij terrorem, in quo hoc tormentum dan-
dum est, stupefacta redditur. Ita quotiescunque nostrę Redemptionis myste-
rium in animo euoluit, penè attonita fit, cùm videat illam altissimam, & in-
comprehensibilem maiestatem voluisse nostram sibi induere carnem, & in
terris cum hominibus conuersari, & deinde (quod omnem admirationem
facilè vincit) in Cruce mori voluisse, vt hoc beneficio nos ad amandum De-
um obligaret, & ad peccati odium, cuius remedium tanti constitit: in qua ani-
mi agitatione maximo terrore perterretur, cùm cernat, quàm facilè homines
plerunque in mortale peccatum incurrant.

Cùm autem vlteriùs progreditur, & ad sanctissimum altaris Sacramen-
tum oculos conuertit, extra se penè fit, cùm videat, quemadmodum ille
Dominus, ad quem tam difficilè superioribus temporibus adiri poterat,
(cùm non permitteret quenquam in sanctuarium ingredi, vbi fœderis arca
Heb.9. erat, nisi summum sacerdotem solum, idqúe semel in anno; & cùm arca in
itinere erat, populum ad eam accedere non permittebat, sed inter illum, & il-
Iosue 3. lam duo millia passuum interesse volebat; neque ad montis ardua, vbi le-
Exod.19. gem ille dabat, vllum neque hominem, neque beluam accedere, qui non mo-
reretur, permittebat) cùm igitur hæc omnia considerat, stupet, cùm cernat
eundem Dominum, qui per illam arcam figurabatur, tantam sui copiam
hominibus facere voluisse, vt hîc in terris in omnibus ecclesijs cum homini-
bus commorari, quodqúe magis est, ex illorum animabus viuum templum
efficere, & in illas recipi velit. Ex quo possumus quidem illis Salomonis
3.Reg.8. verbis, quæ protulit, vbi magnificum templum perfecit, exclamare: Fieri
potest, vt Deus in terra versari velit? si enim cælum, & cęlorum cęli non sa-
tis sunt, qui illam contineant maiestatem, qui fieri potest, vt hæc domus sit
satis, quam tibi ædificaui? Cùm igitur quælibet harum rerum sit tanta,
tamqúe admirabilis, cùm eam intuetur homo hac noua luce, & firmita-
te, quam ab illis consecutus est, hanc tantam admirationem in animo suo
concipit.

Cùm autem diaboli tentationes offeruntur, ad fidei scutum (vt S. Petrus
1.Pet.5. hortatur) perfugit; cumqúe recordetur, Deum, vt peccatum destrueret, mor-
tuum esse, quodqúe pro peccato infernum adest, & quò maiori certitudine id
credit, eò faciliùs illud à se depellit. Quòd si morbis, & calamitatibus se af-
flictum videt, & molestias ac contradictiones patitur in ijs perficiendis, quę
sibi à Deo mandata sunt, iterum se ad hos perfugium confert, illud inquiens,
quod quidam Sanctus in calamitatibus dicere solebat, cùm affligeretur: Tan-
tum est, quod expecto bonum, vt omnis pœna voluptatem mihi afferat, & ad
Rom. 8. id quod inquit Apostolus: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram
gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Hac ratione Dei seruus fidem in suam vtilita-

tem

tem conuertit, ex illius fonte aquam hauriens, vt omnes virtutis plantas irriget: omnes enim quodammodo de fide pendent, tanquam ex earum omnium prima radice. Quamobrem quemadmodum olitor, qui suum hortum bene instructum habere vult, operam dat, vt arborum radices colat, & irriget; (quò enim meliùs cultæ erunt, & adauctæ, eò arbores erunt formosiores, & vberiores fructus ferent) ita Christianus debet in hoc maximè inuigilare, vt in fide augeatur. Quò enim hæc huius virtutis radix erit perfectior, & robustior, eò maiores fauores, & auxilia per eam in bona vita consequetur. Ad quod spectant hæc, quæ in hoc secundo libro dicta sunt, & quæcunq; in sequentibus dicturus sum.

Illud tamen animaduertat lector, huius considerationis genus non satis esse, vt hanc tam præstantem fidem ingeneret; sed cordis sinceritatē, & vitæ puritatem, & humilitatis studium, & in oratione constantiam addere oportet. Nam cùm fides Dei donum sit, (vt Apostolus inquit) multò magis tam potens fides, ab eo semper, tanquam à luminum patre, & fonte petenda, & speranda est. Nulla enim maior fidei confirmatio esse potest, quàm miracula videre: & Pharaonē multa vidisse scimus, (& præsertim cùm aperta maria vidit) & multò plura Pharisæi viderunt, cùm præter cætera miracula Lazari resurrectionem cognouerint: in Christum tamen non crediderūt, imò inde occasionem arripuerunt, vt illi mortem molirentur. Mala enim sua vita non meruerunt, quibus Deus intellectum efficaciter moueret ad ea credenda, quę illa miracula testabantur. Quamobrem nemo debet quidem tantopere his nostræ fidei efficacibus fundamentis hærere, quæ hic scribimus, vt nō intelligat illorum confirmationem, & notitiam ab alto venturam, & potiùs humilibus orationibus, quàm curiosis speculationibus comparatam: cùm fine hac diuina luce omnis humana lux sit imperfecta, & obscura; & omnis lingua muta sit, cùm intrinsecus non loquatur de eo, quòd nobis doctrina reuelauit. Neq; quisquā sibi persuadeat hunc secundum librū solùm de nostræ fidei præstantia tractare, quòd in hoc volumine alias mirabiles præstantias cum alijs rebus permixtas videbis, ex quibus Christianus lector maximam consolationem percipiet, & in illius veritate confirmabitur.

Ephes. 2.

Ioan. 11.

Illud præterea lectorem admonitum volo, quòd cùm animum suum voluerit amplius in hac virtute confirmare, & propter hanc causam ad has præstantias confugere, (quæ post fidei lumen & habitum sunt præcipua fundamenta) non vnam, vel duas, sed omnes simul respicere debet. Nam quemadmodum multæ voces, si ad consonantiam perducuntur, suauiorem musicam, & melodiam efficiunt, quàm vnica vox: sic omnes antedictæ præstantiæ (quæ sunt, vt dixi, tanquam dulces veritatis consonantiæ, quæ cum illa concordant) illius cognitionem suauiorem reddunt.

Illud tamen verum est, quòd ex his consonantijs (quæ apertissima veritatis, & nostræ religionis præstantiæ testimonia sunt) quatuor adeò præcipuæ sunt, quòd singulæ per se solæ omnem intellectum bene affectum, quietum, & satisfactum reddunt. Quæ hic breuiter attingam, contentus eo, quòd supra dictum est.

Primum, est Prophetiarum adimpletio, & præsertim harū quatuor, quę tam apertæ, & manifestæ sunt, quas iam declarare desiuimus: quas nostris

temporibus perfectè adimpletas cernimus.

Secundum, est miraculorū, ex quibus nonnulla sunt tum præteriti temporis, tum præsentis, quæ nemo sanæ mentis negare poterit. Quòd si vnum miraculum ad huius veritatis confirmationem satis est, quantò magis tam multa, atque tanta?

Tertium, est mundi mutatio post Crucis mysterium facta: cùm in omnibus illius nationibus (vbi ante maiores abominationes, & turpitudines, quàm quis suspicari possit, erant) innumerabiles Sancti, & Sanctæ surrexerunt, qui angelicam vitam in terris degebant, vt superiùs dictum est, & postea fusiùs dicturi sumus.

Quartum, est de illius Reipub. & regni Israelis euersione, quod quidem erat antiquius, quàm Romanorum regnum, quod Dauidis tempore ita erat auctum, vt illud scriptura cum maris arena comparet. Vnde illius filius Salomon suo tempore illud in duodecim partes distribuit, sub duodecim gubernatoribus, quorum vnus sexaginta magnas ciuitates muris, portis, & feris circundatas, sub sua ditione continebat. Hinc facilè colligitur, quæ essent ea, quæ sub cæteris vndecim gubernatoribus erant. Postquam verò le decem tribus segregauerunt, & solùm tribus Iuda cum Beniamin tribu permansit, hæc sola tribus tam potens fuit tēpore regis Iosaphat, (vt quemadmodū scriptum est cap. 17. libri secūdi Paralipomenon) haberet hic rex sub suis ducibus 1160000. militū, & hi satis periti, & fortes erant: præter cæteras copias, quæ in præsidijs erāt, quæq; in omnibus regni propugnaculis collocatæ erāt. Hoc autem tantū, & tam illustre regnū, cum illa tam celebri, tam formosa, & tam forti ciuitate Hierusalē, cumq; illo nobilissimo templo in vniuerso terrarum orbe celebri, funditus sublatum fuit, & ad nihilum redactum, & illius habitatores per omnes mundi nationes sunt dispersi, & illis subiecti, & malè tractati. Hæc autē dispersio, & hoc exilium, iam mille & quingētis annis elapsis perdurat, ita vt Deus, neque eos liberet, nec opem ferat, nec vllum fauorem mittat, vt antiquis temporibus semper facere solebat, cùm hodierno tempore idololatriæ peccato minimè se obstringant, propter quod aliās in Babyloniam captiui perducti fuerunt. Quod autem aliud peccatum ab illis commissum esse potest, tam diuturno supplicio, & graui dignum, nisi filij Dei mors; vt idem Saluator multas lachrymas fundens super ciuitatem Hierusalem (vti diximus) prophetauit? Quis autē intellectus tam cæcus erit, tamq; obstinatus, qui hoc tam horribili supplicio non conuincatur?

3. Reg. 4.

In huius tractatus fine multis simplicibus hominibus maximam consolationem, & optimum remedium parare volo, quòd hi in rebus ad fidē pertinentibus maximè tentātur, à quibus tentationibus maxima pœna afficiūtur: cumq; huiusmodi homines hęc tam firma nostræ fidei fundamēta ignorent, quasi manibus & pedibus ligatis in obscuris tenebris versantur, quod illis maximam molestiam affert. His igitur velim ego hunc refugij locum parare, quò hoc tempore se recipiant, atque confugiant. Hoc autem velim oratorium esset, super firmissimis columnis fabricatum; quæ sunt quatuor veritates tam certæ, vt nullus intellectus eas negare possit. In cuius medio aderit Crucifixus; quò se recipiat homo hoc tēpore. Veritates sunt hæ: Prima est, q Deus est, quem hæc tam pulchra, tamq; formosa mundi fabrica ostendit, ac præ-

prædicat, vnà cum omnibus suis nationibus, licet barbaræ sint, quæ licet verum Deum ignorent, esse tamen fatentur. Secunda est, quòd Deus res est perfectissima, nobilissima, præstantissima, & altissima omnium, quæ in mundo sunt, quæq; ab humano intellectu comprehendi possunt; quodq; est naturæ beneficiorum, & fructuum auctor, & dator; & ille est, per quem viuimus, mouemur, & sumus. Tertia, quæ ab hac consequitur, est, quòd nihil est in mūdo iustius, nihil magis debitum, magisq; obligatum, neque pulchrius, quàm seruire, amare, & honorare hunc Dominum, magis, quàm omnes mundi patres, reges, atque benefactores, qui magis benefactor est, quàm omnes benefactores, qui excogitari, nedū reperiri pōssunt. Quarta est, quòd ex omnibus generibus colendi, & adorandi illius in terris excogitatis, nullum est, quod magis Deum honoret, meliùs de eo sentiat; nullum, quod leges, & consilia meliora habeat; nullum, quod magis virtuti faueat, & à vitio abhorreat; nullum, quod magis huiusmodi effectus operatū sit tum in particularibus personis, tum in vniuerso mundo; nullum, quod scripturas sanctiores habeat; nullum, quod tam multis testibus sit comprobatum, tum sanctissimorum, & doctissimorum virorum, tum gloriosissimorum Martyrum, & clarissimorū miraculorum, & euidentissimarum prophetiarum, vt Christianum genus est. Quod omne in hac secunda parte probatum est. Hoc igitur cùm ita se habeat, claudatur in hoc oratorio ille, qui tentatus erit, & has quatuor columnas complectatur, & omnis diaboli potentia illum amouere minimè poterit. Nam propter hāc causam (inquit Richardus) Christianus Deo dicere poterit: Domine, si decepti sumus, tu nos decepisti, cùm permiseris tu, vt hæc eam fidē haberent, & religionem, vt fieri non posset, quin crederentur.

Homo autem super hac catholica doctrina confirmatus, cùm dæmonium eum tentare inceperit in fide, cum eo ne disputet; (est enim magnus Sophista, & Logicus, & eum maximè vrgeret) sed statim, tentationem quàm citissimè à se depellendo, in hoc oratorium confugiat, & cum spiritu ad Christi crucifixi pedes se proijciat, illi protestans, se in sancta illius Catholica fide victurum, & moriturum esse. Quo facto, dictas quatuor columnas complectatur, intrinsecus dicens: Scio Deum esse, scio vniuersi orbis esse Patrem, Regem, & Dominum; nihilque esse, quod magis obliget, nihil iustius, nihil magis necessarium, neque quod magis sit debitum, quàm ei seruire, & eum honorare: illud quoque scio, nullum genus seruitutis perfectius, quàm quod Christiana religio docet, excogitari posse. Hoc sum cōtentus, hoc me consolatur, certoq; scio, quòd si ad id vixero, quod sanctissima Christiana religio docet, per iter deambulo certius, tutius, & religiosius, quàm quicunque humani intellectus excogitare possunt. His autē veritatibus munitus, & certus, has firmas columnas complexus, omnis diaboli potētia aduersus eum non præualebit.

Ad apertiorem primæ veritatis cognitionem primus liber conducit, in quo de mundi creatione, deq; diuinis perfectionibus agitur: quæ, quantus sit hic Dominus, quàm perfecta illius prouidentia, & cura, quam de omnibus creaturis gerit, quamq; dignus sit, cui omnes pro vtraque re seruiant, quemq; omnes honorent, apertissimè declarant.

Hoc remedium omnibus vtilissimum est, sed ijs multò magis, qui sic sincerum Dei amorem possident, vt non solùm ament propter ea, quæ ab illo

illo ſperant,(licet id bonum ſit,atque ſanctum) ſed ſolùm propter id, quòd
ipſe ſit, id eſt, propter illius infinitam bonitatem. De quo amore inquit S.
Bernardus, quòd per ſpem vires non ſuſcipit, neque diffidentiæ damnum
ſentit; Illud ſignificans, ſuum ſeruitium Deo non præſtare, propter ea, quæ
ab illo ſperat, neque non ei ſeruire, licet nihil ab eo ſperaret. Qui autem hūc
amorem ab omni ſui ratione abiunctum poſſidet, his veritatibus tam firmis
facilè omnia hoſtis tela reijcit, cùm cernat nullū vitæ genus eſſe, quàm quod
dictum eſt, quod huic Domino gratum, & acceptum ſit. Vtriſque tamē con-
uenit ſuperiorem omnem doctrinam non ſemel legere, vt in ea magis periti
ſint, & ita firmiores, & conſtantiores in ſui Creatoris cognitione, amore, &
ſeruitio ſint. Cui ſit laus,& gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Hîc etiam breuiter ei perturbationi reſpondendum videtur, qua nōnulli
afficiuntur, cùm vniuerſum terrarum orbem circunſpiciunt, & infidelium
infinitatem perſpiciunt, qui per illum diſſeminati ſunt. Huic primùm re-
ſpondeo, quòd tum in dictis rebus,tum in dicendis,noſtræ fidei veritatis cla-
riſſima, & ſufficientiſſima argumenta habemus. Ex quo licet (vt diximus)
noſtræ fidei myſteria non ſint euidentia,(cùm ſint rerum,quæ ſub ſenſum nō
cadūt) euidens tamen eſt,quòd credenda ſunt, propter miracula, prophetias
tam apertas,& alia teſtimonia, quibus confirmata ſunt. Hoc autem cùm tam
apertum ſit, nullam turbationem mihi afferre debet, quòd multi homines,
qui cęci ſunt ſuis peccatis & ſceleribus, eam credere noluerint. Nam ſi aper-
tè conſpicio, quòd in manu quinque digitos habeo, cur huius cognitionis
veritas mihi tollenda eſt, licet omnes homines contradicerent? Solum Noe,
Gene. 7. inquit Deus,ſe iuſtum inueniſſe in tota illa mundi prima ętate: neque ideo
ille ſanctus vir eſſe talis deſtitit,& ſuam fidem integram ſeruare, licet omnes
homines aliud iter ingreſſi eſſent. Et Abrahæ tempore paulò iuſtiores erant:
neque hoc ſatis fuit, quod in tā:o infidelium numero tam mirabilem fidem,
Rom 4. quam Apoſtolus celebrat, obſcurare poſſet. Quamobrem debet homo eo
contentus eſſe, ſeq; ipſe conſolari huius tam certæ fidei cognitione: & vol ſe
humiliare,ſui intellectus abiectionem & ruditatem conſiderans, & quęſtio-
nes de ſecretis,& iudicijs Dei,quę ſunt(vt inqt Dauid)abyſſus ſine fundo, præ-
Rom. 11. termittens: & propter hanc cauſam cum Apoſtolo exclamare debet: *O alti-
tudo diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius. &
inueſtigabiles viæ eius.*

Scimus tamen, quòd Deus & Dominus noſter paratus eſt ad eos recipien-
dos, & adiuuandos, qui conuertuntur ad illum, quodq; nemini negat ea, quę
ad hanc conuerſionem ſatis ſunt: illudq; ſcimus, quòd in omnibus humanis
intellectibus naturalem legem impreſſit, quę boni,& mali notitia eſt, nobisq;
liberum arbitrium dedit, vt vtrunque deligere poſſimus; & (vt inquit Ec-
Eccli. 15. cleſiaſticus) nobis ignem & aquam propoſuit, nobisq; facultatem dedit, qua,
quod nobis ex his duobus videretur, deligeremus. Et propter hanc cauſam
quando peccamus, noſtra ſola malitia peccamus, nulla re nos ad id cogente.

Ex quo ſi terrarum iudices habent poteſtatem necis,& punitionis eorum,
qui ſontes ſunt; æquum quidem eſt, vt & ille ſummus iudex hanc poteſta-
tem quoque habeat. At dices; Illius ſupplicium ęterna pœna eſt. Verum eſt.
At illud certum, quòd hæc punitio tribuitur, & ponderatur, ab illo Domino,
qui

qui non solùm iustus, sed rectitudo, & ipsa iustitia est: qui vt bonis operibus maiorem mercedem, quàm merentur, tribuit; sic de peccatis minorem pœnam sumit, quàm merentur. Quòd si hæc pœna æterna est, eius rei causa est, quòd diuina sapientia ita humana omnia disposuit, vt præsens vita ad merendũ esset, & futura, vt meriti vel præmium, vel supplicium reciperet. Sed cùm improbi tam diuturnum spatium, longamq; moram à Deo habuerint, vt suam vitam corrigerent, & noluerint hũc terminum sibi datum in suum vsum conuertere; inde fit, vt ingrati animi, suæq; despicientiæ pœnam luant.

Ad quod S. Gregorius addit, quòd cùm homines sine anima (qui sunt, qui in primis condemnantur) nunquàm suis sceleribus finem imposuerunt, & ita si semper viuerent, semper se in peccatis inuoluerent; propter hanc causam vult diuina iustitia, vt illorum pœnæ nunquam finem consequantur: cùm ipsi suis culpis nullum vnquam finem imposuerint, neque imposituri essent.

Quid de illis dixeris, ad quorum notitiam fidei prædicatio minimè peruenit? Illud quidem affirmo, eos non passuros infidelitatis pœnam, quod quidem peccatum illis non imputabitur, cùm illis fidem nemo prædicarit: sed pœnis afficientur, quòd contra naturalem legem, quam Deus in illorum cordibus impressit, peccarũt; & propter malas actiones, quas ipsi sua malitia, & mala voluntate fecerunt.

Neque illud nos mouere debet, quòd maior sit illorum numerus, qui damnantur, quàm qui saluantur, licet innumerabiles illi sint (vt inquit S. Ioannes) qui saluantur; in quorum cœtum ibunt ij, qui illorum innocentiam imitabuntur, vel quos dignè pœnitebit. Vbi eò erit eorum gloria maior, qui saluabuntur, quò damnatorum numerus erit maior: cùm ita præclarè cum illis actum sit, qui inter tam multos improbos, ipsi in electorum numerum constituti sint. Hæc autem improborum hominum damnatio in diuinæ iustitiæ gloriam redundat, apud quam nullum peccatum impunitum est; & in maiorem bonorum consolationem, & lętitiam, cùm à tanto periculo subterfugerint. Apoc. 7.

Hoc igitur cor humile conquiescere debet, neque curiosè diuina secreta inuestigare. Nam (vt inquit Lactantius) quid inter Deum, & hominem interesset, si vellet ipse suo ingenio illius incomprehensibilis maiestatis consilia, & ordines intelligere? Et merito huius humilitatis, qua homo dat gloriã Deo, seq; sua mensura metitur, sui intellectus abiectionem, & ruditatem cognoscens, merebitur, cui Deus illam pacem, quietem, & lætitiam donet, quam suis fidelibus amicis in fidei mysteriorum cognitione dare solet. Qui viuit, & regnat in secula seculorum.

AMEN.

SECVNDI LIBRI FINIS.

EDVXIT VOS IN MANV FORTI, ET REDEMIT DE DOMO SERVITVTIS.

Deutero. VII.

QVIA APVD DOMINVM MISERICORDIA, ET COPIOSA APVD EVM REDEMPTIO.

Psal. CXXIX.

DE RE-

DE REDEMPTIONIS MYSTERIO, LIBER TERTIVS:

In quo rationis lumine declaratur, quàm fuerit conueniens illud, quod diuina bonitas, & ſapientia ad humani generis ſalutem delegit.

PRAEFATIO.

In qua fructus, & vtilitates declarantur, quos illi conſequuntur, qui noſtræ Redemptionis myſterium conſiderant.

DIXI, Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius. *Hæc verba ſponſæ ſunt in Canticorum libro; quæ mihi tanquam fundamentum huius tertij libri ſumpſi: in quo diuino auxilio de noſtræ Redemptionis myſterio, & præſertim de fructu huius glorioſæ palmæ, quæ Crucis arbor eſt, tractare decreui. Huius materiei dignitas, & vtilitas, longè cæterarum rerum omnium dignitates, & vtilitates antecedit. Illud enim compertũ eſt, ex omnibus admirabilibus Dei operibus, hoc admirabilius: & ex altis, altius; & ex vtilibus, vtilius; & ex ſuauibus, hoc eſſe ſuauius. Præterea nobis manifeſtum eſt, ex operibus gratiæ, hoc eſſe maius; ex diuinis beneficijs, hoc eſſe ſummum; & ex ſacris myſterijs, hoc eſſe intimius. Et propter hanc cauſam illud Apoſtolus ſacramentum à ſeculis abſconditum vocat. ſic ille inquit:* Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creauit. *Et quoniam hoc erat tam abſconditum myſterium, mundus conſecutus non eſt: imò dementiam, & nugas exiſtimauit. Neque dæmonia intellexerunt; quoniam ſi intellexiſſent, qui fuiſſent Chriſti mortis auctores? neque dæmonia ſolùm, ſed ne Angeli quidem (niſi fuerint illi, quos ad hoc myſterium adhibuit Deus tanquam inſtrumenta & miniſtros) illud cognouerunt, quoad illis (vt inquit S. Thomas) reuelatũ fuit. De hoc myſterio tractat Apoſtolus, cùm inquit:* Sapientiã loquimur inter perfectos.

Cant. 7. Coloſ. 1. Ephef. 3. 1 Cor. 2

ſapientiam verò non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſeculi (*qui illius ſapientes, & potentes fuerunt*) cognouit: ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.

Et hæc cauſa fuit, cur toties Saluator in ſancto Euangelio de Spiritus ſancti aduentu verba facit, inquiens poſt ſuum aduentũ eſſe neceſſarium, vt Apoſtolorũ ore, tanquam ſummus magiſter, hoc ſanctũ myſterium mundo declararet, quod doctrina purè humana intelligi non poterat. Quæ enim ex omnibus creaturis poſſet intelligere fore, vt Deus pro hominum redemptione (cùm id multis alijs modis facere poſſet) mundo vnigenitum filium ſuum daret, noſtra infirmitate veſtitum? Quis potuiſſet intelligere ſub illa ſacratiſſima humilitate debili, & infirma, fuiſſe abſconditũ illum ſupernum gigantē,
Pſal. 18. *qui (vt inquit Dauid) à ſummo cælo deſcendens exultabat ad currendam viam, vt in huius mundi campo cum forti armato pugnaret, & de huius mundi principe (qui diabolus erat) triumpharet, & illius principatus, & potentias per ſe, & ſua morte ſpoliaret? Quis intellectus (licet præſtans eſſet) intelligere potuiſſet, ſub illo eius ſacratiſſimo carnis cibo fore durum, & terribilem diuinitatis hamum, vt expiſcaretur, & de mari huius mũdi eijceretur Leuiathan, antiquus ſerpens, & tortus draco, qui humanum genus deuorauerat? Quis mortem, principium vitæ; vituperium, gloriæ; carceres, libertatis; crucem, cæleſtis regni, vnquam exiſtimare poſſet? Quare præclarè dixit Apo-*
1. Cor. 1. *ſtolus*: Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.

Vt autem ad rem redeam; hæc palma, quæ triumphi ſignum eſt, probè ſanctæ Crucis ſignum nobis repræſentat: qua quidem Saluator de omni Dæmo-
Ioan. 12. *nij potentia, & mundo triumphauit, vt idem prophetauit, cùm inquit:* Si exaltatus fuero à terra, omnia ad me ipſum traham. *Hanc autem triumphalem, & glorioſam palmam ſancta ſponſa, (quæ anima deuota, & cæleſtem ſponſum amans, eſt) deuota ſanctæ Crucis conſideratione, aſcendere decreuit, vt illius fructibus ineſtimabilibus frueretur, & hac ratione in illum ſummum Dominum, qui apud illam tanta beneficia, quæ tanti conſtiterunt, collocauit, ſummo amore afficeretur.*

Cùm autem tot ſint huius ſacræ palmæ arboris fructus, non ſolùm eum palma communi conferemus, quæ in noſtris terris naſcitur, triumphi ratione; verùm etiam cum illa palma, quæ in Orientali India naſcitur, quæ

tanta

tanta fœcunditate est, vt illius fructibus & liquoribus maximum nauigium oneretur. Et (quod magis est) idem nauigium cum omnibus rudentibus suis, ita ex illa fit, vt nulla alia materia opus sit. Non ab re igitur erit sanctæ Crucis arborem cum hac tam fertili palma conferre, propter diuitias, & copiam innumerabilium fructuum, qui ex illa nascuntur.

Miram huius arboris fertilitatem vidit in spiritu Ioannes in Apocalypsi, vbi se vidisse narrat de throno Dei, & Agni flumen aquarum, vt crystallum esse, limpidarum fluere, & in media platea huius cœlestis ciuitatis in vtraque fluminis ripa plantatam arborem, quæ iuxta duodecim anni menses, duodecim fructus dabat, & huius arboris folia pro gentium salute esse. Quænam hæc arbor est, tam fœcunda, quæ in medio foro ad communem omnium beneficium plantata est, cuius folia pro omnium gentium salute sunt, nisi Christus vera vitæ arbor, in medio Ecclesiæ foro plantata, purissimo & copiosissimo omnium gratiarum, quæ in illum congestæ fuerunt, flumine irrigata, cuius folia, id est, cuius verba, & doctrina, pro mundi remedio salus, & lux fuerunt? Hæc arbor duodecim fert fructus, iuxta duodecim anni menses: quo duodenario numero, qui bis sex continet, qui perfectissimi numeri sunt, vt Mathematici probant, fructuum, qui ab hac sacratissima arbore proueniunt, (qui Christus crucifixus est) excellentia, & multitudo intelligitur. Apo 22.

Hanc admirabilem virtutem, & abundantiam bonorum, in virga Moysi, inter cæteras figuras Dominus repræsentari voluit. Cùm enim is suum populum de Ægypti captiuitate liberare vellet, huic Prophetæ iussit, vt lignum in manibus sumeret, id est virgam, qua ipse operaturus erat omnia miracula, & flagella, & plagas, quæ necessariæ essent, vt Ægyptios cogeret, quo liberum suum populum exire permitterent, & in promissionis terram eos introduceret. Itaque illa virga aquas Ægypti fluuiorum tetigit, & eas in sanguinem vertit: & terræ puluerem contigit, & ex ea infiniti culices surrexerunt, qui malè homines suis morsibus afficiebant. Ea verò cælum versus eleuata, magna tonitrua & fulgura orta sunt, quibus grando, & ignis in terram cecidit, quæ omnia in terris viridia consumpsit, vnà cum hominibus & bestijs omnibus, quas inuenit. Hac virga terrã contingente, excitauit Deus ventum vrentem, qui tantam locustarum copiam produxit, vt id omne consumpserit, & combusserit, quod grandini, & superiori tempestati reliquum fuit. Hac virga maria aperuit, vt populus, qui in litore erat, siccis pedibus transiret: & hac iterum ea clausit, vt Pharaonis exercitum, qui illum persequebatur, demergeret. Quid? Hac eadem virga saxum tetigit, & fecit, vt inde aquæ riuus exiliret, vt sitienti populo potum traderet. Hac montem ascendit, cùm Exod. 4. Exod. 7. Exod. 8. Exod. 9. Exod. 10. Exod. 14. Exod 17. Num. 20

Exod 17. *idem populus cum Amalech pugnauit, hanc virgam manu tenens, & preces fundens profuna in hostes victoria. Ad quid autem diuina sapientia voluit hoc instrumento in tam magnis, tamq́ admirabilibus rebus vti? Quis erit tam ignarus, qui hoc sine ratione statutum esse, & sine diuino consilio credat? Nam quæ proportio erat inter illud lignum, & illa tanta miracula, quæ ab illo facta fuerunt; cùm omnium rerũ Creator sola voluntate, & iussu, hæc omnia miracula facere posset? Quare quemadmodum hic Dominus in naturæ operibus nihil otiosum fecit, ita multò minùs in gratiæ operibus, aliquid sine fine, & mysterio facere voluit. Et quò media, & instrumenta, quibus vtitur, sunt ineptiora ad id quod facere intendit, eò magis nostros sensus excitant, vt intelligamus, quòd in spiritu, & rerum significatione inest ratio, & conuenientia eorum, quæ in rebus non inuenitur.*

Hoc igitur cùm ita se habeat, dicimus, quòd, vt illa liberatio Ægypti captiuitatis fuit figura liberationis captiuitatis, in quapropter peccatum mundus erat; ita hæc virga, qua Moyses omnia operatus est, quæ necessaria erant ad illam liberationem, est figura ligni sanctæ Crucis: qua mundo Saluator operatus est, & est operaturus omnia, quæ ad nostram liberationem, & salutem necessaria sunt. In ea enim inest pax, salus, vera libertas, vita, gratia, sapientia, iustitia, humani generis sanctificatio, & tandem vniuersale remedium malorum omnium seculorum, præteritorum & futurorum. In illa vir deuotum medicinam inueniet suis vulneribus, suis doloribus consolationem, suis laboribus vires, suis tentationibus scutum, contra suos hostes arma, omnibus virtutibus exemplum, & omnibus morbis commune remedium.

Pretiosi lapilli, & vniones singuli singulis morbis opportuni sunt: at hæc
1.Cor.10. *pretiosiss. ma petra, qui Christus est, cùm vna sit, omnibus vtilis est: sua firmitate saltem firmos reddit omnes illos, qui in illa fundantur. Hæc enim illa petra est,*
Cant. 2. *in cuius foraminibus morabatur sponsa, vt in Canticorum libro scribitur. In quæ verba inquit S. Bernardus: Quid aliud sunt petræ foramina, nisi Christi vulnera? Quæ enim bona sunt, quæ in hac petra non reperiantur? In hac enim petra sum ego suspensus, in hac tutus, in hac firmus, & fortis. Vbi enim infirmorum quies firma, & tuta est, nisi in Saluatoris vulneribus? eò enim tutiùs in eo commoror, quò is magis me saluum facere potest. Mundus rugit, Caro me premit, Dæmonium me persequitur: non cadam tamen, quòd super hanc firmam petram fundatus sum. Maxima commisi peccata, turbatur conscientia, at non confunditur, quòd in remedium adhibebo Domini nostri plagas reminisci. S. Bernardi dictum est.*

Hæc

Huius sacræ arboris fructus suauitatem quis exprimere poterit? Hoc quotidie deuoti sacræ Passionis contemplatores experiuntur: vbi in felle, quod Dominus pro illis gustauit, dulcissimum mel; & in illis eius doloribus maximas consolationes reperiunt; & in foraminibus illius pretiosorum vulnerum suauissimum suarum animarum domicilium: perspiciunt enim omnia esse ostia, per quæ illius charitatis viscera cernunt: illius bonitatis argumenta, amoris testimonia, animarum thesauros, & diuitias, & beatitudinis pignora: qua consideratione illæ animæ voluptate perfunduntur, & mira lætitia afficiũtur, pascuntur, & delectantur.

His omnibus fructibus, & cibis vtetur, qui oculos sortitus fuerit, quibus in Cruce illum innocentissimum Agnum intueri possit. Hos habebat oculos beatus Augustinus, de quo scribitur, quòd suæ conuersionis initio non satiabatur considerando cum mira quadam suauitate altitudinem sapientiæ, & consilij diuini, quo vsus salutem generis humani per vnigeniti sui filij incarnationem, & passionem operatus est.

Eosdem oculos, & clariores Apostolus se habuisse ostendit, cùm inquit: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. *His autem tam acutis oculis S. Apostolus pulchritudinem, quæ in humilitate Crucis inclusa est, cernebat. Quare dicebat: Nos Christum crucifixum prædicamus, qui Iudæis scandalum erat, & gentilibus stultitia. Ijs autem, qui ex his duabus nationibus ad fidem Christi vocantur, est Dei omnipotentiæ, & sapientiæ argumentum, & indicium. itaque quod infideles stultitiam vocant, summa sapientia est; & quod infirmitatem existimant, mira Dei potentia est. Hos autem S. Pauli oculos qui haberet, & Christum crucifixum, & extrinsecus tam malè affectum, & fœdatum, & specie tam debilem, & derelictum intueri sciret; sub illa fœditate adesse omnem pulchritudinem, sub illa debilitate omnem gloriam; sub illa nuditate & paupertate, omnes gratiæ, & gloriæ diuitias; sub illa morte vitã, & de ipsa morte victoriam videret: sub eo, quod mundi oculis stultitia videtur, altissima omnium philosophia, quam Deus hominibus tradidit, continetur: sub illa verò magna infirmitate, quæ aspectui oculorum carnis videtur, Dei magna potentia, & fortitudo, inest. Licet enim magna est potentia, quam in mundi creatione ostendit; maior tamen illa fuit, quam in illius conuersione declarauit sanctorum Martyrum testimonio, atque constantia, inter quos infirmæ fœminæ, & teneræ puellæ, omnes mundi principes, & monarchas, omnes inferni vires atque potentias deuicerunt, qui omnes hanc tantam fortitudinem ex Crucis infirmitate consecuti sunt.*

1. Cor. 2.

1. Cor. 1.

Hac

Hac autem in re à Domino postulandi sunt illi oculi, quos illi Sancti habe-
bant, vt mirabilia, quæ sub humili Crucis figura sunt tecta, penetrare possi-
mus. Iam enim nobis manifestum est, quòd ex omnibus operibus, quæ fecit
Dominus noster in terris ad hoc vsque tempus, facit, & facturus est, maius
fuit nostræ Redemptionis opus. Cùm enim Deus incomprehensibilis sit, non so-
lùm in sua essentia, verùm etiam in suis operibus; multò magis in hoc esse de-
bet, quod omnibus est altius, & admirabilius. Nam (vt Philosophi inquiunt)
quæ Dei sunt, alta sunt, & intellectus noster tam infirmus est, vt non magis
ad illa intelligenda accommodatus sit, quàm noctuæ oculi ad Solem aduersum
intuendum: quid noster intellectus diuina luce destitutus facere poterit, vt
hoc maximum opus, vt decet, intueatur?

Hoc Christi discipuli nos docent, qui vbi tam diu illius scholam frequenta-
runt, eius doctrinam audiuerunt, mira illius humilitatis, patientiæ, paup-
tatis, & vitæ tam à mundi commodis & apparatu alienæ, exempla viderunt,
Luc. 18. *Crucis philosophiam non intelligebant; quia licet Dominus illud satis apertis*
verbis annuntiaret, tamen quid ipse diceret ignorabant. Huiusmodi enim
personâ Crucis humilitas illis indigna videbatur. Ita etiam, cùm Dominum
mortuum viderunt, quam spem habebant fore, vt Israel redemptor esset, ab-
iecerunt: ex homine enim crucifixo, & mortuo, talia speranda non esse arbi-
trabantur.

Qui vellet igitur cum vtilitate hoc mysterium contemplari, vt se ipse spo-
liaret, id est omnibus carnis, & sanguinis sensibus, & voluptatibus, & spi-
ritu fidei, humilitatis, charitatis, & sanctæ simplicitatis hoc sanctum sanctu-
arium ingrederetur, necesse esset. Cùm Moyses sua armenta in deserto custo-
Exod 3. *diebat, & illum rubum ardentem vidit incombustum, sibi ipse dixit:* Vadam,
& videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur ru-
bus. *Sed statim illi apparuit Deus, & dixit:* Solue calceamentum de
pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est. *Hanc autem*
tantam visionem qui videre cupit, vt est Dei Filium contemplari, cùm ad su-
um populum ex hostis captiuitate redimendum venit, humili nostræ carnis
rubo vestitum, & inter suarum molestiarum spinas & flammas positum, soluat
calceamenta, quæ sunt mortuorum animalium coria, id est, se omni caducam
& fragili spoliet, & Dei spiritu se vestiat, vt hoc tantum opus ponderet, &
tractet, non humanæ prudentiæ & paruitatis mensura, sed incomprehensibi-
lis diuinæ bonitatis mensura, quæ omnes creatos intellectus facilè vincit. Hac
autem ratione pro suo gradu, fide, & deuotione, videre poterit, quod & Apo-
stolus videbat.

Et

Et licet alijs locis aliquid de hoc nostræ Redemptionis mysterio, & beneficio tractauerimus: tamen tantum est, & tot mirabilia complectitur, vt mille non satis essent libri, vt pro dignitate tractaretur. Apostolus enim S. Paulus diuinæ sapientiæ thesauris armatus, quam de tertio cælo Christi magisterio, & doctrina deportauit, fatetur, se nihil nisi Christum scire crucifixum, in quo sciebat omnia. 1. Cor. 2.

Ita etiam S. Thomas inquit, quòd dum pius vir hoc mysterium contemplatur, plures conuenientias, & mirabilia in illo inueniet, quibus magis se in fide confirmabit, in charitate accendet, & in omni virtute, & deuotione augebitur. Ad id enim omne hoc mysterium conducit, quod idem Apostolus his verbis celebrat: Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria. 1. Tim. 3.

Ex his autem omnibus, quæ dicta sunt, quid aliud consequitur, nisi quòd anima pia in sui cordis medio ita hoc mysterium collocet, vt in omnibus suis actionibus semper in oculis Crucis memoriam ferat. Si comederis, (inquit quidam Doctor) omnes bucceas corde in Christum intinge: si biberis, inter bibendum illud in animo euolue, quod Christus suo pretioso sanguine tibi dedit: si dormieris, super spineam coronam tuum caput, & super sanctæ Crucis lignum tuum corpus colloca: &, vt omnia vno verbo complectar, in tuam memoriam congere omnes dolores, & molestias, quas hic Dominus in vita, & morte passus est, cum sponsa in Canticis inquiens: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea, *id est, in intimo cordis mei* commorabitur. Cant. 1.

Hoc satis sit pro huius libri introductione, vt pius lector, quem fructum ex hoc libro percepturus sit, & quomodo illum percipere debeat, intelligat.

TRACTATVS PRIMVS:

In quo naturali lumine mysterij nostræ Redemptionis conuenientiæ declarantur, & arboris sanctæ Crucis viginti singulares fructus explicantur.

DE RATIONE PROCEDENDI IN HOC TERtio libro. Cap. I.

IN Christiano homine duo esse lumina, initio libri præcedentis docuimus; alterum fidei, quod ad eum quatenus Christianum pertinet; alterum rationis, quod ei quatenus homini conuenit. Hoc rationis lumen est quidam lucis radius, qui in animas nostras ab illius infinitæ lucis fonte cedit, cuius causa hominem ad Dei imaginem & similitudinem factum esse confitemur. Quod lumen eò est perfectius, quò vita, & conscientia purior est. Inter autem cæteras differentias, quas inter hæc lumina esse diximus, illa vna fuit, quòd veritas, quæ fide acquiritur, firma, certa, & infallibilis est; quòd in Dei auctoritate fundatur, qui fallere non potest: licet hæc cognitio obscuritate non careat; Fides enim est, credere, quod non videmus. At veritas, quę rationis lumine acquiritur, non tam certa est, neque infallibilis; sed maiorem euidentiam secum trahit tunc, cùm hac cognitione intelligitur, quòd quidquid creditur, à bona ratione alienum non est: Verùm fides iubet, vt animas immortales esse credamus, & quòd Deus humana curat, & pœna pro improbis, & gloria pro bonis reperitur. Hæc nostra fides prædicat & docet: quæ tamen ita in rationis lumine aperta sunt, vt ea multi Philosophi, (& pręsertim Socrates, & Plato, & Plutarchus) hoc solo lumine cognouerint. Cùm autem hoc modo lumen rationis cum fide copulatur, (id est, cùm ratio illud idem testatur, quod & fides nos docet) ex hac re maximam lętitiam, & consolationem anima nostra percipit: qua quidē multò magis in fide confirmatur; duo enim lumina simul iuncta magis, quàm vnum solùm, illuminant.

Hoc igitur cùm ita se habeat, in hoc tertio libro de nostrę Redemptionis mysterio tractare decreuimus, exponendo id, quod fides nostra de hoc diuino mysterio prędicat, non solùm à ratione non abhorrere, sed maximè ei consentaneum esse. Quare tria præcipua declaraturus sum: Primum, quàm sit cum ratione congruum, quod de originali peccato, in quo nati sumus, fides nostra testatur: Alterum, quàm fuerit conueniens, vt illa infinita Dei bonitas, & misericordia homini lapso remediū pararet, & pręsertim quòd reliquum humani generis illius causa sine vllo suo actuali peccato patiebatur. Tertium, quòd nullum aliud conuenientius remedium tum ad Dei gloriam, tum ad hominis remedium reperiri poterat, quàm Domini nostri incarnationis, & passionis mysterium: & in hac tertia parte exponenda maior libri pars futura est.

ræ eſt. In fine verò præcipuis quæſtionibus reſpondetur, quæ de hoc myſterio fieri poſſunt.

Vt autem noſtrę Redemptionis myſterium tractare incipiamus, quo modo diximus, ſupponendum eſt, quod initio ſequentis libri ſupponimus, ſcilicet, quòd Deus infinita ſua bonitate hominem creauit, vt eum ſuæ gloriæ participem faceret; quodq́ue ei omnia dona, & dotes ſupernaturales dedit, quæ ſunt originalis iuſtitia & gratia, vt ijs ad hunc tantum finem, tamq; altum ſe diſponeret; quodq; is ſua inobedientia hæc dona perdidit, quę pro ſe, ſuisq; poſte. is [illegible]eperat, & in eo omnes amiſerunt: qualis enim ipſe remanſit, & tales genuit, peccator peccatores, mortalis mortales, nudus nudos, infirmus infirmos, debilis & malè affectus debiles & malè affectos. Horum omnium malorum radix originale peccatum eſt, in quo concepti ſumus omnes, quod noſtræ fidei vnum ex primis dogma eſt. Hoc igitur lapſu, & morbo ſuppoſito, de illius remedio nunc tractaturi ſumus.

QVAM SIT CVM RATIONIS LVMINE CONSENTAneum, quod religio Chriſtiana de originali peccato tradit. Cap. II.

NVNC æquum eſt, vt de originali peccato agere incipiamus, & vt pius lector ex hac re maiorem fructum percipiat, & maiori attentione eam legat, priùs declarabimus, quæ ad illius cognitionem conducunt. Primùm igitur ad noſtræ Redemptionis myſterium facit, intelligere, quàm nobis redemptore, & medico ad hunc morbũ ſanandum opus eſſet. Deinde prodeſt plurimum, vt hinc illam veterum tam celebrem philoſophiam intelligamus, quę in ſui ipſius cognitione verſatur, quod non ſolùm humilitatis, verùm etiam virtutum omnium principium, & fundamentum eſt. Cùm enim ęgrotus ſui morbi periculum cognoſcit, remedium quærit: at qui non cognoſcit, illud minimè quærit, & ita in eo periclitatur.

Huius autem morbi remedium illud eſt, quo Sancti vſi ſunt, qui cùm venenum in ſe incluſum cognoſcerent, inde quærendæ medicinæ occaſionem ſumpſerunt; quę ſunt ieiunia, orationes, eleemoſynæ, Sacramentorum vſus, (quæ ſunt medicinæ ab illo medico exhibitæ, qui de cęlo vt hanc infirmitatem curaret deſcendit) & vnà omnes peccandi occaſiones effugere, ne extrinſecus vires adiungamus illis propẽſionibus, quas intrinſecus patimur. Quamobrem illud tempus non fruſtra conſumpſiſſe exiſtimare debemus, quod in hac re explananda conteremus, ex qua tam multi fructus percipiuntur.

Vt doctrina originalis peccati intelligatur, illud, quod ad ipſam fidẽ pertinet, ſupponendum eſt, Deum non creaſſe hominem, cum illis imperfectionibus, & incommodis, quæ nunc tam in corpore, quàm in anima patitur.

Quod, præterquam quòd id fidei eſt, apertiùs oſtendemus, & quaſi ſub oculos ponemus. Inquo duo ſupponimus: Alterum, quòd ille ſummus Dominus, licet potuerit hominem ([illegible]quiunt) in puris naturalibus creare, & ita iiſdem pœnis, quibus nunc e[illegible] [illegible]noxius eſſet: tamen illius bonitatis magnificentię non erat conueniens, vt eum huiuſmodi crearet. Propter hanc cauſam noluit in humana natura pœnam eſſe, in qua culpa non erat.

 Alte-

Alterum eſt, quòd omnia opera, quę ille facit, (omnia in ſuo genere) ſunt ita perfecta, & abſoluta, vt in illis nihil inordinatum, aut imperfectum ſit, nihil
Eccles 3. illis deſit, nihil ſuperſit; quod Salomon his verbis teſtatur : Nihil eſt, quod Dei operibus vel addi, vel auferri poſſit: quę tanta ſapientia, & prouidentia creauit, vt per ea cognoſceretur, & coleretur. In hanc ſententiam ſcribitur in
Sap. 11. Sapientiæ libro, quòd Deus omnia numero, pondere & menſura creauit; in his tribus verbis omnium operum illius ſapiētiſſimi artificis, qui omnia formauit, perfectionem ſignificat. Corporearum enim rerum aliæ numero, aliæ pondere, aliæ menſura adminiſtrantur. Vt igitur Sapiens diuinorum operum ſummam perfectionem oſtenderet, hæc tria in vnum collegit, quę ſunt numerus, pondus, & menſura. Non minùs autem apertum teſtimonium illud eſt, quod in libro Geneſis legitur, vbi de perfecta mundi creatione ſcribitur,
Gen 1. quòd vidit Deus cuncta quæ fecerat illis tribus diebus eſſe valde bona. Vbi nō ſolùm dixit, bona, ſed illud addidit, valde bona, id eſt, perfecta omnia in ſua ſpecie. Hoc idem ſecularis Philoſophia paſſim teſtatur, quòd naturæ auctor ſemper facit quod melius, & perfectius eſt. Quod idem ratio confirmat: Operum enim imperfectio opificis imperfectionis argumentum eſt: & blaſphemia eſſet hoc illi ſapientiſſimo factori tribuere.

His duobus fundamentis iactis, quę tam aperta ſunt, nunc oſtendemus, Dei non fuiſſe, hominem tam multis imperfectionibus, incommodis, & defectibus creare, quibus cum nunc de vtero matris egreditur homo. Quare, quæ magis in humana vita inordinata ſunt, videamus: deinde narrabimus, quomodo hæc à mala radice, & ſemine peccati, in quo conceptus fuit homo, naſcantur.

Illud primum compertum eſt, hominem rationalem creaturam eſſe, quæ natura illius propria eſt, qua à cæteris animalibus differt: quod cùm ita ſit, magis naturale, & proprium hominis eſſe deberet, ſecundùm rationem viuere, id eſt, ſecundùm virtutem, quòd virtus ſic eſt cum ratione coniuncta, & tam illi affinis eſt, vt eadem ratio ſit illius (vt inquit Ariſtoteles) regula. Nos autem re ipſa cernimus tantum abeſſe homines à vita quæ ratione & virtute regatur, vt in illis appetitus tantummodò dominentur: nobis igitur fatendum eſt, aliquem naturæ morbum adeſſe, cùm illud non faciat, quod ita ſuæ naturæ propriū eſt. Cùm equum currere non poſſe cernimus, nec nare piſcem, nec auem volare, aliquem in illis morbum ineſſe intelligimus, qui illis impedimento eſt, quo minùs, quod illorum animalium proprium, & naturale eſt, efficere poſſint. Rationalis autem creaturæ magis naturale eſt, ſecundùm rationem & virtutem viuere, quàm quiuis horum motuum ſit illorum animalium proprius: ſtatuendum igitur eſt, in humana natura aliquem communem morbum ineſſe, qui actionem tam propriam, tamq; naturalem, vt hęc eſt, impedit.

Illa quoque eſt communis Philoſophorum ſententia, quòd omnes naturales actiones cum voluptate fiant, quòd hac illecebra natura nos ad eas excitat, & inuitat. Sic oculi cùm vident delectantur, cùm audiunt aures, palatum cùm guſtat, & ita reliqui. Cùm autem ſit rationalis creaturę tam propriū, ſecundùm rationis, & virtutis leges viuere; (vt dictū eſt) virtutis opera maxima cum voluptate, & vitij maxima cum moleſtia eſſe debebant. Sed reipſa rem

aliter

aliter se habere cernimus, virtutes scilicet plerisque duras, & difficiles, & vitia contrà facilia, & suauia esse: natura igitur vbi hoc incommodum est, morbo affecta est.

Hoc idem probatur nostrorum appetituum à via recta declinatione hoc modo. Homo duabus partibus constat, quæ sunt corpus & anima; quæ tam inter se differunt, vt alterum mortale, & altera immortalis sit; alterum terrenum, altera cælestis; alterum beluarum, altera sit Angelorum similis. Hæ duæ partes sua propria bona in se habent: corporis bona sunt, valetudo, vires, velocitas, diuitiæ, pulchritudo: animæ eadem sunt, sed spiritaliter sumpta; hoc est, valetudo, & bona animæ affectio; vires, vt vitio resistat; velocitas, vt per virtutis viam possit currere; & omnium spiritalium bonorum diuitiæ. Cùm autem animæ bona tantò bonis corporis præstent, quantò est illa corpore præstantior; ordo nostræ voluntatis & appetitus, natura rectus postulat, vt, quod maioris est valoris, & magis amatur, pluris etiam fiat, & maiori diligentia curetur. Quod plerunque inter homines fieri contra conspicitur, qui corporis bona tanti faciunt, tam amant, tanto ardore & diligentia quærunt, vt diu noctuq́ nihil aliud cogitent, nec curent, tractent, aut somnient: omnia maris pericula, terræ, ignis, aquæ, hastarum & gladiorum, adeunt, vt hæc bona consequantur. Pro bonis verò spiritalibus, quæ illis longè præstant, quis tantoperè excitatur? quis in tam multis laboribus versatur? quis tam multa pro his vitæ pericula adit? Quis autem hinc non intelliget nostri appetitus palatum esse corruptum, qui horum bonorum spiritalium dignitatem respuit, & tanta molestia afficitur; & tantopere elaborat, vt illa corporalia consequatur? Quod apertiùs hoc exemplo dignoscitur.

Quemadmodum se habet nostri palati gustus ad dulce, & ad amarum, & ad magis & minùs dulce; sic nostræ voluntatis appetitus se ad bonum, & malum habet, quod nostræ voluntatis obiectum est, vt dulce & amarum nostri palati. Cùm autem palatum de saporibus non rectè iudicat, dulce amarum existimăs, & amarum dulce, insulsum sapidum, & sapidũ insulsum, (vt fœmina facit, quæ vel terrã comedit, vel testas malè coctas) in corpore morbum adesse intelligimus, palatumq́ue corruptum esse: ita cùm videmus nostram voluntatem in bonorum amore inordinatam esse, eamq́ bonis spiritalibus, & diuinis minimè delectari, & ex vilissimis carnis bonis tantã percipere voluptatem; quis illam voluntatem corruptam esse non intelliget, & minimè fieri posse, vt ille summus artifex hominem tam inordinatum creauerit?

Vlteriùs autem progrediamur, & eo pro fundamento vtamur, quod iam diximus de nostræ animæ præstantia, & nostri corporis vilitate. Illud animaduertatur, quòd secundùm diuinam, & humanam Philosophiam, naturaliter facta fuit anima domina, vt imperaret, & corpus, vt seruiret, & obediret; vt in optimis Reipublicæ statibus fieri solet, vbi patritij administrãt, & dominantur, & populus obedit. Cùm autem hic ordo tam naturalis sit, hoc corpus animæ facilè, & cum voluptate obedire, & seruire debebat; vt in ipsius corporis membris cernitur, quæ, licet hæc inter ea præeminentia non sit, tamen cùm opus est alia alijs seruiunt. At omnes quotidie carnis rebellionem, & contumaciam contra spiritum cernimus. Quam declarauit Apostolus, cùm

 inquit;

Rom 7. inquit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Cùm id tam extra ordinem sit, tamq; magna repugnantia adsit, & quasi quoddam schisma inter ipsius hominis partes; qui fieri poterat, vt ille sapientissimus artifex hominem hac diuisione, & contrarietate crearet, quæ omnibus virtutibus, omniq; honestati impedimento est?

Ad hæc omnia accedit mira obliuio vltimi finis, ad quem homines creati fuerunt. Illud enim cernimus, animalia rationis expertia nulla alia in re versari, quàm in eo inquirendo, quod ad vitam necesse est, & ad sui corporis conseruationem, qui est finis illis à Creatore propositus tanquã creaturis rationis expertibus, quæ maioris boni capaces non erant. Hominis autem finis (qui in se diuinæ lucis radium continet, quæ ratio est, qua dicitur homo ad imaginem Dei fuisse creatus, & per eam super omnes cælos euolare posse, & vsq; ad suum Creatorem peruenire) alium habet finem præstantiorem, & suę nobilitati magis congruentem, qui est summi boni, qui Deus est, contemplatio, & amor, vt Aristoteles & Plato omnium Philosophorum præstantissimi statuerunt. Medium autẽ, & iter ad hoc genus contemplationis consequendũ, est moralium virtutum possessio, quibus nostrarum perturbationũ, quæ quidem nos in terras deijciunt, & à cælo segregant, tumultus comprimitur, & animæ oculi purificantur, & acuuntur, vt illam infinitam lucem, & pulchritudinem contemplari valeant. Ad hæc duo munera intellectus nobis datus fuit, qui duas dotes habet; alterã, ad virtutem comparandam, & vitã suam prudenter disponendam; alteram, vt ad rerum spiritalium, & diuinarum studium, & considerationem se erigeret. Quas duas dotes, Philosophi & Theologi intellectum practicum, & speculatiuum dicunt: non quòd hi duo intellectus sint inter se distincti, quod minimè sunt, sed vnus tantùm, qui has duas facultates habet, quas his nominibus vocamus.

Hoc autem cùm ita se habeat, naturalis ordo postulabat, vt quemadmodum animalia rationis expertia nulla in re insistũt, nisi in parãdis illis rebus quæ ad suam perfectionem, & conseruationem faciunt, qui illorum finis est, sic etiam homo in suo genere faceret. Quod plerunque in hominibus longè aliter cernimus, cùm nulla alia in re minùs inuigilent, quàm in hac, in qua vnà perpetuò se occupare deberent. Imò ita à sua natura degenerant, vt, quemadmodum beluæ ad nihil aliud properant, quàm ad conquirenda bona suo corpori, sic illi (vt vniuersim loquar) nulla in re alia versentur, quàm in ijsdem rebus, in quibus & illæ. Quæ autem maior abiectio, quod maius vulnus, qui morbus grauior esse potest, quàm tam nobilem creaturam, Dei felicitatis & glorię capacem, se beluarum similem efficere, nullumq; alium finem respicere, nullaq; alia in re insistere, nisi in ijsdẽ rebus, in quibus & ipsæ inuigilãt? Cur homo illum diuinę lucis radium accepisti, quod rationis lumẽ est, quod te hominem facit, & quo procul abes à beluis, & te Dei capacem efficit? Hic etiam aliud est, quod maximè dolendum est, quodq; nobis maiorem admirationem afferre debet, quòd non solùm bona pars hominum ad hæc studia se non conferunt, quæ diximus in virtute comparanda, & rerum diuinarum contemplatione versari: sed intellectus, qui minister & executor omniũ virtutũ esse debebat, eo modo apostata (si hac voce vti licet) factus est, vt omniũ

vitio-

vitiorum minister, & inuentor fit effectus. Quis enim tot genera delicatorum ciborum, & condimentorum, quæ gulæ irritaméta sunt, & luxuriarum; quis tot genera vestimentorum, & superbarum domorum inuenit? quis talarium omniũ ludos? quis cætera ludendi genera? Quis, quod peius est, tot belli machinas inuenit, tot armorum genera, & æneorum tormentorum; quibus eò peruenit, vt illud imitaretur, quod ad vnum Deum pertinet, quod est tonare, fulgurare, & de nubibus fulmina detorquere; & id omne ad humani generis ruinam, vt neque mare, neque terra, neque vllus reperiretur locus, qui humano sanguine non esset fœdatus? Videtur enim non solùm beluarum similis esse factus, sed longè peior: malitia enim viribus rationis munita in multò maiora mala valet. Quamobrem quidam Philosophus inquit, Nihil esse hominum generi mala voluntate pestilentius, cùm rationis ingenio, & acie iuuatur. Quis autem tantam calamitatem non deplorabit? Quis hac peruersitate, & apostasia huius diuinæ partis, quam in homine posuit Deus, non stupescet? Quis hoc argumento humanæ naturæ grauem morbum non videbit; & fieri non posse, vt ex illius summi artificis manu opus tam inordinatum, vt hoc est, egrederetur?

Hæc peruersitas tanta est, & tam naturæ rectitudini, & ordini contraria; & ita Philosophiæ professores commouit, vt multas nugas effutirent. Alij enim, cùm animalium rationis expertium ordinem, quem in vita seruant, animaduerterent, & humanarum rerum confusionem; dicere sunt ausi, Deũ cætera animalia, non autem hominem curare. Hoc autem quid magis ab ipsa ratione abhorrens dici poterat? Alij dementiores etiam fuerunt, qui persuasi rationibus antea adductis, & alijs huius generis, dixerunt, minimè fieri posse, quòd Deus hominem his peruersis propensionibus, & incommodis creauerit; & cùm originalis peccati secretum ignorarent, quod horũ malorum, causa est, dæmonium, non autem Deum creasse hominem, vnà cum omnibus hisce inferioribus, dixerunt: & ita duos creatarum rerum Principes & Auctores posuerunt; alterum inuisibilium, qui Deus erat; alterum visibilium, qui Dęmonium erat. In quo errore (qui Manichæorum fuit) vsque ad trigesimum suæ ætatis annum S. Augustinus versatus est, quo tempore (cùm adhuc originalis peccati secretum ignoraret) non poterat non admirari, cur omnia in homine ita inordinata essent, sibi persuadens minimè fieri posse, vt id proficisceretur à Deo, auctore sanctissimo, & sapientissimo. Quod intelliget, qui illius Confessionum librum legerit, vbi angustias & calamitates narrat, quas patiebatur, dum horum malorum causam inquireret. & ita libro septimo capite quinto suarum Confessionum inquit: Bonus est Deus, & omnia bona fecit. Vbi ergo malum, & vnde, & qua huc irrepsit? Quæ radix eius, & quod semen eius? An omnino non est? Cur ergo timemus & cauemus, quod non est? Aut si inaniter timemus, certè vel timor ipse malum est, quo incassum stimulatur atque excruciatur cor. Vnde est igitur? Quoniam Deus hæc fecit omnia bonus, bona? Vnde est malum? Aut vnde fecit ea? materies aliqua mala erat, & formauit atque ordinauit eam? sed reliquit aliquid in illa, quod in bonum non converteret? Cur ita reliquit? aut cur ex ea illud malum non abstulit, vel illam materiam non perdidit, vel in bonum non conuertit, cùm totus potens esset? Talia voluebam pectore misero in-

grauidato curis mordacissimis de timore mortis, & non inuenta veritate. Et paulò infrà; Quænam erant, inquit ille, animæ meæ tormenta? qui parientis dolores in corde meo? Tu solus id non ignorabas, quod patiebar, nō autem homo. Nullum enim tempus, nulla verba satis erant, quibus tormenta, quæ patiebar, declarare valerem. Hæc S. Augustinus. in quibus declarat, quod anima sua patiebatur, cùm originalis peccati secretum nondum esset assecutus.

Christianæ verò religionis lumen, veritatis magistra, nos ex hisce dubijs & erroribus extrahit. Fatetur enim nihil horum malorum à Deo profectū esse, vt apertè ex ijs, quæ initio adduximus, colligitur; sed horum morborum omnium originem, & fontem fuisse peccatum.

Vt autem huic nostræ longæ orationi finem imponamus, illud colligimus, omniū horum malorum originem, & principium, peccatum originale fuisse, in quo omnes concepti sumus. Quis fortasse dixerit; Quomodo id probas? Nam in tenera puerorum ætate, antequam peccare possint, horū malorum semina videmus; tunc ira, inuidia, odiū, rabies, vindictæ appetitus, & aliæ huiusmodi animi perturbationes apparere incipiunt, quæ non à proprijs proficiscuntur peccatis, quæ non commiserunt: vnde fatendum est, ꝙ omnes homines his malis propensionibus nascuntur, non suis proprijs actualibus peccatis; quódq; in aliquo homine aliquod fuit peccatum, qui totius humani generis principium fuit, qui sua culpa hac pœna damnatus fuit, & qualis ipse remansit, tales & nos omnes genuit. Hic non loquor de morte, (cui quidem omnes propter peccatum obnoxij fuimus) neque alijs infinitis morbis, & calamitatibus humani corporis: quòd illud maximè spectaui, vt de animæ morbis spiritalibus agerem, ad quorum remedium nostræ Redemptionis mysterium, de quo hoc loco agimus, maximè conducit.

Id omne tam diffusè dictum est, vt apertè humanæ naturæ morbum, & remedij necessitatem intelligeremus; vt quò apertiùs morbum cognosceremus, eò meliùs, quantum præstantissimo Medico deberemus, nobis innotesceret, qui à tam multis malis tāto pretio nos liberauit. Eò etiam, quod dictum est, conducet, (licet non sit huius loci proprium) vt Christianus, qui salutem cupit, suarum propensionum, quas in se habet, venenum intelligat; vt hac ratione cognoscat, quàm cautè viuere debeat, quamq; illi vtendum sit illis remedijs, quæ antea diximus; & presertim quòd illi omnes peccandi occasiones fugiendæ sunt, ne malæ nostræ carnis propensioni suffragetur ijs occasionibus, quæ nobis extrinsecus offeruntur. Communi igitur humani generis morbo exposito, de illius remedio tractare nunc incipiamus.

QVOD IMMENSAE DEI BONITATI PLACVIT, HOmini remedium mittere, dæmonio in sua obstinatione relicto. Cap. III.



IAM in superiori capite vidimus, cuiusmodi post peccatum homo relictus sit; qui (vt S. Tridentinum Concilium inquit) intrinsecus, & extrinsecus mutatus est: corpus morti subiectum, & sexcentis morbis & calamitatibus obnoxium; & anima vnà cum suis potentijs omnibus in suis appetitibus, & affectibus inordinata, vt antea dictum est. Hoc modo mutatus remansit homo post

homo post peccatũ,& ita nos omnes remanemus. Nam (vt inquit S Augustinus) totũ humanũ genus perijt, cùm ille perijt, in quo illud totũ consistebat.

Cùm igitur homo in hoc statu remaneret tam infelici, potuisset quidem Creator suam adhibere iustitiam, & ita destitutum eum relinquere, vt dęmonium reliquit. Neminem enim habebat, cui rationẽ redderet, neque qui eum imperio priuaret, aut reprehenderet: vt inquit Sapiens, Quis te reprehendet, Sap. 12. aut accusabit, si omnes orbis terrarum nationes perirent? Neque quòd hominis seruitio indigeret, vt id faceret, adduci poterat: nam vt ab æterno sine homine fuit, sic poterat in æternum gloriosus, & beatus permanere, vt nunc quidem est. Nam vt à nullo pendet, quatenus est, ita nec etiam quatenus beatus est. Vt quemadmodum ex se suum esse habet, sic ex se ipse beatus est: cùm in eo esse, & beatè esse, minimè seiungantur. Neque à parte hominis habebat merita, quæ ad id illum impellerent: cùm enim remaneret Dei inimicus, nihil facere poterat per se, quod illi gratum esset. Itaque Creator, neq; quod homine indigeret, neque nostris meritis, nobis auxilium ferre debuit; sed solis suæ bonitatis, & misericordiæ visceribus. Vnde S. Augustinus inquit, quòd non nostra merita, sed peccata nostra illum de cælo in terram traxerũt. Et Dominus ipse id declarat per Isaiam inquiens: *Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me. Veruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes vt iustificeris.* Hæc sunt Domini verba per Isaiam. Hoc idem Apostolus his verbis apertè inquit: *Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.*

Isa. 43. Tit. 3.

Hîc aliquis fortasse dicet: Angelus peccauit, & homo peccauit; cur Angelo remedium non parauit, homini verò sic? Christianæ religioni & humilitati vt satisfiat, satis est diuinum decretum, diuinaq; voluntas: nam (vt Saluianus inquit) quemadmodum maioris ponderis Deus est, quàm omnis ratio: sic illius voluntatis decretum magis, quàm omnis ratio satisfacit.

Non tamen huic rei magnæ conuenientiæ desunt. Nam (vt S. Thomas ait) omnibus creaturis diuina prouidentia remedium parauit, illarum naturam conseruans, neq; quod creauit mutans. Illud autem sciendum est, quòd Angeli natura (iuxta eiusdẽ Doctoris sententiam) est, vt inuariabilis sit in eo quod semel decreuit & statuit. Nam quemadmodum statim, & primo instanti intelligit, quidquid intelligere potest: sic etiam in prima voluntate permanet, & perseuerat, in qua initio fuit. Homo verò non ita se habet: sed natura mobilis, & variabilis est. Nam quemadmodum nunc aliquid intelligit, & cras aliud: sic nunc aliud, aliud cras decernit: hodie aliquid sibi proponit, & cras eum propositi pœnitet, & aliud sibi proponit. Itaque homo natura sua pœnitentiæ capax est, quod Angelo minimè contingit. Propter hãc causam, remedij & medicinæ fuit hominis morbus capax, non autem Angeli.

Ad hæc, quòd cecidit Angelus, contigit sua ipsius voluntate solùm, nullo eum incitante, aut suadente: homo verò cùm peccauit, lacessitus, & persuasus

Digitized by Google

à suo aduersario fuit. Ex quo æquum esse videtur, vt is ad bonum subleuetur, qui ad malum impulsus fuit: & habeat amicos, qui ad bonum adhortentur, qui habuit tentatores, qui ad malum impulerunt: & cùm habuerit qui illi pedes obiecit, quò caderet, habeat etiam qui manum porrigat, vt subleuetur; cùm non sit consentaneum, vt Dei creatura magis mali, quàm boni capax sit: sed vt in altero adiuuari potuit, sic & in altero adiuuari possit.

Aliud quoq; hîc maximè considerandum est, scilicet, q; si cecidit Angelus, cecidit suo proprio peccato, quod ille ipse cõmisit, nõ autem aliorũ peccatũ illum reum fecit: in filijs verò Adę non sic res se habet, qui nascũtur in peccato originali, & iræ filij, ꝑpter alius peccatũ, quod etiam illius proprium est. Quod cùm ita sit, æquum fuit, vt quemadmodũ alterius culpa nos damnauit, sic alterius sanctitas nobis auxiliaretur: quòd si aliter esset, videretur Deus hominem magis mali, quàm boni capacem creasse: cùm alterius culpa eum condemnare potuerit, & alterius virtus liberare nequiret. Hinc etiam illud consequeretur, iustitiæ Dei regnum maius esse, quàm illius misericordiæ: cum iustitia ad homines puniẽdos propter alterius peccata extenderetur, misericordia verò non satis esset, quæ illis alterius meritis opem ferret. Quare consentaneum quidem erat, vt eò misericordia suo regno perueniret, quò & iustitia suo perueniebat. Quo tollitur quidem hominis querela, qui dicere posset. Quid ego Domine in ventre matris meæ feci, quòd in peccato nascerer? Huic enim respõderi potest: Quid fecisti tu, cùm baptizatus fuisti, vt ab hoc peccato iustificareris? Quare si dicis, sine tuo facto te hosti traditũ esse: hoc ne graueris, cùm etiam sine tuo facto ab illo liberatus sis: & ita in te illud adimpletur,
Isa. 52. quod Deus per Isaiam dixit: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.*

Alia etiam adest causa consideratione digna, quæ illa est, quòd si Diabolus hominem tentauit, non eò fecit solùm, vt hominem damnaret, sed etiam vt Deo in sua creatura bellum inferret; ne finem, propter quem illum creauerat, consequeretur; & ita Deus non esset voti compos. Et nulla ratione Dei gloriæ conueniebat, posse Dæmonium gloriari aduersus illum præualuisse, & illius consilia, & decreta impedijsse. Idcirco conueniebat, vt Deus rem ita tractaret, & moliretur, vt non solùm, quod sibi proposuit, ad optatum finem perduceret, (quod erat secum hominem coniungere) imò etiam perfectũ redderet, vt & perfecit. Cùm enim antea hominem vnum secum efficere per gratiam decreuisset, nunc secum in vna persona coniungere statuit, quod vinculum est omnium arctissimum. Hac ratione solet Deus de suis inimicis triumphare, cùm ex ijsdem rebus, quibus ipsi Deum impedire tentant, occasionem sumat, qua præstantiora faciat.

QVOMODO NEQVE HOMO, NEQVE ANGELVS, neque alia pura creatura in iustitiæ rigore communi humani generis debito satisfacere poterat. Cap. IIII.

HOC supposito, fuisse diuinæ bonitati conueniens, vt lapso homini remedium pararet; sequitur, vt de remedio, quod ad id delegit, agamus.

In quo primùm supponendum est, Deum communiter suam potentiam absolutam non adhibere in his rebus, quas efficere statuit.

ſtatuit. Cùm enim ille ſummè perfectus ſit, ſic & omnia eius opera ſummè perfecta ſunt; & ita in illis omnem ordinem,& rectitudinem ſeruat, quæ illius ſapientiæ, & iuſtitiæ conuenit. Hoc ſignificauit Sapiens cùm inquit, eum omnia ſuauiter diſponere,cùm medijs finibus ſuis conuenientibus procedat. Sap. 8. Cùm autem hunc ordinem in omnibus ſuis actionibus ſeruet, multò magis eum in Redemptionis opere ſeruari voluit; quod quidem omniũ præſtantiſſimum eſt, & illud, quod Dei opus dicitur; (vt Saluator vocauit) & ita per media omnium præſtantiſſima perfici voluit. Ioan 4.

Hoc idem in naturæ operibus obſeruauit Deus, quæ ſi cum hoc comparētur,abiectiſſima ſunt. Ex quo illa communis Philoſophorum ſententia nata eſt,qui dixerunt,naturam(id eſt,naturæ auctorem)ſemper in melius, & perfectius tendere: & ex hac conſequi affirmant, quòd in hominis generatione ſemper natura maſculum facere contendit,tanquam quod perfectius eſt; ſed aliquo accidente, quod vel in materia ſit, vel in formatiua virtute, fœmina generatur. Quòd ſi hic ordo in naturæ operibus ab illo ſummo artifice ſeruatur, quæ quidem nullum alium finem habent, quàm eſſe naturale, & corruptibile; quantò magis in gratiæ operibus, quorum finis ſupernaturalis,& diuinus eſt, ordinem ſeruabit?

Cùm homines aliquod opus efficere volũt,laboris,& impenſæ rationem habere ſolent: quæ ſi ſuas vires ſuperant, ſuasq́ facultates, vt poſſunt, opera efficere ſolent,licet minùs perfecta, quàm vellent,efficiant. nam (vt hic dici ſolet) Rex,quò poteſt, non quò vult, vadit. At in Deum, qui infinitè diues, & potens eſt,hoc cadere non poteſt. Propter hanc cauſam ita perfecta opera facit,vt illius infinitæ bonitati,& ſapientiæ conuenit, vt in hoc noſtræ Redemptionis opere cernitur. Quod tanta perfectione deſcripſit, & ordinauit, vt nihil melius excogitari poſſit, tum ad illius gloriam,tum ad noſtrarum miſeriarum remedium; quæ duo in omnibus ſuis actionibus reſpicit, vt infrà dicturi ſumus: eo modo,vt ſi omnia hominum, & Angelorum ingenia in vnum redigerentur, nullam rationem nec inuenire, nec excogitare poſſent, ad id, quàm hæc eſt, præſtantiorem.

Hoc autem firmiſſimo fundamento reſponſum eſt omnibus quæſtionibus,quæ ab ignaris hominibus fiunt,dicendo: Non potuiſſet Deus alia ratione humano generi remedium afferre abſq; tanto pretio & ſua moleſtia? Quibus facilè reſpondemus,potuiſſe quidem,ſi voluiſſet, ſexcentis alijs rationibus: ſed(vt antea diximus) nunquam reſpicit illud, quod ſua potentia abſoluta poteſt,(quòd hac ratione poſſet quidem temporis puncto ad cælum,quicunque in inferno ſunt,perferre)ſed quod dignitati,ſapientiæ,bonitati,& iuſtitiæ, & miſericordiæ conuenit. Cuius rei cùm rationem haberet, minimè fieri poterat, vt congruentior ratio excogitaretur.

Quod probè Euſebius Emiſſenus declarat his verbis: Peccauerat primus homo ſua culpa & inobedientia,ſua ipſius volũtate, à dæmonio adductus,nõ aũt coactus. Quamobrem poterat quidẽ miſericordia redimi, ſed nõ decebat, vt à diuino Patre tanquã innocens liberaretur.Cùm autem Deus in hoc opere non potentia,ſed ſua iuſtitia vteretur,opus erat ad ſuæ culpę ſatisfactionẽ homo purus,& ſanctus,& ab omni peccato mundus. Ille enim peccatis remediũ • conſequi non poterat, qui alteri ſubiectus eſſet, neque pro ſeruis ille poterat

se offerre, qui seruitutis legibus esset obstrictus. At nostra regio hominem tam purum & liberum, vt hic est, non habebat. Quare ex altera parte venire debebat, vt debitam satisfactionē offerre posset, liber pro debitoribus, iustus pro iniustis, innocens pro peccatoribus, agnus pro hœdis: qui extrinsecus ex eodem genere, quo & peccator, esset, sed non ex eadem conditione: illius similis in substantiæ qualitate, sed vitæ puritate dissimilis, vt ex nobis sumeret, quo pro nobis solueret, & à se illud susciperet, quo nihil deberet. Quare de nobis sacrificium obtulit, sed de se nobis veniæ gratiam dedit. Et paulò infra in sequenti homilia, materiam prosequens eiusdem mysterij, sic inquit: Peccatū originale non habuit Saluator, quòd in eo nostræ generationis vtilitati locus non fuit. Quare mortem, quæ debebatur omnibus, destruere potuit, quòd eam passus est, quam non debebat: itaq; indignissima passione alienis pro peccatis satisfecit, quòd ipse peccata propria non habebat. Et hac ratione humani generis hostis iure deuictus est. Nam cùm homo seipsum illi tradidisset, & propter peccatum illius factus cùm sit, dæmonium deceptū, more suo, quo alios homines peccatores interficere solebat, innocentem aggressum est; & liberum interficiendo, captiuum perdidit: & ita suum ius amisit, cùm hominē sit aggressum, qui suus non erat. Id omne dixit hic doctor, qui paucis verbis huius mysterij summam complexus est.

Sed ad huius doctrinæ maiorem cognitionem, de ea fusiùs in præsenti tractaturi sumus, in quo declarandum est, quòd (vt hic Sanctus inquit) nulla creatura, non solùm humana, sed ne angelica quidem, iure pro hac culpa naturæ humanæ communi satisfacere poterat.

Notum enim est, quòd quò persona est maioris dignitatis, eò maior est iniuria, quæ illata illi est. & sic quot sunt personæ læsæ dignitatis gradus, tot etiam sunt gradus iniuriæ, quę illata illi est. Cùm autem manifestum sit, quòd Dei maiestas infinita est; manifestum est etiam, quòd & iniuria, qua ille affectus fuit, infinita est; & propter hanc causam iuxta leges, & iustitiæ rigorem nulla pura creatura pro ea satisfacere poterat; cùm summa omnium creaturarum sit limitibus inclusa, atque finita. Cum quo aliud infinitatis genus cōiungitur, quod est hominum numerus, qui in hoc peccato includuntur, in quo nascimur omnes, qui licet infinitus non sit, infinitati tamen ex humanę speciei parte, quæ in infinitum multiplicari potest, non repugnat. Cùm autem omnes hi homines in peccato nascantur, quis ex illis pro tam multis peccatoribus, & peccatis satisfacere poterat: quot sunt peccata eorum, qui nati, & nasciturí sunt, non solùm originalia, sed etiam actualia, quæ lōgè plura sunt: cùm hoc debitum vniuersale sit, & homo particularis?

Præterea omnes creaturæ, tam Angeli, quàm homines, quidquid habent, à Deo acceperunt, iuxta illud Apostoli: *Quid habes, quod non acceperis?* Quare quidquid habent, ex iure debitum est ei, qui dedit. Quare non potest creatura nouum debitum soluere opera, quam iam alio nomine debet: sicut nō potest seruus, qui suo domino centum aureos numos furatus sit, ei omnibus suis operis satisfacere, quas omnes illi nomine seruitutis debet. 1. Cor. 4.

Præterea homo propter peccatum Dei inimicus factus erat: in quo statu nihil facere poterat, quod Deo gratum esset: non enim ab inimicis seruitium Deus recipit, sed ab amicis: neque operas solùm naturæ viribus effectas, sed sua

suæ gratiæ. Vnde dici non potest, quòd vt homo illud efficere potuit, quo Deo ingratus & inimicus efficeretur, facere etiam posset aliquid, quo illi gratus, & amicus fieret; cùm alteri natura sit satis, alteri gratia opus sit: præsertim, quòd homo plus valet ad se damnandum, quàm ad damnum, quo ipse se afficit, resarciendum. Potuit enim sibi mortem consciscere, sed se ipse à mortuis excitare non potest: potuit per se in peccatum incidere, sed peccati laqueum euadere, nisi à Deo fuerit adiutus, minimè poterit.

Aliud quoque maximum impedimentum in homine inest, quòd quo est abiectiori, & viliori conditione, (si illum cum Angelis conferimus) eò maior iniuria est, quàm, cùm peccat, facit; & satisfactio minor, quam sua pœnitentia offert. Personę enim vilitas facit, vt iniuria sit maior, & satisfactio minor. Inde fit, vt si quis obscuro loco natus colaphum infringat honorato alicui viro, maior iniuria habeatur, quàm si alius honestus vir illi infregisset: sic etiam huiusmodi personæ satisfactio eò minoris habetur valoris, quò persona inferioris ordinis est. Sed quid ego de hominis satisfactione dicam, qui in culpa est; cùm, quidquid creatum est, excepta sacra Christi humanitate, in iustitiæ rigore non satis sit, quod pro offensa diuinę maiestati facta satisfaciat? Huius rei rationem adducit S. Anselmus, inquiens, quòd peccatum est Deum non ęstimare, (quatenus ad peccati contumaciam spectat) quod facere non debebat homo, licet quidquid extra Deum est, amitteretur, cùm infinitè præ omnibus alijs rebus valeat. Vnde rationis & iustitię æquitas postulat, vt homo peccator in satisfactionem aliquid eo maius offerat, quo illum lædere nō debebat, quod omne creatum est, quod homo non poterat offerre, cùm illius totius parua quędam particula sit: itaque non habebat, quo tam magno debito, vt hoc erat, satisfaceret.

Vt autem ad Angelorum tractationem magis particulatim descendamus, non erat ęquum, vt Deus hoc satisfactionis munus cuiquam illorum committeret, licet altissimus esset: nam præter philosophicas rationes, impropriũ erat, vt, cùm humanę naturæ culpa esset, alterius naturæ, vt angelica est, satisfactio esset.

Ad hæc (vt inquit Eusebius Emissenus) esset quidem maximum inconueniens, vt creatura illud repararet, quod formauerat Creator. Et vt ex iure negotium iudicemus, (vt æquum est) Angeli persona non tanti erat, quanti totius mundi salus: & fieri non poterat, vt Dei seruus, munere Dei fungeretur; quòd omnibus seculis præteritis, pręsentibus, & futuris prodesse, ad vnum vniuersalem omnium seculorum Dominum spectabat.

Prętereà neque id Dei gloriam, neque hominis dignitatem decebat, vt ab Angelo redimeretur. Quid enim esset, creationis beneficium hominem debere Deo, & redemptionis Angelo; cùm hoc beneficium sit illo tantò maius, quantò maius est diuinum esse, quàm humanum? Quòd si felicitatis perfectio in eo est, vt illa beata immortalitate fruamur; quantò maius beneficium homini facit ille, qui illum in illam vitam introducit, quàm qui illum in hac lachrymarum valle creauit? Vnde si Deus per se nos in hac vita creasset, & Angelus altera nos dignos efficeret; Angelo, quod pretiosius est, & Deo, quod minus est, deberemus.

Quod quàm magnum inconueniens sit, S. Augustinus his verbis, cùm Deo

loquens, declarauit: Domine si mihi dedisti, vt essem, quis mihi dare potuit, vt bonus essem, nisi tu? Quòd si tu mihi dedisses, vt essem, & alius, vt bene essem; melior ille esset, qui, vt bene essem, mihi dedisset, quàm ille, qui vt essem mihi dedit. Quę licet inter se differant, hęc tamen ambo nobis hic Deus dedit. Cùm enim hominem creauit, ipse per se illum creare voluit, & ita inquit:
Gen 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Qui igitur per se hominem creare voluit, debebat ab eo abhorrere, vt per se illum redimeret? Minimè quidem, imò illius magna gloria fuit hominem creare, multò maior illũ redimere.

Isa. 1. Non autem æquum erat, vt communis Dominus hac se gloria priuaret, & suę creaturæ tribueret, cùm ille per suum Prophetam dicat, quòd ipse Deus est, quodq; nemini suum honorem dare debet. Quare qui noster Creator fuit, noster quoq; Redemptor esse voluit, vt hæc gloria omnis sua esset, & ita totus noster amor esset. Et hoc est, quod præclarè S. Anselmus paucis verbis inquit: Ne inter Creatorem, & Redemptorem tuum diuideres amorem, idem Dominus tuus Creator, & Redemptor esse voluit.

QVOD SOLVS DEI FILIVS IN IVSTITIAE RIGORE commune debitum generis humani soluere poterat: quamq; fuerit iã ad hanc solutionem conueniens.

Cap. V.


EX ijs rationibus, quę à nobis in hoc capite adductæ sunt, apertè colligitur, quòd neque homo, neque Angelus, neque alia pura creatura, tantum habebat neque virtutis, neque gratiæ, quod ad humani generis redemptionem satis esset; sed quòd ad illũ Dominum solum, cui eum creare placuit, eum quoq; redimere pertinebat. Vt autẽ hoc mysterium magis particulatim tractemus, ordinem, & mirum Dei consilium, quo diuina sapientia vsa hoc perfecit negotium, declarare necesse est.

Voluit igitur primùm, vt via, & ratio nostræ salutis, rationi nostræ perditionis esset contraria: & quòd, quemadmodũ vnus homo peccator mundum perdidit, sic alius homo iustus eum recuperaret: & vt peccatum, & mors per illum intrauit; sic vita, & iustitia per hunc intraret: & vt peccatum vnius hominis in omnes homines deriuatum fuit; sic vnius hominis sanctitas (quod ad eum spectat) in ipsos omnes deriuaretur.

Hoc lex, & naturæ ordo, quem generaliter in omnibus rebus Deus seruat, postulabat, qui cùm omnes mundi creaturas in genera & species distribueret, in quolibet genere vnum tanquam caput posuit, quæ illius generis creatura nobilissima est, quę nobilitatis cæterarum creaturarum, quæ sub illa continentur, causa esset. Rem exemplis illustremus. In corporum genere, quæ mouentur, primum cęlum, præcipuum est, quod primum mobile appellamus: & hoc omnium corporalium motuum, qui in terris fiunt, generalis causa est. Sic in genere corporum splendentium, vt stellæ sunt, vnam omnium splendidissimam creauit, qui Sol est, qui luminis, & splendoris cæterarum omnium causa est: quòd omnes ab illo lumen accipiunt. Hac igitur ratione cùm vellet Deus cælum, & terram, iustorum & sanctorũ hominum animabus implere, &

exor-

exornare, voluit, vt vnus adesset summus Sanctus, & in omni sanctitate præstantissimus, à quo sanctitatis splendor in illos omnes deriuaretur, & ita Sanctus Sanctorum diceretur, non solùm, quòd est omnium maximus, verùm etiam quòd omnium sanctificator est. Propter hanc causam hic Dominus iustitiæ Sol etiam dicitur, quòd ab illo omnes iusti iustitiam, & gratiam accipiunt. Et sic inquit sanctus Ioannes, quòd de plenitudine eius, & gratiæ abundātia, omnes gratiam accipimus. Quamobrem quicunque aliqua pia coniectura, aliquam gratiæ partem, vel deuotionis, vel sanctitatis se habere existimant, intelligant, à quo acceperunt, & cui acceptam referre debent. Nam quod mēbra capiti, & arboris rami suæ radici, & stellæ Soli, & vniuersim omnes effectus suis causis; id omnes iusti huic iustificatori debent. Malac. 4. Ioan. 1.

Hoc idem erat ad nostrarum necessitatum, & morborum curam accommodatissimum. Prima enim & maxima quam habebamus necessitas erat, in pristinam gratiam & amicitiam Creatoris restitui, quam illo cōmuni peccato amiseramus, propter quod hic Dominus hominibus inimicus factus erat; qui (vt inquit S. Paulus) iræ filij nascebantur. Cùm autem Dei gratia, & amicitia cum hominibus, sit illorum bonorum omnium causa; hac deficiente, beneficia quoque deficiebant, quæ ab hac gratia emanabant. Quod Deus per Isaiam declarat inquiens: *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* Ephes. 2. Isa. 59.

Cùm igitur homines in suum Regem, & Dominum sic essent affecti, illud necesse fuit, (quod fieri solet inter partes, quæ à se inuicem differunt) aliquem tertium, qui illos ad amorem & concordiam perduceret, deligere. Nihil fuit accommodatius, quàm idem Dei filius. Huiusmodi enim mediator, vt potens esset cum ambabus partibus, necesse fuit; & in nulla suspicione apud illas, vt in negotio, quod tractabat, fidelis esset. In hoc autem quid accommodatius ordinari poterat, quàm Deum fieri hominem, vt inter Deum & hominē mediator esset? Quid fidelius in homines, quàm ille, qui Deus erat? Quid fidelius in homines, quàm ille, qui homo erat? Quid vtrisque naturis amicius, quàm ille, qui vtrasque haberet? vt vtrumque negotium suum esse arbitraretur; quod Dei est, quòd Deus verax erat; & hominis, quòd verus homo erat. Ad id autem nihil non solùm ordinari, sed ne excogitari, aut desiderari poterat accommodatius.

Sic etiam ille mediator, præter ea, quæ dicta sunt, vt Dei oculis esset gratissimus, & amicissimus opus erat: qui enim tantas amicitias, tamq; vniuersales conciliare debebat, qui huius odij flammas extinguere, qui amicos ex tam multis inimicis efficere, vt omnia sunt secula præsentia, præterita, & futura, vt esset Dei oculis gratissimus, necesse erat: vt suæ gratiæ abundantia omnia odia dissoluerentur, & illius propinquitatis magnitudine omnes inimicitiæ deponerentur. Sal, quod cibos omnes sapidos efficere debet, vt maximè sit salsum necesse est: & Sol, qui lumen omnibus stellis afferre debet, in se vt sit lucidissimus, necesse est: sic ille, qui omnes homines gratos Dei oculis efficere, & amicos illi reddere debet, cùm antea inimici fuerint, vt illi gratissimus, & amicissimus sit, necesse est. Vnigenito autem Dei filio quis ad id aptior esse poterat, cùm infinitè ab æterno suo Patre ametur?

Immensa igitur Dei bonitas nobis hunc dedit mediatorem, & reconciliatorem,

2.Cor. 5 torem, vt testatur Apostolus his verbis, quorum summa hæc est: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis,* & legationis. Quare (vt fideles legati) obsecro vos, reconciliamini Deo; præsertim cùm ille sit offensus, non solùm vos inuitat, sed preteritę offensionis satisfactionem per filij sui sacrifi-
Colos. 1. cium vobis offert. Hac autem ratione (vt idem Apostolus inquit) ad regnum sui amantissimi filij nos transtulit, & dedit nobis potestatem & vires, vt hoc mediatore ad eum perueniremus, & misericordiam ab eo peteremus.
Ioan. 16 Quod & idem Filius confirmauit, cùm suis discipulis dixit: *In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui* vt si apertiùs dixisset; Ita tractabo hanc reconciliationem inter Patrem meum, & vos, vt non solùm Pater mea intercessione, sed etiam vestra, vobis ignoscat. Hoc pacto inquit
Ephes. 1. Apostolus, Patrem nos sibi per gratissimum, & amantissimum filium suum gratos fecisse, per quem redemptionem, & omnium peccatorum veniam consecuti sumus.

In hac autem reconciliatione animaduertendum est, quòd cùm in omnibus Dei operibus misericordia & iustitia sint coniunctæ, sic æquum erat, vt & in hoc reperirentur, quod omnium maximum est, vt ita Deus culpam condonaret, vt & iniuriæ satisfieret. Quod præclarè Apostolus declarauit post ea
2.Cor. 5 verba, quæ adduximus, *Deus erat in Christo reconcilians sibi mundum non reputans illis delicta ipsorum.* statim subdit, *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* vt si diceret; Ille innocentissimus Agnus, qui peccatum nesciebat, peccatum fecit, id est, pro peccatis sacrificiũ, vt huius sacrificij meritis Deus placaretur, & offensæ in illius diuinam maiestatem satisfieret: & ita in hoc opere illæ duę sorores, misericordia, & iustitia, reperirentur. Misericordia enim fuit, Deum homini peccata condonare; iustitia fuit, propter sui filij satisfactionem ignoscere: qui cùm mortem nõ deberet, (quòd non peccauit) obtulit mortem, quam non debebat pro eo, quòd homines debebant. Et hac ratione homo veniam consecutus est, & peccatum puni-
Psal. 84 tum etiam est. Et ita adimpletum est, quod Psalmographus dixerat: *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt*; id est, amicitiam inierunt, quæ ad illud vsque tempus inuicem aduersabantur. Hoc fuit vnum ex mirabilibus, quæ in eo mysterio Deus operatus est, quòd iustitia & misericordia contraria postulabant. Misericordia, vt Deus homini ignosceret, postulabat; iustitia verò, vt illum pœnis afficeret. Inter quas duas petitiones, huiusmodi medium inuenit diuina sapientia, quod perfectissimè illud perficeret, quod vtręque partes postularent. Misericordia enim maior esse non poterat, quàm Dei filium pro homine vitam offerre; neque maior iustitia, quàm hominis culpam Dei hominis facti sanguine soluere. Et præterea, quoniam hę duę virtutes ita hic coniunctę erant, (cùm videantur contrarię) vt quò plus alterius est, alterius quoque plus sit; quò enim maior est iustitia, qua Deus erga filium suum innocentem vsus est, eò misericordia maior est, qua in hominem sontem vsus fuit. Nam nulla maior iustitia quàm hæc, nulla maior misericordia quàm ista, esse potest.

Vt autem in hoc opere hæ duæ omnium diuinarum actionum comites

inueniuntur; sic etiam aliæ duę reperiuntur, quæ illas quoque comitantur, quę sunt Dei gloria, & hominum vtilitas. Quoniam in hoc opere Deus pretiosissimo filij sui sacrificio summè glorificatus est, & homo cumulatè redēptus, & honestatus, vt postea dicetur.

Sed quis fortasse inquiet; Iustitiæ ordo permittit, vt innocens pro sonte satisfaciat; cùm non minùs illi iusto, & summo iudici displiceat, eum pati qui non peccauit, quàm sontem impunè relinquere? Huic respondetur, Deo innocentis pœnam non esse gratam; sed innocentis charitatem, & misericordiam illi summopere esse gratam, cùm sua sponte pro reo vt satisfaciat se offert: vt vir studiosus facere posset, qui cùm videret hominem ære alieno obstrictum in carcerem detrudi, misericordia motus pro captiuo æs alienū soluere promitteret: in quo casu esset quidem æquum debitorem liberare pij prædis satisfactione. Quòd si hoc inter homines in vsu est; maiori ratione in operibus illius magnificentissimi Domini in vsu esse debet, qui semper quidem, vt sua naturali bonitate & clementia vtatur, occasionem quærit: & sic videmus, quas gratias multis, non illorum meritis, sed aliorum fecerit. Itaq; in Ismaelem propter illius patrem Abraham, & in Esau propter Iacob, & in filios Loth, licet idolorum serui essent, propter illorū patrem clementia vsus est; minimè permittens, vt neque illis, neque Esau nepotibus vlla terræ particula eriperetur, quam illis dederat. Quoties propter Dauid patrem regibus Iuda ignouit? Et, quod plus est, idem Dominus fatetur, quòd cùm suus populus propter grauissima peccata mereretur, vt supplicijs afficeretur, aliquē sanctum virum quærebat, qui suis meritis, & precibus ipsius iram leniret, & pœnā, quam merebatur, retineret. Hac enim ratione Moyses Deum placauit, cùm quadraginta dies ieiunasset, & preces pro populi peccato fudisset. Hæc igitur cùm illius summæ bonitatis conditio, & natura sit, quid illi congruentius esse poterat, quàm hominibus spontaneo vnigeniti Filij sui sacrificio ignoscere, visceribus ardentissimę charitatis & cōpassione malorum nostrorum pro peccatis oblato? Hoc etiam remedij genus humani generis culpæ conuenit: quod vt alterius culpa damnatum fuit, sic alterius iustitia liberaretur, vt suprà dictum est.

QVAM SATISFACTIONIS GENVS REDEMPTORIS NOstri fuerit proportionatum, quamquè iustitiæ legibus conueniens.
Cap. VI.

DIVINA autem iustitia non eo contenta fuit, quòd is, qui infinitæ culpæ satisfacturus erat, gratiam & virtutem infiniti meriti haberet, sed voluit etiam, vt inter culpam & satisfactionem proportio & conuenientia esset. Quod vt intelligatur, duo supponenda sunt: alterum est, quòd vt in Medicina contraria contrarijs curantur, (vt frigidum calido, & calidum frigido) sic culpę satisfactio virtute illi contraria sit; hoc est, superbia humilitate, auaritia liberalitate, gulæ illecebræ abstinentiæ rigore, & cætera eodem modo curantur. Nunc autem sciendum est, duo maxima inconuenientia in illo primo peccato contigisse. Primùm enim ibi superbia fuit, & tam magna, vt, qui purus homo erat, Dei similitudinem vsurpare voluerit. Fœmina saltem

dęmonio decepta id desiderauit. Tantæ autem superbiæ curationi quod aliud remedium erat magis accommodatum, quàm tanta humilitas, quanta in illius malitia superbia fuit? Quòd si fuit superbia, hominem ad Dei similitudinem se extollere; humilitas futura erat, vt ille, qui verus Deus erat, se humiliaret ita, vt hominis similitudinem & formam sumeret. Quod ille Dominus
Phil. 3. solus facere poterat, & fecit, de quo inquit Apostolus, quòd cùm in forma Dei esset, quæ illius naturalis dignitas est, ita se humiliauit, vt veram hominis essentiam & formam acceperit.

Et sic etiam in illa primi hominis superbia inuenitur, quòd qui penitus naturę & iustitię legibus seruus erat, & suo Creatori subiectus, se hoc iure subduxit, & se liberum, & sui ipsius dominum constituit, vt suam contra sui legitimi, & veri Domini volũtatem, perficeret. Ex hoc igitur huius culpæ emendatio ea esse debebat, vt, qui absolutè Dominus erat, ita se humiliaret, vt serui formam acciperet, & serui munus exerceret: hæc enim vna humilitas illi superbię aduersatur, cùm hęc tantum se demittat, quantum illa se extulit. Quod ille solus facere potuit, qui, cùm esset vniuersalis omnium rerum Dominus, formã serui accepit, vt illius Apostolus inquit, & vt idem Dominus testatur
Matt. 20 inquiens: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et alio loco cum suis di-
Luc. 22. scipulis loquens sic inquit: *Ego in medio vestrum sum,* non vt dominus qui mensæ accumbit, sed, *sicut qui ministrat.*

In eo etiam primo peccato fuit manifesta inobedientia illius hominis, qui penitus suo Creatori, & Domino obedire debebat. Quæ inobedientia nihil magis contrarium habet, quàm illius Domini obedientiam, qui cùm omni
Phil. 3. seruitio liber esset, sua sponte voluit vsque ad mortem obedire. Et vt illius inobedientia eò peruenit, vt arborem interdictam contingere auderet: sic huius obedientia eò peruenit, vt in Crucis arborem manus extenderet, vt æternus Pater statuit; vt quod per vnam arborem amissum fuit, per aliam restitueretur; & dæmon, qui per arborem vicit, per arborem quoque vinceretur. Ex satisfactione autem huius obedientiæ consecutum est id, quod Apostolus in-
Rom. 5. quit: *Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ.*

Præterea quæ de his conuenientijs diximus, aliam S. Augustinus adducit in illo libro, quem *Cur Deus homo* inscripsit, quæ ab illo miro artificio scripta est, quam huc transferre ad fidelium cõsolationem, operæ pretium esse duximus. Quærit igitur hic Sanctus, cur voluerit Deus, vt Christi satisfactio per suam mortem cum reliquis omnibus, quę in illa passus est, tam aspera esset. Ad quod respondet, inquiens, quòd, vt primus homo illius fructus suauitate, quẽ comedit, peccauit; sic huius peccati satisfactio asperitate & gustus offensione esse debebat: vt homo, qui à dęmonio tam facilè victus in Dei contemptum incidit, cùm peccauit, tantis doloribus à Christo redimeretur, quando propter Patris sui gloriã, & obedientiam passus est. Et nihil durius potest homo pati propter Dei honorem, quàm voluntariam, & non debitam mortem: neque aliam maiorem, quàm hanc mortis speciem offerre potest.

Quanti verò sit illud, quod Dei filius suo Patri obtulit tunc, cùm seipsum obtulit, quis non videt? Cùm autem verum sit, quòd tanta oblatio, vt hæc est,

suo

suo præmio carere non debeat: necesse est, vt æternus Pater suo Filio remuneretur. Quòd si contrà, iniustus esset, nisi ei remunerari vellet; vel impotens & tenuis, si non posset: & horum neutrum in Deum cadere potest. Cui enim aliquid acceptum refertur; vel quod non habet, illi dandum est, vel condonandum, quod debet: at in Christi personam nihil horum cadit. Sui enim corporis gloria omissa, sanctitas illius nominis, nihil illi traditum fuit amplius, quã quod habuit. Neque quidquam erat, quod illi condonari posset, qui nunquã peccauit. Quod igitur præmium illi tribui poterat, qui tam diues erat; & ei, qui in nulla culpa est, quid illi condonari possit? Vt ex altera parte præmij debitum, ex altera verò impotentia sit. Quòd si præmium tam debitum filio non datur, neque alteri pro eo; cur frustra filius suo Patri tantam oblationem obtulit? Quamobrem necesse fuit, vt cùm filio debitum præmium dari minimè possit, alteri pro eo tribuatur. Quòd si filius alteri illud donare vellet, quod sibi debetur, poterit ne Pater, quod filius petit, negare? Illud igitur consequitur, vt Pater huius operis præmium ei tribuat, cui filius vt tribuatur vult. Cui igitur congruentiùs suæ mortis fructum, & præmium tribuere poterit, quàm ei, propter quem homo factus est, & cui suo exemplo moriendi propter iustitiam exemplum dedit? Quare frustra illius exempli imitatores erunt, qui illius meriti participes non erũt. Quos autem alios ille iustius præmij, quod sibi debetur, hæredes faciet, quàm suos parentes, suosque fratres, & quos tanto ære alieno oppressos, & in lachrymis, & sordibus versantes cernit, vt eis illud condonetur, quod propter peccatum debent? Nihil profectò potest mundo nunciari rationi congruentius, nihil dulcius, nihil, quod desideretur, dignius. Ex quo quidem potest homo maximã fidem concipere, cùm speret fore, vt æternus Pater neminem à se depellat, si ad illum hoc glorioso nomine confugerit, modò ea dispositione, & præparatione accedat, quæ in eo, qui illius gratiæ particeps futurus sit, requiritur. Nos igitur oẽs Deo gratias agamus, quòd si grauiter cadimus, mira ratiõe erigimur, cùm per mediatoris mortem tantam consequamur misericordiam, quæ omni debito præstet. Quænam misericordia maior est, quàm peccatori æternis supplicijs addicto Deum dicere; Meum filium accipias, & pro te offeras: & eundem filium dicere; Me suscipias, & pro te offeras? Hæc S. Augustinus. quæ, vt cernitur, nos ad Dei misericordiam sperandam excitant. Sed quoniam spes cum timore semper coniuncta esse debet, animaduertamus verba, quæ hic Sanctus in fine dixit, nos admonendo, qua ratione nos præparare debeamus, quæ pœnitentia est, & vitæ emendatio, vt gratiæ participes fiamus.

Hoc autem sacrificio humani generis culpæ ita satisfactum est, vt æterno Patri multò fuerit gratior hæc filij obedientia, quàm primi hominis & cæterorum inobedientia displicuit: & multò maiorem gloriam ex Crucis obedientia consecutus est, quàm offensionẽ ex omniũ hominum peccatis: & huius summi sacrificij odor in Crucis ara ardentissimæ charitatis igne oblati suauior illi fuit, quàm omniũ hominũ peccatorum fœtor displicuit. Hoc summũ sacrificiũ in sacrificijs antiquæ legis figuratũ fuit: de quibus scribitur, quòd in illius conspectũ suauissimũ odorem mittebant. Manifestũ autem est, quòd vitulorum, aut arietũ fumus non satis erat, qui hunc suauissimum odorem Deo daret: sed hic odor Christi sacrificio dabatur, qui vt omnibus virtutibus or-

natus fuit, sic coram omnium virtutum Domino suauissimus fuit.

Ex dictis facilè colligitur, quàm fuerit proportionatum hoc sacrificij medium, & nostri Redemptoris passio, ad hanc primam culpam tollendam, quæ omnium nostrorum malorum causa est, cùm multò plura fuerint illa, quæ clementissimus noster Saluator suo æterno Patri obtulit, quàm quę ille primus homo sua superbia, & inobedientia illi abstulit. Ex quo factum est, vt pro

Isa. 12. ea culpa ipsi cumulatissimè satisfactum sit. Et ita pro hac re Propheta Isaias gratias agit redempti mundi nomine, his verbis: *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus, Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus Deus & factus est mihi*

Psal. 84. *in salutem.* Eodem modo Dauid gratias agit, & canit inquiens: *Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum. Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ.* Hoc vt ita se haberet, æquum erat; quia fas erat, vt ira, quam homines propter peccata meriti erant, in misericordiam mutaretur, cùm huiusmodi sacrificium pro illis oblatum sit.

Quàm autem gratum fuerit æterno Patri hoc sacrificium, quibus verbis explicari potest? Quod vt intelligatur, necesse est supponere, nihil esse in cælo, vel in terris, quod diuinis oculis æquè sit formosum, & pretiosum atque virtus, & sanctitas sola est; vt nihil est in illius conspectu ęquè turpe, aut abominandum, nisi vitium, & scelera. Ex quo quàm gratum, quamque formosum vnigeniti filij sui mortis sacrificium, in quo tot fuerunt virtutes collectæ in summo perfectionis gradu, esse debuit? Hic enim primum fuit illa

Phil. 3. perfectissima filij Dei obedientia, qui vsque ad mortem, & crucis mortem obediens fuit, de quo iam tractamus. Hic acerrimus ęterni Patris gloriæ zelus adfuit, cùm filius suo sanguine in diuinam maiestatem offensioni, & contemptioni satisfacere vehementer cuperet. Quid de illa summa humilitate dicam, per quam vt reus voluit damnari, & mori, & minoris quàm Barrabas fieri? Quid de illa perfectissima omnium dolorum maximorum patientia, &

1. Cor. 10. tolerantia? Ex quo Christus figuratus, & assimilatus est (vt inquit Apostolus) illi petrę, quæ in deserto aquam dedit. Quibus verbis illius Agni sine macula mansuetudo laudari poterit, qui in illos obmutuit, qui tam crudeliter eum tondebant, malè afficiebant, imò dum illum blasphemabant, & capita mouebant, & irridebant, magis illorum peccatis, quàm suo supplicio commouebatur? Quid autem de illa admirabili fortitudine dicam, qua tam promptè

Exod. 12. se morti obtulit? Quam in agni paschalis sacrificio Deus figurari voluit, cùm iusserit, vt illum ita sacrificarent, & comederent, vt nullum illius os frangerent. Hoc autem quid aliud fuit, nisi inuictam huius Domini fortitudinem repræsentare, quæ in tot generibus tormentorum defuit nunquam, neque minuit? Quid autem de Euangelica paupertate dicam, quę ibi sic resplenduit, cùm hic Dominus in Cruce mortuus sit nudus, & gratis in alterius sepulchro conditus?

Ad has mirabiles virtutes perseuerantia accedit, qua hic Dominus vt gigas

Matt. 27. hoc negotiū de præsepio vsque ad Crucem perducere conatus est, de qua noluit descendere, licet illius aduersarij dicerent clamantes: *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Sed illa perseuerantia non solùm peruenit vsque

vſque ad crucem, ſed inde ad terræ profunditatem, id eſt, ad Limbum deſcendit, vnde ſuos electos eduxit, & ſecum perduxit; neque conquieuit vnquam, quoad illis cæli portas adaperuit, & eos æterno Patri obtulit, & in illis ſedibus collocauit, quæ illis ab æterno paratæ erant. Vbi illud adimpleuit, quod ſuis fidelibus ſeruis pollicitus erat, nempe ſe curaturum, vt ederēt, & biberēt ſuper menſam ſuam, ſeq; illis æternæ felicitatis cibum adminiſtraturum. Et ita adimpletum eſt, quod Zacharias Propheta multò ante prophetauit inquiens: *Tu in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* In quo verbo Limbum intelligit, vbi antiqui Patres libertatem expectabant. Et inquit, *in ſanguine teſtamenti*, vt & idem Dominus dixit: ſuo enim ſanguine, & morte, & legata, & promiſſiones, quas nobis fecit, rata, & irreuocabilia nobis fuerunt. De his autem virtutibus, quæ in ſacra paſſione ſplenduerūt, ſuo loco fuſiùs tractabimus. Luc. 22. Zach. 9. Matt. 26. Mat. 14.

Ex his autem omnibus charitas maximè reſplenduit, quæ hominum ſalutis amor fuit, & ſui Patris gloriæ, qui illo nobiliſſimo ſacrificio magnopere honore & gloria affici debuit. Ex eo enim profectura erat tanta multitudo Sanctorum, Confeſſorum, Monachorum, Virginū, & in primis innumerabilium Martyrum, qui ſanctæ Crucis exemplo, & virtute, ſua morte Deum glorificaturi erant. Et id omne hic Dominus in ſua ſacra paſſione videbat, & ſpectabat. Quod ſignificauit Apoſtolus, cùm inquit, quòd Dominus, cùm illud ſibi gaudium ante oculos proponeret illorum omnium Sanctorum, crucem ſuſtinuit, confuſione contempta. Heb. 12.

Ex dictis igitur quid aliud hoc ſacrificium fuit, niſi quoddā regium conuiuium, quod mundi Saluator coram ſanctiſſima Trinitate poſuit, vbi tam multa ciborum genera pretioſiſſima obtulit, quot virtutum genera hic ſplendent? Sed maior huius conuiuij gratia fuit archiriclini dignitas, qui hæc miniſtrabat, qui idem Dei filius ſuo æterno Patri æqualis erat. Nam licet diuina perſona, quatenus diuina, pati non poſſit: tamen cùm tantopere cum ſacra humanitate coniuncta ſit, quidquid humanitas patiebatur, id omne illi tribuitur. Hoc ſpirituale conuiuium in alio figuratum fuit, quod Patriarcha Abraham illis tribus viris obtulit, in quibus ſanctiſſima Trinitas repræſentabatur; à quibus, vbi eos adorauit humi proſtratus, petijt, vt apud ſe comederent, qui ſe id facturos polliciti ſunt. Is autem ſtatim ad Saram properauit, & ei iuſſit, vt tria ſata ex ſimila commiſceret, & panes ſubcineritios faceret: ipſe verò ad armētum cucurrit, & inde vitulum tenerrimū, & optimum tulit, deditq; puero, qui feſtinauit & coxit illum. Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit coram eis: qui pranſi Iſaac filium ſancto Patriarchæ polliciti ſunt, qui deinde illi natus eſt. Hoc autem quid eſt? corporeos cibos comedunt illæ tres diuinæ perſonæ, vel Angeli, qui eas repræſentabant? Minimè quidem. Cur igitur, quod illis tradebatur, acceperunt, & id omne comederunt, quod illis appoſitum fuit; niſi vt gaudium ſignificarent, quo beatiſſima Trinitas fuit affecta in conuiuio illius tenerrimi vituli, qui amoris igne in Cruce aſſus fuit, id eſt, morte, quam in ea Dei filius paſſus eſt ob ſui Patris obedientiam, & gloriam. Gen. 18.

At hìc multæ circunſtantiæ cōſiderandæ ſunt, quibus Saluator hanc mortem proſecutus eſt. Solent, qui Regibus aliquem pretioſiſſimum cibum offe-

runt,rosis & odoratis floribus illum exornare, vt muneris gratiam magis adaugeant. Hac ratione Dei filius æterno Patri huius vituli sacrificium, & mortem offerens,non contentus mortem pati, quæ illi fuit imposita, voluit eandem rosis & floribus exornare, qui colaphi fuerunt, & verbera, & sputa, & contumeliæ,& ludibria, & multa alia iniuriarum genera,quæ passus est: quibus deuotionem, & gaudium, quibus mortem Crucis sustinuit, declarauit, cùm tam multis alijs iniurijs eam exornauerit, vt æterni Patris oculis gratior esset. In illo autem Abrahæ conuiuio filius Isaac promissus fuit, à quo tam multi filij nascituri erant: hoc autem sacrificio alius magis spiritualis filius Saluatori promissus fuit, qui est Christianus populus, qui per totum terrarum orbem disseminari debebat.

Cum his autem cibis in hoc conuiuio alius aderat suauior,& pretiosioribus, qui fuit filij Dei prompta voluntas, qua se ad Crucis infamiam ob sui æterni Patris gloriā,& mundi salutē obtulit. Quæ tanta fuit, vt nullus vel hominum,vel Angelorum intellectus eam capere possit. Quare illud notum est, quòd non solùm illa mors,quam passus est,sed mille mortes,& martyria(si ad hoc necessaria fuissent)eadem voluntate,& promptitudine,qua vnam, passus fuisset: cùm in eo gratia,& charitas ad id,& ad multò plura esset. Ex quo in Christi voluntate illud præstantius conuiuium intelligimus. Multò enim magis amauit, quàm passus est; & ad multò plura patiēda paratus erat,si nobis necesse fuisset. Quare apud illum summum Dominum, qui maximè hominum voluntates & corda respicit, Christi interioris voluntatis sacrificium multò gratius fuit, quàm sacræ passionis sacrificium; si,quod in corpore passus est,cum eo conferremus,quod sua sanctissima anima desiderauit, quod,vt diximus, sine controuersia multò plus fuit. Itaque in hoc summo sacrificio duo fuerunt gratissima sacrificia, alterum visibile, alterum inuisibile: hoc est, alterum, quod partim videtur; alterum,quod penitus non videtur,(quæ fuit hæc prompta voluntas patiendi multò plura, si opus fuisset) & pro his duobus huic Agno summum amorem debemus.

DE MAGNO BENEFICIO, QVOD HAC CHRISTI nostri Redemptoris satisfactione mundus consecutus est. Cap. VII.

PECCATIS autem huius sacrificij meritis sublatis, quæ diuisionis murus erant, & inimicitiarum inter Deum & homines causa,(vt supra diximus)iamq; Deo illis amico facto; quid hinc consequi poterat, nisi vt suorum thesaurorum statim aperiret arcam,& eos hominibus impertiretur,quos vt filios & amicos tractaret,cùm vt inimicos superioribus temporibus habuisset? Itaque primum, ab illo factum, fuit illis cæli portas aperire, quæ vsq; à mundi initio clausæ fuerūt, vt vel latrones per illas introire permitteret. Et statim sanctū Spiritū ignis & linguarū specie misit, vt charitatis igne discipulorum corda purificaret, inflammaret, & roboraret; & linguarum dono facultatem prædicandi Euangelij in vniuersas mundi gentes daret. Idq; illis mādauit Saluator apud S. Marcum inquiens: *Ite in vniuersum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.*
Mar. 16. Vt Dominus, qui in solo Iudææ angulo cognoscebatur, in

toto

toto terrarum orbe prædicari voluerit, nullaq; creatura reperiretur, quæ exciperetur, & sine hac gratia permaneret. Apud verò S. Matthæum idem pluribus verbis mandat: quia antequam hoc mandatum discipulis daret, inquit, Matt. 28.
quòd sibi quatenus homini data erat omnis potestas in cælo, & in terra; suadens illis his verbis, ne mundi incursum timerent, neque negotij difficultatē, aut nouitatem, cùm per se omnes vires cæli & terræ in sua potestate haberēt. Et ne hoc ad paruum tempus fore arbitrarentur, illa verba maximæ consolationis & fidentiæ adiunxit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Discipulis autem ad hoc negotium hac promissione affectis, & roboratis, iubet vt in vniuersum mundum eant, & omnibus gentibus prædicent, illas baptizantes in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti: quæ gratia Domini nostri, atque misericordia omnium maxima est; quia his solis verbis, (si peccata præterita sibi displiceant) sine alia pœnitentia, omnia peccata, culpæ, & pœnæ condonantur, licet grauissima, & turpissima sint, quæcunque in vita commiserint: & ibi Deus eum pro filio accipit, & filij spiritum communicat, & sui regni hæredem efficit.

Hæc autem tanta, tamq; alta gratia offertur omnibus merito Christi satisfactionis, qui exoluit (vt inquit Propheta) quæ non rapuerat. Neque eo contentus, nullo tempore intermisso eodem die, quo resurrexit, vesperi suis discipulis apparuit, & illis auctoritatem, & potestatem dedit vniuersalē, & omnibus sacerdotibus in illis, remittendi peccata, inquiens: *Accipite Spiritum sanctū: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et ad hæc Petro Apostolorum Principi ter suam Ecclesiam commendauit, cui claues dedit, quas ante passionem pollicitus erat, inquiens; *Tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Hac autem potestate, quæ maior homini dari potuit? Hoc quid aliud est, quàm hominem in suo genere cælorum regni Dominum constituere? Hic autem valde considerandum est, quòd cùm Dominus ante suam passionem suos discipulos ad prædicandum mitteret, illis mandauit, ne ad gentilium ciuitates irent, sed ad oues, quæ de domo Israel perierūt. Sed hoc sacrificio iam oblato, illis iubet, vt in vniuersum mundū eant, & ad omnes gentes, nulla ratione habita neq; Iudæorum, neq; Gentilium, neque barbarorum, neque Scytharum, vt omnibus hanc gratiam offerrent, & hoc bonum Euangelij nuntium prædicarent. Cuius rei rationem affert Apostolus, inquiens: *An Iudæorū Deus tantùm? nōnne & Gentium? Imò & Gentium. quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem.* Et licet gentes essent multis, & horribilibus generibus vitiorum, & crudelitatum inuoluti, & turpissimarum voluptatum cœno penitus immersi; non tamen Spiritus diuinus abhorruit, quominùs in huiusmodi monstris inhabitaret: gratia enim Christi sacrificio acquisita, hæc monstra Angelos efficere poterat, & (vt inquit S. Chrysostomus) per illam publicæ meretrices cæli stellis puriores fiunt. Et hoc est illud, quod mira figura Deus Apostolo S. Petro repræsentauit. Cùm enim vellet illum domum cuiusdam gentilis ad prædicandum mittere, & intelligeret, quòd cum tam abominando gentili tractare recusaret, illi in quiete ostendit *Linteum de cælo descendens, in quo erant* Acto.10.

Psal. 68. Ioan.20. Matt.16. Matt.10. Rom.3.

omnia

omnia quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum, Surge Petre: occide, & manduca. Ait autem Petrus, Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum. Et vox iterum secundò ad eum, Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris. Illi significabat, quòd poterat quidẽ diuina gratia vertere lupos in agnos, & serpentes in columbas; hoc est magnos peccatores in magnos Sanctos. Quibus verbis dictis, linteum statim in cælum receptum est, vnde descenderat. Et hanc, scriptura inquit, visionem ter illi contigisse, cùm eo tempore esuriret. Ex quo intellexit Apostolus magnam Dei gratiã, & magnificentiam, quæ Christi meritis ad omnes mundi gentes se extẽdebat, licet barbaræ, feræ, & abominandæ essent: quòd pretiosissimus Agni sanguis poterat feras beluas in agnos conuertere. Hæ verò gratiæ, nunquam antea in terris visæ, qua de causa concessæ fuerunt, nisi illius diuinissimi, & summi Christi sacrificij? quod personæ dignitatis ratione, quæ illud offerebat, & ex omnibus circunstantijs, quæ in illo fuerunt, infinitè æterno Patri gratum & acceptum fuit, & potẽs non ad vnum solum mundum, sed ad mille mundos emendandos.

Hic autem fuit primus, & maximus omnium arboris sanctæ Crucis fructus, quod fuit mundi peccatis satisfacere, à quo cæteri consecuti sunt.

DE SECVNDO ARBORIS SANCTAE CRVCIS FRVctu, qui est dignitas, & gloria, quam per eam consequimur. *Cap. VIII.*

HIC igitur est primus sanctæ Crucis arboris fructus, quo prima, & maiori nostrarum necessitatum Deus subuenit, quod erat in gratiam æterni Patris per vnigeniti eius Filij satisfactionem redire. Ex hoc primo fructu alius oritur, quod est hominis in pristinam dignitatem, & honorem, in quibus eum Deus creauerat, restitui. Quæ dignitas & honor ad nos venit, quòd sanctissimus Dei filius nostram naturam se induere voluerit: qua gloria etiam Angelis ipsis præstamus, quibus hæc gratia (vt idem Apostolus inquit) minimè
Heb.2. concessa fuit. Cùm aliquis magnus Rex puellam in vxorem ducit, omnes illius propinqui hoc matrimonio honorantur, & nobilitatem consequuntur. Cùm autem Rex regum, & Dominus dominãtium naturam humanam sibi desponderit, tam arcto nodo matrimonij, vt neque in vita, neque in morte solui possit, (cùm in vtrisque naturis vna tantùm persona adsit) illud quidem notum est, quòd tota natura humana hac filij Dei dignitate, & affinitate maximo honore affecta est. Ex quo iam homo cum Dauid dicere potest. *Tu Do-*
Psal.3. *mine mea gloria, & exaltans caput meum.* Quoniam propter peccatũ demersus fui in abysso, sed hoc mysterio me tecum coniunxisti, meq; tuum amicum, & fra-
2. Reg.19. trem, & hæredẽ tuum fecisti, & (vt dixit Miphiboseth Dauidi) inter tuæ mensæ conuiuas me sedere fecisti, (qui Angeli sunt) me in hac re illis æqualẽ faciens. Inde factum est, vt, cùm hic Dominus in terris nasceretur, & Angeli huius natiuitatis causa Deo gratias agerent, statim homines salutarunt, quippe qui
Luc.2. huius gloriæ participes essent, dicentes; Pax hominibus bonæ voluntatis; eos, vt fratres, suæ gloriæ socios, eiusdem regni ciues, eiusdem patris filios, eiusdemqúe Reipublicæ præcipuas partes agnoscentes.

Neque

Neque solùm humana natura, qua se induit Christus, hominem honorauit, sed etiam pretij valor, quo fuit redemptus, & de sua vana conuersatione liberatus, quod (vt inquit S. Petrus Apostolus) non fuit aurum, aut argentũ, sed pretiosus, & purissimus sanguis illius innocẽtissimi Agni, à Deo ante mũdi creationem cõgniti, & in fine mũdi manifestati. Ex quo S. Bernardus inquit: Mirum fuit Deum dignatum esse, qui ita vellet hominẽ quærere; & mira hominis dignitas, qui sic à Deo quæreretur: in quo quidẽ poterit quodammodo iustè homo gloriari nõ propter illud, quod in seipso est, sed propter multum, cuius Redemptor illum æstimauit, cùm illum suo sanguine emerit. Quã dignitatem expressit S. Petrus Apostolus, cùm inquit, quòd fideles eramus vocati Christi sanguinis aspersione, quæ est communio dignitatis, & mirabilium fructuum, qui ad nos ex hoc pretioso sanguine venerunt. 1. Pet. 1.

Ex hoc autem quid consequitur, nisi quòd cùm homo hanc nouam nobilitatem, & dignitatem videat, ad res viles, & lutosas, & sua nobilitate indignas non se abijciat, cùm huiusmodi pretio se redemptum, & Christo vt fratrem coniunctum esse videat? Quamobrem dixit S. Augustinus: Cognosce homo quanti sis, & quantum debeas: & pretium, quo emptus fuisti, considerans, paruo ne te æstimes, neque ad huius mundi abiecta descendas. Quòd si aliter feceris, debitor & reus non parui pretij eris, sed sanguinis Christi, si tuam animam illius sanguine depuratam fœdes atque commacules, ad carnis vitia si illam demiseris, & cum gustu appetituum illum commutaueris. Quare si tuam dignitatem non cognoscis, disce, quo modo illam hoc pretio æstimes, neq; illam tam parui facias. Quòd si ille tam sapiens mercator, qui de cælo descendit, qui tam perfectè nostrarum animarum valorem cognoscebat, tanti eas fecit, vt suo sanguine eas emere non dubitauerit; quomodo audebit homo illas vendere, & iterum in hostis manibus ponere pro aliqua corporis commoditate, aut alicuius beluinæ voluptatis appetitu? Hæc autem cõsideratio fecit ita, vt omnes Sancti se non abijcerent, atque ad peccati vilitatem se non prosternerent: ne huius gloriæ dignitatem commacularent, quæ ad se hoc mysterio venit, cùm sibi turpissimum existimarent, cùm se ad filiorum Dei dignitatem perductos cernãt, ex Christi membris Dæmonij captiuos se iterum efficere, & Sathanæ membra, & vanæ voluptatis specie amittere, quod tam magno pretio fuerit emptum.

TERTIVS CRVCIS ARBORIS FRVCTVS, QVI FVIT *per illam summum Sacerdotem obtinere, qui apud æternum Patrem pro nostris necessitatibus intercederet.*

Cap. IX.

PRAETER ea, quæ dicta sunt, fidelis etiam Patronus, & summus Sacerdos nobis opus erat, qui pro nobis apud æternum Patrem intercederet, & remedium multarum necessitatum pararet, quibus tam corporis, quàm animæ in hac vita sumus oppressi. Corporis enim morbi, necessitates, calamitates, & paupertates innumerabiles sunt, à quibus nemo in hac lachrymarum valle immunis est: & multò minùs, qui in matrimonij statu viuunt; qui (vt inquit Apostolus) pluribus angoribus expositi sunt. Non enim solùm sua incom- 1. Cor. 7.

moda, ſed etiam ſuorum filiorum, vxorum, virorum, ſentiunt, quæ ſæpe maiorem quàm propria moleſtiam afferunt.

Hæ ſunt corporum calamitates. at quò ſunt animæ offenſiones maiores, id eſt, noſtrarum perturbationum, & inordinatorum appetituum delitiamium? quæ quidem noſtra lacerant corda, vitam conturbant, humi proſternunt, noſtras voluntates captiuas reddunt, & nos ſexcentis curis implicāt, noſtri cordis pacem conturbant, vera libertate ſpoliant, & noſtræ carnis captiuos faciunt, & ſæpe nos à noſtro vero, & legitimo Domino ſeparant. His autem rebus miſer homo ſui peccati hîc pœnam luit. Nam (vt inquit S. Auguſtinus cum Deo loquens) iuſſiſti Domine, & ita quidē eſt, vt inordinatus animus ſui ipſius pœna ſit. Quid autem de laqueis dicam noſtri aduerſarij, de illius tentationibus, quæ infinitæ ſunt? qui tanquam leo rugiens circuit, quæ-
1.Pet.5. rens quem deuoret.

Vt autem ad rem redeā; cùm tam multæ ſint huius vitæ calamitates, perpetuo indigemus aduocato, & ſacerdote apud æterni Patris maieſtatem, qui tam multarum neceſſitatum remedium intercedat, qui tam illi gratus ſit, & acceptus, vt licet perpetuò apud illum pro nobis intercedat, nunquam tamen illi moleſtus ſit. Huiuſmodi autem aduocatus, nullus alius, niſi idem æterni Patris filius infinitè amatus eſſe potuit. Hic ſemper in illius conſpectu illa pretioſa vulnera, illamq; ſacram humanitatem, quam pro nobis ſuſcepit, oſtendit. Hæc enim perpetua repræſentatio, perpetua interceſſio eſt, quæ pro nobis intercedit.

Neque æterno Patri ſatis eſt, nobis hunc perpetuum interceſſorem, vt noſtram confidentiam roboraret, paraſſe, ſed ſolenni iureiurando (vt Dauid his
Pſal. 109. verbis teſtatur) nobis pollicitus eſt: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quod negotium hoc eſt tantum, quod tanta ſolennitate fit? Mitto hîc myſterium, quod in hoc nouo ſa-
Heb 7. cerdotio Melchiſedech incluſum eſt, quod Apoſtolus tanti facit, & tam diffusè declarat: illud tātùm ſcire vellem; cur dixit Apoſtolus iuraſſe Deum, cùm ſatis eſſet dicere, eum dixiſſe, non autē iuraſſe, cùm ille ipſa veritas ſit! cùmq; eſſet ſuperuacaneū dicere, eum iuraſſe; ad quid & illud addit, *& non pœnitebit eum*; cùm in Deum pœnitentia non cadat, neque eius quod dicit, neque eius quod facit? Id omne neceſſe erat, vt declararet, hunc ſacerdotem infinitè illi acceptum, vt noſtræ confidentiæ infirmitatem roboraret.

Nam qui toties in vita per Chriſtum veniam poſtulat peccatorum potentis cumulatorum, & qui toties petit remedium neceſſitatū & miſeriarū alijs calamitatibus ac miſerijs cumulatarum, poſſet quidem maximè perturbari, inquiens: Toties ego hunc hominē iam allegaui, toties diuinam patientiam defatigaui, iram laceſſiui, illam miſericordiam importunè poſtulaui, vt nulla merita tanta eſſe poſſint, quæ iam non ſint exhauſta tantis expenſis, quæ quotidie ex his meritis fiunt, & tam multis precibus, quæ quotidie per hoc nomen funduntur. Quicunq; enim omnium altarium, & omniū diuinorum officiorū vocibus aures adhiberet, videret omnes Eccleſiæ preces his verbis finiri: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, &c.* Hoc eſt, à Deo gratias, præmia, & remedia per vnigeniti eius Filij merita poſtulare. Hoc igitur cùm ita ſe habeat, quis infirmus poſſet quidem (cùm diuina humano modulo metiut)

tiretur) suspicari, iam Deũ perpetuo harum vocum sono, & huius nominis toties allegati, & repetiti, esse molestatum & defatigatũ. At diuina bonitas, & sapientia nostræ ruditati aliquid condonans, illud addit; *& non pœnitebit eum*; quod non solùm superuacaneum non est, sed maximè significatiuum. Tacitè enim nobis declarat, quòd quantæcunq; importunitates, & petitiones in hoc nomine sint, licet plures quàm maris arena essent, nunquam tamen æternus Pater has voces audire defatigabitur: omnes enim tandē finitæ; at huius summi sacerdotis merita infinita sunt. Præterea homines pœnitere solet eius, quod promittunt, cùm post illud tempus plura se promisisse, quàm præstare possint, sentiunt. In illam verò summam sapientiam huiusmodi ignorantia cadere non potest; ob id nunquam eius pœnitebit, quod pollicitus est. Probè enim sciebat, quod promittebat, & pro quo promittebat.

Benedictus igitur sit huiusmodi donator, benedictus huiusmodi sacerdos, & benedicta huiusmodi prouidentia, quæ ita miserijs nostris prouidit, & maledicta sit nostra diffidentia, nec minùs nostra negligentia, qui cùm habeamus vnum, qui tanti nos valere facit, huiusmodi intercessorem, & aduocatum, tam multa bona perire permittimus, quàm multa obtinere possemus; cùm Deus suorum thesaurorum portas apertas teneat, & illarũ claues Domino commiserit, qui cùm illius filius, & frater noster sit, nostra caro, nosterq; sanguis, facultatem quidem habet, qua hos thesauros suis fratribus impertiri possit, modò illi ita se afficere velint, vt illos accipiant.

QVARTVS ARBORIS CRVCIS FRVCTVS, QVI EST DEI cognitio, & cæterarum omnium, quæ ad hanc salutem pertinent. Cap. X.

VT vlteriùs in necessitatibus & remedijs hominis procedamus, Dei cognitio illi maximè opus erat. hoc enim primum est principium eorum omnium, quæ in Christiana vita fiunt. Hæc est huius horologij prima rota, huius spiritualis ædificij virtutum fundamentum; & est tanquam primum cælum, quod in causa est, vt cæteri cæli moueantur. Huius cognitionis perfectionē ille primus homo propter peccatum amisit; vnde nata sunt tot errorum genera, tot idololatriæ, & sectæ, & hæreses, quot in mundo fuerunt. Nam sicut primum, quod Philisthri fecerunt vbi Samsonem ceperunt, fuit illi oculos eruere (post quod de illo fecerunt, quidquid voluerunt) sic primum, quod Dæmonium facit, cùm aliquam animam captiuam facit, est hũc spiritualem visum obnubilare; quo facto, de illa quidquid vult facit, licet ei fidem per hoc non eripiat, sed opera illi contraria faciat. Iud. 16.

Ad hanc ignorantiam tollendam huius mundi fabrica cōducit, quæ magnitudinem Dei testatur, vt inquit Psal. *Cæli enarrant gloriam Dei*, & quæ sequũtur. In hoc libro multi viri legerunt, & Deum huius tantæ molis factorem cognouerunt, licet quisnam is esset minimè cognouerint. Huic Philosophi præcipuè studuerunt, qui totam ætatem in actionum naturæ cognitione consumpserunt, vt illarum cognitione, ad primæ causæ, à qua illæ penderent, cognitionem peruenirent: toto tamen hoc studio huius cognitionis paruam particulam assecuti sunt. Nam licet aliquid de Dei omnipotentia, Psal. 18.

sapientia, & pulchritudine per rerum creatarum mirabile artificium cognouerunt; tamen parum omnino cæterarū illius perfectionum assecuti sunt. Ex illis enim multi illius prouidentiam negârunt, existimantes illius altissima, & purissima substantia indignum esse, ad hominum minutas actiones intelligendas se demittere. Cùm igitur ipsi diuinam prouidentiam ignorarent, necessariò consequitur, vt & illius iustitiam, & misericordiam, & benignitatem, & charitatem in homines ignorarent. Hæc autem cognitio illa erat, quæ ad efficiendū hominem religiosum, & Dei cultorem maximè cōducebat. Dei enim bonitatis, & charitatis cognitio efficit, vt nos illum amemus; iustitiæ, vt timeamus; misericordiæ, vt in eo speremus; prouidentiæ, vt illi pareamus, & sentiamus tam vniuersalem Dominum, qui omnia creata administrat. Ex quo facilè apparet, hanc cognitionem omnis religionis, & iustitiæ esse fontem. De quo Philosophi tam pauca intellexerunt, & propter hanc causam ita parum Deum coluerunt. Quare inquit Apostolus: *Nam quia in Dei sapientia*
1.Cor. 1. *non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Hoc autem incarnationis opus est, per quod tantā nobis diuinarum perfectionum cognitionem tribuit, & harum præsertim, quæ ad nos maximè pertinebant, vt nulla alia ratione maiorem dare potuerit. Quòd si reipsa omnes homines in vnum reducerentur, & tractarent, qua ratione, aut quo genere operū posset Deus apertiùs harūquatuor perfectionum magnitudinem declarare, minimè quidem aliud, quàm hanc sacram incarnationem & passionem, efficacius excogitare, aut desiderare possent.

Quòd si Dei bonitati conuenit, se suis creaturis communicare; quæ maior cōmunicatio, quàm Deum suum personale esse ita homini cōmunicare, vt verè dici possit, quòd Deus homo factus est, & vnà illi omnes suæ passiones labores, & merita impertiri, & cum illis gloriā, & vitam æternā, quam per illa cōsequimur. Quæ verò bonorū communicatio maior hac desiderari potest? Et si ad misericordiam pertinet, aliarum calamitatum misereri; quæ maior misericordia, quàm Dei filium omnia humani generis debita sibi sumere, seq; prædem, & præcipuū illorum nomen constituere? Sic prophetauit Isaias
Isa. 53. de hoc Domino cùm loqueretur, inquiēs: *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omniū nostrū.* Diuina verò iustitia non minus in eo resplenduit, licet altera alteri contraria videatur. Quòd si ad iustitiæ integritatem pertinet culparū satisfactionem sumere; quæ maior satisfactio esse potest, quàm ea, quam Saluator sponte sua in altari crucis obtulit? Multò enim plus est Deū mori, quàm omnes homines perpetuò mori: & multò plus fuit in satisfactionem vitam Dei, quàm omnium hominum vitam, offerri. Et si ad prouidentiam pertinet in eo versari, vt homines per media ad suum finem accommodata dirigantur; quæ maior prouidentia, quàm, vbi hoc negotiū per Patriarchas, & Prophetas, & per ipsos Angelos cœpit exequi, ita se humiliare, vt de cælo in terras descenderet, & humana carne indutus, tres & triginta annos per hūc mūdum amissam ouem quæreret, nec vnquam quiesceret, quoad illā super humeris suis ad gregē deportauerit, & ex proprio sanguine medicinam, qua illam curaret, effecerit?

Hinc autem hæc alta cognitio nō solùm cōparatur, verùm etiam ex aliis, quæ ad nostram salutem spectant. Vis quanta sit gloria bonis parata cogno-

ſcere? Reſpice hunc Dominum in omni vita ſua, & præſertim in Cruce, vbi totum ſanguinem effudit. Et id tibi ſignificabit, quanti ſit illud bonum, quod tanto pretio fuit emptum, vt ille ſanguis fuit, cuius vna gutta pluris, quã mille mundi valebat. Quare ad cęlum aditus nemini ex iuſtis patuit, quoad hoc pretium ſolutum fuit: quo ſoluto, portę, quæ & iuſtis antea clauſę fuerũt, vel ipſis latronibus patuerunt. Vis quoq; ſcire quanta ſit damnatorum pœna? Ad id ſatis eſt Crucem reſpicere, & animaduertere, quòd ille Dominus, qui id ſciebat, ita fuit miſericordia affectus, cùm nos hac pœna damnatos videret, vt cùm nos tam illius inimici eſſemus, & tam miſericordia indigni, voluerit ipſe potiùs paſſionis calicem bibere, & ea diuinæ iuſtitię legi ſatisfacere, quàm nos illa tanta pœna affectos videre. Quanta igitur illa pœna fuit, pro cuius abſolutione Dei filius maiorem corporis, & animi pœnam patitur, quàm quis vnquam paſſus, aut paſſurus ſit?

Hac ratione igitur philoſophari poterimus, & omniũ rerum ſpiritalium pretium, & valorem intelligere, quæ ſcientia illa eſt, quam magnifaciebat Seneca, cùm dicebat: Quid magis neceſſarium eſt, quàm rebus pretium imponere, & illarum valorem cognoſcere, ne pretioſum pro vili demus? In Crucis autem ſtatera poteſt homo animæ ſuę valorem ponderare, vnà cum gratiæ excellentia, virtutis pulchritudine, peccati turpitudine, & cæteris huiuſmodi rebus, de quibus fuſiùs alio loco tractauimus. Omnes igitur Deo gratias agamus, quòd in vnico opere, & in vnico verbo ſimplicibus tot, & tam profunda myſteria declarare voluerit. Quare non fruſtra dixit Apoſtolus, Chriſtum noſtram eſſe ſapientiam, cùm in illo, & per illum omnia ſciret. Et propter hanc eandem cauſam hic glorioſus Apoſtolus, cùm lux mundi eſſet, gentium doctor, vas electionis, à ſecretis diuinitatis, & tertij cæli mirabilium, (vbi Euangelio ſtuduerat) tamen ſe nihil niſi Chriſtum, & hunc crucifixum ſcire fatetur, quòd in eo ſolo ſciebat omnia. Et propter hoc tam excellens medium, quod nobis ad Deũ cognoſcendum datum fuit, inquit Iſaias Propheta, quòd cùm hic Dominus in mundum veniret, terra ita ſapientia plena eſſet, vt aquę maris creſcunt, & in terram refluunt.

[Margin: Incôcione 2 de S. Thoma Apoſtolo. — 1 Cor. 1. — Iſa. 11.]

Hoc modo hic Dominus ſe contexit mira ratione, vt ſe ipſe oſtenderet. Cùm enim ſuæ diuinitatis gloriam noſtræ humanitatis pallio contegeret, ſuæ bonitatis, ſuarumq; perfectionum apertiſſimam notitiam dedit: vt qui inacceſſibilem illius diuinitatis lucem contemplari non poterant, noſtræ humanitatis velo tectum videre poſſent. Cuius figuram nobis repręſentauit Moyſes in ſua ipſius perſona, qui vbi quadraginta dies cum Deo conuerſatus fuit, tanto cum ſplendore de monte deſcendit, vt Iſrael oculi illius faciem intueri nequirent. Ex quo ille ſanctus vir ſibi faciem velo contexit, & hoc pacto populus illum videre, & cum illo verſari poterat. Simili autem conſilio erga nos altiſſimus Dei filius vſus eſt, vt oculi turbidi, qui ad eum ſua acie, vt in ſua forma viderent, peruenire non poterant, in alterius forma hoc velo tectum illum viderent. Exod. 34.

QVINTVS CRVCIS ARBORIS FRVCTVS, QVAE *diuina gratia eſt, quæ nobis per illam datur.* *Cap. XI.*

AD virtutem comparandam non satis est illius cognitio, & cæterarum rerum, quæ ad illam pertinent, nisi efficiatur, vt voluntas, quod decreuit intellectus, exequatur; præsertim cùm verum sit, quòd homines magis voluntatis corruptione, quàm intellectus ignoratione peccant. Quare ad perfectam hominis sanitatem necesse erat, quòd vltra lumen intellectus sanaretur, & informaretur voluntas, vt intellectus decretis facilè obtemperaret. Hoc autem gratiæ proprium est, per virtutes, quę ab illa emanant, quam nobis Saluator per suę passionis sacrificium meritus est: & ita inquit Ioannes, quòd lex per
Ioan. 1. Moysen data fuit, sed gratia, & veritas per Christum. Quamobrem noua lex, gratiæ lex dicitur, quòd pręcipuum in ea gratia est, quæ nobis per Christum datur. Nam (vt inquit S. Thomas) rerum denominatio & titulus à præpollenti qualitate, quæ in illis fit, desumitur. Vt Moyses nobis tradiderat, quid nobis faciendum esset: at Christus virtutem nobis dedit, qua ea facere possimus. Nam (vt inquit S. Augustinus) lex data fuit, vt gratia quæreretur; & gratia data fuit, vt lex adimpleretur. Et alio loco inquit ille: Lex iubet, fides impetrat, sed gratia, quod lex iubet, perficit. Hæc autem omnis nostri remedij summa est, quòd (vt diximus) homines non tantùm intellectus ignoratione peccant, quàm nostri appetitus corruptione, quòd, vt Poeta inquit; Video meliora proboqúe, sed deteriora sequor. Hunc morbum, inquit S. Augustinus, lex declarauit, & gratia curauit.

Huius autem gratiæ fructus & effectus quis enumerabit? Sed magis pręcipui, & cæterorum tanquam fontes, tres sunt. Quorum primus est peccatorum venia: Nam, vt cùm lux manè apparet, noctis tenebrę effugiunt; sic cùm lux gratiæ in animam ingreditur, ab ea omnium peccatorum tenebræ fugantur.

Secundus, & magis proprius effectus gratiæ, est Dei oculis animã gratam, & pulchram reddere. Peccatorum enim maculis sublatis, quæ illam fœdabãt, diuinis oculis pura, & formosa efficitur. Quamobrem Spiritus sanctus eam pro domicilio suscipit, æternus Pater pro filia, & filię nomine suę gloriæ hæredem constituit.

Tertius gratię effectus (quo loco gratiam intelligimus non solùm infusas virtutes, quę ab illa proficiscuntur, sed etiam subsidia omnia, & fauores, qui nobis per Christum dantur) est animas sanctificare, & illis vires tribuere nouas, vt omnes difficultates superent, quę nobis in virtutum curriculo impedimento sunt, & præsertim in nostris perturbationibus domandis, malisque propensionibus, quæ nostrę conscientiæ pacem, & serenitatem perturbant, & nobis ad virtutem comparandam maximo impedimento sunt.

Quantum autem hoc beneficium sit, minimè intelligi potest, nisi calamitates intelligantur, quas animi perturbationes fecerunt in terris, & faciunt, cùm rebelles, & contumaces sunt. Has autem quis enumerabit? Et quonam alio principio bella emanârunt, & sanguinis effusiones, quæ in terris fuerunt? vnde omnia & bella, & violentę singularium personarum mortes? vnde adulteria, incestus, sacrilegia, furta, & maleficia? vnde ambitio, superbia, auaritia, inuidia, & magna scelera, & impensæ comedendi, & bibendi, cum cæteris omnibus peccatis? tandem vnde difficultas, quæ nos à virtute seiungit, nisi ab hoc omnium malorum pestifero seminario, qui sunt nostri affectus,

fectur, cùm Dei timoris iugum, & rationis frænum excutiunt? Angores autem, quibus homines intrinsecus afficiuntur, cum infinitarum rerum desiderijs, quas nequeunt assequi; interius bellum nostrarum affectionum, tunc cùm aliæ alijs pugnant contraria appetentes; curas, molestias, timores, tristitias magnas, quas secum ipsę perturbationes trahunt, cùm effrænes sunt, quis enumerabit?

Quare minimè mirandum est, quòd Apostolus, harum perturbationum rebellione & furia declarata, sibi hominis peccatoris personam sumens, exclamat inquiens: *Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Huic respondet statim ipse inquiens: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Qui suæ passionis sacrificio non solùm nobis nostrorum peccatorum veniam confecutus est; verùm etiam fortitudinem, & gratiam, vt ea vitemus, & has feras bestias, quæ nos solicitant, & pręcipites ferunt, vincamus, & domitas reddamus. Rom. 6.

Huius rei figura præcessit in illo Gedeonis sacrificio, cui Angelus apparuit, & victoriam de Madianitis illi promisit; Gedeon autem cùm crederet illum Angelum aliquem sanctum virum esse, hœdum coctum illi obtulit: at Angelus noluit comedere, sed ei iussit, vt illum super lapidem poneret, & ius super illum funderet. Quo facto, Angelus lapidem virga, quam manu gestabat, contigit, & statim de lapide ignis exiuit, & tam hœdum, quàm ius super illum fusum, absumpsit. Hic autem lapis, vnde hic ignis exiuit, qui illud sacrificium absumpsit, quidnam aliud est, nisi Christus Saluator noster, (qui angularis lapis est, & Ecclesiæ fundamentum) qui suæ passionis sacrificio consumpsit non solùm omnia peccata, per hœdum significata, sed etiam illorum radices, qui nostræ carnis appetitus sunt, figurati (vt ait S. Ambrosius) in illo iure, quod super illum fusum est. Quod significauit S. Paulus, cùm dixit, *quòd vetus homo noster*, id est, nostræ carnis appetitus, *simul crucifixus est cum Christo.* Quia Crucis merito fidelibus gratia datur, qua non solùm peccata vitent, verùm etiam illorum radices interimant, qui noster vetus homo est. Cùm enim illud ius partem hędi substantię teneret, sic hę perturbationes quoddam vinculum, & cognationem quandam cum peccatis habent, cùm à peccato emanauerint, & illius causæ sint. Ignis autem, qui omnia hæc mala consumit, ex illo lapide, vt primùm Angeli virga tactus fuit, emanauit. Virgę autem tactus, vt ex lapide ignis excuteretur, quid aliud significat, nisi tactus virgę diuinæ iustitiæ, quæ cùm in mystico lapide, qui Christus est, adhibita fuerit, omnes nostras culpas, & peccata consumpsit? Hic ille tactus fuit, de quo æternus Pater cum suo vnigenito filio loquens per Isaiam inquit; *Propter peccata populi sui illum percussit*, id est, ad mortem tradidit. Iudic 6. Ephes. 2. Rom. 6. Isa. 53.

Hęc figura licet alia contineat, super quæ philosophandum sit, non tamen eam hic adduxi, nisi vt ostenderem, per Christi merita (vt diximus) non solùm nobis peccatorum veniam tribui, verùm etiam gratiam, qua illorum radices euellamus, & causas remoueamus. Quibus euulsis, & à nostra depulsis anima, mira in illis quies efficitur, & tranquillitas, & illa interior pax, quæ (vt inquit Apostolus) facilè, quidquid intelligi potest, vincit: & (vt inquit Isaias) est tanquam limpidissimus fluuius, qui omnes animæ nostræ poten- Philip. 4. Isa. 48.

tias

tias refrigerat tanta serenitate, & gaudio, vt id nemo, nisi qui experitur, cognoscere possit.

Qui eò peruenit, qui in anima sua hanc pacem sentit, qui his feris liberum se sentit, quę humana corda lacerant; qui, inquam, in se vehementiora iritamenta voluptatum, honorum, diuitiarum, dignitatum, procedendi vlterius gratia, & in superiorem gradum ascendendi, & cęterarum huiusmodi rerum non patitur, imò hęc omnia pedibus subiecit, illorum cupiditates existimans innumerabilium curarum, & angorum materiem, animarum retia & laqueos & tandem pacis, & veræ felicitatis impedimenta. Hic cognoscet quid nimirum sit Christi Redemptionis beneficium: hic cognoscet quidem Christum esse humani generis Redemptorem, si se redemptum, & liberatum horum tam crudelium tyrannorum iugo, & seruitute viderit.

Et licet huius Redemptionis virtus perfectè in altera vita intelligenda sit, cùm per eam electi pœnis inferni liberi, & ciues, & incolæ cæli facti [illegible] tur: tamen in suo genere aliquid illius cognoscitur, cùm homo his [illegible] liberum se cernit. Hic autem suo Redemptori huius beneficij gratias agere [illegible] et, vt S. Augustinus faciebat, cùm se suis veteribus animi perturbationibus liberum sentiebat, quarum ad illud vsque tempus captiuus fuerat, & [illegible] itaque nonum suarum Confessionum librum incipit, inquiens; Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo sacrificium laudis, & nomen Domini inuocabo.

Hoc autem maximum beneficium, cum multis alijs, per gratiæ virtutem, quam noster Redemptor illo diuinissimo passionis sacrificio meruit, hominibus datum est; quam quidem gratiam nobis multis rationibus communicat. Primùm enim nos prima gratia dignos fecit, quæ conuersio, & iustificatio est, qua sumus iustificati, id est, ex peccatoribus iusti effecti: & ita pro filijs Dei accipimur, & illius regni hæredibus. Dum enim homo in peccatis versatur, & Dei inimicitijs, nihil facere potest, quod illi gratum sit, & per quod mereatur, vt eum Deus ex illo infelici statu eruat. Quod autem peccator per se mereri non poterat, Dei filius per obedientiam ad Crucis mortem meritus est, qua æternus Pater suæ vocationis gratia eos pręuenit, quos ei de peccato educere placet.

Post autem hanc primam gratiam, nos quoque alijs omnibus dignos fecit, quæ ad nostram salutem conducunt; Quamobrem nunquam ad hoc vsque tempus nobis dedit quidquam gratiæ, aut daturus est ęternus Pater, quod per merita sui vnigeniti filij passionis id non fecerit, aut facturus non sit. Has autem communibus rationibus per septem Sacramenta nouæ legis diuersi generis tiarum genera communicantur: quę licet diuersos habeant effectus ad diuersa nostrarum animarum remedia, omnia tamen in vnico communi effectu conueniunt, quod est illis gratiam tribuere, qui gratiæ non obsistunt. De his autem re aliquid in sequenti capite dicturi sumus.

Neque eo contentus est Dominus, quòd nos per suam passionem gratiæ dignos effecerit, sed sua intercessione in cælo perpetuò nobis illam procurat. Omnibus his rationibus tam affluenter nobis gratiam communicat, vt propter hanc causam Isaias Ecclesiam nomine fluuiorum copiosorum, & omnibus apertorum vocet. Cùm igitur tam multæ sint huius gratiæ diuitiæ, nemo

Isa. 33.

iure

iure queri poteſt, quòd ſibi diuinę gratiæ auxilium deſit, imò (vt S. Bernardus inquit) magis iure gratia poſſet queri de nobis, quòd ab illa deficiamus, quàm quòd illa nobis deſit.

SEXTVS CRVCIS FRVCTVS, QVI SVNT LEGIS gratiæ Sacramenta. Cap. XII.

SEQVITVR alius mirabilis ſanctę Crucis arboris fructus, qui (vt diximus) ſeptem legis gratiæ Sacramenta ſunt, quę tanquam canales exiſtūt, per quos fructus ſanctiſſimæ paſſionis in animas noſtras deriuantur. Quamobrem ſupponendum eſt, quòd cauſæ vniuerſales non niſi per alias particulares ſuos effectus operantur. Sol nobis ſit in exemplum, qui horum omnium inferiorum creator eſt, per ſe frumentū producere non poteſt, niſi illud ab agricola fuerit ſeminatū. Idem dico de plantis, & cæteris ſeminibus. Cùm autem Redemptoris noſtri paſſio fuerit omnium ſpiritualium bonorum vniuerſalis cauſa, vt adeſſent Sacramenta, quæ ſunt tanquam particulares cauſę, per quas vniuerſalis cauſa diuerſos effectus in animabus noſtris, quę illa dignè ſuſciperent, operaretur, neceſſe erat.

De his Sacramentis fuſiùs alio loco tractaturi ſumus. Quod autem ad pręſentem locum attinet, ſcire ſatis eſt, quòd hæc ſeptē Sacramenta ſunt illi aquæ viuæ fontes in vitam æternā ſalientes, de quibus dicebat Iſaias; *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris.* Vbi non dicit de fonte, ſed de fontibus; quę ſeptem Sacramenta ſunt, vnde ſeptem gratię aquarum ſpecies emanant ad omnia omnium infirmitatum, & ſpiritualium morborum animæ remedia accommodatæ. Hęc ſunt tanquam ſeptem Planetæ, quę hunc nouum Eccleſiæ mundum ſuarum influentiarum virtute adminiſtrant; & canales, per quos aquæ gratiæ deriuantur, quæ ex noſtri Saluatoris lateris fonte promanat. Iſa. 12.

Ex his autem Sacramentis maius eſt corporis, & ſanguinis noſtri Redemptoris ſacramentum, in quo totus ille integer eſt, corpus, & anima, & diuinitas: ſed primus in ordine, qui tanquam cæterorum ianua eſt, ſanctus Baptiſmus eſt. Et in horum duorum Sacramentorū myſterio nobis repræſentatur, quòd gratia, quę nobis in illis datur, à Chriſti paſſione proficiſcitur. In Altaris enim ſacramento eadem Chriſti caro, & ſanguis offertur; vt inde intelligamus, quòd gratia, quę nobis per illum datur, ſacrificij pretioſæ carnis & ſanguinis virtute nobis datur. Sic & in Baptiſmi ſacramento ſacra paſſio nobis repręſentatur. Cùm enim infans ſumitur, & in aqua mergitur, nobis repræſentatur (vt inquit Apoſtolus) Chriſti mors, atque ſepultura: & huius mortis meritis ibi penitus omnia peccata vitæ actæ ita moriuntur, vt nihil culpæ, aut pœnæ ibi reliquum ſit. Coloſ. 2.

Idem AEgyptij quoque nobis ſignificant, qui in exitu de AEgypto filios Iſrael perſequebantur, qui in rubro mari demerſi fuerunt: quod nobis ſignificat, crudeles animæ inimicos, quæ peccata ſunt, in ſancti Baptiſmi aqua mori. Ex quo factum eſt, vt filij Iſrael, qui hos inimicos antea timebant, & fugiebant, vbi eos ad maris litora mortuos viderunt, non ampliùs illis timorem incutiebant; ſed gaudium afferebant, & eos admonebant, vt gratias Deo agerent, quòd ab illis liberi eſſent, & ita cœperunt Deum laudare dicentes: Exod. 14.

Exod. 15. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est*, & quæ sequuntur. Hanc autem virtutem sanctus Baptismus habet, qui peccata demergens occidit, quæ antequam nobis condonarentur, nos timore afficiebant; vbi verò in hoc mari demersa sunt, nobis gaudendi, & laudandi occasionem præbent. Hoc est huius Sacramenti virtutis proprium: licet nec hac ratione aliquis fidei certitudinem, quòd in statu gratiæ est, sed huius rei magnas coniecturas, habere potest.

Idem quoque aqua, quæ ex nostri Redemptoris latere lancea percusso manauit, nobis significat, vt nobis ostenderet, quòd ex illo pretioso vulnere, cum alijs, quæ accepit, sancti Baptismi aquæ virtus egressa est, qua nostræ animæ lauantur, & purificantur; & aquarum gratiæ, quæ in cæteris Sacramentis dantur, vt illæ curentur, exierunt. Hoc nobis significauit Deus in primę fœminæ
Genes. 2. formatione, quam ex costa, quam de Adam sustulit cùm dormiret, fecit. In quo figuratum est, quòd ex latere secundi Adæ, cùm mortis somnum dormiebat, suam sponsam Deus extraxit, quæ Ecclesia est: vt inde, tanquam ex magno fonte, Sacramentorum gratia emanet, per quam esse spirituale Ecclesia suscipit, quod vt Christi sponsa habet. Et propter hanc causam dicitur de suo latere sponsam duxisse, quòd ex eo Sacramentorum gratia emanauit, quę illi hoc nouum esse & dignitatem tribuit.

Hoc autem Sacramentum cum alijs, est vnus ex præcipuis sanctæ Crucis arboris fructibus, quibus animę medicantur, lauantur, & recreantur, & roborantur, & sustentantur in spiritali vita: de cuius fructu, inquit
Cant. 2. sponsa in Canticis, *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.*

SEPTIMVS CRVCIS FRVCTVS, QVI EST A peccato abhorrere, & virtutem amare.

Cap. XIII.

IAM igitur particulatim ad munerum, & partium iustitiæ tractationem descendamus. Hęc iustitia in duas præcipuas partes distribuitur, quæ sunt, se à malo separare, & bonum complecti, id est, à peccato abhorrere, & virtutem amare. Quod autem ad primum attinet, (quod est à peccato abhorrere) sic mysterium Crucis adiuuat, vt si omnes humani intellectus in eo versarentur, vt excogitarent quidnam facere posset Deus, vt peccati turpitudinem, & odium, quo in illud affectus est, declararet, nihil melius quidem, nihil efficacius inuenire possent, quàm hoc opus est. Quo enim magis hic Dominus poterat hoc odiũ significare, quàm sui vnigeniti filij morte, cuius nostra peccata causa fuerunt: cùm illud compertum sit, quòd nihil tam potens fuisset, quod illum ad tam multa tormenta patienda impulisset, nisi id nostra peccata fecissent? Quare qui probè hoc negotium considerat, nostra peccata tantorum malorum auctores fuerunt, & (quod multa consideratione dignum est) semel hic Dominus à suis inimicis malè affectus fuit, sed singulis horis à nobis, & leuioribus de causis malè afficitur. Quamobrem nos illum vendidimus, & sępius minoris, quàm eum Iudas vendiderit. Nos quoque eum deserimus, & negamus, nõ timore mortis, vt Apostoli, & S. Petrus, sed paruo quodam commodo,

modo,& beluina voluptate, vt ieiunij molestiam effugiamus, nonnunquam sine vlla occasione,sed sola malè viuēdi consuetudine. Nos illum illudimus, cùm illius mandata,& doctrinam negligimus:nos illum crucifigimus, cùm illius mandatis aduersamur,quæ ille suo sanguine,& morte confirmauit. Nos illum iniuria afficimus,cùm honestis verbis nostra scelera contegimus;cumque illos irridemus,& negligimus,qui illius nomine in eo elaborant,vt nos à peccatis separent. Et tandem nos in nobis ipsi eum occidimus,& sepelimus, cùm de nostro corde timorem,& reuerentiam,qua in illum affecti esse debemus,depellimus. Hi fuerunt carnifices,qui hunc Dominum malè affecerunt, & crucifixerunt. Quamobrem, vt illos perderet,æternus Pater vnigenitum suum filium Crucis tormentis tradidit. In quo apertè odij sui in peccatū magnitudinem ostendit, cùm filium suum charissimum, ne peccatum videret, morti tradiderit. Cùm enim sciret nullum aliud remedium, quàm hoc,magis accommodatum, vt de peccato vindictam sumeret,& de mundo in exilium eijceret,filij morti assensus est,vt hūc aduersarium de medio tolleret. Hic autem peto,vt mihi dicas,quid faciet Deus de homine,quem peccatis inuolutum,& implicatum inueniet, cùm hoc cum suo proprio filio egerit, vbi peccatorum pondus sibi contraxit?

Et idem Dei filius hoc monstrum adeò horruit, quòd, vt nobis vires adiungeret, quibus illud superare possemus, omnes calamitates, & hominum & dęmoniorum incursus,& omnia diuinæ irę supplicia ,quæ peccata meruerunt,pati voluit: neque solùm quod in sacra passione passus est,sed quidquid in terris fecit,& dixit, ad hunc finem inter cæteros ordinauit. Et sic dixit Isaias, quòd omnium Christi calamitatum fructus erat, peccatum in exilium eijcere,& de medio tollere. Vt licet innumerabiles sint fructus Dei filij aduentus, & passionis, ita proprium est hæc peccati perditio,& remissio, vt de eo magis præcipuè omnes sanctæ scripturæ mentionem faciant, tanquam de radice,& fonte cęterorum malorum omnium. Et sic idem Dominus in vltima cœna, cùm suum pretiosum sanguinem consecraret, inquit: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remißionem peccatorum.* Et idem Dominus apud S.Lucam, vbi discipulis intellectum aperuit, vt scripturas intelligerent, quæ de eo loquebantur, illis dixit; *sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remißionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma.* Et S. Petrus Apostolus in Actis Apostolorum, cùm Euangelium Cornelio Centurioni, & illius familiæ prædicaret, dixit; *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remißionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Sic & Micheas Propheta cùm de illo loqueretur, inquit,eum nostras iniquitates ablaturum, & in maris profundum omnia nostra peccata proiecturum. Et tandem sanctus Christi Præcursor,cùm illum ante se transeuntem videret, dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ex dictis facilè apparet,quòd præcipua causa sacrificij Crucis,fuit peccati victoria, cùm illud solueret tam multis doloribus,quod pro eo nos debebamus, nosq; gratia & fortitudine dignos efficeret,qua illa vinceremus. In quo cernitur, quantus sit huius monstri morbus,cùm tam multis sit opus, vt de mundo in exilium eijciatur.

Isa. 27. Matt. 26. Luc. 24. Acto. 10. Mich. 7. Ioan. 1.

Multa,& magna ſupplicia ab initio mundi fuerunt, quibus ſummus iudex magnum in peccatum odium oſtendit: quorum ſanctæ ſcripturę plenæ ſunt, & ad id æterna inferni pœna, quæ illius propria punitio eſt, ſatis erat. Sed hæc omnia ſupplicia, licet tanta ſint, non tam apertè huius odij magnitudinem declarant, vt vindicta, quam de eo æternus Pater in vnigeniti ſui filij morte ſumpſit, quòd in ſe peccatorum debita ſuſcepit. Quamobrem iure optimo hic Dominus de peccatore conqueritur, qui poſt hanc ſatisfactionem peccare auderet, per S. Bernardum inquiens: Fortaſſe non ſatis propter tua peccata afflictus fui? cur afflicto afflictiones adiungis? cùm multò magis tuorum peccatorum vulnera me affligant, quàm mei corporis plagæ.

Hoc igitur cùm ita ſe habeat, quis peccatum vel vnum quidem committere audet? quis illius nomine ſolũ non tremat? Et quis in tam peruerſo mundo viuere non abhorret, & in tam infirmo corpore, in quo tam multi peccandi ſtimuli, & occaſiones ſunt? Ad hęc quis eorum, qui hæc intelligit, & credit, non ſtupet, cùm videat homines tam facilè peccare, cùm Deus vniuerſum mũdum diluuio perdiderit, & Angelos dæmones effecerit, & (quod magis eſt) vnigenitum Filium ſuum propter peccata morti tradiderit? Iam vide quanta nobis oboriatur lux ex hoc myſterio ad peccati malitiam intelligendam, & ad nos capitali odio in illud afficiendos.

Neque minorem hinc conſequimur opportunitatem, vt erga virtutem & iuſtitiam amore afficiamur, à qua quidem noſtra ſalus pendet. Et ita ad

Dan 7. hæc duo tanta Daniel Propheta inquit Saluatoris aduentũ fuiſſe ordinatum, quę ſunt peccato finem imponere, & in mundum iuſtitiam & ſanctitatem introducere. Quanti autem iuſtitia facienda ſit, ex eo cernitur, quod in hoc negotio Deus fecit, cùm ipſe ſua ipſius perſona ad nos legatus, & aduocatus venire voluerit. Quo quidem nobis ſatis oſtendit, quàm magna fuerit cauſa, qua hic legatus, & orator, & patronus adductus fuit. Cumq́ ſit hic Dominus ille, cui, vt mundum crearet, nulla res pręter voluntatem ſuam opus fuit; cùm de hominis ſalute agere voluit, quàm multa verba fecit? quàm multa operatus eſt? quàm multa paſſus? Quis non plurimi faciet illud, in quod Deus tam multa erogauit? Quòd ſi hominibus res exigua videbatur, eſſe virtute prędito, & huic negotio cætera omnia anteponebãt; hinc videant, quàm hoc cæteris omnibus ante ferendum ſit, cùm tanti myſterij cauſa, & quidquid in terris Dei filius operatus eſt, eò ſpectaret, vt hominem virtutis ſtudioſum efficeret. Id fatetur S. Auguſtinus his verbis: Deſcendiſti in hunc mundum vita mea, & tua vita meam mortem perdidiſti; & tua vox in mundo vt tonitrus ſonuit, verbis, & operibus, morte, & vita, deſcendendo, & aſcendendo in cælum, nos vocans, vt ad te conuertamur, hæc autem reuerſio per aliam eſſe non potuit viam, niſi per illam virtutis viam. Quid autem carius eſſe potuit hac re, quæ tam multis rationibus nobis commendatur? Cùm aliquis vir prudens alicuius litis cauſa, quam tractet, ſępe Romam it, reditqúe, intelligimus negotium maximi momenti eſſe, quod in cauſa eſt, vt tam multa, tamq́ longa itinera ſuſcipiat. Cùm autem hic ſapiens Dei filius ob id in tam multa itinera ſe dederit, vt fuit ſe vſque in terram demittere, vſque ad præſepium, vſque ad Crucem, vſque ad ſepulchrum, vſque ad inferni partem, eſt argumentum, negotium maximum eſſe, cùm tantis itineribus, & impenſis illud emerit.

emerit. Quare si hic Dominus, cùm negotium suum non esset, sed tuum, sola sua bonitate tanti æstimauit; tu cuius negotium est, cuius causa est, & cuius omnis illius vtilitas, quanti vt facias, æquum est?

Vide igitur, quàm apertè ex hoc mysterio virtutis valor, & pretium cognoscatur, & quanti propter hanc causam homo illam æstimare, & emere debeat?

OCTAVVS ARBORIS SANCTAE CRVCIS FRVCTVS, *quæ Charitas est.* Cap. XIIII.

VBI vniuersim de virtutis amore, & vitij odio egimus; sequitur, vt statim de nõnullis particulatim virtutibus tractemus, ad quas magna exẽpla, & inuitamenta in Crucis mysterio inueniemus. Nam (vt dicitur) moralis doctrina, si generaliter tradatur, parum, sin particulatim, multum prodest. Quare cùm hîc de his virtutibus mihi agendum sit, ab illarum maxima incipiemus, quæ Charitas est, de cuius præstãtia in duobus libris De diuino amore, aliquid tractauimus, quos legat Christianus lector velim.

Hic tantummodò dicemus, quòd cæterarum virtutum Charitas domina & regina est, ipsa est vita, forma, anima, & pulchritudo illarum: sine qua (vt inquit Apostolus) neque fides, neque spes, neque prophetia, neque martyrium, 1. Cor. 13.
neque hominum aut Angelorum linguis loqui, neque vlla alia virtus coram Deo vllius valoris, aut momenti est. Et in primis illa est, quæ in omnibus studiosis actionibus nobis vires, & robur tribuit. Hæc enim est vniuersalis amoris conditio, vt homini in omnibus laboribus, quos pro re amata suscipit, vires adiungat. Amor nummi in causa est, vt homo ad mundi extremum proficiscatur, nihil omnino vel maris, vel terræ pericula timens. Amor in causa est, vt parentes pro filijs suis omnes molestias, & onera patiantur, seq; omnibus suis bonis priuent, vt illis subueniant: vt cùm ambulare opus sit, pedibus; cùm dare, manibus; cùm pondera tollere, humeris; cùm pericula adire, animo, & corde vtatur.

Ad hanc igitur virtutem acquirendam impedimentum, tum nostræ naturæ humilitate, tum diuinę naturæ altitudine, aderat. Cùm enim hominis spiritus ibi ligatus, & tanquam in hoc corpore materiali demersus, & nihil nisi per sensibilium imagines intelligere possit, non facilè accommodatur ad amandum, nisi quæ sub sensum cadunt: quod in spiritalibus nihil inuenit, quod tanquam per ansam accipiat, licet nobiliora sint. Cùm autem Deus altissimus & purissimus spiritus sit, & infinitè super omnes creaturas collocatus sit, & habeat aliam rationem, qua differat à creatis rebus; necesse est, vt ignaro homini videatur, inter hominem & Deum nullam esse proportionem, vt illum summo amore prosequatur, (vt ille meretur) cùm illum neque videre, neque cogitatione assequi possit, vt ea, quæ in terris sunt. Et sic de quodã simplici Eremita scribitur, qui cùm in illorum hæreticorum errore versaretur, qui in Deo humana membra ponebant, hoc errore liberatus, tam bene nequibat, sicut solebat, Deum contemplari, & conquerebatur inquiens: Heu, quis mihi Deum meum eripuit?

Quod autem huic humanæ ruditati remedium est? Hoc diuina sapientia

valde accommodatum incarnationis mysterio inuenit: per quod idem Deus carne indutus est, & in hoc mundo cum hominibus conuersatus est. Et hac ratione homo iam ex carne, quæ nihil, nisi quod esset carne inuolutum, amare sciebat, Deum hoc pallio indutum habet, quod ita ad illius naturam accommodatum est. Hac autem ratione ille purissimus spiritus se hominibus amabilem fecit, qui nihil, nisi quod ex carne esset, amare sciebant. Quod (vt postea dicemus) nobis illum calorem significat, quem illius infantis mortui caro
4. Reg. 4. accepit, qui hospitæ Elisei fuit, cùm Propheta se super illum extendit.

Hic etiam illud valde consideratione dignum est, quòd præcipua difficultas, quam homo experiebatur dum se attollebat ad hunc altissimum spiritum amandum, in eo erat, quòd cùm spiritus altissimus esset, proprietates, & conditiones ignoraret, quas cum hominibus habet, cùm illa substantia infinitè nostræ substãtiæ antecedat, & ita existimaret, nullam nostro amori proprietatem accommodatam ibi esse. Vt autem nos de hoc errore extraheret, & hoc impedimentum tolleret, de sui Patris sinu Dei filius in hunc mũdum descendit, & tanta charitate, tanta mansuetudine & humilitate, tanta pietate & facilitate, & cum visceribus misericordiæ, & humanarum miseriarum dolore, tanto nostrarum animarum salutis zelo conuersatus est, vt omnes illius vitæ sanctissimæ gressus in eo fuerint, vt corporum morbos curaret, & ani-
Luc. 19. marum salutem procuraret. Quid autem de misericordiæ visceribus dicam, quam ostendit, cùm ciuitatem Hierusalem vidit, illius euersionem deplorãs?
Luce 23. Quare prima verba, quæ in Cruce dixit, illa fuerunt, quibus Patrem pro ijs rogabat, quibus non satis erat tunc videre eum pati, sed & cum illudebant. Quid de illa profunda humilitate dicam, quam eodem die ostendit, cùm re-
Ioan. 20. surrexit, Magdalenam cum his mandatis mittens: *Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Quæ autem maior humilitas, & facilitas, quàm Dominum omnis creaturæ rudes piscatores suos fratres vocare, cùm præsertim duobus ante diebus ei tam infideles fuerint, vt passionis tempore terga verterint, & in medio suorum inimicorum eum reliquerint? Tandem tanta fuit illius pietatis, & misericordiæ in infirmos facilitas, præsertim in primo eius aduentu, quòd propter hanc causam in sacris literis tam noui, quàm veteris Testamenti Agnus dicitur. Sic enim eum vocat Isaias, sic & sanctus Baptista Ioannes, & sanctus
Isa. 32. Ioan. 1. Ioannes Euangelista in Apocalypsi.

Est etiam huius infinitæ bonitatis notabilis conditio, magno amore bonos prosequi, & in improbos, quatenus improbos, maximo odio affici. Harum duarũ rerum primam nobis tunc ostendit, cùm cuidam ei dicenti, quòd
Matt. 12. illius mater, & fratres eius quærebant, respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.* Quibus autẽ verbis bonorũ dignitas, & amoris Dei in illos magnitudo magis celebrari poterat? Cùm improborũ odiũ in tam acris hypocrisis reprehensionibus, auaritiæ, ambitionis, & Sacerdotũ, & Pharisæorum superstitionis declarauerit: propter quæ tam multis artibus, & vijs eum persecuti fuerunt, & non conquieuerunt, quoad illum cruci affixerunt,

& nec

& nec ibi etiam cessârunt illum suis linguis crucifigere. Idem odium præ se tulit in templum ingrediens. Cùm enim cerneret argentarias mensas, nummos, bestias, quæ in illo venales erant, scuticam confecit ex funibus, qui ibi erant, & magna seueritate, verberumq́ vi mercatores de templo eiecit, illorũ mensas, & sedes euertit, & pecuniam profudit, quæ super mensas erat. Quis autem ex hac tanta punitione non cernit, quàm hic Dominus ab improbis abhorreret? Ex altera autem parte, quanta fuerit illius charitas, & benignitas in bonos & malos, illis suauissimis verbis declarauit, quibus vtrosq́ ad se allicit, & vocat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Luc. 19. Matt. 11.

Nullum finem inueniremus, si virtutes, & nobilitates huius clementissimi Domini, quas in vita sua ostendit, enumerare vellemus. Quare si quis proprietates, & conditiones scire vellet, quas habuit ille altissimus, & summus Dominus erga homines, hanc Patris imaginem intueatur, & in eo tanquam in perfectissimo speculo huius Domini, qui vult amare, intimos animi sensus, & conditionem videbit. Nam reipsa talis est Pater, qualis Filius, qui de sinu Patris venit. Et sic ille S. Philippo inquit; *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Cùm autem tam amabilem se nobis hic Dei filius carne indutum ostendit, scito talem & Patrem esse, licet ab omni carne sit seiunctus, atque separatus. In quo cernitur, iure optimo Apostolum dixisse, magnum esse sacramentum, quòd se in carne ostendit: pro quibus verbis alij verterunt, *Deus se in carne manifestauit.* Ex omnibus enim Dei operibus nullum est, in quo sic Deus se mundo manifestauerit, & patefecerit quisnam esset, & suas proprietates, vt cùm misit vnigenitum filium suum, qui de sinu suo in mundum venit nostra carne indutus; vt cùm nos hac visibili forma Deum cognosceremus, nostra corda ad inuisibilium rerum amorem ascenderent. Ioan. 14. 1. Tim. 3.

Hic tantus stimulus amoris Dei à mysterio incarnationis ducitur. Cum hoc autem alios maiores ex passionis mysterio ducimus. Tria enim maximè ad aliquem diligendum nostram voluntatem mouent. Primum est bonitas, alterum beneficia, tertium amor, id est, ab illo amari. Bonitas enim primũ ita est voluntatis obiectum, vt visus color est: & ita nostra voluntas nihil, nisi quod bonum est, amare potest, vel quod speciem boni habet. Beneficia etiam tantam vim habent ad amorem ingenerandum, vt vel feræ ipsæ suos benefactores cognoscant, & diligant: quarum rerum exẽplis historiæ plenæ sunt. Amari quoque multò magis ad mutuum amorem impellit. Cuius rei illa causa est, quòd amor primũ est, & maius, & tãquam radix beneficiorũ omnium: quòd homo propter eum dat se ipsum, & sua omnia, cùm omnia (vt dicitur) sint amicorum communia. Hæ tres amoris causæ ita in Crucis mysterio reperiuntur, vt nec species quidem Dei bonitatis, & charitatis maior esse posse videatur, nec beneficium vtilius. De his tribus in præsentia agemus, licet postea de bonitate suo loco tractaturi simus. Nunc de beneficio accepto agere incipiamus.

Huius beneficij magnitudo, ex eo cognoscitur, quod nobis in eo datum fuit, & multò magis in dandi modo, & maximè in causa propter quam illud nobis dedit. Quod nobis dedit, (vt inquit Apostolus) bona incomprehensibilia sunt, sic ille inquit: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia* Ephe. 3.

hæc,

hæc, In gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit. Apertiùs autem Apostolus harum diuitiarum magnitudinem declarans, paulò ante inquit: *Deus (qui diues est in misericordia) propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia salui sumus, & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu, vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Iesu.* Hæc sunt Apostoli verba, in quibus lapsum hominem sic erigit, vt ex S. tanæ seruo Christi fratrem efficiat, & ei similem reddat, quandoquidem accipit cum illo vitam, & cum eo resurgit, & cum eo ad cælos ascendit, & in illis sedem accipit, quòd his omnibus bonis Crucis mysterio fruentur electi. Et vt omnia vno verbo complectar, hoc mysterio bona gratiæ, & gloriæ nobis traduntur, quæ duo sunt maiora, quæ Dei omnipotentia puræ creaturæ dare possit. Hæc autem gratia, quæ, vt dicunt Sancti, est inchoata gloria, nobis per Christum tam copiosè datur, quòd idē Dominus, qui eam nobis meritus est, in Euangelio inquit: *Ego sum ostiū. Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit nisi vt furetur & mactet & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

Ephe. 2.

Ioan. 10

Hæc autem abundantia, est multitudo, & diuitiæ gratiarum, & Spiritus sancti donorum, quæ nobis per Christum data fuerunt. Quæ magnis diuitijs, quæ tempore Salomonis erant, significata fuit, vbi tanta erat abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum: & cedrorum multitudo quasi ficulnearum, quæ per campos nascuntur: & hac copia, quæ ad tempus est, voluit Spiritus sanctus nobis copiam spiritualium diuitiarum gratiæ, quam nobis vero Salomone regnante, qui Christus est, daturus erat, ob oculos ponere. Quod partim in Sacramentorum virtute cernitur, quæ ei gratiam tribuunt, qui diuinè illa suscipit: & præsertim in illorum maximo, quod diuinissimum altaris Sacramentum est.

3. Reg. 10

Iam igitur videamus, per quæ media, id est, per quas molestias Dei filius hanc bonorum copiam nobis comparauerit, quæ animaduersio omniū maximè Sanctorū corda mouet. Itaq; inquit S. Bonauētura: Vide in præsenti homo, & diligenter cōtemplare mirabilia, quæ Deus in terris operatus est. Deus irridetur, vt honore afficiaris: innocens flagellatur, vt cōsolatione afficiaris: iustus crucifigitur, vt tu absoluaris: agnus sine macula occiditur, vt tibi cibū præbeat: illius latus aperitur, vt tibi potum det. Et in hanc sententiam S. Bernardus ait: Hæc singularis maiestas mori voluit, vt nos viueremus; & seruire, vt nos dominaremur; in exilium eijci, vt nobis nostram patriam restitueret; ad abiectissima descendere, vt omniū rerū dominos nos efficeret. Diuus autem Augustinus, cùm sub persona Christi sermonem haberet, eandem pene sententiam his verbis repetit: Tu cùm esses Patris mei inimicus, in gratiā cum illo vt redires, perfeci: cùm ab eo esses separatus, cum illo te coniunxi; cumq; per montes & siluas errares, te quæsiui, & super humeris meis te reduxi, & Patri meo te obtuli. Pro te laboraui, sudaui, meum caput spinis obtuli, meas manus clauis, mea tergora verberibus, meum latus lanceæ, & tandem totum meum sanguinem pro te effudi: sed heu, quòd peccando à me te seiungis.

Quid

Quid ego Domine pro tali remedio tribuam,& pro eo modo,quo vsus es, vt hoc tribueres remedium? Iure quidem,inquit S.Bernardus, nos ei totam debere vitam, qui pro nobis suam posuit; & qui tam magna pertulit tormẽta, ne tu æterna tormenta patereris. Quid igitur iam homini durum videri poterat,cùm videret filiorum hominum formosissimum velle pro eo crucifigi? O misericordiam non debitam,ô gratiosum beneficium,ô amorem nunquam cogitatum, ô miram suauitatem,Regem gloriæ mori, & crucifigi pro vili homunculo voluisse? Quàm suauis amicus, quàm potens auxiliũ,quàm prudens consiliarius, quàm magnus amator, qui cùm tam magnum se ostenderit cùm te creauit,ita se abiecit,cùm te redemit? ibi tam altus,& hic tam humilis,non tamen minùs hîc, quàm illic amabilis: ibi potens magnas res tibi dedit; hîc misericordia affectus, dura nimis pro te passus est: & vt te ad illũ locum extolleret, vnde cecidisti, te humi iacentem descendendo inuenit: & vt tibi daretur illud, quod iustè perdidisti, piè, quod tu meritus eras, ille sufferre ac perpeti voluit, idq; mors fuit, qua tu damnatus eras.

Vt autem,quanti sit hoc beneficium,sciamus, illam Christi sacratissimæ humanitatis dignitatem intueamur, quæ in hoc beneficio interuenit, quę ab illo amabatur,& omniũ rerum creatarum maximi æstimabatur. Hoc autem quisque facilè intelligere poterit ex amore, quo anima in corpus affecta est, cùm in libro Iob scribatur: *Pellem pro pelle*,(id est, frustum pro frusto) *& cũcta quæ habet homo,dabit pro anima sua*: huius amoris tam magni ratio est, quòd anima corpori suum esse, quod habet, tribuit, & ita illud, vt suam rem amat, & sui ipsius partem: vnde fit, vt cùm separatur corpus ab anima,statim corpus suum esse perdat,& vitam, quam habebat. Nunc autem animaduertendũ est, quòd vt anima dat esse corpori,quod habet; sic diuinum Verbum, cùm illam sacratissimam humanitatem humano esse spoliat,quod habere debebat, nobis suum diuinũ esse tribuit, licet illius forma non sit,vt corporis est anima; & propter hanc causam super omnia creata incomprehensibili amore diligit. Iuxta autem hanc sacram humanitatẽ,eo amore dilectam, quis exprimere poterit,quàm magnum beneficium fuerit, Dei filium rei tam amatæ vitã, vt nostram redimeret, ponere? Hoc ita breui dici potest, sed nullus est humanus intellectus,à quo intelligi possit. Quamobrem hîc exemplum effingam sensibus accommodatum, vt ruditas nostra aliquid de huius beneficij magnitudine,& de huius amoris specie assequatur. Iob 2.

In Vita S.Catherinæ Senensis scribitur,eam post patris mortem à Deo petijsse, vt eum de Purgatorij pœnis educeret. Sed quoniam mortuus non ita à suis culpis liber erat,vt esset necesse secũdùm diuinæ iustitiæ leges, vt illæ priùs purgarentur, illi responsum fuit,hæc minimè fieri posse,nisi ipsa illud sibi sumeret,vt pro eo satisfaceret, per totam suam vitam laterum doloribus patiendis.Quod virgo libenter suscepit:& ita illa hunc morbum patiendo patrem ab illo debito liberauit. Nunc autem fingamus intellectu aliquẽ virum nobilem, & virtutibus præditum in lecto decumbere grauissimis doloribus ex lapide,podraga,capite,ventriculo,& huiusmodi afflictum,& dolorum vi clamantem,Medicis illi frustra multa remedia adhibentibus. Si igitur illo ex his doloribus laborante, & tota illius familia propter domini sui dolores maximè turbata, hæc virgo ingrederetur; & illo animam agente, suis chari-

tatis visceribus commoueretur, & supplex à Deo postularet, vt illum ægrotantem tantis doloribus liberaret; seq; offerret, illos dolores pro eo pati; & hanc oblationem accipiens Deus, ægrotum liberaret tanto virginis dolore: quid ille nobilis vir, & gratus faceret, cùm hac ratione statim se sanum cerneret? Quas ageret gratias? quibus verbis tantam charitatem celebraret? quibus laboribus, itineribus, & impensis se non obligaret, vt huic virgini gratum faceret? quæ bona apud se teneret, quæ non virgini paterent? quanta veneratione eam per totam vitam prosequeretur? quàm dulces lachrymas effunderet, cùm huius beneficij, & summæ charitatis recordaretur? ad hæc omnia, quanta misericordia in illam virginem afficeretur, cùm illam ex omnibus illis doloribus, quos ipse patiebatur, laborantem videret?

Tu igitur ingrati animi homo, nescis saltem his exemplis in animo perpendere, quantum tuo Redemptori debeas? Quid enim hoc beneficium est, si cum nostræ Redemptionis beneficio comparatur, nisi parua quædam, liqui vmbra? Summa enim illius, quod in illo datum fuit, corporis salus fuit; at hîc animæ datur, quæ sine controuersia maior est: illic salus ad tempus; hîc æterna data est: illic ille ægrotus doloribus liberatus fuit, qui cum vita desinunt; hîc homo liberatur tormentis, quorum nullus finis est: ibi paupercula mulier cuiusdam infectoris filia id pati voluit, quod ille nobilis vir patiebatur, (quod sæpe accidit in mundo, quòd fidelis subditus, vt suum Regem liberaret, se morti offerret) sed hic contrà altissimus Dei filius, Rex regum, & omnis creaturæ Dominus se omnibus pœnis exposuit, quas suus vilis seruus, & ingratus merebatur, vt illum liberaret.

Hic alia est circunstantia, quæ omnes stupefactos reddere potest, quod illud est, quod tertio loco proposuimus, quod quidem (vt ante diximus) hoc beneficium maximè adauget, causa scilicet, cur hic Dominus tam duris rebus se obijcere voluit. Quæ quidem neque necessitas fuit, neque obligatio, neque humana merita, neque vtilitas, neq; gloria, quam meritus iam non esset; sed sola bonitas, sola charitas, sola pietas, sola misericordia, sola benignitas, solus nostrarum miseriarum dolor, & nostræ salutis cupiditas; & tandem (vt
Lucæ 1. inquit Zacharias) solis suæ misericordiæ visceribus ab alto nos visitauit, vt illos illuminaret, qui in tenebris, & vmbra mortis sedebant, & nostros dirigeret gressus in viam pacis. Hîc viscera misericordiæ, inquit, quòd in hac re sua aperuit viscera Deus, & ita fecit vt ille, qui cùm nihil amplius haberet, quod ei tribueret quem diligeret, ei (vt dicitur) viscera daret. Hoc est illud, quod toties in fidei Symbolo canimus, cùm dicimus, quòd hic Dominus propter nos homines de cælis descendit, & propter nostram salutem, (id est, non propter suam salutem, neque propter id, quod ad se vlla ratione pertineret) & incarnatus est, & passus, & sepultus. Quæ autem pietas, quæ bonitas, quæ liberalitas, quæ nobilitas maior excogitari potest?

Et quod magis est, cùm hic Dominus multis alijs rationibus, si voluisset, nobis subuenire posset, hanc eligere voluit, quæ sibi plurimi constabat, quòd nobis sine controuersia esset vtilior. Neque homo existimare debet se illi minus pro hoc beneficio debere, quod accipit, quòd multi alij sint, qui hoc beneficio fruantur. Nam (vt inquit S. Chrysostomus) sic fidelis Dei seruus affectus esse debet, vt tam sibi grata sint beneficia in omnes collata, vt si sibi so-

hi soli tributa essent, & pro omnibus se debere, sibi persuadeat: cùm ex illis non minorem percipiat vtilitatem, licet multi illo fruantur, quàm si solus ille frueretur. Non minorem enim vtilitatem percipit ille à Sole, qui per eius lucem cernit, vt omnes cernunt, quàm si solus cerneret. Hæc Chrysostomus.

Hæc igitur cùm ita se habeat, cur huiusmodi Domini causa non languemus? cur vt cera ad ignem non liquescimus, huius amoris causa? cur mille martyria pati pro eo non cupimus, qui tam multa pro nobis passus est? Qui fieri potest, vt huius beneficij memoriam vlla obliuio deleat; & nostrum os in huius Domini laudibus cesset? Qui fieri potest, quin illa Moysis verba emittamus, cùm huius mysterij in monte figuram vidit, magna voce magnitudinem misericordiæ exclamans, quæ illic sibi patefacta fuit? Qui cum hoc Domino non patimur, cùm hunc Dominum oppressum, & circunuentum tam multis angustijs, & doloribus causa nostra videmus; cumquè nostram causam susceperit, vt pro eo quod Dominus patiebatur, suus seruus liberaretur? Omnes igitur cum S. Augustino dicamus: Admiremur, gaudeamus, amemus, laudemus, & adoremus hunc Dominum; cùm illius morte, à morte ad vitam perducti simus, à tenebris ad lucem, ab exilio ad patriam, à corruptione ad incorruptionem, à lachrymis ad lætitiam, ab æterna miseria ad perpetuam gloriam. Quod erit tam lapideum cor, quod huius beneficij magnitudine non molle fiat, & huius amoris igne non delectetur? Nunc Domine mi Iesu Christe, qui tibi mea causa parcere noluisti, te rogo, vt ita meum cor tuis vulneribus afficere velis, & tuo sanguine ita me inebriare, vt quocunque oculos conuertam, te crucifixum videam: & quidquid ego videam, tuo sanguine tinctum mihi videatur; vt totus in te conuersus nihil extra te videam, nihil nisi vulnera tua cernam. Hæc Domine sit mea consolatio, tecum crucifigi; & hæc intima sit mihi afflictio, quid, quod extra te sit, cogitare. Id quodammodò satis sit ad huius beneficij magnitudinem intelligendam, & illius donatorem diligendum. Exo. 34.

Nunc autem aliam amoris causam videamus, qui est incomprehensibilis amor, quo hic Dominus nos prosecutus est. Cùm autem multa media sint, per quæ hic amor dignoscitur, ex præcipuis tamen est, molestias perpeti pro re amata, & præsertim vitam profundere. Vnde dixit Dominus: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Vt autem id meliùs declaretur, sciendum est, quòd Philosophi in rerum cognitione duplici via vtuntur: nonnunquam enim ab effectuum cognitione ad causarũ cognitionem, nonnunquam à causis ad effectus procedunt, quæ ratiocinandi via nobilior est. Ioan. 15.

His autem ambabus rationibus hic vtemur, vt ad huius amoris magnitudinis cognitionem perueniamus: qui tantus est, vt (teste Apostolo) omnem non solùm hominum, sed etiam Angelorum cognitionem facilè vincat; qui licet magnum intellectum habeât, huius tamen charitatis magnitudinem nõ penetrant. Quòd si angelicus intellectus non potest ad hanc cognitionẽ peruenire, multò minùs homo, qui tam terrestris est, & tam debilis in humanis rebus cognoscendis, id assequi poterit. Ephe. 3.

At ne penitus hac cognitione careamus, ad quam tam multa necessaria

sunt, hic tres maximas coniecturas apponam, quibus huius charitatis magnitudinem, & animi propensionẽ, qua hic Dominus se pro nobis omnibus molestijs obtulit, cognoscamus.

Prima est magnitudo gratiæ, & charitatis, quæ illi data fuit; quæ tanto interuallo Sãctorum charitatem, & gratiam antecedit, quanto Solis lumen stellarum lumini excellit. Quòd si multi sancti Martyres parua huius charitatis, quam habebant, parte tam læto animo, tantoq; robore omnibus omnium crudelissimis tormentis se offerebant; qua animi promptitudine, & cordis fortitudine hic Dominus crucis martyrio propter sui Patris gloriam, & mundi salutem se obtulit, cùm tantò maiorem charitatem, & gratiam, quàm illi haberet? Id quidem aliquo modo coniectura possumus prosequi, sed neque comprehendere, neque verbis exprimere possumus. Anima quidẽ pia in hac tanta abysso se immergere potest, vt inde promptitudinem cernat, & deuotionẽ, qua hic magnus amator omnibus incursibus, & telis membrorum Satanæ, pro nostra salute, se offerebat.

Secunda satis notabilis coniectura, est beneficiorum magnitudo, & multitudo, quam hæc sanctissima anima primo suæ conceptionis instanti accepit, quam copiosiùs alio loco tractauimus. Hic autẽ breui dicemus, quòd omnes thesauros, diuitias, & amplitudines, quas Deus habebat, in illa sacra humanitate ante omne meritum collocauit. Post enim omnium gratiarum maximã, quam Dei omnipotentia dare potuit, (quæ fuit cum diuino Verbo vnio in eadem persona) erat compertum, quòd illi sanctissimę animæ omnia ornamẽta, gratiæ, & diuitiæ, quæ animæ cum huiusmodi Domino in vnitate personæ desponsatæ conueniebant, dandæ erant. Cùm autem hæc sanctissima anima tam multis priuilegijs, & donis, prę omnibus meritis, se auctam videret, quo amore tantorum bonorum datorem prosequi deberet, quo ardore expeteret tanto benefactori grata esse, eumq; gloria afficere? Cùm autẽ intelligeret, nullam se maiorem gloriam dare posse, maioremq; vtilitatem afferre, quàm erat animas sanctificare, & ad ipsius cultum, & obedientiam perducere, idq; omne suæ passionis sacrificio faciendum esse: qua voluntate, qua deuotione, quo animi ardore se hic passioni offerret, qua æternus Pater gloriam consequeretur, & homo tam copiosè redimeretur? Quis autem intellectus id pro rei dignitate æstimare poterit?

Tertia huius amoris coniectura, est perfectissima Christi, quatenus homo est, obedientia. Ex omnibus enim virtutibus, quæ in Sanctorum vitis magis
Ezech. 1. splendet, perfecta obedientia fuit, vt illa mysteriosa Ezechielis Prophetæ animalia nobis significant, de quibus dicit: *Et vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat: vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur: nec reuertebantur cùm ambularent.* Hoc quoque prompta illa obediẽtia Abrahæ nobis declarat, qui
Gen. 22. cùm Dei vocem audiret, qui ei iubebat, vt suum peramatum filium sacrificaret, in posterum diem negotium non distulit; sed statim diluculo surrexit, & cum filio ad montem profectus est, vbi illum sacrificaturus erat. Quòd si talis erat Sanctorum in Deum obedientia; quænam erit Sãcti sanctorum, qui tantò maiorem charitatem, & gratiam habebat? Huic autem tam obedienti filio iussit illius æternus Pater, vt homines diligeret, & ita diligeret, vt in se omnia illorum debita reciperet, atque peccata, & pro illis mortis sacrificio se offerret.

ret. Sic ille apud S Ioannem dicit: *Potestatem habeo ponendi vitam meam, & iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Cùm igitur tanta sit Christi obedientia in Patrem suum; quo amore nos diligeret filius tam obediens, qua voluntate se morti, quæ sibi mandata fuit, offerret? Ioan. 10.

Sed quò hęc charitas magis incomprehensibilis est, eò nobis hunc Dominum amabiliorem reddit. Quamobrem simplicis mortis sacrificio non contentus, illi tam multas iniurias addere voluit, & dolores, vt nulla pars in suo corpore sine tormento remaneret; neque in illa Republica vllus hominum ordo, qui non, vt ille affligeretur, conspirasset. Herodes rex illum illusit, Præses iudicauit, Discipulus vendidit, Apostoli eum deseruerunt, Pontifices & Pharisęi accusauerunt, Gentiles flagellârunt, furiosi populi voces condemnarunt. Quid de totius sacratissimi corporis tormentis dicam? Illud corpus (vt inquit S. Bernardus) quo cęli potestates tremunt, crudelibus spinis pungitur: illa facies, omnium filiorum hominum formosior, sputis illorum infernalium orum fœdatur: oculi Sole splendidiores, mortis præsentia obscurantur: aures, quę Angelorum cantus audiunt, irrisiones audiunt, & peccatorum blasphemias: os, quod supernos spiritus docet, felle & aceto amarum factum est: manus, quæ tot ęgrotos curârunt, duris clauis affixæ sunt: pedes, quorum scabellum adoratur, quod sanctum est, vtrinque perforati ligno affixi sunt: sacrum latus lancea percussum; Spiritu sancto corpus conceptum, nudum frigori, & aeri, & omnium visui expositum est: omnia illius membra, & ossa ita distenta sunt, vt (quemadmodum Propheta inquit) singula dinumerari possent. O Psal. 21. amor, qui omnia vincis, cur tantopere sæuis in eundem fontem, ex quo manas? Quousque innocentem persecuturus es? quousque, cùm sis tam dulcis, & suauis omnibus, tibi, à quo proficisceris, tam crudelis es? Dulcis autem Iesus tantæ dolorum vi non aduersatur, neque tanto pœnarum & afflictionum imbre ab incœpto deterretur: imò incomprehensibili nostræ salutis desiderio, pro ea omnia perpessus est. Nemo enim huius vitæ amator tam viuere cupit, quàm hic Dominus mori desiderauit, vt nostris animabus vitam, & salutem afferret.

Qui his sui corporis sacratissimi doloribus non contentus, animum molestijs liberum habere noluit, quem quidem tribus clauis intimę misericordię affectum habebat. Primus erat innocentissimæ matris, quę aderat: quam ęterno Patre excepto prę omnibus creaturis amabat; & ita ab illa amabatur: & ad normam huius amoris erat vtriusque dolor. Itaque inquit S. Chrysostomus, quòd nos debeamus in hoc mysterio duo altaria cōtemplari, in quorum altero filij caro sacrificatur, in altero matris anima. Alter clauus erat misericordia, qua in illos erat affectus, quos huius beneficij ingratos futuros certò sciebat, & hoc tantum, tamque copiosum remedium in suam vtilitatem conuersuri non erant. Tertius, erat dolor ex cæcitate illius infelicis populi, cùm videret fore, vt paucis pòst diebus propter illud tantum peccatum penitus deleretur: ex cuius perditione tanto dolore afficiebatur, vt primum verbum in cruce prolatum fuerit, vt pro illo oraret, tanquam pro re, qua maximè doleret. Lucæ 23.

Sed quia nos offendimus Deum omnibus nostris sensibus, & membris, ex illis arma (vt inquit Apostolus) facientes, vt peccato seruiamus; suorū mem- Rom. 6.

brorum tormentis his omnibus offensionibus satisfacere voluit: vt veri corporis tormenta pro peccatis membrorum corporis mystici, quod totum humanum genus est, satisfacerent. Hoc modo, fixis manibus clauis, pro malis actionibus, quas nostræ commiserunt, satisfecit; pedibus in ligno affixis, pro malis nostrorum vijs: lancea sui sacrati pectoris, pro nostrarum cogitationũ turpitudine; tergoribus verberibus laniatis, pro nostræ carnis sensualibus delectationibus; lachrymosis oculis, pro nostrorum cupiditate, & curiositate; sui oris felle, & aceto, pro illectamentis nostrę gulæ, & appetitibus; irrisionis purpura, pro nostrorum ornamentorum vanitate; sui diuini vultus sputis, & spinea corona, pro omni muliebri mundo, quo mulieres vtuntur, vt inimico formosus laqueus sint.

Illius ardentissima charitas (vt diximus) harum omnium molestiarũ causa
Exod. 10. fuit; quę in illo vento comburente figurata fuit, quem Deus precibus Moysis misit, qui locustarum multitudinem, quæ Ægypti terram deuastabant, rapuit, & in mare rubrum demersit. Quid autem hoc consilio indigebat Deus, vt terram illa plaga liberaret, cùm tam facilè posset omnes illas locustas perdere, quàm facilè eas producere potuit? Voluit autem sic fieri, vt Christi charitatis ardor sic nobis significaretur; quæ in causa fuit, vt omnia peccata in se susciperet, quæ longè magis quàm locustæ animarum pulchritudinem deuastãt. Quę quidem in mari rubro demersit, siquidem ea sacrificio pretiosi sanguinis deleuit. Hoc est illud, quod apertioribus verbis docuit Apostolus, cùm dixit:
Heb. 9. *Si sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?* Illud quidem compertum est, quòd quantum inter sanguinem & sanguinem interest, tantundem inter sacrificium & sacrificium, quod omnes hominum intellectus facilè vincit.

Hoc autem cùm ita se habeat, quis erit tam inhumanus, vt talem amatorem non amet? quis non amabit talem Redemptorem? Quis tam lapideum cor habebit, quod huius ignis calore non molle reddatur, cùm per eum lapides molles fiant? Quis pro sui Domini gloria pati non procurabit, quod Dominus pro suo vili seruo passus est? Quis illa sacratissima vulnera non complectetur, atque osculabitur; & illum pretiosissimum sanguinem, quo lauatus & redemptus fuit, non adorabit? Quis eum non fidenter amabit, & sine vtilitatis spe, qui pura gratia sic nos amauit, sic nobis opem tulit, sic nos liberauit, sic honorauit, sic nos sibi coniunxit, sic eum suo Patre reconciliauit, & sic nos in nostram patriam reduxit? Quis tam cæcus erit, qui ex omnibus dictis non videat, quàm magnos stimulos, & inuitamenta nobis Crucis mysterium ad Deum diligendum præbeat? Quis non videt iure hunc
Lucæ 12. Dominum dixisse, se venire, vt in terris amoris ignem poneret, velleque, vt
Ioan. 12. arderet? id tandem quod alio loco dixit: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Quibus viribus? quibus catenis? Charitatis vi, & amore, qui omnia vincit.

Quare iure optimo S. Bernardus exclamat, inquiens: O bone Iesu, quàm suauiter cum hominibus conuersatus es, quàm benignè illis tam largas, & copiosas gratias fecisti? quàm fortiter tam multa calamitatum genera pro illis passus

passus es, dura verba, & duriora verbera, & durius mortis tormentum? O duri filij Adę, quorum corda tanta benignitas, tanta flamma, & tantus amoris ignis, & tantus amator emollire non potest, qui pro tam vilibus supellectilibus, tam pretiosas merces dederit. O bone Iesu, quid tibi cum morte est? quid cũ verberibus? Nos debemus, & tu soluis; nos peccamus, & tu pateris. Opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo. Quare tu homo ingratus, si te amas, cùm te ipse perdideris, cur non eum amas, qui te restituit? Quòd si ille Dominus tantum nos amauit, qui nihil sumus, (& quòd sumus improbi, minus etiam, quàm nihil) cur illum non amabimus, qui summè bonus est, cùm illud, quod hoc tanto beneficio spectauit, fuit, nos suo amore inflammare, & perpetuò nos secum coniungere, & tandem nos eiusdem suæ gloriæ, & beatitudinis participes facere?

Quidquid hactenus dictum est, eò spectat, vt nostra corda in eum Dominum inflammemus, qui ita de nobis bene meritus est, & tantopere nos dilexit: & vt ita nos roboret, & animet ad omnes labores perpetiendos pro eo, qui nostra causa tam multos passus est: cùm (vt inquit S. Gregorius) Dei amor nunquam otiosus sit, imò magna operatur, si amor est: quòd si non operatur, amor non est. Quid autem hîc de humana malitia, & peruersitate dicam? Quæ inde se oblectandi, & conquiescendi occasionem accipit, vnde laborandi maximè sumere deberet? Sed quoniam hæc peruersitas est omnium, quæ nunc in mundo sunt, malorum maximum, ex professo in sequenti capite disputabimus.

NONVS CRVCIS ARBORIS FRVCTVS, QVAE Spes est. Cap. XV.

PRAETER charitatem, Spe quoque illius sorore nobis opus est. Cùm enim propter peccatum tam nudi, & pauperes simus relicti, nullum aliud profugium nobis reliquum erat, nisi oculos ad cęlum extollere, & ab eo ad hæc omnia auxilium sperare, quorũ multa ab eo tantùm curari possunt. Vt in hac lachrymarum valle, vbi peregrinamur, & in hoc tempestuoso sinu, vbi nouæ tempestates quotidie oriuntur, hic anchora sit (vt vocat Apostolus) Heb. 6.
qua nos tutos reddere debemus. Sic omnes testantur sanctæ scripturæ. In quam sentẽtiam inquit Deus per Isaiam, cùm verba faceret cum populo suo, Isa. 30.
quòd in spei virtute erit fortitudo. Et Dauid inquit: *In pace in idipsum dormiam* Psal. 4.
& requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Huiusmodi autem auctoritates multas in Psalmis inueniemus: vix enim vllus reperitur, qui de hac virtute mentionem non faciat.

Hic autem animaduertendum est, quatuor esse pręcipuas huius virtutis materias: Prima est de futura beatitudine; Secunda, de peccatorum venia, quæ fructus huius spei impedimenta sunt; Tertia, nostras petitiones audiri; Quarta, in nostris tentationibus, & calamitatibus Deum nos tueri, & nobis auxilium ferre. Ad hæc omnia, & alia huiusmodi hęc virtus se extendit, & ad omnia in arbore sanctæ Crucis multa habemus, quibus nos sustentemus, & excitemus.

Inter has autem spes prima præcipua est, quę vitæ æternæ, & beatificæ Dei visio-

visionis spes est, ad quam cęterę hæ spes ordinantur, & hęc maximopere necessaria est; siquidem spe prǽmij remota, nullus futurus sit, qui bene agat. Hoc autem præmium essentialiter in diuinæ substantiæ visione consistit. Ex quo necesse est, vt ipse Deus intellectum humanum lumine, quod glorię dicunt, erigat, & roboret; quodqúe eadem diuina substantia sine vllo medio nostro intellectui iungatur, qua deificatus, & Deus effectus, possit eo modo Deum videre, vt in sua gloria & pulchritudine est, vt eum Angeli vident. Hæc vnio est omnium rerum admirabilior, & ineffabilior, & hominum opinioni incredibilior: tum propter inifinitam inter diuinam, & humanam naturam distantiam, qua inter se copulari debent; tum etiam propter nostri intellectus conditiones, & humilitatem, qui spiritualium rerum essentiam sine figuris, & imaginibus corporeis, penetrare, & intelligere nequit. Nam (vt inquit S. Thomas) difficilè fieri poterat, vt homo tam altam, tamqúe admirabilem vnionem crederet, & speraret, alia vsus est Deus admirabiliori, quæ diuini Verbi vnio cum humana natura fuit, ne desperet homo, vnum cum Deo fieri posse per gratiam, cùm Deum per naturam hominem esse factum cernat. Nam (vt ait S. Chrysostomus) multò maius est Deum hominem fieri per naturam, quàm hominem per gratiam Deum fieri. Cùm autem alterum factum esse cernamus, æquum est, vt alterum speremus, cùm præsertim alterum alterius causa sit: mysterio enim huius vnionis Dei cum homine, homini sui intellectus vnio cum Deo datur.

Neque minor est spei difficultas in cæteris, quas diximus, materijs. Nam vt homo debet suo intellectui vim afferre, vt, quod non videt, credat; sic & voluntati, vt speret, quod non possidet: pręsertim cùm nobis omnia humana subsidia, & auxilia deficiant, & nullibi vllus lucis radius, aut remedium appareat. Hoc enim tempore difficile est facere, quod fecit Abraham, quod est spem contra spem habere; id est, cùm nulla ratione remedium appareat, nullaq; humana prudentia, id à diuina misericordia tantùm sperare. In hac autem re quænam auxilia maiora dari potuerunt, quàm quę in Crucis mysterio nobis data sunt? Omnes enim stimuli, & omnia inuitamenta, de quibus antea mentionem fecimus, quę nos ad diligendum Deum excitant, eadem ad sperandum in eo nos impellunt. In quo enim magis confidenter sperabo, quàm in tam bono Deo? in tam largo benefactore? in tanto amatore? in Patre æterno diuiti, tamq; pio, & potenti? Quòd si in nullo alio filius maiorem spem habere potest, quàm in suo patre; cur ego in illo non sperabo, qui tantò magis pater est, & tantò magis me amat, & tantò melior est, & tantò maiora beneficia in me contulit? Hoc argumentum est, quo idem Dei filius in Euangelio vsus est, cùm dixit: *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quantò magis Pater vester de cælis dabit spiritum bonum petentibus se?* Quid autem à patre tam pio, qui nobis proprium filium dedit, sperari non poterat? Quo argumento S. Paulus vsus est, cùm inquit: *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Quasi diceret, qui plus, & tantò plus dedit, cur minus, & tantò minus, non dabit? Quidquid enim aliud dari potest, licet multum sit, parum est, si cum eo comparetur, quod nobis datum fuit, cùm Dei filius nobis datus est. Tandem si hic Domi-

Rom. 4.
Lucæ 11.
Rom. 6.

Dominus tanto suo pretio nobis tam multas gratias fecit, qui fieri potest, vt nunc tam strictus sit, cùm iam impensam fecerit? Hoc est nostrę spei præcipuum fundamentum, & nostræ facultatis præcipua sors. Quis autem tam afflictus erit, tantaq; molestia in suis tribulationibus, & petitionibus affectus, qui non his Dei misericordię, & paternæ prouidentię pignoribus, & obsidibus gaudeat, & animetur? Qui hoc modo non erigatur, quis erit?

Hoc autem loco materia maxima commiseratione digna nobis offertur, quæ est humani cordis abusus, atq; peruersitas, de qua in fine superioris capitis mentionem fecimus, quòd in huius beneficij magnitudine fisus, inde occasionem perseuerandi in peccatis sumit. Nam si ab omnibus latronibus, & homicidis petieris, cur per totam vitam suam in suis sceleribus perseuerent, & quo pacto se saluos fieri malè viuendo putent, statim ad Christi fidem, & illius sacræ Passionis spem te conuertunt. Vt cùm illa sit maior virtutis stimulus, & incitamentum Dei timoris, ita Dei consilium, & beneficium peruertunt, & detorquent, vt medicinam in toxicum conuertant, & in peccandi incitamenta, quę vt ei seruiremus, illumq; amaremus, esse deberent.

Hoc fuit, & nunc etiam est nostri aduersarij omnium maximum bellicum tormentum, & stratagema, qui sua improbitate cum diuinæ bonitatis magnitudine competere vult. Nam vt huius munus est, ex malis bona percipere; sic contrà inimici malitia è bonis mala capere solet. Hac ratione facit, vt ex sanctis scripturis (quæ nobis ad nostræ vitę lumen, & vsum datæ fuerunt) hæretici errorum tenebras collegerint, & nostræ vitę peruersitatem, diuina verba corrumpentes, & frangentes, vt in illis suas deceptiones fundarent. Eadem quoque astutia fecit, vt ex diuinissimo Crucis mysterio (quę tam multa virtutis incitamenta nobis dedit) improbi rationes, & argumenta percipiant, quibus in suis vitijs perseuerent. Cùm enim omnes homines, quamuis improbi sint, ex altera parte se saluos esse desiderent, & ex altera virtutis iter renuentes, quòd suis appetitibus contrariæ sunt, ad id profugerunt, vt ibi consolationem & securitatem in suis sceleribus inuenirent, dicentes iã Christum pro se soluisse; vt si ob id Christus in mũdum venisset, & tam multa passus esset, vt homines vitiosos, errantes, inertes, & omnis studiosi laboris inimicos redderet.

Omnes autem sanctæ scripturę contra hanc deceptionem contendũt, quæ toties nos ad bonas actiones hortantur, & Dei timorem cum spe coniungunt: vt alterum tanquam alterius correctiuum sit. Sic inquit Dauid: *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Et probè dicit, sacrificate; vt sanguinem significet, & molestiam, quam hoc sacrificij genus habiturum est. Et alio loco; Lętantur, inquit Deus, qui timent eum, & in misericordia sua sperant. Et Dominus in Euangelio iussit, ne soliciti essemus dicentes, Quid manducabimus aut bibemus, & ita concludit: *Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Quare vt confidentia tuta sit, vt cum iustitia sit coniuncta necesse est. Alio verò loco cùm de illis ageret, qui in nouissimo die miracula, quæ faciebant in virtute fidei, quam habebant, adducturi sunt, tunc se illis responsurum esse inquit: *Nunquam noui vos: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* In sententia autem damnationis malorum, & salutis bonorum, quid aliud eo die referendum est, nisi misericordiæ opera, vel facta, vel

Psal. 47. Psal. 32. Matth. 6. Matth. 7. Matt. 25.

Matt. 16. vel omiffa? Et cùm idem Dominus dicebat, *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*: hortabatúrne nos ad quietem, an ad laborem? Et ne quis putaret id folùm difcipulis dici, fcriptum eft, po-
Mar. 8. pulum, qui tum aderat, vocaffe, quando id dicere voluit, idq́ue omnibus dixiffe.

In veteri autem Teftamento malorum facrificia, & preces, & cantus, & dies feftos, quos Sabbathis celebrabant, & primis menfium diebus, & cętera huiufmodi officia negligebat. Si quis autem petit, quid illi placeat? per Ifaiam
Isa. 1. refpondet; Lauamini, & confcientias veftras emundate, & tollite fcelera veftrarum cogitationum à meis oculis: malefacere definite, & benefacere difcite: Iuftitiam facite, oppreffo fuccurrite, orphani caufam iudicate, & viduam defendite. Quo facto, arguite, id eft in lite, & termino, vos ipfi ponite, nifi vobis veftra peccata ignouero. Et Propheta Micheas docens, quonam modo homines forent fuo Creatori grati, vbi multa facrificiorum genera declara-
Mich. 6. uit, omnia colligens inquit: *Indicabo tibi ô homo quid fit bonum, & quid Dominus requirat à te, Vtique facere iudicium, & diligere mifericordiam, & folicitum ambulare cum Deo tuo*. In illo autem verbo, *facere iudicium*, fignificat nobis non viuendum effe fecundùm noftræ carnis appetitum, fed fecundùm iudicium rationis, & diuinæ legis.

Cùm omnes igitur fcripturæ clament, & doceant, quòd noftræ falutis remedium in bonis operibus confiftit, contrà verò in malis noftra perditio; quomodo potuit dæmonium ita hominum intellectus cęcos reddere, vt fola Chrifti Paffionis confidentia, aratro manibus non admotis, imò ab omni opere remotis, & in fuis vitijs perfeuerantes, fe fore faluos exiftimarent? Quis potuit ita humanos intellectus diftorquere, vt in illos huiufmodi deceptio caderet, omnibus fanctis fcripturis, Dei bonitati, rationis lumini, communi hominum confenfui, omnibus Sanctorum exemplis, & tandem omnibus diuinis, & humanis legibus, quæ nos ad virtutis amorem, & vitiorum odium hortantur, contraria?

Hac de caufa S. Bernardus intelligens duos Chrifti pedes mifericordiam, & iuftitiam, (vt alio loco diximus) nos hortatur, ne alterum fine altero adoremus, aut ofculemur, id eft, ne tantùm pedem iudicij complectamur, ne defperemus; neque mifericordiæ tantùm pedem, ne in præfumptionem incidamus. Vult, vt hæ duæ virtutes forores femper fint, & fimul femper eant; quòd ex illis tota vitæ Chriftianę adminiftratio pendet. Pœnæ enim timor, & pręmij fpes, funt tanquam duo horologij pondera, quę efficiunt, vt ordine moueatur; & tanquam duo calcaria, quę nos per viam dirigunt, quæ in vita definit.

Et quemadmodum Crucis myfterium magnos habet ftimulos ad fpem, fic ad timorem quoque magnos habet. Nam fi fummum diuinæ iuftitiæ ius timendum eft, quod maius fuit ius, quàm illud, quod Deus in humeris filij fui aduerfus peccata fecit? Quæ maior fuit iuftitia, quàm cùm filius fuus effet in horto tanto angore affectus ante mortis horam, & fudaret ita, vt fanguinis guttæ deciderent in terram, cumq́ue illam naturalem benedictæ fuæ carnis propenfionem, quæ naturâ mortem refugiebat, æterno Patri afferret, & peteret, vt ille amaritudinis calix à fe tranfiret; tamen fummum ius fuum

ita

ita conseruaret, vt homini ignoscere nollet, nisi sui vnigeniti filij morte sibi satisfactum esset? Præterea si in Crucis mysterio facilè cernitur, quanta sit peccati malitia, & quanto odio Deus illud prosequatur, (vt antea dictum est) quis erit ita sine sensibus, qui solo peccati nomine non tremat? Quòd si tam seuerè æternus Pater vnigenitum suum filium punit, qui nunquam peccatum fecit; (quòd se pro præde nostrorum peccatorum obtulerat) quo modo improbum seruum afficiet, cùm illum suis proprijs peccatis onustum videbit? Propter enim hanc causam mulieribus, quæ illum flentes sequebantur, dixit: *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me: sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce, venient dies, in quibus dicent, Beata steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt: in arido quid fiet?* Lucæ 24.

Quòd si in Deo omnes virtutes pares sunt, (cùm in illo omnes eiusdem essentiæ sint) illud sequitur, tantam illius iustitiam fore, quanta & misericordia est. Quòd si illius misericordia tanta fuit, & tam admirabilis, vt sanctę Crucis mysterium nobis declarat; quanta illius iustitia futura est, cùm tanta sit, quãta misericordia? Nam vt ab vnius brachij quantitate, quãta sit alterius quantitas, cognoscitur, cùm vtraque æqualia sint; sic à misericordiæ magnitudine iustitiæ magnitudo dignoscitur, cùm vtrĘque eiusdem magnitudinis sint; nisi quòd alterius dies iam elapsus est in primo aduentu, & alterius nondum venit, qui dies vltionis erit.

Quòd si quo die hic Dominus suæ misericordiæ magnitudinem declarare voluit, tam multa horribilia fecit, vt omnes creatos intellectus stupefactos redderet; cùm secundi aduentus dies venerit, in quo suæ iustitiæ magnitudinem declaraturus est illis, qui misericordiã renuerunt, quænam futura sunt? licet id non remoueat maiorem propensionem ad ignoscẽdum, quàm ad puniendum. Imò quod duriorem tūc iustitiam efficiet, erit huius misericordiæ magnitudo. Nam cùm ille in homines tam magnum beneficium contulerit, illos ad se diligendum lacessiuerit, tantamq; benignitatem, & misericordiam in illos adhibuerit, tam multa remedia ad salutem illis tribuerit, tantamqúe lucem, tam multa exempla, tam multa Sacramenta, tantam gratiam, tantam doctrinam dederit; tamen tam beneficiorum immemores sint, & huiusmodi exemplorum, & remediorum contemptores, id illorum causam grauiorem efficiet, vt qui minus excusationis habeãt, vt inquit Dominus: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Ioan. 15.

Hoc illud est, quod vult Apostolus vt diligenter animaduertamus, cùm declarata gratia, quæ ad nos per Christum venit, nobis suadet, vt elaboremus, ne ab illa cadamus: quòd si Deus voluit, vt antiqua lex integrè seruaretur, quodqúe illam non seruantes iustè punirentur, quantò magis nos, si hanc tantam salutem neglexerimus? Hanc eandem sententiam repetit paulò infrà, alijs verbis inquiens: *Irritam quis faciens legem Moysi: sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur. quantò magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Huius rei illa ratio est, quòd (vt inquit Saluator) cui multum Hebr. 10. Lucæ 12.

datum eſt, ab eo multarum rerum ratio poſtulanda eſt. Hoc autem cùm ita ſit, quam rationem reddent mali Chriſtiani eius, quod acceperunt, cùm illis mors, & ſanguis filij Dei datus fuit?

Hoc eò fuſiùs tractatũ eſt, vt deceptio, & dolus, & vana confidentia, quam homines in Chriſti Fide, & Paſſione habent, & ob id in ſuis peccatis perſeuerant, tollatur: cùm hæc ſacra Paſſio ſit maximus ſtimulus, & incitamentum ad illorum odium, atque timorem.

DECIMVS ARBORIS CRVCIS FRVCTVS, QVI Humilitatis virtus eſt. Cap. XVI.

LIA quoque virtute nobis opus eſt, quæ licet non ſit ex Theologicis, altiſſima tamen & maximè neceſſaria eſt; quæ humilitas eſt, cæterarum virtutum cuſtos, atque fundamentũ. Nam quemadmodum hominis caſus à ſuperbia profectus eſt; ſic remediũ, & medicina ab humilitate proficiſci debet. Quæ virtus cùm ſit maximè neceſſaria, maxima cum difficultate etiam illam conſequimur, nõ ſolùm ob noſtræ naturę corruptionem, (quę per ſuperbiam cùm ceciderit, illius antiquę malitię reliquiæ in ea remanſerunt) verùm etiam ob quandam vehementiſſimam animi perturbationem, quæ in nobis eſt, noſtræ ſcilicet pręſtantiæ amor, qui directim humilitati aduerſatur: & quò hæc affectio vehementior eſt, eò difficiliùs humilitatem conſequimur.

Inde fit, vt tam pauci reperiantur, qui verè humiles ſint: hinc etiam oritur maior pars diſſenſionum, & turbarum, quæ in mundo fiunt, quòd homines ferre non poſſunt, vt multi antecedant, & ipſi ſequantur. Cuius cauſa Dei filius in hunc mundum veniens, contra ſuperbiam omnia ſua cõuertit arma, & ita humilitatem commendauit, vt totum myſterium incarnationis, & paſſionis ad hũc finem ordinatum eſſe videretur, tanquam ſi ad id ſolũ veniſſet. Itaque (inquit S. Gregorius) propter hanc cauſam vnigenitus Dei filius noſtrę mortalitatis habitum induere voluit: ob id, qui inuiſibilis erat, non ſolùm viſibilis factus fuit, ſed etiam paſſibilis; & ob id dedecorum confuſionem, & iniuriarum vituperia, & flagellorum opprobria paſſus eſt, vt Deus humiliatus doceret, hominem non debere eſſe ſuperbum: & ita Eccleſia in ramorum oratione inquit, (Deum miſiſſe filium ſuum in mundum, vt humanam carnem ſumeret, & in cruce moreretur, vt ſuę humilitatis exemplum omnibus daret) hanc vnam cauſam cæteris omiſſis narrans nobis ſignificauit, ita ad hanc plagam curandam veniſſe, tanquam ſi ad id ſolum veniſſet: ab illius enim conceptionis momento, vſque ad illud, quo in cruce ſpiritum emiſit, id omne fuit, vt nobis ſummæ humilitatis exemplum daret. De cælo in terram deſcendere, & in viſceribus vnius mulierculæ nouem mẽſes commorari, humilitas fuit. Pro mortis ignominia Hieruſalem deligere, & pro ſuæ natiuitatis gloria Bethlehem, humilitas fuit. Matrem humilem deligere, & ſtabulum humile, & humile præſepium, & paſtores, qui illum conuenerunt & adorãrunt, humiles; & deinde Apoſtolos, qui eum comitaturi erant, humiles piſcatores eſſe, humilitas fuit. Vt peccatorem circuncidi, vt imbecillum in AEgyptum fugere, & inter peccatores & publicanos, vt vnum ex illis baptizari, humilitas fuit. Vt tota illius vita, & multò magis mors humilis fuit.

Qui-

Quicunque enim quamlibet partem historiæ illius sacræ Passionis animaduerterit, in illa nihil nisi opprobria, vituperia nunquam antea visa, colaphos infringi tanquam seruo videbit: in illius faciem spuebant tanquam blasphemantis: albo illum tanquam stultum induerunt, purpura tanquam fictum regem, & inter cætera flagella passus est, quæ sunt furum, & sceleratorum hominum supplicium; & crucis tormentum cum latronibus, quod eo tempore erat mortis genus ignominiosius, & turpius, vt nunc furca est. Ad hæc quid de Barrabæ competentia dicam, vbi illud innocentiæ speculum illo peius, & vita indignius iudicatum fuit? Hic autem illud adimpletum fuit desideriũ, quo antiqui illi Patres huius summæ humilitatis afficiebantur, tanquam illius antiquæ superbiæ, quæ mũdum perdidit, remedij atque medicinæ. Quod desiderium Isaias Propheta nobis ob oculos posuit, cùm dixit: *Et vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum: Despectum, & nouißimum virorum.* Isa. 53.

Hæc autem prophetia adimpleta fuit, cùm tam despectus venit, vt minoris, quàm Barrabas æstimaretur, qui omnium, qui tunc erãt, pessimus homo erat, cùm esset & latro, & seditiosus, & sanguinis effusor. Tu autem, ô Rex gloriæ, quàm desiderasti, Domine, nostram superbiam conterere, & nos humilitatis studiosos efficere, cùm tam multos stimulos, & tam multa exempla huius præstantis virtutis nobis dederis.

Tu autem, ô homo, vane, & superbe, si vel vana gloria, vel ambitione, vel superbia tentaris, ad hunc Dominum oculos conuerte, & intuere, quomodo se in Cruce habeat: non pulchris vestibus ornatus, sed nudus, & tota illius caro vulneribus affecta: non illius manus annulis, & pretiosis lapillis splendebant, sed acutis clauis perforatæ erant: illius caput non erat corona floribus contexta cinctũ, sed perforatũ, & durissimis spinis coronatũ; non aurea torque collum adornatum, sed satellitibus, qui & nodosis funibus, quo ligatus fuit, lacerabant. Illius mollia membra non erant suauibus vnguẽtis delibuta, sed fœtidis sputis, & plena liuore, atque tumida. Intuere etiam illius vultum obscuratum, lachrymantes oculos, cruentam frontem, malas consumptas, caput inclinatum, brachia distenta, pectus apertum, & laceratos pedes. Vndique, superbe mortalis, tibi humilitatem prædicant. Si hoc spectaculo humilis nõ euadis, es quidem lapidibus durior, cùm hoc die vel ipsi lapides fracti sint. Et nisi hac visione resurgis, magis mortuus es, quàm ipsi mortui, qui eo tempore de sepulchris exierunt. Et nisi hoc exemplo tuum cor tremit, es terra immobilior, quæ tum contremuit; & magis sine sensu, quàm populus, qui circunstabat, qui cùm videret signa, quæ in illius morte fiebant, cum dolore, & timore sibi pectus percussit. Cùm autẽ Dei filius ita humilis factus sit, quid, tu homo, vis esse tam superbus? Deprime miser tuam animi elationẽ, & illius exemplo vltimum delige locum; & illud pro comperto habeas, fieri non posse, vt tantum te abijcias, atq; prosternas, vt tui vilitas postulat. Confundaris vilissima creatura, cùm nolis Christum pro te crucifixum imitari.

Ad hanc virtutem imitandam nos inuitat Apostolus, cùm inquit: *Fratres, hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semet ipsum, factus* Philip. 2.

 ctus

Digitized by Google

ctus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis. Et si tibi parum videtur, quòd ipse, cùm sit Deus, & Patri æqualis, pro te seruiret Patri suo; vide quàm vlteriùs progressus sit, cùm suo proprio seruo pro te etiam seruiuerit. Conditus fuit homo, vt suo Creatori seruiret: & quid iustius, quàm illi seruire, qui te creauit, & sine quo nihil penitus esses? & quid gloriosius, quàm illi seruire, cui dum seruis regnas? Superbus autem homo dixit; Creatori seruire nolo. At ego (inquit Creator) tibi seruire volo, tu mensæ accumbe, & ego ministrabo, & pedes tibi lauabo. Tu quiesce, & ego omnia tua onera, & debita suscipiam. Me adhibe in omnibus tuis necessitatibus, vt tibi lubet, vel vt seruum, vel vt tuum præcipuum amicum. Si defessus, vel onustus es, pro te feram pondera, vt ego prior meam legem adimpleam. O cordis durities, quæ huiusmodi exemplo non fit mollis. O superbia hominis abominanda, quæ suo Domino seruire deignatur.

Matt 11. Hoc igitur cùm ita sit, iure quidem hic Dominus dicere potuit omnibus hominibus tanquam perfectus magister: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Id omne fecit hic Dominus, vt nostræ superbiæ veneno mederetur: quod huiusmodi est, vt hac perfecta Theriaca tam multis salutiferis rebus composita vix in paucissimis sanari potuerit. Hac autem quæ maior cordis durities? Vos rogo fratres (inquit S. Bernardus) ne patiamini, vt tam pretiosum exemplar vobis frustra datum sit, sed vos cum illo conformate, & reformate in spiritu vestro; elaborate, vt humilitatem consequamini, quæ omnium virtutum custos, & fundamentum est. Quid enim magis abominandum est, quàm cæli Deum paruum factum esse cernere, & vilem hominem se in terris magnum facere velle? Se ipsum demisit, & eò peruenit, vt se penè nihil fecerit, cùm ille sit, qui ex nihilo fecit omnia. Intolerabilis quidem superbia est, cùm ita diuina maiestas se abiecerit, vermiculum putridum ita se velle extollere animo, & superbum fieri.

Hic autem maximè aduertendum est, quòd hæc humilitatis virtus fortitudinis societate maximè indiget. Sine illa enim humilitas esset remissa, & imperfecta, quatenus homo suis viribus diffisus, & omnia Deo relinquês, nihil magnũ aggredi auderet. Propter hanc causam, vt sit fortitudini iuncta, necesse est; vt altera se demittendo diuinam gratiam mereatur; altera ad Deum contendens opus ipsum aggrediatur; tum ne fortitudo præsumat, si humilitate careret; tum ne humilitas sit remissa, si fortitudo deficeret.

VNDECIMVS CRVCIS ARBORIS FRVCTVS, QVAE obedientia virtus est. Cap. XVII.

1.Pet. 2. OST humilitatis virtutem, rectè sequitur obedientia legitima filia, & humilitatis fidelis ancilla: cùm nemo sit verè humilis, qui se subiectum non reddat, & (vt inquit S. Petrus) omni humanæ creaturæ Dei causa obediat. Et propter hanc causam Apostolus in superiori auctoritate adducta has duas virtutes simul iungit, cùm inquit filium Dei se humiliasse, & se obedientem vsque ad mortem, & crucis mortem fecisse.

Hæc igitur virtus nobis maximè opus est, & nullum exemplum, aut subsidium pro illa acquirenda, quàm Crucis mysterium, efficacius afferre poterat.

rat. Quod vt intelligatur, sciendum est, quòd nulla creata lingua satis est, quę exprimere valeat, quantopere homo suum Creatorē amare, ei seruire, & obedire debeat. Nam præter multas alias rationes, in hoc septem præcipui tituli sunt, quos hic breuiter narraturus sum. Primus est, mundi Monarcham, & vniuersalem Dominum, & Imperatorem esse: Imperatorem inquam non successione, nec electione, nec hæreditate, nec vi, sed natura. Id est, quod vt Angelus natura homine superior & maior, & homo belua; sic Deus sua natura est infinitè omni creatura maior, & omnium rerum Rex, & Dominus, & tanquā regi summam reuerentiam, & obedientiam ei debemus. Secundus titulus est, quòd ille omnium rerum principiū, & finis est, quòd ab illo tanquam à primo principio profecta sunt, & omnia ad illius gloriam, tanquam ad vltimū finem referuntur. Cùm autem hominis esse ab illo præcipuè sit; sic huius esse perfectio, & absolutio, ab eo oriri debet, quòd in eo solo tanquam in proprio centro perfectam quietem habiturus est. Tertius titulus est, illum vniuersalem omnium bonorū tam naturæ, quàm gratiæ, sic eorum, quæ fortunæ dicunt, esse datorem, vt nulla sit in mundo creatura, quæ quidquam habeat, quod ab eo non acceperit, sicut Apostolus dixit: *Quid habes, quod non acceperis?* 1. Cor 4. Quartus titulus est, eum esse omnium amplitudinum, & perfectionum pelagus & abyssum; vt bonitatis, sapientiæ, omnipotentiæ, pulchritudinis, glorię, benignitatis, misericordiæ, & multarum aliarum perfectionum. Quibus solis (licet ab illo nihil accepissemus, nihilq; speraremus) dignus tamen esset, quem amaremus, cui infinito amore (si id per nos fieri posset) atque reuerentia seruiremus. Quintus titulus est, nostrum esse Redemptorem. Sextus, nostrum esse sanctificatorem. Septimus, nostrum esse glorificatorem: qui tres tituli se inuicem consequuntur. Ille enim est, qui nobis suo sanguine remedium tulit, sua gratia sanctificauit, quiq; nos post hanc vitam in sua gloria glorificaturus est. Hæc tria postrema beneficia licet verbis simplicia videantur, in actionibus tamen satis composita sunt. Primum enim (quod nos redimere fuit) omnes molestias, quas Dei filius propter hanc causam passus est, includit. Secundum autem (quod est nos sanctificare, & in ea sanctitate conseruare) infinitas includit diuinas inspirationes, & à malis præseruationes, quæ ad id requiruntur. Per tertium autem (quod est nos glorificare) innumerabiles misericordiæ, & gratiæ requiruntur, quæ hoc tantum bonum præcedere debent, donec ad finē illud perducant. Vt hæc tam magna flumina, multos bibant riuulos, qui in illa ingrediuntur.

In singulis autem his titulis ita homo Deo subijcitur, vt si plures haberet vitas, quàm in cælo stellæ sunt, eas omnes pro huius Domini honore in sacrificium offerre debeat. Quòd si tantum pro singulis his titulis debet, quid pro omnibus simul iunctis debebit? Cùm autem vnam tantùm vitam habeat, eam, cum omnibus, quæ cum illa coniuncta sunt, vt quies, honor, cum reliquis omnibus, debet in illius seruitium conferre. Hucusque vera, & perfecta obedientia peruenire debet: & quæ eò non peruenit, vera obedientia non est, neque eo digna, quod hic Dominus meretur. Hoc homini sciendum erat, quod nulla alia ratione meliùs intelligi poterat, quàm per Crucis mysterium. Cùm enim Dei filius suo æterno Patri pareret, illo mortis tam ignominiosæ genere patiendo, nos apertè docuit, quousq; perfecta obedientia perue-

nire

nire debeat. Vt illa Crux sit sublime pulpitum, cæli suggestus, de quo Dei filius hominibus obedientiam, quam ipsi suo Creatori debēt, prædicat. Vbi docet, quòd non solùm odoratis thuribus, & reuerentijs, & cæremonijs externis, (quod facilè fieri potest, & vili constat) sed vita, cum omnibus vitæ adiūctis, ei seruire debemus.

Hæc autem virtus, & obedientia in Crucis mysterio maximè lucet. Et hæc vna est ex quatuor virtutibus, quibus quasi quatuor pretiosis lapillis (inquit S. Bernardus) quatuor crucis extrema ornare voluit. Inter quas, charitas superiùs collocata est, & humilitas tanquam radix, & fundamentū cæterarum virtutum, inferiùs; in sinistra patientia, in dextera obedientia est. Vbi considerandum est, quòd cùm huius virtutis multi gradus sint; ille perfectior est, qui eò peruenit, vt in rebus arduis, & difficilibus, & nostræ carni repugnantibus pareat. Quod enim magis operis meritum, & valorem adauget, est difficultas, quæ non à nostro habitu, sed ab ipsius operis conditionibus oritur. Quàm autem difficilia fuerint, & laboriosa, quæ hic Dominus passus est, antea declarauimus in capite, vbi diximus de stimulis, & incitamentis, quibus nos excitamur ad hunc Dominum diligendum, ratione amoris, quo nos prosequutus est, & magnitudinis beneficij, quod tam mirabilibus rebus, & tanto suo sumptu apud nos collocauit.

Hic igitur fideles perfectissimum obedientiæ exemplū habent, vt qui natura serui sunt, animentur ita, vt suo Domino in minoribus obediant pro salute sua, cùm omnis creaturæ Dominus multò maiora pro illorū salute passus sit. Qui autem verè obedit, sciat velim, quòd cùm suam voluntatē pro diuina negat, suo Creatori altissimum sacrificiū offert. Cùm enim ex omnibus animæ nostræ potentijs intimior sit voluntas, sitq; ea tanquam cæterarum regina & domina, qui hāc pro Dei amore negat, melius, & altius negat ex omni-
Gen. 22. bus, quæ in sui ipsius regno sint. In quo videtur quidem illa celebris Abrahæ obedientia, & illud sacrificium, ad quod se accinxit, vt tam amatum filium, vt Isaac erat, sacrificaret. Quod enim magis amant homines, magisq; appetunt, suam perficere voluntatem est. Et ita dicere solēt, quòd voluntas vita est; quā sacrificat homo, cùm illam negat.

In quo illud animaduertendū censeo, quod in alijs scriptis significaui, q; qui Deo grati esse cupiūt, caueant, ne quæ deuotionis sunt, ijs anteponāt, quæ ad obedientiā & obligationē pertinent. Inter enim acutissimas nostri aduersarij deceptiones, hæc est acutior, & cōmunior, qua homines spiritales potissimùm virtutis nomine decipit, quo minùs se ipsi respiciant. Hoc enim modo efficit, vt quæ de præcepto sunt, ab illis deserantur, pro ijs, quæ cōsilij sunt, ad quæ ipsi proliuiores sunt, q; suis opinionibus magis conueniūt. Illud enim cōmune est, vt homines magis sint in ea propensi, quæ suæ, quàm quę alienæ voluntatis sunt. Quod cùm dæmoniū cognoscat, hoc virtutis cibo illos armat, vt ab ijs, quæ debent, declinent, vt quæ illorum deuotionis sunt, sequantur.

Quod vt homines intelligant quonam modo se habeat, illis sit satis mise-
1. Reg. 15. ri Saulis regis exemplum, qui cùm sacrificium Dei obedientiæ antepofuerit, repentè in omniū malorum abyssum cecidit, & regnum cum vita, honore, & anima perdidit, & vnà omnem suam posteritatem euertit. Has enim ratione diuina iustitia inobedientiæ peccatum punit.

DVODECIMVS ARBORIS CRVCIS FRVCTVS, QVAE virtus patientiæ est. Cap. XVIII.

QVAM sit patientiæ virtus necessaria, innumerabiles occasiones impatientiæ, quæ quotidie in hac vita se offerunt, quam totam S. Iob militiam vocat, apertissimè declarant. Nam (vt in Sapientiæ libro scribitur) omnes creaturæ sunt ignorantium cõpedes, & omnes in nos coniurasse videntur. Homines saltem, Dęmonia, & nostra caro, cum toto illius appetituum, & perturbationum exercitu, semper nobis molestias, & perturbationes afferunt, quarum remedium magna ex parte patientia est. Quare dixit quidam Sapiens, quòd vitæ oculus erat prudentia, & baculus patientia. Iob 7. Sap. 14.

Hæc patientia nonnunquam est iniurias ferre, nonnunquam molestias, calamitates, morbos, varias necessitates: in vtroque tot exempla, & conatus in sanctæ Crucis arbore sunt, vt qui ad illam oculos conuerteret, videret profectò omnes illius ramos patientiæ fructus ferre, & ita vt in illam partem magis valeat hæc sacra arbor, quàm in hanc virtutem. Quam Isaias maximè in nostro Redemptore his verbis laudat: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente obmutescet, & non aperiet os suum.* Quibus verbis Propheta, his duabus comparationibus ouis, & agni, huius Domini summam mansuetudinem, & patientiam, & silentium in omnibus calamitatibus suæ passionis, & molestijs nobis significat. Isa. 53.

Mirum enim est, quàm ipse fuerit sui ipsius dominus in accusatione, & damnatione, quamq; illius sanctissima anima illi summæ diuinitati, quæ in eo erat, fuerit obediens, & subiecta. In quo cernitur, non eum ad mortem vi perductum esse, sed seipsum spontè obtulisse. Cumq; falsissimis calumnijs accusaretur apud iniustissimos iudices, & sibi inimicos, inter tot clamores eorum, qui illum accusabant, & illius mortem postulabant, cumq; caperetur, & spontè ad mortem perductus, & percussus, & irrisus, quanta grauitate, & modestia in omnibus his tormentis se gessit? Non questus est, nullam vocem emisit, nullas lachrymas fudit, neque molestijs commotus est, nec iudicibus supplex fuit, neq; pœnarum leuationem petijt. Non iratus est propter tam multas iniurias, & iniustitias, neque in accusatores maledicta protulit, vel in huius crudelitatis iudices, & ministros: nullum tandem verbum ex illo sacro ore, aut durum, aut quod iniuriam præ se ferret, profectum est. Neq; ostentandi causa, quod erat, dixit quidquam magnum, aut vllum miraculũ fecit, pręsertim in Herodis conspectu, qui id summopere cupiebat. In suæ innocentiæ defensione non multis verbis vsus est. Non suam dignitatem dimisit, neque de iudicum dignitate detraxit; summam semper temperantiam in tantis difficultatibus & angustijs seruans. Cùm vidit nihil profuturum esse, conticuit: cùm respondere opus fuit, interrogatus, paucis verbis, & maxima cum modestia respondit, ne illius silentium contumaciæ tribueretur. Et ne prætendere possent ignorantiam mali, quod tum faciebant, sine alicuius iniuria, quisnam ipse esset, significauit. Cùm autem ad crucis tormentum perductus fuit, non multa verba per viam dixit, neque de cruce ad populum locutus est, qui aderat, suam declarans innocentiã, accusatores, testes, & iudices accusans. Hæc fuit sapientia, hæc temperantia, hæc cõstantia, & modestia, quam in tanto tu-

Digitized by Google

multu habuit, & omnium rerum confusione,& turbatione. In quo cernitur, illud maximum opus diuino consilio fuisse administratum: huncq; Dominũ ab æterno Patre suo mandata habuisse, quibus tanta humilitate parebat, omni contradictione, & repugnantia remota.

Hic autem alia mira circunstantia taceri minimè potest, quæ ad hãc patientiam pertinet, quæ fuit summum silentium, quod Saluator tenuit in tãta causa inter tot accusationes,& testimonia falsa, quod inquit Euangelista prę-
Mat.15. fidem maximè admiratum esse, vt dixerit; *Non vides in quantis te accusant?* Ad quod ne verbũ quidem protulit Saluator. Aliàs ab eo petijt præses, vndenam esset; cui nihil pariter respondit. Quamobrem iudex tanto silentio commotus, dixit: *Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere, & potestatem ha-*
Ioan. 19 *beo dimittere te?* Nunc in hoc Saluatoris silentio philosophari volo. Iam hunc Dominum non eum esse, qui erat, sed innocentem quendam virum, & sine culpa in animo fingamus. Hic autem cùm se falsò accusatum videret, quid fecisset? Nihil pro se respondisset? Nõ negasset falsa testimonia? Mille iuramentis non affirmasset se innocentem esse? Non obiecisset testibus; cùm eidem iudici notum esset, quanta inuidia, & odio illius accusatores eum prosequerentur? Spatium ad defendendum se non postulauisset? cùm nunquam dimidij diei spatio, quis & accusatus,& capite damnatus fit? Non Cæsarem, vt S.
Acto.25. Paulus, appellasset? Non à cælo & terra iustitiam aduersus hanc iniustitiam postulasset? Hæc omnia, & multò plura fecisset, & quisque falsis criminibus accusatus facit. Quod cùm sensisset iudex,(quod tam facilè intelligi poterat) quippe qui sensatus homo esset, tantum silentium magnopere admiratus est, quòd intra se dicere poterat; Quid noui hoc est? Quando post hominum memoriam auditum est vnquam, quem falsis criminibus accusatum in mortis causa, & huiusmodi mortis, clausisse os, & nullum verbum pro se dixisse? Quisnam prudens homo fuisset, qui hoc in animo euoluens, non præuidisset ibi aliquid maius, quàm humanum inesse?

Quòd si hoc silentium tam admirabile fuit, non minus illud fuit, quod apud Herodem seruauit: vbi sæpe interrogatus, ne vllum quidem verbum dixit. Quòd qui spontè se ad mortẽ offerebat, nihil dicere debebat, quod suę passioni impedimento esset. Hic igitur iterum mihi philosophandum censeo, vt in superiori silentio feci. Hic Dominus nisi fuisset ille, qui erat, sed (vt diximus) absq; culpa homo, quid faciendũ illi esset, cùm ad suum naturalem regẽ esset deductus,& accusatus, nisi dicere; Domine, sum tibi subditus,& tu meus rex,& vt huiusmodi æquũ est, vt me ab his inimicis, & illorum falsis accusationibus protegas, atq; defendas. Qui capitali odio & inuidia, quibus me prosequuntur, quod illorum vitia & scelera reprehendo, sanguinem meum sitiunt, postulantq;. Fecerunt quidquid potuerũt paulo ante, vt Pilatus me condemnaret, qui cùm meam innocẽtiam videret, nihil iniustũ facere voluit: & lauans manus ab hoc negotio se subtraxit,& propter hanc causam me ad te tanquã ad huius regni naturalem regem misit. A te peto, vt mihi iustitiã administres, neque permittas, vt malitia aduersus innocentiam præualeat.

Quis negare posset, quemq; hominem innocentem hæc,& plura adduxisse, vt se à morte tam infami liberaret? At nihil horum aut dixit, aut fecit Saluator, cùm ad hæc duo tribunalia deductus, & accusatus esset, imò tãtam modesti-

modestiam,& grauitatem seruauit, tantumq; silentium tenuit, quantum nemo vnquam post mundi creationem. Quamobrem fateamur necesse est, aliquid in eo homine maius, quàm humanum fuisse, cùm in illo esset illud, quod in nullo hominum vnquam visum est; (cùm notũ sit,diuersos effectus à diuersis causis procedere) & necessariò consequitur, nobis fatendum esse, hanc non fuisse humanam patientiam, sed diuinam. Verè enim vt dicere solemus,Si Deus nasciturus erat, de virgine nasci debebat; sic etiam dicere possumus, Si Deus passurus erat,hoc pacto illi patiendum erat; & si in iudicio sistendus erat, ita in eo se gerere debebat.

Hanc autem tam perfectam mansuetudinem,& patientiam,vult S.Petrus Apostolus,vt semper ante oculos habeamus: vt tantarum rerum consideratione,in paruis rebus patientiam habeamus. sic ille inquit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur,non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.* 1.Pet. 2.

Eodem exemplo Apostolus S.Paulus nos hortatur, inquiens: *Recogitate eum,qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatũ repugnantes.* Heb. 12. Et iuxta hoc Apostoli consiliũ, qui in virtutis itinere non vult aberrare,quod aliud exemplar sibi ob oculos ponere, in quo alio baculo inniti debet, ne cadat,nisi in Crucis arbore? Hic enim inueniet,quem imitetur, qui sibi vires adiungat, & in quo in omnibus suis molestijs, & afflictionibus consolationem reperiat. Qui de natura animalium scribunt, testantur quòd Vnicornis,vbi ad aliquas peruenit pestiferas aquas, cùm eas cornu contingit,quod in fronte gerit,omne venenum ab illis remouet; & ita omnia alia animalia ad illas accedunt, vt bibant. Quod autem huius animalis cornu operatur,in suo gradu sanctæ Crucis arbor operatur: quæ facit, vt aquæ tribulationum,& angustiarum, quas sine ea deglutire nequiremus, per eam Dei serui illas suauiter bibere possint.

AEgroti igitur,tribulati, pauperes,afflicti, quod aliud in suis angustijs solatiũ hac sacra arbore efficacius habent?In hoc enim Domino salutaris medicina omnibus angustijs parata est, & omnibus huius vitæ tribulationibus efficacissimum solatium. Hic pius Dominus in se frigus, calorem, defatigationem,famem,sitim, paupertatem, necessitatem, persecutiones, dedecora, despicientias,iniurias, fraudes,insidias, proditionem sui familiaris discipuli, suorum defectiones,carceres,calumnias,flagella,irrisiones, colaphos,nuditatem,tormenta, crucem,mortem,& alienum sepulchrũ in se ipse expertus est. Id autẽ omne,quanta patientia, quanta animi tranquillitate, quanta modestia, & silentio passus est? Quãtam consolationem ex eo percipiunt afflicti, quantum frænum diuites, & potentes, quantam doctrinam & sapientiam vtrique?

DECIMVS TERTIVS ARBORIS CRVCIS FRVCTVS, *quæ sunt magna exempla, & stimuli ad omnes virtutes. Cap. XIX.*

ON solùm ad superiùs dictas virtutes,(quæ tam præcipuę sunt) verùm etiam ad omnes alias magna habemus exempla, & stimulos,tam in Saluatoris vita, quàm morte; quæ nos ad illum imitandum excitant, & vt nos illius similes euadere velimus. Quare hic sciendum est, quòd summa totius hominis perfectionis in hac imitatione, & Dei similitudine consistit: (quæ omnis perfectionis regula,& mensura est) itaque quò magis homo erit illi similis,ita erit perfectior,& ab illo magis amatus,cùm similitudo sit amoris causa.

Leui.19. & 20. Matt.5 Ad hanc similitudinem,& imitationẽ ille nos vocat, cùm toties in sacris literis illa verba repetat; *Sed sanctos*, vt ego sum. & Saluator in Euangelio; *Sed perfectos*,vt Pater vester cælestis est. & alibi; *Sed*, dicit ille, *misericordes*, vt Pater vester cælestis est. Hoc idem inter alios Philosophos nos docent Plato & Plutarchus,nos ad hanc imitationem Dei,& similitudinem adhortantes.

Ab ijs autem petere possemus; In quonam homines debent Deum imitari? Possúntne ipsi alium nouum mundum creare, & administrare? Respondebunt minimè; sed nos debere illius virtutem, & sanctitatem imitari.

Hanc virtutem,(dicit rudis homo) vellẽ ego videre apertius, vt illã imitari possim. In Deo enim inuisibilis est,vt & ipse est. Ne igitur homines in hos excusationem haberent, hic Dominus humanam carnem sibi sumpsit, & ex inuisibili visibilis factus est, vt hoc pacto illius virtutem videre, & imitari possemus, quam in hac mortali carne nobis ostendit.

Hic igitur cælestis doctor in mundũ venit,& cum hominibus conuersatus est,& tanta mansuetudine,tanta benignitate,tanta facilitate, de ciuitate in ciuitatẽ,& de loco in locũ se transtulit,tam multis beneficijs hominibus afficiendis,tam mira doctrina illis prædicanda, tam multis virtutũ exemplis tradendis,tam multis miraculis faciendis, tam multis Sacramentis statuendis, tam multis mysterijs operandis,tanta patientia malis perpetiendis, tanta seueritate vitijs reprehendendis,bonis tanta suauitate tractandis, tantis pietatis operibus in homines conferendis, quàm multa in terris nunquam facta, neque facienda sunt. Neque eo contentus,vt magis suam bonitatem ostenderet, atque misericordiam, in vitæ fine,vbi discipulorum pedes lauit, & illud mirabile sui sacratissimi corporis & sanguinis Sacramentũ ordinauit, ad nostram vitam sustentandam,atque reparandam,pro nostra salute eò peruenit, vt Crucis lignum ascenderet, in qua vt mansuetissimus & innocentissimus agnus pro nobis se ipse in sacrificium obtulit, non solùm, vt nos à captiuitate liberaret, verùm etiam,vt nostram superbiam minueret,vt humilitatis exemplar nobis traderet, vt sui amoris pignus nobis daret,vt haberemus,in quo nostra confidentia inniteretur, in calamitatibus consolationem, & stimulos, quibus ad honestos labores excitaremur,& nostra pietas accenderetur.

Ad hanc autem imitationem, & similitudinem,quid accommodatius est, quàm Deum hominem fieri, & tam sanctè cum hominibus conuersari? Et, quoniam non poterat homo tantum se erigere, vt illius summæ maiestatis opera imitaretur; conueniens fuit, vt maiestas ita se demitteret, vt ea opera in sua humanitate faceret,ne homini dura, quòd diuina essent, viderentur; neque quæ fieri non possent,cùm humana essent. Hoc igitur humanitate Dei

filius

filius fecit, quam sibi sumpsit, in qua harum omnium virtutum exempla, quę diximus, non defuerunt: vt, cùm non possemus illum in sapientię, & omnipotentiæ operibus imitari, in suę bonitatis, & iustitiæ operibus illum imitaremur. Huius autem Domini exempla ad hominem permouendum efficaciora sunt, quàm quæuis alia. Humilitatis enim exempla eò sunt efficaciora, quò prętantioris personę sunt: & Dei filio nulla persona prętantior esse poterat. Cuius exempla, pręter quod sunt exempla, sunt etiam beneficia, & mysteria, & remedia, & Sacramenta, & sacrificia, & nostrorum morborum medicinę, & nostræ pietatis excitatores, & nostri amoris stimuli, & altissimæ contemplationis materies.

Quid autem reliquum est, nisi cum beato S. Bernardo exclamare, & dicere: Quid ego faciam Domine, aut quid dicam, cùm tibi placuerit speculum ex tua carne conficere, in quo me ipse cernerem? Et probè speculum inquit; quod ex vitro, & plumbo fit, non ex vno tantùm, quòd vitrum perlucidum est, & plumbum nimis obscurum; & ita neutrum satis erat, ex quo speculum conficeretur; sed cùm vtrunque coniungeretur, speculum perfectum fit. Hoc diuinum consilium fuisse videtur, cùm suæ diuinitatis splendorem cum nostræ humanitatis obscuritate coniungere decreuit; vt qui nostræ vitæ diuinitatis virtutes speculum & exemplum habere non poterant, quòd tam altæ essent, illas sacrę humanitatis haberent, quòd nostræ naturæ essent accommodatiores.

Fuit hoc remedium nostri casus curæ accommodatum, quod fuit desiderare hominem (vt & Angelus desiderauit) Dei similitudinem, quam fœminę serpens promisit, cùm illi inquit, quòd si ex illa arbore comederet, esset illa, & suus vir, vt Deus. Dixit autem Deus, (vt S. Bernardus scribit) Hæc gens se perdit, vt me imitetur, & mihi similis fiat; nunc volo ego me talē facere, vt si me imitata fuerit, se ipsa non perdat, sed salua fiat. Expetebat igitur homo esse Deo similis, (quòd hæc gloria maxima sit post Deum) ecce hic Deus in ea figura, quā sine periculo imitari potes, & hanc, quam appetis, similitudinem assequi. Gen. 3.

Hic autem vnus ex præcipuis Crucis arboris fructus est, vt S. Leo Papa his verbis declarat: Duo remediorum genera nobis in nostri Saluatoris passione proponūtur: in qua ex altera parte sacrificium habemus, ex altera exemplū; altero enim nobis diuina gratia datur, & altero natura roboratur. Nām vt Deus nostrę iustificationis auctor est, sic homo suæ pietatis debitor. Idem Sanctus subdit: Hoc nostræ reparationis ineffabili opere nihil loci neque superbię, neque negligentiæ nobis reliquum est; quòd nihil ex nobis, nisi quod accepimus, habemus; & simul admonemur, ne in vsu donorum gratię, quæ accepimus, negligentes simus. Iustè enim nos debitores facit, qui illius mandata seruemus, qui nos suis auxilijs pręuenit, & opem fert; & nos ad suam obedientiam, quæ nos ad suam gloriam perducit, benignè inuitat. In quibus verbis, inquit ille Sanctus, quòd Dominus nos ad obedientiæ labores benignè inuitat, quòd, cum hic talia intercedant exempla, pati nobis dulce esse faciet pro nostra salute, quod maiestatis Dominus pro aliorum salute passus est: & maximè cùm nullum opus bonum sit, quod si studiosus homo aggredi velit, ad id non maximas vires cōsequatur, si oculos ad Christum crucifixum conuerterit.

Hoc apertiùs declaremus. Vult aliquis pius pœnitens pro suarum culparum satisfactione disciplinam sumere. Caro recusat verbera. Quid agit hic? Oculos ad illum Dominum conuertit, qui in Cruce est, humeris verberibus laceratus propter aliorum furta, atque scelera; tunc eum suos non lacerare ob sua propria furta, & scelera pudet. Idem vult per totam Quadragesimam, vel hebdomadam sanctam, vel per totum annum qualibet nocte diei Veneris super aliquem asserem dormire, vt sibi in memoriam redigat illud, quod mundi Dominus pro eo passus est. Caro id renuit, quæ mollitiem, & commoditates appetit. Tunc oculos in illum durum lectum conuertit, quem hic Dominus in Cruce habuit, tam strictum, vt pedem super alium pedem teneri illi opus fuerit. Vbi nullum aliud habuit ceruical, quàm spineam coronam, quæ illi caput circundabat, neque alium lectum, quàm illud durum lignum. Vult alius pro suorum peccatorum pœnitentia ieiunare aliquo die panem tãtummodò comedens, & aquam bibens, propter eandem causam. Vt ad id vires sumat, oculos ad mensam conuertit, quam habuit hic Dominus in Cruce, de

Psal. 6.8 qua ipse in Psalmo mentionem facit, qui dicit: *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Vult idem cilicium sibi induere, vt carnẽ mor-

Iudith 9 tificet, vt sancta vidua Iudith induebatur; vel ferrea catena vult cingi, vt se cingebat S. Catherina Senensis, & multi alij Sancti. Propter hanc causam oculos conuertit ad funes, quibus gloriæ Rex ad columnam ligatus fuit, & vt latro captiuus ductus per publicas vias ab altero ad alterum Pontificem, & ab altero ad alterum tribunal.

Hę meditationes ad pœnitentialia opera conducunt, quibus diuinę iustitię pro nostris culpis satisfacere volumus; & ad nostræ carnis malas propensiones infirmandas, & ad carnem nostram, quæ illarum radix est, defatigandam, & illius vires minuendas.

Nunc autem ad aliud virtutis genus descendamus, quod pariter difficultate minimè caret. Offertur alicui occasio, qua debet panem sibi subtrahere, vt alterius necessitati subueniat. Ad id oculos in immensam illius Domini benignitatem conuertit, qui se ipse pro nobis dedit, qui (vt ait S. Bernardus) suam nobis carnem in cibum, & suum sanguinem in potum dedit, & vitam suam in nostram redemptionem erogauit, & aquam de suo latere, vt nostra peccata lauaret. Falsus testis excitatur, quo de nostra existimatione detrahitur, & nobis aliquod scelus tribuitur; quæ maior consolatio reperiri potest in hoc, quàm falsos testes in animo euoluere, & falsa crimina, quibus de hoc Domino detrahebant, illum vocantes heluonem, vini potatorem, amicum peccatorum, & publicanorum, Samaritanum, Dęmoniacum, stultum, negromantem, deceptorẽ, sceleratum, & populi seductorem? Quod autem cor erit tam molle, tam iniuriarum impatiens, cùm videat quantò maiores fuerint illæ, quas innocentiæ speculum passum est? Tibi infringit quis colaphum: quod maius solatium in eo potes habere, quàm colaphos in animo euoluere, quos accepit Dei filius passionis die, & nocte in eo vultu, quem Angeli videre desiderant? Displicet homini ad alium confugere, & illi supplicem esse: quæ medicina illi offerri potest melior, qua hæc animi elatio, & superbia curetur, quàm in animo euoluere Angelorũ Dominum in stabulo natum, in præsepio collocatum, humi ante piscatorum pedes proiectum, & tanta humilitate illis

pedes

pedes lauantem,& sublatis oculis Angelorũ Dominum videre inter latrones collocatum? Alius perturbatione,& odio in inimicos tentatur. Vt autem hęc affectio cohibeatur,quod remedium melius est,quàm oculos ad illum Dominum eleuare,qui in Cruce affixus,spinis coronatus,irrisus,neglectus,(vt horum omnium dolorum oblitus) primum verbum quod protulit,etiam antequam afflictam matrem consolaretur,& spiritum suum Patri commendaret, fuit veniam petere pro ijs, qui se crucifigebant, excusationem afferens, quòd nescirent,quid facerent. Lucæ 23.

Igitur qui hæc omnia considerant diligenter,videbunt quidem quantam gratiam,& auxilium in Domini Cruce,ad omnia bona habeant. Non solùm enim exempla, quæ in illa videmus,ad patiendum nobis vires addunt, (huiusmodi præsertim exempla,vt antea declarauimus) sed etiam gratiæ spiritus,quæ illis datur,qui oculis humilibus,& pijs hunc Dominum in Cruce intuentur,& se ad illius vulnera recipiunt.

DECIMVS QVARTVS ARBORIS CRVCIS FRVCTVS, quæ est Euangelicæ vitæ asperitatis,& paupertatis professio. Cap. XX.

HVIVS capitis doctrina non pro omnibus est, sed pro ijs solis, qui ad paupertatem,& asperitatem,ac perfectionem vitæ Euangelicæ aspirant. Ad quod tantum Crucis mysterium prodest, vt ad id solùm institutum esse videatur. Nam vt illud genus vitæ tueare,quod totum crux est,nihil aliud accommodatius reperiri poterat,nihil magis consentaneum,quàm Crucis mysterium. Hęc autem sacra arbor ramos altos,& imos habet: omnes enim summi,& infimi,fortes,& debiles ibi inuenient, quidquid omnibus hominum conditionibus accommodatur, licet perfectioribus magis conducat, vt arbor, quæ summæ perfectionis est,cuiusmodi illa est,quam in hoc fructu declarare volumus.

Quamobrem, in quonam vitæ Christianæ genere perfectio consistat, declarare oportet. Quod vt intelligatur, quid inter duas præcipuas partes,ex quibus homo constat, intersit, declarandum est: hæ autem corpus,& anima sunt. Inter quas maximè interest,quòd altera homini cũ beluis cõmunis est; & ita comedit,& bibit,& dormit,& ægrotat,& moritur,vt ipsę faciũt: altera verò, qui spiritus est,cum Angelis; & ita iuxta suam naturam, nihil corporeum appetit,nec sibi congruit, sed spiritualia tantùm,vt sunt virtutes, sapientia,& cognitio,& sui Creatoris amor: quòd hæc suæ naturæ conueniunt, vt corpori sua. Quælibet enim res sui similibus delectatur, & eo, quod suæ naturæ accommodatum est.Cùm autem in homine hæc duo tam dissimilia sint,in ipsius est manu deligere, cui maximè adhærescere velit, quòd in se ad vtrunque principium habet.Quòd si delegerit in vitę genere corpus sequi,beluarum similis euadat necesse est; quæ nihil aliud appetunt,nihil curant, nisi quod suis corporibus,vel ad viuendũ,vel ad voluptates perfruẽdas cõducit. Quòd si vitæ genus delegerit,quod spiritus conditiones respiciat,Angelorũ similis euadat necesse est; qui omne suum studium ad sui Creatoris contemplationem,amorẽ,& cultum conferunt.Hinc fit, vt S.Augustinus dicat in Sanctũ Ioan-

Ioannem, quòd hominum vita est inter Angelos,& beluas media. Quare si secundùm suæ carnis appetitum vixerit, erit bestiarum similis; si secundùm spiritus leges, cum Angelis consociationem habebit. Vt autem veniam ad rem,dico, quòd vitæ Christianæ perfectio in eo consistit, vt omnibus carnis voluptatibus,& delectationibus,& illecebris,& omnibus peruersis cupiditatibus neglectis,spiritus leges & cõditiones sequamur,spiritalia, quę diximus, complectentes,& curantes,& Angelorum puritatem imitantes,illud in terris exercentes,quod illi in cælis faciunt,quod est suum Creatorem amare,& laudare, & illius amplitudines, & mirabilia mente agitare. Hoc est vitæ genus, quod omnes Sancti agebant,& prȩsertim illi,qui se in solitudines receperunt, vbi omnibus caducis rebus renuntiatis,herbarum radicibus cõtenti,vel alio tenui cibo,ab hominum societate segregati, dies noctesq; cum Deo loquebantur,& conuersabantur.

Hic autem animaduertendum est,quòd caro,spiritui inimica, fortiter illi vitæ generi resistit,quod illam voluptatibus priuat,& commodis,quorum ipsa tanta siti & fame laborat,vt nihil vehemẽtius appetat.Ad quod & omnes corporis sensus adiuuant,qui natura omnia appetunt, quæ illis voluptatem afferunt. Gustus enim sapida vult,tactus mollia; visus grata videre vult,nares suauia odorari. Rerum quoque, quas appetunt, prȩsentia adiuuat, quæ corda valde mouere solent,& vnà beneficium,& fructus,quos ab illis percipiunt: & ad hæc omnia communis noster aduersarius,qui nostros appetitus excitat & inflammat,quo hominibus persuadet,quòd superuacaneum,& nimium,necessarium est.His autem armis & auxilijs ita caro aduersus spiritum pugnat,vt penè totum terrarum orbem secum trahat. Contrà verò spiritus illorum, qui ad vitę Christianæ perfectionem aspirant, gratiæ fauoribus, & auxilijs adiutus,&Spiritus sancti prȩsentia,quę in illis habitat,maioribus armis aduersus carnis tyrannidem, & malas propensiones pugnat, illam domans,& in seruitutem redigens,cogensque,vt spiritus legibus pareat,cùm ei, quod spiritus iubet,repugnat & aduersatur. Neque hac re contenti sunt, sed hac quoque occasione remota,& necessitate,illam continuis laboribus continent,maleq; afficiunt,vt eo assuefaciant illam,vt libẽter obediat,& cùm opus est, illa, vt lubet, vti possint. Nam vt qui ad militiam educantur,in armis exerceri solent, & hastis inter se concurrere,& belli simulacra ciere, & pacis tempore discere,nullo inimico viso, quod belli tempore facturi sunt: sic hi acres equites,vt commodiùs carni resistere possint,quãdo spiritui aduersatur, vlteriùs progrediuntur,& nulla occasione vrgente illam pedibus subijciũt, & ita afficiunt,vt hac exercitatione illud sanctum odium educent, quod Dominus in illam nos habere iubet; & ne rudes, & non assueti reperiantur, tunc cùm illi resistendum est. Et ita scribit Theodoretus in Religiosa historia, de nonnullis Sanctis,tam viris,quàm mulieribus,qui in suis corporibus magna ferri pondera ferebant, & alia huiusmodi onera. Alij cilicijs vtuntur diuersi generis,alij quotidie se verberibus afficiũt. Ita quòd non solùm,cùm tentatio id postulat,sed etiam cùm non vrget necessitas, ita duriter suum corpus afficiunt,vt cùm opus est Dei legibus & rationi parere,non lædantur, licet illi resistatur. In hac igitur exercitatione perseuerantibus, & magis gratiæ auxilio, sensim caro fit ad arma accommodatior, & quodam modo spiritualior, &

magis

magis voluntati spiritus idonea, & sine tanto labore, aut molestia obediens.

Ad hanc vitæ perfectionem nos hortatur Saluator, cùm inquit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hanc sententiam licet Dominus tam perfectis, quàm imperfectis proponeret, (vt S. Marcus refert) tamen diuersa ratione vtrisq; conuenit, pro statuũ hominum differentia. Quæ sententia tam compendiosa est, quòd quidam vir religiosus, qui semper in eo studio versabatur, vt illam obseruaret, dicere solebat, quòd librũ ipse cõpositurus erat, & in omnibus illius paginis nihil aliud scripturus erat, quàm hanc sententiam, intelligens eam omnia complecti. Se ipsum negare, multum est: contradictionem enim & repugnantiam perpetuam significat, quam in nostram carnem habere debemus. Hæc enim negatio non debet esse contra spiritus intentionem, & desiderium: is enim secundùm naturam suam nihil carnale appetit, sed spiritualia, quę suæ naturę congruentia sunt. Quamobrem hęc negatio sui ipsius intelligitur vnius nostri partis, quæ caro est. Matt 16. Mar 8.

Hæc autem negatio tam generalis esse debet, (si de vitæ Euangelicæ perfectione agimus) vt, ablato eo, quod spiritaliter vitæ necessarium est, (sine quo ipsa durare minimè posset) reliquis omnibus renuntiet. Itaque seipsum abnegare, est suam carnem, suas voluptates, suas commoditates, & delectationes, & proprias voluntates abnegare, & eam omnibus sensuum oblectationibus inordinatis priuare. Id omne suo corpori negare debet: & id seipsum abnegare intelligo. Et quotidie crucem portare, est æquo animo omnes morbi, paupertatis, persecutionum, tentationum, quę nobis diuina voluntate cortingerent, molestias ferre, nos Deo totos commendantes & tradentes, firma fiducia, eum id omne permittere, atque disponere, vt nobis consulat, licet in præsenti id minimè cernamus. Sequi Christum pariter crux est, quòd id illũ imitari est, & illius sequi vestigia, quod molestiarum, obedientię, & patientię iter est.

Hæc igitur cùm sit Euangelicæ vitæ perfectio, quid magis nos ad eam confirmare, & vires nobis addere potest, quàm sanctę Crucis arbor? Quid efficacius ad crucem efficiendam, quàm ipsa Crux, cùm Philosophorum sententia sit, quòd simile à simili generatur? Quis tam malè moratus erit, aut tam cæcus, aut tam ingratus, qui cum Dominum omnis creaturę, & eum, qui Patris splendor est, & imago; eum, qui sua omnipotentia omnia creauit, & sapientia disposuit, & sua prouidentia administrat; cuius diuitiæ, & beatitudo tanta est, vt ne hoc mundo creato toto, neque mille mundis, si tot creasset, augeri possit; qui omnibus his amplitudinibus sua tãtùm bonitate, & misericordia, & vt nos virtutis amatores, & omnium honestorum laborum efficeret, tam multa tormenta pati videat in morte, tam multa molestiarum genera in vita, famem, sitim, frigus, calorem, vigilias, itineris labores, tantam paupertatem, vt ex eleemosynis viueret, quas illę sanctę mulieres, quæ illum sequebantur, tribuebant: Quo modo seruus ita immoderatus erit, vt ditior esse velit, & meliùs tractatus, quàm Dominus? Quo pacto suis proprijs culpis non patietur illud, quod Dominus pro alienis passus est? Qua ratione potest suam carnem allicere malè propensam, cùm videat, quomodo hic Dominus suam innocentissimam tractarit? Quomodo sibi persuadebit fieri posse, vt in alterius gloriam ingrediatur sine labore, cùm videat, quàm multis molestijs, & calami-

tatibus hic Dominus in suā sit ingressus? Ex hac igitur re quis non videt, quot sit malos & vires ad labores, & quot consolationum genera in Crucis arbore habeant omnes, qui Euangelicę vitę asperitatem, & paupertatem sequuntur, in omnibus molestijs, quæ sibi offeruntur, dum in vita sunt.

DECIMVS QVINTVS CRVCIS ARBORIS FRVCTVS, *qui est, nobis altissimæ meditationis, & contemplationis materiam dare.* Cap. XXI.

INTER hominis iusti laudes in primo Psalmo scribitur, quòd *In lege Domini die ac nocte meditabitur.* Et deinde subdit statim fructum, qui ex hac exercitatione percipitur, inquiens: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: Et folium eius non defluet: & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.* Tam paucis verbis magnificentiora promissa explicari non poterant. Vbi nomine legis Dei, non solùm scriptam legē intelligimus; sed multò magis gratiæ legem, & illius fundamentum, quod Crucis mysterium est.

Sed antequam de hoc meditandi genere sermonem habeam; breui quidnam id sit exponam. Meditari, est intellectu considerare ea, quæ ad Dei amorem, & timorem, & peccati odium nos impellere possunt; & voluntatem accommodare ad ea sentienda, & gustanda, quæ illi intellectus offert, vt illa si bona sunt sequamur, sin mala, fugiamus. Hoc dico, quòd diuina considerare sine hac voluntatis applicatione, magis studere est, & speculari, quàm meditari. Imò in hac exercitatione maior pars voluntas est, & minor intellectus, qui eum vsum præstat, vt voluntati (quæ potentia cęca est) id omne proponat, & exhibeat, quod illam ad hos effectus mouere, & impellere possit: ita vt voluntatis ardor, & sensus, sit tanquam huius exercitationis finis; & meditatio, tanquam medium, per quod ad illum ardorem peruenire possimus. Sed quoniam de hac re in libro de Oratione agitur, in præsenti nihil amplius dicemus.

Nunc autem dicamus, quòd licet multa sint, quæ meditari possimus, (ad id enim omnis sancta scriptura conducit, & mundi fabricatio, qui creaturarum liber est) præstantior tamen materies, vtilior, suauior, & magis deuota, & tandem efficacior ad impellendos nos ad Dei amorem, & timorem, & ad omnium virtutum studium, & peccati odium, hęc est. Quod ex ijs omnibus, quæ hactenus à nobis scripta sunt, intelligetur, & ex eo pręsertim, quod in capite XIX. tractauimus, vbi declarauimus, quòd omnes virtutes in Crucis arbore in summo perfectionis gradu elucent: quas ille præcipuè intuetur, qui illas deuotè contemplatur.

In hac meditatione Sancti acutissimos stimulos ad omnes virtutes inueniebant, hic ardentissima incitamenta ad amandum; hic profundissimum Dei timorem, & peccati abominationem; hic vehementissima desideria paupertatis, asperitatis, famis, sitis, nuditatis, patiendi molestias, & effundendi sanguinis pro eo Domino, qui pro hominibus suum effudit. Hæc efficit, vt pompas negligant, & vanitates, & mundanam mollitiem, & vt crucem pœnitentię, & vitæ asperitatem complectantur. Hæc sępe in admirationem, & stupo-

stuporem illius immensę bonitatis, quam Dei filius in Crucis mysterio nobis ostendit, rapiuntur; & vnà altitudinis diuini consilij, quod tam accommodatum medium ad mundi lapsi reparationem excogitauit. Et in hac diuinæ bonitatis profundissima abysso sępe demersi reperiuntur, & nihil in circuitu cernunt, cùm foras eminent, cùm rem supra humanam virtutem, & facultatem cognoscant, ament, gustent, & sentiant.

Hic pium cor compunctionis materiem inuenit, cùm recordetur, sua peccata cum totius mundi peccatis fuisse carnifices, qui sic malè hunc Dominum affecerunt, atque crucifixerunt. Hic contra gaudij materiam inueniet, cùm se tam dilectũ cernat, & tanto pretio redemptum, & tantis meritis cumulatum. Hic etiam laudis stimulos inueniet, cùm huic clementissimo Redemptori pro tanto beneficio gratias agat. Hic est materies maximæ compassionis, cùm videat quod illud delicatissimum, & innocentissimum corpus patitur; & silentium, & mansuetudinem, qua patitur. Nam præter verbera, & spinas, & cætera omnia passionis vituperia, mortis genus, quę in cruce fuit, est omniũ crudelissimũ, quod non breui finitur, vt eius hominis, qui iugulatus interit, quod est (vt nonnulli dicunt) chalybis ventus; sed longa mors est, & clauorum vulnera in pedibus, & in manibus sunt, vbi plures nerui reperiuntur, quę sensus instrumenta sunt, & præsertim in summa parte pedum, quæ cùm valde sensibilis sit, illorũ anima dicitur. Clauum autem crassum in altero pede vi ictuum figere, & ijsdem ictibus alterum quoq; figere, neq; cõquiescere, quoad in ligno illos fortiter affixerunt, & matrem innocentissimam interesse, & ictus videre, & sentire, quàm vehementi dolore vtrunq; affecit; præsertim cùm illius corpus omniũ corporum delicatissimum, & maximè sensibile esset? Cùm autem Crucẽ sustulerunt, & in scrobem demiserunt, in qua figenda erat, deinde corporis pondus, cùm deorsum premeret, & ob id pedum, & manuum vulnera magis dilatarentur, idq; non breui temporis spatio, sed per tres horas, quæ inter sextam horam (qua Dominus crucifixus fuit) & nonam intersunt, (quo tẽpore expirauit) quantos dolores passus est? Verbis hoc explicari non potest.

In hac autem pia consideratione sæpe in piorum hominũ oculis maxima lachrymarum vis excitatur, quæ maximam misericordiam, & amorem producunt. Hic enim anima pia dulci amoris, & misericordiæ sagitta sauciata, illa suauia sponsæ verba in Canticis inquit: *Fulcite me floribus, stipate me malis quia amore langueo.* In quæ verba inquit S. Bernardus: Anima amore affecta verum Regem Salomonem cum corona intuetur, quem sua mater coronauit; videt vnigenitum Patris filium super suis humeris crucem tollere; videt Dominũ maiestatis percussum, & sputis fœdatum; videt vitæ & gloriæ auctorem clauis perfossum, & lancea percussum, & tam multis opprobrijs affectum: & eum tandem videt illam amatam vitam pro suis inimicis dare. Hæc omnia videt, & cùm hoc amoris vulnere illius anima sit affecta, cum sponsa illa verba inquit *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.* Hæc S. Bernardus. Hi flores, & hi fructus ex Crucis arbore colliguntur; quæ virtutes sunt, quæ per illam nobis dantur; quibus anima pia contendit, vt in huius Domini virtutes, & passiones transformetur.

Cant. 2.

Cant. 2.

Suauitatem autem, & consolationem, quam viri diuini spiritus in hac meditatione experiuntur, quis narrare poterit? S. Bonauentura initio sui

Stimuli amoris, de se loquens sic inquit: Cùm olim per hæc vulnera ingrederer apertis oculis, sanguis, qui ab illis manabat, mihi visum abstulit; & vbi nihil aliud nisi sanguinem videre poterā, sensim ad huius Domini viscera perueni: in illis hospitor, & illorum dulcissimis cibis me sustento, & nollem ex hoc amœnissimo loco vnquam discedere, & illam iucunditatem, quam hic percipio, amittere. Cùm tamen semper pateant, spero fore, vt per eadē iterum ingrediar, cùm ex illis egressus ero. Idem Sanctus ibi inquit, quòd desiderabat esse lanceę ferrum, quo Dominus percussus fuit, vt semper in illius sacrato pectore esset; quodq; desiderabat esse crux, vt in se crucifixus esset, & cū illo sepeliretur. Et tandem inquit, quòd tanta est suauitas, qua solent affici animæ in huius mysterij consideratione, vt non solùm spiritus, verùm etiā eadem caro carnalibus rebus amica, & spiritalibus inimica, huius consolationis partem accipiat, propter ingentem consolationis spiritus copiam. Quod in eo gradu verum esse testatur, vt si quando obedientiæ occasio se obtulit, aut alicuius operis, quod charitatis dicunt, quod cùm faciendum sit (vbi ratio arbitratur, deuotionis exercitationē omittendam pro debita exercitatione) caro molestè ferebat ab ea separari, propter nimiam consolationem, quam ex ea percipiebat. In quo quidem debemus illi immortales gratias agere, qui cum suorū tormentorum felle, & amaritudine, nobis huiusmodi conuiuium parauit. Quòd si quis videre vellet, quantus thesaurus sit nostrarum animarum hæc sancta exercitatio, huius sancti doctoris orationem legat, quam in additamētis ad nostrum Memoriale de Vita Christi, quę initio sacræ Passionis est, inueniet, & ibi, quod dixi, videbit.

Inde fit, quòd omnes spiritalis vitæ pręceptores tam in cœnobijs, quàm foris, hanc primam exercitationem illis tradunt, qui genus vitæ mutant, (post Confessiones generales, & compunctionis, & pœnitentiæ exercitationes) vt scilicet se in hac sacra meditatione contineant, (iuxta illud, quod S. Bernardus ad religiosos Montis Dei scribit) quòd hinc copiosam lachrymarū materiem, & suorum peccatorum compunctionis, inuenient, considerantes, se fuisse carnifices, qui suum Dominum ita crudeliter affecerunt.

Hac ratione igitur incipientes suę vitæ initium sumunt. At qui iam in hac re sunt exercitati, hîc alios habent stimulos accōmodatiores ad suum statum, & vtilitatem, vt sunt huius beneficij gratiarum actiones, Christi virtutum imitationes, (quę in sacrę Passionis mysterio magis quàm alibi elucent) amoris incrementa propter magna incitamenta, quæ in illa ad id sunt, & admiratio huius immensæ bonitatis, & charitatis Dei, qui hac ratione homini remedium afferre voluit; & sapientiæ, & diuini consilij, quòd tam idonea, & accommodata ratione id fecerit: quòd tum ad hæc, tum ad alia multa, & argumenta, & stimulos magnos, in sacra Passione habemus. Neque id mirum videri debet, cùm Manna, quod misit Deus in deserto, omnes haberet sapores, quoscunque ille appeteret, qui illud comederet: minimè igitur mirandum has omnes virtutes, & facultates habere illum Dominum, qui in illo manna figuratus est. In quo præclarè cernitur, quòd tam magni, quàm parui, summi, & infimi, perfecti, & imperfecti, quilibet in suo genere suum cibum in hac sacra arbore habet.

Exod 16. Sap. 16.

Sapientiores Philosophi felicitatem in diuinarum perfectionum cōtemplatione

platione posuerunt; idque ex creaturarum cognitione, & ordine colligebant. Sed vt huius ordinis perfectam notitiam assequerentur, totius Philosophiæ studium opus erat, multorumque annorum, tamen vix de Creatore cognitum fuit aliud, quàm sapientia, & omnipotentia: cùm multi fuerint, qui prouidẽtiam, & paternam curam negârunt, quam de humanis rebus habet, quod nobis potissimum sciendum est, vt superius declarauimus.

Quamobrem diuinæ bonitati placuit pro creaturarũ libro (in quo magni tantùm Philosophi legere possunt) in sui filij morte nobis sapientiæ librum dare tam copiosum, & tam apertum, vt anicula, & agricola sine literis, tãtam diuinarum perfectionum partem, hoc est, bonitatis, charitatis, misericordiæ, iustitiæ, prouidentiæ, & amoris, quo hic Dominus prosequitur bonos, & odium, quo malos, & illorum scelera, quod Christianæ philosophiæ fundamẽtum est, cognoscere possint. In quo non requiruntur literæ, non ingenij acumen, non multorum annorum studium; imò simpliciores homines, qui minùs discursu valent, nonnunquam ad hanc sanctam exercitationem sunt accommodatiores; quæ quidem potiùs pium affectum, & voluntatis sensum postulat, quàm acutos intellectus discursus: qui nonnunquam voluntatem exhauriunt: quò enim magis in aliquam partem vis animæ distribuitur, eò minùs sibi restat, quod alteri tribuat.

Sæpe igitur illi summo Domino gratias agamus, qui hac ratione nobis huius mysterij philosophiam parauit, in qua præter alios fructus, quos hîc narrauimus, tanta facilitate non solùm apertissima argumenta ad illas diuinas perfectiones cognoscendas, quas suprà diximus, sed multò plures stimulos compunctionis, amoris, admirationis, deuotionis, & misericordiæ inuenimus. Cùm enim in sacræ passionis historia tot sint loca dolorum plena, vix tam durum reperietur cor, quod non fiat molle, & misericordia afficiatur, cùm illum innocentissimum agnum tantopere nostra causa pati videat. Tot enim, & tanta fuerunt tormentorum genera, & iniuriarum, quas ille passus est, vt non solùm, cùm esset, qui ipse erat, verùm etiam si publicum reum, & multis sceleribus obstrictum ea pati videremus, misericordia profectò afficeremur. Et vnà cum hac misericordi affectione, & sensu, aliæ sequuntur nõ minùs salutiferæ, & vtiles, quorum id fundamentum, & stimulus est.

DECIMVS SEXTVS FRVCTVS ARBORIS CRVCIS, *quod est habere, quòd in nostris precibus per eam quid offeramus, & allegemus coram Domino.* Cap. XXII.

ORATIO (vt inquit S. Bernardus) est meditationis soror, atque comes; quòd vt altera sine altera reperiatur minimè æquum est. Quàm autem hæc virtus nobis sit necessaria, quamque sit Christiani hominis propria, alio loco scripsimus. Quàm autem diuturna esse debeat, docet Saluator inquiens: *Oportet semper orare sine* Luc. 18.
intermissione: & Apostolus docet, vt sine intermissione oretur: & Dauid, cùm 1 Thes. 5. Psal. 24.
inquit: *Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Quæ verba non continuationem punctalem à nobis postulant, sed moralem, quod est nobis consulere, vt oratio quàm fieri potest longissima sit.

Ad hanc continuationem nos duo potissimùm impellunt; quæ sunt: ex altera parte necessitas, ex altera diuinæ bonitatis benignitas. Necessitas est, sexcentis molestiarum generibus semper laborare, & perturbationibus, & tentationibus innumerabilibus affici. Diuinæ autem bonitatis benignitas nos ad orandum inuitat; nunquam enim ad illum oculos extollimus, quin aliquam illius gratiæ consolationem accipiamus, cùm nemo gratiam ab eo petat, quin illius misericordiæ auxilium consequatur.

Vt autem petitiones nostræ efficaces sint, vt cum alijs virtutibus sint iunctæ necesse est, præsertim cum ea spe, fore, vt quod petimus consequamur.
Mat. 11. Quare Saluator dixit: *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Hanc autem fidem, & spem quis tam firmam habebit, vt hîc requiritur; cùm homines, præsertim verè humiles, se sine meritis sentiant, & peccatis onustos, quæ tanquam venenum sunt, quod statim cor petit, atque conturbat? Ad id respondemus, nos non agere hîc cum eo homine, qui in peccatis inuolutus, in illis perseuerare vult; sed cum illo, qui ab eis abhorret, & pœnitentiæ Sacramento illa expiat. Hic autem pro meritis, quæ sibi desunt, ad nostri Saluatoris merita se recipiat; qui in suo testaméto, sua morte & sanguine confirmato, omnium suorum meritorum, & molestiarum in eo, quod ad se spectat, nos hæredes fecit: nam quemadmodum pro nobis de cælo in terram venit, sic quæcunque in terris passus est, pro nobis passus est; ab instanti enim eius conceptionis tam diues fuit bonis gratiæ, & gloriæ, vt nunc in cælis est. Quare cùm sibi merita opus non sint, neque sit consentaneum, quòd frustra laboraret, & mereretur; has omnes suorum meritorum diuitias ad humani generis salutem constituit. In hoc fides, & spes, quæ ad orationem requiritur, consistit: cùm certi simus, id omne nostram esse facultatem, vt nostro Creatori offerre & exhibere possimus, gratias ab æterno Patre per suum filium petentes, qui noster Pater, noster Aduocatus, noster Sacerdos, & noster Rex est.

Quamobrem, vt alicuius patris filius, qui alicui Regi multum seruiuerit nulla mercede vnquam habita, petit, vt sibi satisfiat, & præbeatur, quod suo patri debetur: sic homo ab æterno Patre per merita Christi petere potest, cùm
Isa. 63. noster sit pater, vt illum Isaias vocat, & noster secundus Adam, nostri spiri-
1. Cor. 15. tus regenerator, vt illum S. Paulus vocat. Et quemadmodum ille filius in sua petitione omnes dies seruitutis numerat, & omnes operas, vt Regem magis obliget: sic debet ille, qui orat, omnia filij Dei itinera, labores, molestias, vigilias, orationes, persecutiones, famem, sitim, frigus, æstum, paupertatem, calumnias, accusationes, & tandem omnia tormenta, & iniurias passionis suæ sacratissimæ enumerare, initio sumpto ab illo doloroso sanguinis sudore, per cæteros angores, & dolores, vsque ad expirationem in Cruce progrediens. Hoc autem pio discursu non poterit homo timere, cùm videat, quàm multa & copiosa, quæ pro se offerat, habeat, quàm iustasque rationes habeat, quibus misericordiam & veniam petat. Et hoc modo (vt dicitur) vno itinere duo negotia expediet: cùm meditationis exercitationem cum oratione coniungat, piè omnes passionis partes enumerans, & per illas à communi Domino misericordiam petens.

Has

Hac ratione aliud quoque perficiemus, quod Deus in lege iubebat, id est, *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Nam oblatis omnibus sui amantissimi filij, & patris nostri meritis, & molestijs, cuius quidem nos hæredes fecit, (vt diximus) dici non poterit nos in illius conspectu vacuos apparere. Vbi admonendum est, vt cum omnibus huius Domini molestijs illud addamus, quidquid in hoc mundo vel fecimus pro eo, vel passi sumus; quòd cum illius magnis meritis, & illorum virtute, nostra pretium, & valorem habebunt. Exo 23. & 34.

In quo cernitur, quantò plura nostræ preces nunc habeant auxilia, quàm olim Patrum preces habebant. Illi enim, vt Deum placarent, & ab eo misericordiam consequerentur, animalium sanguinem offerebant: nos verò filij Dei sanguinem offerimus. Vt ipsi vmbram, & figuram haberent; nos vero ipsam veritatem habeamus. Quantum autem inter sanguinem & sanguinē, inter sacrificium & sacrificium interest, tantum inter nostram, & illorum oblationem intersit, necesse est. Ipsi præterea in suis precibus & necessitatibus horum trium sanctorum Patriarcharum, Abraham, Isaac, & Iacob, merita allegabant; (eos enim Moyses allegauit, vt Deum placaret propter vituli peccatū) nos verò quæ offeramus filij Dei merita habemus, quæ infiniti pretij & valoris sunt. Quantò autem melior est nostra, quàm illorum conditio? Illi enim homines tantummodò erant; hic, homo & Deus erat. Illi, licet Sancti, tamen peccatores erant: at hic innocens, & sine peccato fuit. Illi si suo cultu merebantur, sibi merebantur, non autem alijs: at hic Dominus, cui nihil opus erat, quod operatus, passus & meritus est, Ecclesiæ suæ sponsæ id omne donauit. Exo 32.

His igitur pignoribus, hoc duce, & hoc præde magna confidentia affecti ad thronum diuinæ misericordiæ supplices imus. Patriarcha Iosephus suis fratribus dixit: *Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo.* Sic eum adduxerunt, & ita ab illo cum gaudio accepti fuerunt, maximoq; cum honore fratris causa, quem summopere diligebat. Illud autem fingamus æternum Patrem nobis dicere, ne ad illum accedamus sine illius amato filio, & fratre nostro; & speremus fore, vt si illum nobiscum adduxerimus, maximo apparatu ab illo accipiamur; & illud nobis sit semper in animo, ne vnquam ab illo misericordiam petamus, quin illi filium offeramus, & per eum postulemus, vt Ecclesiam in fine singularum precum facere cernimus. Quòd id est Christi nomine petere, vt ipse nobis iubet. Cùm autem nostra oratio (vt suprà diximus) perpetua esse debeat, illud sequitur, quòd semper in ore, & in animo illam nos habere debemus. Neque quisquam existimet fore, vt Patri simus importuni, & illius gratiarum fontem exhauriamus, cùm toties per illius filium misericordiam petamus; imò si noua lætitia in illum cadere posset, ea afficeretur, quotiescunque per illum gratias ab eo peteremus: sed licet non sit noua lætitia, non tamen in eum non cadit, sed est, & fuit, & semper æterna erit. Gene. 43.

DECIMVS SEPTIMVS ARBORIS CRVCIS FRVctus, qui est gratia, & auxilium in tentationibus. Cap. XXIII.

DVM

DVM in hac vita versamur, nunquam nobis desunt tentationes,
Num. 32. cùm tota vita tentatio dicatur. Quamobrem, vt scribitur, quòd filij Israel armati ad superandam promissionis terram iuerunt; sic & illi debent ire, qui veram promissionis terram expugnare desiderant, quæ beatitudo gloriæ est. Huius autem militiæ arma, non corporalia, sed spiritualia sunt: ad hanc enim pugnam magis nobis oculi, quàm manus prosunt. Neque id mirandum est, cùm serpentes reperiãtur, qui respicientes occidunt: nos etiam respicientes occidimus serpentes infer-
Num. 21. nales, non autem ipsos, sed illam serpentis imaginem, quam Moyses in deserto Dei iussu in sublimi loco collocauit, vt cùm filij Israel à serpẽtibus morderentur, qui ibi eos feriebant, & occidebant, oculos in illam serpentis imaginem conuerterent, & statim sanarentur. Quãdo igitur ab illo antiquo serpente læsi erimus, in hunc pictum serpentem, qui Christus crucifixus est, oculos conuertamus, cùm extrinsecus peccator videatur, cùm tam procul sit à peccatis: quòd si eum respexerimus, sani erimus.

Huius rei vsus est, vt dum homo aliqua mala cogitatione erit affectus, statim quàm maxima fieri potest celeritate oculos ad illius figuræ, tantis vulneribus affectæ, quam Saluator in Cruce habebat, considerationem conuertat. Fingat se ante oculos illum habere, & respiciens illud innocentissimum corpus, vt in illa se habet cruentum, suo naturali situ omnia membra mota, sua propria figura mutata, vultum sputo fœdatum, caput spinis circũdatum, humeros verberibus laniatos & laceratos, oculos mortis præsentia obscuratos, & vbi illum hoc modo meditatus fuerit, mente agitet, id omne illum Dominum pati, vt peccatis satisfaciat, & de mundo illa in exiliũ eijciat, & hoc considerans dicat: Domine, qui tam dura tormenta passus es, vt pro meis peccatis satisfaceres, & illorum turpitudinem mihi ostenderes; & ego tamen peccare audeam, & illud facere, cuius remedium tu tanti emisti? Tuæ infinitæ bonitati minimè placeat Domine id permittere, sed potiùs ima terra dehiscat, & me absorbeat, quàm ego quidquam huiusmodi committere audeam. Adiuua me Domine, & Redemptor, & ne permittas, vt hic pretiosus sanguis frustra pro me sit effusus, & id amittatur, quod tanto pretio emisti.

Hoc autem est remedium cõmunius & efficacius, quod Dei serui habeant
Psal. 103. in tentationibus, quod nobis Dauid declarauit, cùm inquit, *petram esse refugium herinaceis*. at alia versio pro herinaceis lepores ponit, qui suum cubile in petra ponunt, quò quàm celerrimè se recipiunt, cùm eos canes persequuntur.
Prou. 30. Qua astutia illos numerat Salomon inter quatuor animalia, quæ astutiora esse dicit. Itaque post formicam, quæ vna est ex quatuor, (scit enim probè prouidere omnia tempore suo sibi necessaria) statim leporem ponit, qui sua cubilia in petræ foraminibus ponit. Hæc autem petra quænam est, nisi Christus Saluator noster in Cruce, omnibus petris in perferendis tormentis fortior? Hæc autem foramina quænam sunt, nisi ipsius vulnerum sacratissimorum, quò lepores currunt, & se recipiunt, quæ sunt animæ Deum timentes, cùm hi canes infernales illas persequuntur, & aggrediuntur, vt deuorent.

Hoc est vniuersale remedium pro ijs omnibus, quos aduersarius noster aggreditur. Neque minùs particularia remedia in hac arbore ad omnes alias singulorum vitiorum tentationes reperiuntur.

Nam si ambitione tentatus fueris, & superbia; extolle oculos, & cęlorum Creatorem respice, & Angelorum Dominum, qui beatorum gloria est, inter latrones crucifixum cum Propheta dicentem: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Psal. 21. Si te auaritia aggreditur, & te continet, quo minùs pauperibus subuenire possis; illius Domini liberalitatem intuere, qui totum suum sanguinem effundit, vt nostris necessitatibus subueniat. Si turpis luxuria tuum cor falsa suarum voluptatum, & illecebrarum specie allicere voluerit; immensos dolores contemplare, quos ille innocentissimus agnus in omnibus suis membris patitur, vt pro suorum voluptatibus satisfaciat. Si de tuo corde tabificam inuidiam vis euellere; maximam illius Domini charitatem animaduerte, qui illam vitam pro omnibus amicis, & inimicis offert, quæ omnibus creatis vitis longè valore antecedit. Si gulæ deliciæ te ad edendi, & bibendi gustum inuitauerint; electuarium respice, quod mundus suo Domino administrauit in tanta necessitate, quod nulli hominum vnquã, licet sceleratissimus esset, exhibitũ fuit, quod fuit fel, & acetum: fel ante crucem, & in ipsa cruce acetum. Quòd si iræ furiosæ, & imprudentis perturbatio ad vindictæ cupiditatem te impulerit; animaduerte quanto silentio, quanta mansuetudine, quàm mira patientia ille innocẽtissimus agnus tot iniuriarũ genera passus est, & ita, vt nunquam os aperuerit, nisi vt pro ijs suum Patrem rogaret, qui tam crudeliter eum afficiebant. Quòd si acedia (quæ virtutum, & spiritualium exercitationum fastidium est) te frigidum, & pigrum reddit in ijs rebus, quæ ad tuam salutem pertinent; animaduerte quanta animi propensione, & deuotione suis se offeret inimicis ille Dominus, cùm illis ipse occurrerit, vt de tua salute tractaret. Vide igitur, quàm efficacia remedia in Crucis arbore nos habeamus aduersus omnes inimici tentationes.

DECIMVS OCTAVVS ARBORIS CRVCIS FRVCTVS, qui sanctorum Martyrum victoria & triumphi fuerunt. Cap. XXIIII.

EX omnibus rebus, quibus Christiana religio gloriari potest, illa maxima est, tam multorum Martyrum sanguine fundatam, & testatam esse: neque dubitandum est, quin ipsi sanctæ Crucis exemplo, & virtute sibi maximas vires adiunxerint. Nam licet omnes Sancti, qui vnquam fuerunt, (vt suprà diximus) sunt huius arboris fructus, (quod propter hanc causam scribitur, quòd cælestis Agnus ab initio mundi sacrificatus fuit; quòd ab illo tempore illius meritum in omnibus iustis operari cœpit) tamen præcipuè sancti Martyres maximè proprius fructus fuerunt, & omnium perfectissimus; ipsi enim non solùm carnis mortificatione Christi crucem complexi sunt, sed etiã sui corporis morte, & sanguine, quem pro illius Domini gloria effuderunt, qui pro illis suam vitam profudit. Cùm certum sit, quòd maior vis, quàm sancti Martyres in suis certaminibus habuerũt, fuit, oculos in altissimum Dei filium cruci affixum conuertere, qui omnium maximos dolores in suo delicatissimo corpore & anima, non pro se, sed pro alijs patiebatur. Hac enim consideratione, hoc exemplo, huius mysterij viua fide, hilari vultu, & fortiter omni-

omnibus tormentis se offerebant, quæcunque tyrannorum callida crudelitas, & dæmonũ furor, & rabies inuenire poterat. Et hoc auxilio ex his omnibus victoriam deportabant. Propter hanc causam hic fortissimus signifer voluit, vt in sacra passione tot genera irrisionum, vituperiorum, flagellorum, colaphorum, nuditatis, defectionis discipulorum, ab altero ad alterum iudicem, & ab altero ad alterum tribunal deductionis, adessent: vt in omni tormentorum genere, quod Martyres paterentur, in eo sibi patientiæ exempla reperirent. Illud enim certum est, quòd vt maior Ecclesiæ gloria sunt suorum Martyrum victoriæ, qui suo sanguine illam fundârunt, & defenderunt; sic ex præcipuis quæ nostræ salutis auctor in sua passione respexit, fuit Martyribus patiendi exempla relinquere, & eos efficere, qui patiendi fortitudine mererentur.

Sciebat etiam, quòd nullam maiorem gloriam Deo dare poterant, quàm illi ita fideles esse, vt potiùs omnibus martyrijs, quæ in humano corpore possunt exerceri, vellent lacerari, raptari, & torqueri, quàm vel minimum quidem suæ obedientiæ, quam illi debebant, minui. In omnibus enim humanæ naturæ rebus (licet omnibus gratiæ auxilijs sit munita, & adiuta) nullum aliud maius sacrificium inuenitur, quod Deo possit offerri, quàm hoc. Quamobrem non iniuria huiusmodi tormentis se obtulit Saluator, vt illis sanctorum Martyrum tormenta leuaret.

Huius rei figura in illo ligno præcessit, quod amaras in dulces aquas conuertit. Vbi enim Israel populus mare rubrum transiuit, per tres dies aquam
Exod. 15. dulcem non inuenit, amaram tantummodò reperiebat, ex qua nullo modo bibere poterant. Siti verò laborantes, in Moysen exclamârunt, dicentes, Quid bibemus? Tunc Moyses Deum orauit; qui illi quoddam lignum ostendit, & iussit, vt illud in aquam iaceret. quo facto, statim ex amara dulcis facta est, ex qua vniuersus populus bibit. Quis in eo sanctæ Crucis virtutem significatam non videt? Lignum siccum quid habuit ad id, vt hanc mutationem faceret, cùm solum diuinum verbum satis esset? Cùm autem omnia diuina opera ab illius diuinæ sapientiæ fonte proficiscantur, (quæ nihil sine summo consilio facit) quid aliud hic commodiùs figurare potuit, quàm ligni Crucis virtutem, quod operatum est, vt amarissimæ Martyrum tribulationũ aquæ, & cæterorum Sanctorum, quas nullæ humanæ vires bibere poterant, biberentur maxima cum suauitate; & quod natura erat abominandum, id diuinæ gratiæ vis efficeret expetendum? Nónne id præclarè cernimus, non solùm in multis viris, sed etiam in multis teneris virginibus, quæ sponté, & maximo cum gaudio ad martyrij aquas amaras bibendas se offerebant, cùm sibi satis suaues viderentur propter illam causam, propter quam illas bibebant?

Vt autem apertius cernatur, quanta gloria inde ad Deum venerit, hoc in loco declarare volo, quibus præcipuè modis possit homo Deum gloria afficere. Primus est, & communior, qui laudis vocibus fit, cùm Psalmis, & hymnis laudum nostri Creatoris laudes celebramus: vt sanctus rex Dauid ordinauit sua tempestate, & ex eo tempore omnes illum hac ratione secuti sunt. Quod honoris genus petit Deus in Psalmo 49. vbi missa faciens veterum animalium sacrificia, hoc laudis sacrificium petit, inquiens: *Immola*

Deo

Deo sacrificium laudis: & redde Altißimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. In fine autem eiusdem Psalmi huius sacrificij fructus declarat, inquiens: *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Hic est primus modus honorandi Dei verbis sanctis, quæ de corde exeunt.

Alius modus est, & præstantior, qui non fit verbis, sed operibus virtutis, & religionis. quibus quidem & idem Dauid Deum honorabat, inquiens: *Tibi confitebor in directione cordis in eo, quod didici iudicia iustitiæ tuæ.* In quo quidem bona vita consistit, qua quidem Deus meliùs honoratur, & glorificatur. Hoc modo iussit Saluator suis discipulis, vt æternum Patrem glorificarent, inquiens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Idem suadebat S. Petrus Apostolus sui temporis fidelibus, illis hanc piam vitam valde commendans, vt qui de illorum vita detrahebant, tanquam impiorum, illorum bona opera considerantes, Deum glorificarent. Hic est secundus honorandi Dei modus, bona scilicet vita. Cùm enim hoc sit Dei opus; sicut qui picturam laudat, etiam artificem laudat, qui eam pinxit; sic qui suam vitam perficere laborat, illius præcipuum auctorem, qui Deus est, laudat & glorificat. In hanc sententiam Isaias Propheta iure optimo homines plantas vocat, quas Deus plantauit, vt ab illis glorificaretur. Psal. 118. Matt. 5. 1. Pet. 2. Isa. 61.

Tertius glorificandi Dei modus, hic idem est, cùm motis contradictionibus, & persecutionibus in illum, perseuerat tamen homo in sentẽtia ita constanter, vt ab ea (vt dicitur) ne latum quidem vnguem discedat. Hi enim vt optimus ensis sunt, qui, licet illius mucro ad capulum detorqueatur, tamen in pristinam rectitudinem reuertitur. Est præterea vt purum aurum, quod ab igne nullam mutationem suscipit. Hoc pacto perseuerabat S. Tobias in pietatis operibus, quæ faciebat quidem, licet multi illius voluntatem ab illis alienare conarentur, cùm ante illius oculos proponerent, quæ pericula inde imminerent. Tob. 2.

Sed quoniam ex omnibus vitæ periculis, & ex omnibus terribilibus, vltima mors est, (vt Aristoteles inquit) inde fit alius præstantior glorificandi Dei modus, qui est illorum, qui suo Domino tam fideles sunt, & in illius seruitio perseuerant constantes, vt potiùs mortem oppetere velint, quàm quidquã facere, quod sit contra fidem, quam illi promiserunt. In quo numero sancti Martyres erant, qui maluerunt vitam amittere, quàm fidem suo Domino datam fallere. Quòd autem hic modus glorificandi Dei sit valde præstans, amatus Euangelista declarauit tunc, cùm dicente Christo ad S. Petrum, *Cùm senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis.* (his verbis significando eum crucifixum moriturum) subdit statim Euangelista: *Hoc autem dixit significans, qua morte glorificaturus esset Deum.* Quibus verbis non sine magno consilio Euangelista vocauit mori in Cruce Deum glorificare. Qua enim re magis humana natura potuit hunc Dominum glorificare, quàm operibus ostendere, se illum æstimare, colere, & venerari omnium maximè, cùm vitam profundere vellet, & cætera omnia bona caduca, quibus cum illa vtimur, ne fidem illi datam falleret? Qui autem eò peruenit, quid seruo fideli Ioan. 21.

reliquum est, quod pro sui Domini gloria faciat? Nam (vt inquit Saluator) Ioan. 15. *Nemo maiorem charitatem habet, quàm qui ponit animam suam pro amicis suis.* Saltem nullum est hoc signum charitatis maius. Quamobrem iure optimo Euangelista inquit mori pro Deo, esse Deum glorificare. Nulla videtur profectò alia ratio maior glorificandi Dei, quàm hæc est.

Cùm autem multa sint mortis genera, illud magis illum glorificat, in quo tormentorum generibus crudelioribus afficiuntur, qui patiuntur. Hoc enim non est semel mori, (vt is, cui caput abscinditur, moritur) sed multoties, idq; diuturno tempore. Non enim tyranni eò spectabant, vt occiderent, sed vt sanctorum Martyrum fidem tormentorum vi frangerent, & ad nihilum redigerent; vt hac ratione Martyres viui, & victi, & tyranni victores remanerent.

Quis autem crudelitatum, & tormentorum inuentiones, nunquam antea visas, quibus conabantur hi Satanæ ministri illos gloriosos equites à fide remouere, & alienos facere, verbis explicare poterit? De quibus beatus Martyr Cyprianus in quendam nostræ religionis detractorem scribit, sic inquiens: Innocētes Dei amicos, & seruos de suis domicilijs detruditis, suis patrimonijs spoliatis, defatigatis, & catenis opprimitis, in carceribus clauditis, torquetis igne, & ferro, ferisq; bestijs, illorum corpora laniatis diuturnis tormētis, illorum viscerū vulnera multiplicatis, neque vestra crudelitas solitis tormentis cōtenta est: sed ingeniosa crudelitas noua pœnarum genera exquirit.

In Eccl. hist lib 8 cap. 6. In hanc sententiam inter cæteras tormentorum inuentiones scribit Eusebius, quòd in Diocletiani persecutione multis inter digitorum vngues acutas arundines infigebant: alijs super humeros plumbum fusum effundebant. Fœminis verua lignea tosta per naturales illarum partes infigebant, & ita illarum secreta intestina perforabant. Quid autem mihi faciendū est, cùm mihi verba desint, quibus tam abominanda scelera narrem? Non tamen fortitudo fortissimorum, & piorum Martyrum deest, qua suppliciorum inuenta perferrent, quæ callidissimi iudices excogitabant, vt astutam suam sapientiam admiratione dignam efficerent apud illos, qui præsentes erāt, & timorem futuris incuterent.

Sed quoniam de hac re aliàs egimus, nunc partem tantummodò referam cuiusdam diuinæ Epistolæ, quam suæ ecclesiæ fidelibus scripsit sanctissimus Episcopus ciuitatis Thmuis, nomine Phileas, dum esset in carcere catenis onustus, vt eos sanctorum Martyrum exemplo, qui secum patiebantur, ad martyrium animaret.

Euseb. lib. 8. cap. 10. Sed antequam illius Epistolæ verba referam, aliquid de illius virtute, & nobilitate dicam. Hic autem religiosissimus pastor (vt Eusebius narrat) animæ virtutis præclaram originem de cælo trahebat, & mundanam nobilitatem antiquis Romanis acceptam referebat, & in sua Republica primarijs magistratibus perfunctus erat, quòd maxima sapiētia in omnibus artibus, & scientijs coniunxit, & in primis Christianam philosophiam penitus hauserat, vt facilè in ea cæteris omnibus antecederet. Et licet in eadem ciuitate multos propinquos & affines haberet, & nobiles amicos, sæpe coram iudice constitutus fuit, antequam damnaretur, eum adhortante, vt importunas suorum propinquorum preces audiret, & suæ nobilitatis rationem haberet,

& su-

& suos filios respiceret, neq; in sententia persisteret. At ille nihil penitus mouebatur, & illorum admonitiones reijciebat, vt magnum flumen paruuli riuuli vndas reijcit: inquiens, se suam spem in cælo habere, sibiqúe ante oculos Deum repræsentare, & propter hanc causam nullos cognoscere propinquos, nisi sanctos Apostolos, & Martyres suos antecessores. Eo tempore erat quidam Romani exercitus præfectus Philoronomus nomine, qui cùm videret Phileam hoc modo à callido iudice oppugnatum, & suorum propinquorũ lachrymis, qui nullũ damnum illi afferebant, nec ille accipiebat, plena voce inquit: Cur frustra huius viri constantiam tentatis? Quî fieri potest, vt illum infidum reddatis, qui Deo suam fidem dedit? Quî fieri poterit, vt illum ad negandum Deum inducatis, vt hominibus assentiatur? Non animaduertitis illius aures vestris verbis minimè patere? illius oculos vestras lachrymas nõ videre? Quî fieri potest, vt ille hominũ lachrymis moueatur, cuius oculi in cęlo fixi sunt? Populus autem infidelis cùm huiusmodi verba audiret, à iudice postulauit, vt Philoronomus, vnà cum Philea damnaretur. Quod cùm iudici placeret, verũque capite damnauit.

Hic autem tam dignus vir in Epistola, quam ecclesię Thmuis suæ amatæ sponsæ scripsit, post initium sic inquit: Beati martyres, qui apud nos occubuerunt, præclara illa exempla, monita salutaria, & insignes pręceptiones, in diuinis & sacris literis nobis ad imitandum propositas, nulla ex parte contemnentes, oculos animi in Deum omnium effectorem exquisitè intendebant: & mortem pro pietate oppetere secum statuentes, mordicus suæ vocationi adhęrescebant. Ac quoniam isti sancti martyres Christi insignibus decorati, Dominum nostrum Iesum pro nobis hominis naturam induisse pro certo cognouerant, vt omne peccatum radicitus extirparet, & viatica nostri itineris ad vitam æternam suscepti nobis suppeditaret: (non enim rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus est vt homo: humiliauit seipsum vsq; ad mortem, mortem autem crucis) isti inquam idcirco meliora dona æmulantes, omnem cruciatum, omnia supplíciorum genera, quę poterant excogitari, non semel, sed iterum atque iterum sustinuerunt. Atque prę omnibus satellitum terroribus, quos laborabant non verbis solùm, sed rebus ipsis obnixè eis inijcere, non demiserunt animos, neque succubuerunt, propterea, quòd perfecta in illis charitas timorem foras miserat.

Philp 2.

1. Ioan. 4

Quorum eximiam fortitudinem, & excelsam in singulis tormentis animi magnitudinem, quę tandem oratio poterit explanare? Et cùm libera potestas omnibus permissa esset, contumelias & pœnas illis pro arbitratu inferendi: hi fustibus, illi virgis, alij flagellis, nõnulli loris, multi funibus eos percul erunt. Atq; spectaculum nouis vicissim plagarum & supplicij generibus erat variatum, & multum probri habuit, & ignominiæ. Quidam enim primùm manibus à tergo colligatis ligno appensi, & machinis quibusdam membra eorum vniuersa distenta, distractaqúe: deinde à tortoribus ex mandato magistratuũ per totum corpus grauiter diuexati, & non, quemadmodum cum homicidis agi solet, latera solùm, sed venter, tibiæ & genę flagris ferreis cæsæ. Alij pependerunt ad porticum vna manu affixi, & articulorum membrorumq; distentionem, quæ omnem doloris superabat acerbitatem, pertulerunt. Alij vultu

alterius in alterum obuerso ligati, & columnis pedibus non ad terram demissis appensi, sic vti cùm funes acrius retraherentur, & contentiùs, corporis grauitate ac pondere acerbiùs premerentur. Neque tantisper solùm dum præses cum illis quæstione disceptabat, illisq; examinandis vacabat, sed per totum ferè diem istud supplicij genus sustinuerunt. Quando enim ab illis ad alios profectus est, ministros ipsius auctoritati obsequentes reliquit, qui priores accuratè obseruarent, si fortè quisquam tormentis euictus cedere videretur: mandauitq; vt acerbè, & sine remissione vlla, funibus distorquerentur: & deinceps, cùm iam iam essent animam acturi, rursum in terram demissi passim miserè raptarentur: & nõnulli post verbera in cõpedibus ligneis positi erant, & pedes alter ab altero ad quartum foramen distenti, districtiq; adeò vt necessariò supini iacerẽt, nec possent propter plagarum vulnera, recèns toti corpori inflicta, se vllo modo commouere. Alij in solum proiecti, præ crebris tormentorum ictibus, quos pertulerant, semineces iacuerunt: & propter varia ac diuersa cruciamentorum stigmata, quæ in corporibus habebant, miserabilius spectaculum, quàm cùm torquebantur, oculis contemplantium subiecerunt. Ex his autem, qui ita se habebant, nonnulli in cruciatu mortui sunt, & singulari animi tolerantia aduersarium prorsus confuderunt. Alij semineces in carcerem conclusi, non multis diebus pòst, dolorum grauitate oppressi excedunt è vita. Reliqui valetudine & viribus curatione recuperatis temporis longinquitate, iterum spontè se tormentis offerebant, & cruciamentorũ ministrum inuitabant: at ipsi delusi, & perterriti cùm illorum fortitudinem viderent, illis capita obtruncantes pugnam finiebant. Hæc sacri Pontificis verba sunt, & eius, qui inter illos martyres fuit martyr: quorum chronicam scribebat, quòd inter illos iugulatus fuit.

Quis autem ex altera parte non stupescet tantam sanctorũ Martyrum fortitudinem, & ex altera tormentorum inuentiones, quę homines dæmonibus afflati contra Sanctos inuenerunt? Quòd si dęmonia illorum animarum domini non fuissent, minimè fieri poterat, vt in humana corda huiusmodi immanitas, & crudelitas caderet. Diuina autem gratia tam potens est, vt huic Sanctorum fortitudini, quòd pręterea adderet, non solùm in ipsa passione, sed in omnibus eius circunstantijs, habuerit. Multi enim Martyres tanta fortitudine fuerunt, vt ipsi nullo accusante spontè tormentis se offerrent, vt alios suo exemplo ad patiendum animarent. Alij tam forti, tamq; hilari vultu in illis perseuerabant, vt in medio crudelissimorum tormentorum nullum laborem præ se ferrent. Alij (quos ego magis admiror) tanta libertate, tantoque animi ardore cũ tyrannis loquebantur, illorum crudelitatem reprehendentes, vt hac ratione eos excitarent, & lacesserent ita, vt noua tormentorũ genera excogitarent, & multiplicarent, tum vt suas iniurias vindicarent, tum ne ab illis victi essent. Hac libertate inter innumerabiles alios cum Imperatore Decio S. Laurentius locutus est, illum tyrannum appellans; & S. Vincentius martyr cum Deciano, illum lacessens, & inquiens, quòd inciperet disrumpi cum omni inimici furore, qui in illius pectore versabatur, foreqúe, vt hoc certamine re ipsa cerneret, se maiorem vim habere, qui torquebatur, quàm tyrannum, qui illum torquebat. Neque illa gloriosa promissio vana fuit, quòd cùm tortoribus vires deessent, dixit tyrannus; Iam sumus victi. Iam

videa-

videamus, quò natura humana gratiæ copia adiuta peruenire potest, vt suo Creatori seruiat. Qua ratione potuit creatura ex carne cõstans, & sanguine, magis mõstrare suam fidem, & fidelitatem, & reuerentiam, & obedientiã, & amorem, quo debet suũ Creatorẽ prosequi, quàm hac horribili fortitudine? Quod aliud sacrificium gratius? quæ alia oblatio magis accepta offerri potest? Qua opera magis ille glorificari potuit, quàm seruos tam fideles habere, vt omnes mundi vires, tanta tormentorũ immanitate armatæ, nihil de illorũ fidelitate detrahere possent? Quid aliud hoc est, quã adamantis fortitudinem imitari? qui licet malleo percutiatur, potiùs ille malleum, quàm malleus adamãtem, ingreditur. Multi enim sanctorum Martyrum non solùm ictus tormentorum perferebant æquo animo, sed ea procurabant, & hilari vultu complectebantur. Quid autem in mundo est, quo possint homines magis suum Creatorem glorificare? Taceant cæli, & terra, taceat Solis, & Lunæ, & stellarum splendor: Taceat inquam prætereà gloria, quam Deo Angeli, & Cherubin, & Seraphin dant, si cum hac conferatur. Quid enim aliud omnes ij fecerunt vnquã, quàm se ad Deum conuertere, & eum suum Creatorem, & omnium suorum bonorum largitorem cognoscere, quibus rebellis caro minimè aduersabatur? Hac vna ratione perpetuam gloriæ coronam consecuti sunt: & licet in illis magis splendeat bonitas, pulchritudo, & omnipotentia Creatoris, qui huiusmodi creaturas formare potuit: at hoc sola Dei gratia, & dono, sine vlla illorum molestia, aut pretio fuit: in Martyribus autem vnà cum gratia tanta fuit fortitudo, atque patientia.

Sanctus autem martyr Cyprianus huiusmodi animarum pulchritudinem amans, iure optimo in Epistola, quam nonnullis sanctis Martyribus scribit, exclamat inquiẽs: Quibus vos verbis, inclyti Christi equites, laudabo? quibus publicis clamoribus & vocibus animi vestri fortitudinem magnificabo? Vsq; ad vltimum gloriæ magnas pertulistis quæstiones, neq; tormentis victi fuistis, sed victores. Eorum multitudo, qui aderant, hanc cælestẽ pugnam vidit; vidit Christi seruos in ea libera voce, anima sincera, & virtute diuina versari, secularibus armis nudos, sed fidei armis munitos. Fortiores fuerunt, qui torquebantur, quàm ipsi tortores; & laniata membra ferreos pectines, qui illa lacerabant, deuicerunt: illorum pretiosus sanguis currebat, qui non minùs fuæ persecutionis, quàm inferni flammas extinguebat. Quàm formosum spectaculum hoc Deo fuit, quàm magnum, quàm altum, quàm pretiosum, quàm gratum. Quàm gaudens aderat ibi Christus, quàm libenter vnà cum illis pugnauit, & vicit; quàm fortiter illos fortes milites, & illius nomen confitentes roborauit, & animauit. Qui enim semel pro nobis mortem vicit, semper in nobis vincit. Hoc est nostrę fidei certamen, in quo pugnamus, & cõtendimus, & coronamur, à Prophetis nuntiatum, ab Apostolis, & sanctis Martyribus exercitatum. Hęc Cyprianus. Epist. 11.

Idem Sanctus in alia Epistola ad alios Sanctos scripta, qui capti erant, vt torquerentur, sic inquit: Saluto vos amantissimi fratres, quorũ præsentia frui velim, nisi loci distãtia mihi impedimẽto esset. Quid enim gratius, quid optatius mihi contingere posset, quàm vobiscum esse, & illas puras, & innocentes manus complecti, quę debitam fidem Domino seruantes, idolorũ sacrilegum cultum abiecerunt? Quid lætius, quid altius, quàm illa ora habere, quæ gloriosis Epist. 22.

riosis

riosis vocibus Dominum confitentur? Quid dulcius, quàm me ... qui seculum neglexerunt, & Deum videre meruerunt, interesse ... cer, qui vestra præsentia fuit honoratus. O beatus carcer, qui De... um mittit. O tenebræ Sole splendidiores, vbi viua Dei templa ... bra diuina confessione sanctificata. Saluto pariter beatas mulieres ... cum sunt, suæ confessionis gloria illustres, quæ suo Domino ... cùm sint fortiores, quàm fœminarum conditio patitur, non solum ... ronę vicinæ, sed cæteris omnibus fortitudinis exempla præbent. ... huius societatis gloriæ deesset, vt omnes hominum status, & ætates ... atorem honorarent, diuina misericordia vestræ confessionis glo... scentulos adiunxit, illud nobis repræsentans, quod illi tres clari ...
Dan. 3. nia, Azaria, & Mizael fecerunt, quos in Babyloniæ camino flam... sunt, & refrigerationem attulerunt. Hęc Cyprianus.

Hoc autem quis sine lachrymis legere potest? Quæ pietas tam ... non resurgat, & excitetur, & admiretur, cùm tantam fidem, & fide... reuerentiam creaturarum in suum Creatorem considerat? ... gloria, & honor est, quæ in terris illi dari potest, cùm hi equites ... to animo, & tanto conatu permiserunt, vt lacerarentur, ne dæmo... mico honorem Deo debitum darent.

Quis autem hominum omnium statuum, ætatum, & condi... titudinem enumerare posset, qui propter hanc causam passi sunt ... Romani Imperatores essent huius sceleris auctores, ipsiq; Mon... tenerent, in omnibus mundi ciuitatibus & prouincijs illorum ... lissima publicabâtur, & ita in illis omnibus infidelium furor ... ctorum sanguis effundebatur.

Quid enim minus à dęmonio expectari poterat, cùm bellū ... illi Christi Euangeliū faciebat, cùm illius tępla, & altaria ... Apollinis templum, quod beatus S. Benedictus Christo sacrauit, ... tes ad fidem conuertens, tantam rabiem in dæmonio excitauit, ... rabatur, vt in gloriosum Sanctū exclamaret, inquiens: Benedi... Cui cùm gloriosus Sanctus nihil responderet, iterum dicebat; ... sed maledicte, cur me persequeris? Quare hic malignus & fu... hominum cordibus insertus hanc tantam tempestatem moue... in maiorem sui inimici confusionem conuertebat, & maiorem ... ronam, & maiorem sui sancti nominis gloriam. Quod omne ... betur, qui in Cruce passus est, cuius virtus, & exemplum fuit ... lamen, quod sancti Martyres in suis tormentis haberent, vt in E... Episcopi Phileæ apparet, quam suprà narrauimus, vbi inquit, ... ni crucifixi exemplum vires administrabat, quibus suorum ... cem constanter paterentur.

Vt iam hanc materiam concludamus, dico, quòd si maius ... quod homines possint Deo offerre, erat, sua corpora, vt illi ... quòd si hæc erat maior experientia virtutis, & fidelitatis, qua ... quòd si hoc erat maioris meriti opus, quàm quodcunque aliud ... potest; quòd si hoc opere Deus magis honorabatur, & glorifica... cæteris omnibus operibus, quæ à pura creatura sperari possunt ...

thus suauius,& holocaustum,&oblatio gratior omnibus,quę illi offerri possunt;& si Martyres,qui hoc modo Deum honorant,innumerabiles erant,(vti diximus)quid dignius Dei filio,quàm fuisse in causa suo exemplo, & suæ passionis merito,huius tantæ,tamq; vniuersalis summi Patris gloriæ?Quid expetibilius,quàm vt vnicus illius passionis dies tot,tantasq; gloriosas passiones; & vnicus tormentorum dies , tam ęterna gaudia pareret;& vnicus de morte triumphus,tam multos triumphos viris,mulieribus, pueris, & puellis afferret,qui gloriosè de mundo triumphârunt? Quàm bene collocata mors, quæ tam multas vitas attulit:quàm fortunata ignominia,quæ tantam gloriam attulit:quàm pretiosum frumenti granum, quod in terram cadens mortuum est,& tam miros fructus tulit.Et vt dicam,quod sentio, fateor quidem, quòd hæc Martyrum fides,& constantia,tanta admiratione digna est,tamq; gloriosa Deo,vt licet Saluatoris aduentus, & passio nullum alium fructum attulisset, nisi hunc,id omne bene collocatum fuisset,quod super hanc petitionem ipse fecerit,& passus est, ex qua tam magna gloria ad Dei maiestatem, & tanta corona ipsis Martyribus venit. Verum est quidem,quod Dauid inquit;*Cæli enarrant gloriam Dei* sed neque cęli,neque terra,neque mare,neque quidquid in illis est,ita hanc gloriam magnificat,vt Martyrum fides,fidelitas,& fortitudo: quod apertiùs intelligetur, vbi ad id peruenienius, vt de tormentorum magnitudine agamus,quibus sancti Martyres affecti fuerunt,& de admiranda fide,& constantia,quæ in illis fuit. Psal 18.

Quòd si hic solus admirabilis fructus satis erat, vt Saluatoris passio bene collocata esset;quantò magis cùm illi addatur,quòd per eam idololatria sublata sit,gentes sint vocatæ, tot animarum millia sint sanctificata, sicut illius meritis sanctificata fuerunt, vnà cum omnibus his arboris Crucis fructibus, quos hic commemorauimus.

DECIMVS NONVS FRVCTVS ARBORIS CRVCIS, qui est, per eam mundum vniuersum ad sui legitimi Regis,& Domini obedientiam,& fidem se recepisse. Cap. XXV.

RESTAT alius singularis fructus arboris Crucis,(ad quem omnes ordinantur, quos hactenus retulimus) qui est, mundum ad sui legitimi Regis, & Domini fidem, & obedientiam, in quem insurrexerat, & à quo defecerat,reduxisse.

Vt autem id melius intelligatur, in memoriam reuocãdum est,quod maxima cõsideratione,& deuotione dignum,quodq; alio loco tractaui,quod est,totam hanc tantam, & admirabilem mundi fabricam, cum magnitudine, & multitudine cęlorum, & stellarum, (quorum magnitudinem homines admirantur)ad hominis vsum, & cibum creatam fuisse.Non enim consentaneum erat,vt pro beluis fuerit creata, cùm nullam sui Creatoris cognitionem haberent; neq; pro Angelis,qui puri spiritus sunt, & ita corporeo loco non indigent,vbi versentur,neq; corporis cibus, quibus sustententur;& multò minùs pro suo Domino,qui ab æterno per infinita secula fuit sine huius mundi vsu;& blasphemia esset, si quis diceret ad gloriam illi tunc defuisse quidquam ex ijs,quæ nunc habet. Reliquum est igitur, vt ad humani corporis vsum,& nutrimentum hæc tanta, tamq; regalis domus fu-

erit creata, & pro illo administretur. Vt mundus propter hominem, & homo propter Deum fuerit creatus, vt creaturarũ beneficio, & ordine, quę propter illius pastum, & vsum creatæ fuerunt, suum Creatorem cognosceret, seruiret, & vt huiusmodi diligeret. Vbi illud digrediendo quodammodo à proposito dicam, quòd cùm Deus tanti hominis corpus ęstimauerit, vt ad illius vsum hoc tantum tamq; admirabile theatrum fecerit, totq; millibus annorum administrauerit, non esse mirum, si pro bono animæ (quæ sine controuersia est corpore longè nobilior) de cælo in terram descenderit, & vt illam redimeret, triginta tres annos contriuerit.

Sed vt ad rem redeamus, cùm hic mundus sit creatus ad hominis vsum, & homo ad sui Creatoris cultum, si homo id fecisset, totus mundus bene dispositus erat: in statu enim & ordine permansisset, in quo illum creauerat Deus. Sed cùm homo quasi arma in Deum tulisset, & Dæmonio illius inimico se subiecisset, totus mundus sine ordine permansit, cùm creaturæ, quæ Dei amico, & filio seruire deberent, illius inimico seruirent. Quo ita existente, mundo nihil opus erat, cùm ad illum finem non deseruiret, ad quem Deus illum creauerat. Propter hanc causam dico, quòd cùm homo contra Deum steterit, & ab eo defecerit, non ille solus, sed vniuersus mundus in ea defectione fuit.

Rem exemplis illustremus. Illud compertũ est, quòd si alicuius prouincię procurator, in ea procuratione ab aliquo rege collocatus, in regem insurgit, & subditi illi seruiunt, & parent tanquam vero domino, & illum armis comitantur, iure dicimus, quòd tota prouincia in illum regem insurrexit, cùm tyranno obediat, & seruiat, qui insurrexit. Illud quoque manifestum est, quòd homo harum creaturarum inferiorum à Deo dominus constitutus fuit, vt testatur Psalmista: *Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas: insuper & pecora campi, Volucres cæli, & pisces maris.* Hic autem administrator si Deo fidelis est, & omnes creaturæ huiusmodi sunt, cùm illi seruiant, cui eas seruire Deus voluit: contrà verò, si homo deficit, & in communem Dominum proditor est, indignissimũ quidem est, vt Dei creaturæ proditori, & inimico Dei seruiant: & quod ad eum spectat omnes illas proditrices, & inimicas Dei facit, cùm sub illius capitalis inimici signis militent. Pręterea mundo in hoc statu perseuerante, Deus illum finem non consequebatur, quem sibi proposuit, cùm illum creauit, quæ sua gloria per hominem erat; & mundi creatio, & administratio frustra erat, cùm suum finem non consequeretur. Ad quid enim cęli tanto ordine moueri debebãt, & terra fructus ferre, & aquę currere, & terræ animalia, & maris pisces, & aeris aues, & Sol, Luna, stellæ, & pluuiæ, & ros cęli homini obedire, si id omne nihil aliud erat, quàm Dei inimico, qui cum dæmonio illius aduersario coniurauit, victum, & arma parare? Propter hanc igitur causam bonitatis & sapientiæ Dei gloriæ minimè conueniebat, mundum nutrire, & administrare, homine in hoc statu perseuerante, cùm id esset suum inimicum tueri, & sibi ipsi bellum inferre.

Psal. 8.

Ex quo illud colligitur, quòd homine ad sui Regis & Domini obedientiã reducto, totus mundus (vt diximus) in ordine à Deo sibi constituto à suo Creatore, relinquitur. Ad quod & illud addo, quòd licet in mundo vnus tantùm homo bonus esset, satis bene constitutum erat, vt tota mundi moles in suo cursu perseueraret, ne bono viro illud deesset, quod ad victum, cultumq; vitę opus

Digitized by Google

opus esset, licet illius nomine improbi his omnibus beneficijs vterentur: id enim omne, & amplius, boni dignitati debetur, cùm Deum tam multis bonis filios Loth, & Esau affecisse cernamus, licet idololatræ essent, suorum maiorum causa. Apostolus autem cùm nauigaret quadam gentiliū naui, & magna tempestas moueretur, (vbi omnes suam vitam desperabant) per Angelū Deus illi nuntiauit fore, vt omnes in tutum portum illius causa peruenirent. Vt ne vnus bonus periret, voluerit Deus, vt improbi illo beneficio fruerentur, quod apud illum collocabat. Vt autem iam omnia dicta colligamus, cùm per Christi redemptionem non vnus, sed multa millia fuerint bonorum, (vt in superiori libro docuimus) iure dicimus, quòd illius aduentus fuit mundi redemptio, licet non vniuersus suo Creatori seruiat; sufficiūt enim boni, qui fuerunt, & sunt in illo, vt dicatur mundus ab eo fuisse reformatus, quòd homine ad sui Domini seruitium conuerso, vniuersus mundus ad illum conuersus fuit. Act. 27.

Ex quo clarè cernitur, illa immensa bonitate non fuisse indignū, id omne facere, quod fecit, vt hunc tantum, tamq; formosum mundum, quem creauit, resarciret, id est, propter omnium seculorum præsentium, præteritorum, & futurorum salutem. omnes enim huius remedij partem sortiti sunt. Quod apertiùs etiam apparebit, si hominis dignitatem considerabimus, qui licet ratione corporis sit tam abiecta creatura, ratione tamē dignitatis finis, ad quem illius anima creata fuit, non est Angelis minor, vt postea dicemus.

VIGESIMVS FRVCTVS CRVCIS ARBORIS, QVI *Gloria beatitudo est.* Cap. XXVI.

RELIQVVM est nunc, vt vltimum arboris Crucis fructum declaremus, qui gloriæ beatitudo est, ad quam vt ad vltimum finem omnes virtutum fructus, quos hactenus recensuimus, ordinantur. Omnes enim tanquam gradus sunt, per quos ad illam cælestem Hierusalem ascendimus. In quam sententiam inquit Dauid, cùm de iustis loqueretur, quòd ibunt de virtute in virtutem vsque ad Deorum Deum in Sion. Hoc tantum bonum est arboris Crucis fructus, cùm nobis manifestum sit, quòd tum hoc tantum bonum, tum reliqua omnia, quæ ad hoc ordinantur, nobis Christi Saluatoris nostri merito per suæ passionis sacrificium concessa fuerunt. Psal. 83.

Quod Apostolus in epistola ad Ephesios testatur his memorabilibus verbis: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, in ipsum: secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, & remissionem peccatorum.* In quibus verbis apparet, per hunc mediatorem nos hæc omnia beneficia consecutos esse, quæ quidem æterno Patri nobis dare placuit. Vt per eum redemptionem, per eum cum Patre reconciliationem, per eum nostrorum debitorum satisfactionem, & per eum nostrorum peccatorum remissionem simus consecuti. Ephes. 1.

Ille nobis cæli portas adaperuit, ille gladium remouit, qui nobis impedimento erat, quo minùs in paradisum ingrederemur: ille nostrorum peccatorum (quem dicunt) processum discidit. Per illum antè electi fuimus quàm creati, vt essemus puri & mundi in conspectu diuino; per illum adoptati in filios, & legitimos sui regni hæredes: per illum fuimus prędestinati & electi, vt essemus beati: & per illum tandem hæc prædestinatio, & hoc Dei decretum suum finem consequitur, cùm nobis cæli possessionem concedat. Hoc declarauit Saluator Nicodemo, cùm ei dixit: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita oportet exaltari filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum*, & credendo amat, *non pereat, sed habeat vitam æternam*. Et per hanc exaltationem hîc intelligit in Cruce affixum esse, & in ea immolatum: huius enim summi sacrificij merito paradisi ianuæ apertę sunt, & nobis ęterna vita datur. Ioan. 3.

Quamobrem diuina iustitia noluit, vt superioribus temporibus hę portę aperirentur, ne fidelibus quidem electis, & amicis suis; tum quòd hoc tantum sacrificium nondum oblatum erat, quo humani generis debito satisfaciendum erat; tum vt ęternus Pater significaret, hoc tantum beneficium sui filij meritis nobis concessum esse. Par enim erat, vt qui prior pro omnibus gloriam lucratus est, is prior etiam illa frueretur. Propter hanc causam S. Ioannes vocauit hunc Dominum primogenitum mortuorum, quòd fuerit mortalium primus, qui resurrectionis fructu frueretur. Post quem multi ex illis Patribus, qui illum diem expectabant, resurrexerunt. Et ita inquit idem Dominus in Psalmo cum suo Patre loquens; *Me expectant iusti, donec retribuas mihi*. Ex quo fit, vt ibi sint futura membra, vbi & caput erit; & vbi erit corpus, ibi & aquilæ coniungentur. Et ita adimplebitur illa petitio Saluatoris, qui loquens cum suo æterno Patre, per S. Ioannem inquit: *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego & illi sint mecum: vt videant claritatem meam quam dedisti mihi.* Apoc. 1. Psal. 141. Matt. 24. Ioan. 17.

Quantus autem sit hic fructus arboris Crucis, per quem beatitudo datur ęternæ gloriæ, quis exprimere poterit? præsertim cùm dicat Apostolus; *quòd oculi non viderunt, nec aures audiuerunt, nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus præparauit diligentibus se*. Illud solum dici potest, hoc esse bonum vniuersale, quod omnia bona complectitur, quæ humana corda expetere possunt; & propter hanc causam pluribus verbis non vtar, vt illius magnitudinem exponam: præsertim cùm id alio loco fecerimus. Illud tantùm dicam, quòd magnitudo beneficij Redemptionis nostræ in hac vita perfectè intelligi non potest, quoad in alteram peruenerimus, in qua per infinita secula immensis bonis fruentes, apertè videbimus, quid huic Domino debeamus, qui tam multis suis doloribus nos emit, & hac quiete nos dignos effecit. Ad quam cognitionem illa pretiosissima stigmata, quæ in pedibus, & manibus, & in latere Saluatoris remanserunt, nobis opem ferent, vt intelligamus, illa pretiosissima vulnera fuisse regias portas, per quas in cęlorum regnum ingrediamur. 1. Cor. 2.

Interea verò dum hic felix dies accedit semper Redemptori pro hoc summo beneficio gratias agere debemus. Quamobrem tria nobis consideranda sunt; scilicet, quod dedit, per quod, & propter quid nobis id dederit. Quod nobis dedit, summum bonum fuit, quod diximus omnia bona complecti: per quod, fuit merendo, & inæstimabili sui sanguinis pretio, & alijs infinitis mole-

Digitized by Google

molestijs, quas in hoc mundo passus est, illud emendo: vtriusque verò causa, fuerunt illius misericordiæ viscera, quibus de alto veniens nos visitare voluit: cùm (vt inquit S Augustinus) non nostra merita eum traxerint de cælo in terram, sed peccata nostra. Quod illa Danielis mystica petra nobis significauit, quæ de monte sine manibus abscisa fuit, quòd de cælo in terram propter nostra merita non venit. Luc.1. Dan.2.

Hi sunt, Christiane lector, Crucis arboris fructus, & illius formosæ palmæ, in quam sancta sponsa (quam initio proposuimus) ascendere cupiebat, vt hos fructus colligeret. Verùm cum his alij innumerabiles sunt, qui verbis explicari non possunt. Omnia enim spiritualia bona, omnia remedia, & auxilia, & medicinæ, quas animæ recipiunt, ab hac gloriosa arbore proficiscuntur. Quamobrem iure optimo S. Ioãnes Chrysostomus exclamat in quodam Sermone, quem de Cruce facit, sic inquiens: Crux est Christianorũ spes, mortuorum resurrectio, cæcorum dux, baculum claudorum, pauperum consolatio, diuitum frænum, superborum euersio, improborum tormentum, contra dæmones triumphus, iuuenum moderatrix, nauigantium regimen, eorũ portus qui periclitantur, & murus eorum, qui in obsidione sunt. Crux est orphanorum pater, viduarum defensio, iustorum consilium, tribulatorum quies, paruulorum custodia, illorum lumen qui in tenebris versantur, regũ magnificentia, pauperum scutum, simplicium sapientia, seruorum libertas, & imperatorum philosophia: Crux est publicum Prophetarum edictum, Apostolorum prædicatio, Martyrum gloria, Monachorum abstinentia, Virginum castitas, Sacerdotum gaudium. Crux est Ecclesiæ fundamentum, Iudæorum scandalum, prauorum perditio, debilium fortitudo, infirmorum medicina, esurientium panis, & sitientium fons, & nudorum tegumentum. Hos tam gloriosos titulos hic Sanctus Crucis arbori tribuit, vt illius virtutis efficientiam nobis significet.

Quamobrem iure quidem sponsa eam cum Nardi arbore, quæ à se emittit balsamum, comparat: *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Pro botro Cant.1. S. Ambrosius Nardum legit, quæ arbuscula est, quæ inter has vites oritur, & (vt idem Sanctus in ea verba inquit) huiusmodi est, vt si pungatur guttas odorati balsami à se emittat. Quod accommodatissimè hic Sanctus Christo crucifixo tribuit, qui ibi clauis, verberibus, & spinis vulneratus manens, nobis balsamum suauissimum, & odoratissimum gratię, & redemptionis, & peccatorum veniæ, & cæterorum vitæ fructuum, quos hîc recitauimus, dedit. Quamobrem idem Sanctus in Psal.36. illud S. Ioannis exponens, *(Quod factum fuit, in illo vita erat)* inquit, in Christo vnum esse, quod factum non fuit, quæ Ioan.1. illius gloriosa diuinitas est: & alterum, quod factum fuit, quod illius sancta humanitas est. De hac autem inquit, quod factũ fuit, in illo vita erat. Quòd caro, quæ in illo facta fuit, vita est; & vulnera, quæ in illo facta fuerunt, vita est; & irrisiones, quæ in illo factæ fuerunt, vita est; & venditio, quæ in illo facta fuit, vita est. Cùm enim à Iuda venderetur, & propter mortem à Iudæis emptus, nos propter vitã empti fuimus. Hæc autẽ vita est, quæ facta fuit, hæc vita est, quæ in mundo apparuit. Hoc enim illud est, quod ante omne principium fuit: postea natum est, vt mortalibus vita esset. Hoc illud granum est, de quo idem Dominus dixit: *Nisi granum frumenti cadẽs in terram mortuum fuerit:* Ioan.12.

ipsum solum manet. si autem mortuum fuerit, multum fructum affert, non vnicum, sed omnes, quos hactenus narrauimus, vnà cum alijs, quos humana lingua minimè explicare potest.

In hanc sententiam scribit Sozomenus vnus ex tribus historicis Tripartitæ historiæ, quòd quidam homo nomine Probianus crudeli podagræ morbo laborauit, cuius remedium Medici ignorant, cumq́ iret ad S. Michaelis, vbi multa miracula fiebant, liberatus fuit, cùm illi hic gloriosus Archãgelus appareret. Fuit autem ita, quòd cùm priùs gentilis esset, conuersus est, sed nõ penitus; sed idem Archangelus illi apparuit, & Crucis signum illi ostẽdit, quod nunc in altari dictæ Ecclesiæ S. Michaelis, illi testans, quòd vbi Christus in illa crucifixus fuit, quidquid Deus pro salute humani generis fecit, id omne fuit huius Crucis virtute, dignæ quidem, quæ ab omnibus adoretur.

Quid autẽ in præsenti nobis reliquum est, nisi vt ex altera parte hos admirabiles fructus considerantes, qui ex sanctæ Crucis arbore colligũtur; & ex altera ineffabilem Saluatoris clementiã, quæ per tantã humilitatẽ, & tam multas molestias, tam multa bona nobis cõmunicare voluit, totam nostrã vitã ad id conferamus, vt illi gratias agamus pro eo, quod nobis dedit, & multò magis pro medio, quo nobis id dedit; quod fuit, illam tantam maiestatẽ tantis, tamq́ multis iniurijs se subijcere, quas S. Augustinus his verbis declarat: Hominũ factor se hominẽ fecit; & nutritus fuit lacte ille, qui stellas regit, vt hoc modo panis esuriret, & fons sitim pateretur, & lumen dormiret, & qui erat via defatigaretur, & veritas falsis criminibus accusaretur, & viuorũ ac mortuorũ iudex iniustè iudicaretur, & innocentia flagellis castigaretur, ac botrus spinis coronaretur, & qui mũdi erat fundamentũ de ligno pẽderet, & Dei potentia debilitaretur, & salus esset sauciata, & vita interfecta. Hæc S. Augustinus.

Verùm Eusebius Emissenus huius beneficij magnitudinem declarat, hoc redemptionis beneficiũ cum beneficio creationis comparans, & sic inquit: Dei filius de alto throno cæli descendit, vt visitaret nos, qui in terris versabamur. Nostra recepit mala, vt sua nobis bona impartiretur. Ex quo licet quidẽ cognoscere, quàm amauerit suum seruum ante culpam, cùm ita illũ post casum glorificauerit, vt plura nobis illius gratia restituerit, quàm natura nobis dederat. Magnum quidem amoris signũ, quo Deus hominem prosequebatur, fuit, quando seruus initio mundi sui Domini imaginem accepit: verùm multò maius, posterioribus temporibus, Dominum serui imaginem recipere. Magnũ fuit beneficium, pium Dominum de se in suæ creaturæ corpore vitæ spiritũ infudisse: at maior fuit misericordia, in redemptionis beneficio nõ sua tantũ, sed seipsum dedisse. Magnum fuit, hunc Dominum voluisse, me illius opus esse; sed multò maius fuit, Maiestatis Dominum se pretium constituisse, cùm tam copiosè hominem redimeret, quòd Deus se pro illo dedit. Multum fuit illud, quod nobis dæmonij malitia abstulit; sed multò plus illud fuit, quod Christi gratia nobis restituit. Magna tandem fuit Creatoris benignitas, cùm hominem nuper de limo terrę natum in Paradisi delectationibus collocauit; sed maior gratia fuit, de profundo inferni illum eruere, & in cæli regnũ transferre. Hæc Eusebius.

Homi. 6. de Symb.

Sed, quoniam huius summi beneficij cognitio, ad Iesu Christi amorem est maximum incitamentum, & stimulus, (in quo omne nostrum bonum consistit)

ftit) mihi visum eft, vbi de Crucis arboris fructibus egimus, effe conueniés, hic de nonnullis præcipuis figuris agere, quibus à mundi initio, Spiritus fanctus in omnibus præteritis feculis, & in omnibus Patriarchis, & facrificijs mira quadam ratione Chrifti myfterij quafi formam nobis defcribere voluit. Nam hæ figuræ ad id maximè conducunt, vt nobis magnitudinem huius beneficij, & charitatis, qua nos hic Dominus dilexit, declarent. Ex quibus nonnullæ ita figuræ funt, & ita ad vnguem hoc myfterium nobis declarãt, vt magis prophetiæ, quàm figuræ, vel rerum præteritarum hiftoriæ, vt in illarum expofitione facilè apparebit, videantur.

TRACTATVS SECVNDVS:

In quo de Chrifti figuris agitur.

DE FIGVRIS, QVAE ANTIQVIS TEMPORIBVS *Chrifti aduentum, & myfterium nobis fignificabant.* Cap. XXVII.

NON contentus fuit Spiritus fanctus tam multis prophetijs & fignis, quæ Chrifti myfterium antecefferunt: fed voluit etiam id nobis ab initio mundi in omnibus Patriarchis, & facrificijs, & in omnibus rebus veteris Teftamenti fignificare, quæ (vt inquit Apoftolus) noui myfteriorum figura erant. Hæc materia valde copiofa eft, cùm in illa multæ figuræ fint, & illarum quælibet habeat multa, quæ confideratione, & cognitione digna funt: vt multi pij homines noftri Saluatoris vitam, & mortem meditentur in his figuris, mel fuauiffimæ deuotionis in harum figurarum fauo inclufum extrahentes.

In hoc exercitio (vt fcribit Philo nobiliffimus Platonicus fcriptor) fideles Alexandriæ commorantes fe continebant, qui fanctiffimam quidem vitam agebant, de quibus fcribit, quòd fanctas fcripturas non folùm intelligebant ad literam, fed etiam fpiritualem illarum fenfum animaduertẽtes, quòd de lege, tanquam de animali, corpus & animam habente, iudicabant. Et ita dicebant, quòd fanctæ fcripturæ litera erat, vt corpus, quod vifui apparet, fed hoc corpus fuam animam habere, qui fenfus fpiritualis eft; quem fubtiliter fpeculãtes tanquã per vitrum aliquod mira fanctæ fcripturę fecreta inueniũt.

Quare fciendum eft, quòd fancta fcriptura fola hanc præftantiam habet, & excellentiam præ omnibus alijs fcripturis. In cæteris enim verba illius, qui fcripfit, aut locutus eft, fenfum declarant: at in fanctis fcripturis non verba folùm, fed eædem res verbis expreffæ fuum habent fignificatum ab eo differentem, quem verba fonãt. Deus enim (in cuius manibus eft rerum omnium proceffus, & cafus) ita difponit, & defcribit, vt fuum fignificatum proprium habeant, vt in fequentibus figuris apparebit. Et quidquid hoc modo fignificatur, fpiritualis dicitur fenfus.

Illud

Illud præterea animaduertendum est, quòd in his Christi figuris, quæ ad sensum spiritualem spectant, quem allegoricum dicimus, communiter beneficium, & remedium, quod ad nos per illum venit, significatur: in alijs verò, præter hoc, nobis illud declaratur, quod nobis faciendum sit, vt huius remedij virtus nobis applicetur. Opus autem est, vt prudens lector vtrunque animaduertat. Nam si ad remedij considerationem solùm se conferat, negligēs, & iners fiat, cùm totam suam salutem in Christi humeris tantùm, & laboribus relinquat, & illam molestiarum partem negligat, quæ ad se spectat, quod est illorum omnium deceptio, qui in cogitationibus suis euanuerunt, & perditi sunt. Et quanquam hæ figuræ sint rationes, & argumēta efficacia ad Christi mysterium demonstrandum; magnopere tamen conducunt, vt nobis inæstimabilis beneficij nostræ Redemptionis apertiorem cognitionem afferāt. Quæ cognitio quò maior est, eò maiores nobis stimulos addit ad virtutes omnes, & præsertim ad duas præcipuas, spem, & amorem. Quis enim mihi amandus est? in quo mihi potissimùm mea spes collocanda est, quàm in eo Domino, qui tanta in me beneficia collocauit, qui tantopere me dilexit? & ea bonitatis, & misericordiæ viscera mihi adaperuit, vt fuit pro me mori? Ad id autem Spiritus sanctus voluit, vt in omnibus his figuris hoc beneficium nobis ob oculos poneretur, & ad id eas hîc narrabimus.

Hoc autem paruo proœmio supposito, hîc non de omnibus Christi figuris agemus, (id enim infinitum esset, cùm totum vetus Testamentum sit noui figura) sed de nonnullis præcipuis: idq; quàm breuissimè. Scribere enim quidquid in qualibet figura potest animaduerti, nimis longum esset. Hîc igitur nihil aliud faciam, quàm vt breuiter res notem, pio lectori amplificationem, & iudicium relinquens. Et licet harum figurarum nonnullæ in nostris concionibus, & sermonibus sint declaratæ: hîc tamen nonnullæ repetēdæ sunt, ne hoc argumentum imperfectum esset, & mancum, si in eo non adessent figuræ, quæ ad hoc mysterium conducunt. Quarum nonnullæ ita illud nobis ante oculos ponunt, vt magis apertæ prophetiæ, quàm figuræ videantur.

Figura de Eua formatione.

EX quibus prior, & antiquior est Euæ formatio, in qua ille supremus Dominus (cui præsentia omnia sunt) ante peccatum etiam remedium significauit, quod per Christum ad nos venturum erat. Nam vt scriptura refert, cùm hanc fœminam formare vellet, Adam somno affecit, & costā ab eo extraxit, in cuius loco carnem posuit, & ex hac costa fœminam formauit, & eam ad Adam perduxit, cui ipse dixit: *Hoc est os ex ossibus*
Gene. 2. *meis, & caro ex carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.*

Quis autem erit tam rudis, quin intelligat, in huius fœminæ formatione adesse mysterium? Nam si Deus creauit hominem de terra, cur fœminam de eodem elemento non creauit? Cùm autem id nollet, cur ex Adæ costa formauit? Cùm autem ab illo costam extraxerit, cur aliam costam non reposuit, sed illud vacuum carne repleuit? Cùm autē Deus infinita sapientia sit, illud quidem compertum est, eum nihil horum sine fine, & sine mysterio fecisse.

Hic igitur primùm nobis Ecclesiæ formationem significauit, quæ ex Christi la-

fti latere desumpta fuit: illi enim in crucis lecto mortis somno dormienti latus lancea aperuerunt, de quo exiuit sanguis & aqua; sanguis pro nostræ captiuitatis redemptione, & aqua pro nostrarum animarũ purificatione: quod per virtutem Sacramentorum fit, quæ inde orta sunt, quæ Ecclesiæ spirituale esse præbent, quod habent, per quod illa Christi amantissima sponsa fit; cuius amoris causa est, se ipsum in illa videre, quod est eundem suum spiritum, & gratiam videre, quæ ex suo latere emanauit. Vt enim ille primus homo maximo amore vxorem suam dilexit, cùm Dei reuelatione intellexerit de sua substantia exiuisse: sic Christus Ecclesiam summo amore dilexit, cùm videat illam à se profectam esse: non enim illam amat, vt alienam, sed vt quæ de suis visceribus profecta sit. Ex quo intelligemus quidem huius amoris magnitudinem, quo Christus Ecclesiam prosecutus est, & omnes animas, quæ in gratia sunt. Propter hanc causam Apostolus hanc figuram exponens, inquit: *Magnum hoc Sacramentum est.* hoc de Christo, & de Ecclesia illius sponsa intelligens. Ephes. 5.

Neque illud minus considerandum est, quòd in fœminæ formatione durum os positum fuit, & in viro caro mollis, vt significaret, quòd fortitudo, quam Ecclesia habet, à Christo venit; & infirmitas, quam in Christo videmus, ad illum venit ab Ecclesia, id est, à nostra infirma valetudine. Et propter hanc causam Martyres fortes ad passionẽ ibãt, propter illud quod de Christo habebant: & Christus ante suam passionem timuit, vt infirmitatem ostenderet, quam à nobis habebat.

De Abel morte.

POST hanc figuram sequitur statim figura de innocentissimi Abel morte, qui à fratre suo Cain interfectus fuit. Huius autem necis causa fuit (vt S. Ioannes inquit) quòd eius opera mala erant, & illius fratris bona: vt inuidia huius tanti sceleris causa fuerit. Genes. 4. 1. Ioan. 3.

Hac autem ratione Iudaicus populus, qui secundùm carnem Christi frater erat, illi mortem procurauit, quòd illius doctrina, & vitę sanctitas suorum inimicorum improbam vitam damnabat. Verùm vt innocentis Abel sanguis ad Deum voces emittebat iustitiam postulans: sic Christi sanguis, licet pro veris pœnitentibus, & humilibus misericordiam postulet, pro ijs etiam iustitiam postulat, qui non credunt, & rebelles sunt. At quænam Dei iustitia, & sententia fuerit, videamus. Sententia fuit Cain dicere: *Maledictus eris super terram: quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Hanc Dei sententiam his temporibus in illa Iudæorum parte, qui in sua incredulitate perseuerant, adimpletam cernimus, qui dispersi per omnes regiones terræ, & inter Turcas, & Mauros, & Gẽtiles, & Christianos, sine Rege, sine sacerdote, sine templo, aut Republica, aut terra, quæ sua sit, maledicti sunt. In quo illius maledictionis adimpletio cernitur, quam ipsi sibi sumpserunt Saluatoris passionis tempore, dicentes: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Quæ maledictio quoddam miraculum est, & prophetia, quæ per omnes ætates & secula cucurrit, atque currit. Cæteræ enim prophetiæ semel suis temporibus adimpletæ sunt: sed hæc continuò adimpletur. Genes. 4. Lucæ 23.

Figura de Noe.

Digitized by Google

Genes. 9. ALIA figura fuit Noe, qui post diluuium vineam plantauit, & illius vinum bibens inebriatus est, & ita in terram cecidit, vt detectus remanserit. Quod illius trium filiorum minor videns, suis fratribus nuntiauit non fine risu, & irrisione, quòd ita Senem lapsum videret. Tunc duo filij maiores pallium imposuerunt humeris suis, & accedentes retrorsum, verenda patris sui honestissimè operuerunt. Noe verò euigilans ex somno, cùm intellexisset, quæ fecerat ei filius suus minor, ei maledixit, & duobus, qui eum contexerunt, & honorârunt, benedixit.

Hic sanctus Patriarcha (qui mundum in Arca conseruauit, quam de ligno fabricauerat) nobis Dei filium significat, qui in Crucis ligno mundũ saluum
Genes. 5 fecit, & redemit. De hoc Noe, cùm natus est, illius parẽtes dixerũt; Hic nobis in labore terræ, quæ maledicta fuit à Domino, consolationem afferet: quod multò magis ad Christum Saluatorem nostrum pertinebit, qui molestiarum, & miseriarum huius exilij, quo damnati fuimus, vnicum remedium, & solamen est.

Hic autem spiritualis Noe plantauit vineam. Hæc vinea (vt inquit Isa-
Isa. 5. ias) Israel domus fuit, quæ cùm vuas ferre deberet, labruscas tulit, amaros scilicet fructus, & insipidos: itaque hæc vinea Dominũ, eam, qui plantauit, passionis suæ vino inebriauit. Qui cùm in Cruce mortis somno dormiret, nudus relictus est: quòd tunc sua morte humanæ naturæ humilitas detecta est, quam pro nobis sumpsit. Eo tempore infelix Cham minor filius, (qui Hebræum populum referebat) suum patrem illusit, vt Pharisæi, & Pontifices fecerunt, qui cùm Saluator nudus in cruce esset, mouentes capita sua dixerunt:
Matt. 27. *Alios saluos fecit: seipsum non potest saluum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Alij autem duo filij huius Patriarchæ, qui duo populi sunt Iudæorum, & Gentilium, qui fidem susceperunt, & hunc Dominũ cognouerunt, sui patris nuditatem operuerunt, credentes, & confitentes illam passionem non esse defectum, sed sacramentum, & humani generis remediũ. Maledixit Noe minori filio, (qui Iudæorũ personam refert) eum perpetua seruitute damnans: quod hac tempestate adimpletum videmus in illa populi parte, quæ in sua incredulitate perseuerat, quæ per terrarum orbem vagatur, & in miseria & dura seruitute viuit. Contra verò alij, qui eum honorârunt, qui fidelem populum referunt vtriusque nationis, qui Iudæi & gentiles sunt; & benedictio, quã illis dat, est in hac vita suæ prouidentiæ, & gratiæ illos participes facere, & in altera perpetuæ felicitatis, & gloriæ.

De Abraha sacrificio.

ALIA mira figura fuit Abrahæ sacrificium, qui Dei iussu montem ascẽdebat, vt suum filium immolaret. Sacrificij verò tempore iussit Deus,
Gene. 22. vt gladium contineret; quòd hac ratione declarauerat ille suæ virtutis & & obedientiæ perfectionem. Propter hoc autem nobilissimum sacrificium Deus solenni iureiurando sancto Patriarchæ promisit tot filios, quot sunt cæli stellæ, & maris arena. hoc enim modo solet Deus illos remunerari, qui illi seruiunt.

Quod exemplum est hoc tam formosum, in quo ille cæli pictor nostræ Redemptionis mysterium descripsit. Primùm enim hîc nobis significatur, quòd

quòd, vt illius nobilissimi sacrificij meritis promisit Deus Patriarchæ Abrahæ tantum filiorum numerum; sic illo diuinissimo Christi sacrificio, in ara Crucis oblato propter Patris æterni obediẽtiam, innumerabiles illi filij, non secundùm carnem, sed secundùm spiritum promissi fuerunt; qui sui spiritus virtute participes suæ vitæ puritatem imitarentur. Hoc significauit Isaias cùm dixit, quòd si hic Dominus suam vitam pro peccatorum remissione offerret, filios multorum annorum videret, (id est, spirituales filios in omnibus mundi ætatibus) & Dei voluntas sua sponte procederet. Hic autem est dies Christi, quem (vt ipse in Euangelio inquit) vidit Abrahã, & gauisus est dum illum videret, quòd inæstimabilem fructum, qui ex illo profecturus esset, cognouit. Isa. 53. Ioan. 8.

Neque minùs dulce est hic considerare, quonam modo ad montem pater & filius irent. Pater enim ignem portabat, & gladium, vt filium immolaret; filius verò ligna, in quibus sacrificandus erat. Hoc autem quidnam aliud est, nisi hic nobis imaginem, & causas passionis Saluatoris ob oculos ponere? Gladius, & ignis quidnam aliud sunt, nisi iustitia, & amor? Hæ duæ virtutes in æterni Patris pectore contendebant, quælibet pro se. Iustitia enim, vt peccatorem puniret, postulabat; & amor, vt illi ignosceret. Has autem duas virtutes Dei filius inter se conciliauit, suam non debitam mortem pro ea, quam totus mundus debebat, offerens: & hac ratione peccatum punitum fuit, & peccator liberatus. Vbi deuotum quiddam est, illum puerum videre illum montem ascendere, super suis humeris ligna portantem, in quibus immolandus erat; & oculis animæ in hac figura innocentissimum & clementissimum Isaac ad montem Caluariæ ambulantem, & super suis sacratissimis humeris, tantis verberibus laniatis, Crucis lignum, in quo crucifigẽdus erat, in quo quidem nostrorum peccatorum pondera collocanda erant (vt S. Petrus inquit) ferentem. 1. Pet. 2.

Figura de Iacob.

QVEMADMODVM hic sanctus Patriarcha Isaac fuit figura Christi, sic etiam illius filius Iacob fuit, duodecim tribuũ pater. Qui vestimentis valde diuitibus & odoratis indutus, & hœdi pelliculis collo & manibus tectis, patri suo sapidum cibum offerens, vnà cum vino, copiosissimam benedictionem ab eo consecutus est. Ille enim sanctus senex vestimentorum odorem percipiens naribus, & illorum odore recreatus, cœpit à Deo pro filio cæli & terræ bona postulare: quæ petitiones non solùm petitiones, sed etiam prophetiæ erant, nuntiantes, quod futurum erat. Hæc autẽ benedictio tam larga, tamq; copiosa fuit, vt non solùm filium, verùm etiam omnes, qui cum illo coniuncti essent, iuuaret. Itaque in fine dixit: *Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur: & qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Hæc est benedictionis historia. Gen 27.

Cur autem Spiritus sanctus hæc minuta Moysi reuelabat, & illius scripti partem esse volebat, nisi hic benedictionis Christi, ad quam omnis scriptura dirigebatur, mysterium nobis significare voluisset? Quis autem est hic tam sapidus cibus, nisi illud regium conuiuium, quod Dei filius suo æterno Patri in Crucis mensa omnium virtutum plenum obtulit? Hoc autem tam gene-

Digitized by Google

rosum vinum, quid fuit, nisi nostri clementissimi Redemptoris charitas, quæ se obtulit omnibus humani generis debitis Crucis sacrificio satisfacturum? Quid autem suauissimus odor diuitum vestimentorum, quibus Iacob indutus erat, nobis significat, nisi delectationem, quam æternus Pater ex suauissimo virtutum sui filij odore percepit, de quo ille dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Matth. 3.

Neque hœdorum pelliculæ mysterio carent, quibus Iacob indutus erat. Ipsæ enim nobis repræsentant peccatoris imaginem, qua Dei filius operuit personam quam habebat, cùm videretur peccator, qui erat iustus, & purus homo, qui verus Deus erat. Huius autem tantæ humilitatis meritum, vt fuit, illud innocentiæ speculum peccatoris imaginem suscipere, pro omnibus peccatoribus absolutionem, & veniam meritum est, si illi, quod ad se spectat, ita se afficerent, vt illud accipere vellent. Hic enim Dominus non pro se solùm benedictionem consecutus est, sed pro ijs omnibus (vt inquit Apostolus) qui illius mandatis obtemperarent. Quod summa huius benedictionis nobis declarat, inquiens: *Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur: & qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Quæ verba, manifestum est, minimè Iacob, cui dicta fuerunt, conuenire; sed vni Dei filio, qui ex illo nasciturus erat; quicunque enim hunc Dominum amauerit, benedictionem, & qui non amabit illum, maledictionem (vt inquit Apostolus) à Deo consequetur.

Heb. 5.

Lucta etiam huius Patriarchæ cum Angelo, est valde præcipua, & mysterijs plena figura operis nostræ Redemptionis. De quo in Genesi scribitur, quòd vbi Iordanum flumen cum tota familia transiuisset, illi Angelus apparuit, & totam noctem cum illo vsque ad manè luctatus est. Cumqúe videret hic vir, quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, vel (vt alij vertunt) in latitudine tetigit, vel femoris summitate, qui locus aruit, & ei dixit: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Iacob verò respondit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Et statim ei benedixit: quem cùm Iacob de suo nomine interrogasset, respondit: *Cur quæris nomen meum, quod admirabile est?* Vocauitq́ Iacob nomen loci illius Phanuel, inquiens: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.*

Gene. 32.

Quis autem erit tam rudis, quin hanc historiam mysteriorum plenã videat? in qua nullum est verbum, cui sua sententia subiecta non sit; quã Eusebius Emissenus hoc modo declarat: Quod mysterium hoc est (inquit ille) vt ille, qui victus est, benedicat; & qui se victorem esse existimabat, claudus remaneat? Per Iacob autem Iudæorum populum intelligimus, qui ab illo ortus est; & per Angelum, qui Iacob apparuit, nostri Redemptoris personam. Hic igitur Angelum victũ videmus, qui Christum significat; & Iacob vicisse, qui Iudæorum populum significat, qui aduersus Christum præualuerũt, cùm eum crucifixerunt. Cùm tamen hic spiritualis Iacob victor esset, à victo petit, vt sibi benedicat, inquiens: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quod autem mysterium hoc est, vt in lucta victus benedicere possit? Apertè hic Christi præstantia demonstratur, qui crucifixus eos redemit, qui eum crucifixerũt: vt victus benediceret, & liberaret, cùm passus esset; & pro nobis intercedebat, qui reus videbatur; & nos absoluit, qui damnatus erat. Sed quid est, quòd

Euseb. Emiss. homil. 1. Paschæ

quòd post luctam Iacob benedictionem accipiens, vno pede claudus erat, altero sano? Id significat, quòd Iacob (qui populum Hebræum designat) pars credere debebat, pars verò minimè. Et quod dixit Angelus; *Dimitte me, iã enim ascendit aurora*: significat nobis, quòd Saluator à morte vinci, non tamen ab ea retineri potuit. Propter hanc causam ela psa nocte laboriosa illius passionis pollicetur fore, vt statim manè illius resurrectionis clarum surgat.

Figura de Iosepho Iacob filio.

HIC sanctus Patriarcha duodecim filios habuit, & inter eos vnum valde dilectũ, qui Iosephus fuit, in quo satis probè Spiritus sanctus Christi mysterium nobis repræsentat. Iosephi enim fratres inuidia & odio, quo persequebantur, quòd illum magis à patre suo diligi viderent, cùm eos in agro inuiseret, eum interficere decreuerunt. Propter hãc causam eum primò veste spoliârunt, quam illi pater fecerat diuersis coloribus, & eum Ismaelitis vendiderunt, qui eo tempore illac transibant, viginti argenteis, quos illis pro eo tradiderunt. Tunicam verò in sanguinem hœdi intinxerunt, illius patri miserunt, vt videret num illa tunica ipsius filij esset. Id omne cum reliquis, quę sequuntur, mira quadam ratione ad Christi nostri Saluatoris mysterium pertinet. Gen. 37.

Primùm fratres sui Iosephum viginti argenteis vendiderunt: & Christus ab vno ex fratribus suis triginta venditus fuit. Iosephi fratres eũ tunica multis coloribus spoliârunt, quam illi suus pater fecerat: & Iudęi (qui secundùm carnem Christi fratres erant) illa formosissima suæ humanitatis veste illum spoliârunt, quam æternus Pater omnium virtutum pulchritudine, & coloribus exornauerat. Illi hanc Iosephi tunicam hœdi sanguine tinxerunt, quem ipsi occiderunt: & hi tunicam humanitatis Christi tinxerunt sanguine, quem ille propter mundi peccata, in hœdo significata, effudit. Iosephus in carcere constitutus vnà cum duobus alijs, alterum ad vitam, alterum ad mortem iudicauit: & idē fecit Christus cum duobus latronibus, qui cum illo crucifixi fuerunt. Illi Iosephum in puteum miserunt; & hi in sepulchrum Christum posuerunt, vbi eum crucifixerunt. Iosephus de puteo viuus exijt; & Christus de eodem sepulchro viuus & gloriosus resurrexit. Iosephus ab Ismaelitis fuit emptus, qui eum in AEgyptum perduxerũt: & Apostoli, qui pro Christo omnia reliquerunt, per omnem terrarum orbem eum prædicârunt. Gen. 40.

Iosephus in AEgypto exaltatus fuit: & Christus in vniuerso terrarum orbe creditus fuit. Iosephus curauit, vt in AEgypto magna frumenti copia esset: & Christus sua doctrina, quæ verus panis est, & animæ cibus, vniuersum mundum repleuit. Vndique omnes in AEgyptum ad emendum panem, vt suam vitam sustentarent, concurrebant: sic ad Christi Ecclesiam diuersi populi & nationes veniebant, vt illius doctrinam, & viuendi rationem susciperent. Denique Iosephi fratres, qui prius illum malè affecerant, & vendiderant, tandem eò peruenerunt, vt illum adorarent, & susciperent: sic magna pars populi Hebræorum eò peruenerunt, vt post mundi conuersionem Christum confiterentur, & adorarent. Gen 41.

Postremùm Iosephi fratres eum vendere decreuerunt, vt in suo dominatu tuti essent: hoc ipsum diuina sapientia ordinauit, vt eum illorum dominum

Digitized by Google

constitueret. Sic & sacerdotum principes, vt Christus damnaretur, curârunt, vt in suo regno tuti essent: hoc quoque adhibuit Deus, vt illud regnum euerteret. nam paucis pôst diebus idem à Romanis propter hoc peccatum radicitus sublatum fuit.

Ad huius figuræ perfectionem nihil aliud deerat, nisi Iosephi nominis cum Christo conuenientia. At neque hoc illi defuit: Rex enim Pharao cùm videret ab illius prouidentia mundo adhibitum esse remedium, quo gens fame minimè periret, illius lingua illi nomen Saluatoris mundi impositum fuit. Quod quàm bene Christo Domino nostro conueniat, vnico Saluatori, & Redemptori, qui iustorum animas nutrit, & sustentat in spirituali vita suæ doctrinæ pane, & maximè illo suauissimo pane, qui de cælo descendit, qui nobis in altaris sacrificio administratur, facilè cernitur.

Figura de Iona.

IONAS quoque inter Prophetas noua ratione Saluatoris mortem
Matt. 12. & resurrectionem significauit, vt idem dixit his verbis: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Vt autem hanc figuram particulatim declaremus, illud animaduertendum est, Ionam à Deo in magnam
Ion. 3. Niniuitarum ciuitatem missum esse ad prædicandum, fore, vt ab eo tempore quadraginta dies euertenda esset: & Christus ab æterno Patre ad magnam huius mundi ciuitatem missus fuit, vt diem salutis, & iudicij prædicaret. quod Euangelium (vt Apostolus ait) vtrunque prædicat. Ionas à nautis petijt, vt se in mare proijcerent, vt eo mortuo, alij salui essent: & Christus spontè se morti obtulit, vt illius merito omnes à morte liberi essemus, & vita æterna frueremur.

Ion. 2. Dixit Ionas in ventre ceti: *Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Et ego dixi, Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum.* In Christum autem ita omnes vndęirruerunt, & indignationis tempestates, quam Deus propter mundi peccata conce-
Matt. 27 perat, vt hæc verba in Cruce Ionæ verbis similia dixerit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Iona in mare proiecto, statim illa tempestas cessauit: & Christo morti propter mundi peccata oblato, omnis diuinæ iustitię furor in peccata conceptus lenitus fuit. Hæc enim vna mors ratione dignitatis personæ, quę patiebatur, ad satisfaciendum huic debito fuit efficacior, quàm omnes omnium hominum mortes. Ionas in suis precibus dicebat: *Domine tolle quæso animam meam à me: quia melior est mihi mors, quàm vita.* Hoc idem potuit dicere Saluator: dum enim viueret, neque vnam gentem saluam fecit, sed moriens hominum genus redemit.

Piscis Ionam suscepit, non comedit tamen illum; & cùm ventrem cibi plenum haberet, fame laborat, & stupet, quòd prædam, quam habet, contingere non potest. Hic autem quis est, qui per os beluæ fame laborantis recipi potuit, & non deuorari? Quis est hic, qui in tam multis periculis tutus manet, & in aquę abysso aere vitę fruitur, & efficit, vt crudelis mors (belua, quæ nunquam satiatur) prædam timeat, quam tenet? Timet, inquam: quòd licet illum

lum crucifixum vidisset, illum non esse reum certò sciebat. pœna enim hominem reum non efficit, sed causa. Hic autem noster clementissimus Saluator est, quem mors occidere, non tamen in suo regno continere potuit, imò moriens mortem, quæ nemini parcit, interfecit. Et hoc modo ex iisdem mortis visceribus vita victrix egressa est.

Resurrectionis quoque Saluatoris illud ferrum figura est, quod in Iordanis aqua operatum est: dum enim ad huius fluminis ripam vnus ex filijs Prophe- 4. Reg 6.
tarũ lignum quoddam incideret, de manubrio ferrum, quo incidebat, egressum est, & in flumen decidit. Tunc ille puer exclamauit in Eliseũ, qui aderat, inquiens, se illud instrumentum, quo lignum cædebat, accepisse vtendũ. Statim iussit Eliseus, vt in aquam manubrium proijceret; quo facto, ferrum in aqua demersum ad aquæ summitatem venit, & se in suo manubrio inseruit, vt antea erat. Hic quoque sanctæ resurrectionis Saluatoris mysterium nobis significatur. Hoc enim modo illo in Cruce expirante, ab illo defesso corpore sanctissima anima se abiunxit; & illo in sepulchro permanente, anima cum diuino Verbo coniuncta, vt durum ferrum, descendit ad inferos, & illas portas confregit, & omnes inferi vires, & inde sanctorum Patrum animas extraxit, qui illic illum expectabant. Hac autem actione tam gloriosa perfecta, illa potens anima, vt Prophetæ ferrum, ad suum sacrum corpus redijt, seque cum illo coniunxit, quod die gloriosæ & triumphantis resurrectionis fuit.

Figura de Samsone.

INTER Iudices Samson quoque nostri Redemptoris in multis rebus figura fuit. Primùm enim Samson contra leges vxorem duxit alie- Iudic 14.
nigenam ex progenie Philistheorum: Christus verò Ecclesiã de gentilium genere congregatam in sponsam accepit. Samson leonem occidit: & Christus principis huius mundi vires fregit, qui in vniuerso terrarũ orbe colebatur, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quẽ deuoret. Sam- 1. Pet 5.
son in huius leonis ore mellis fauum inuenit, ex quo ille suauiter comedit: & Christus ex inimici faucibus illum sanctorum Patrum cœtũ extraxit, qui in illius regno detinebantur, quorum liberatio fuit illi suauior, quàm mellis fauus. Samson intempesta nocte surgens, ciuitatis Gazæ fores sumens in mon- Iudic. 16.
tis iugum pertulit: & Christus intempesta nocte de sepulchro surgens, inferorum portas fregit, & quadraginta dies pòst cum anima & corpore gloriosè ad altius cælum ascendit. Samson tandem plures moriens inimicos occidit, quã viuens: & Christus Saluator noster sua morte huius mundi principum, qui veri nostri inimici sunt, potentiam penitus deleuit.

Gedeon quoque (qui alius Iudex fuit) Christi victoriam nobis significauit. Vt enim hic debili exercitu de Madianitarum fortissimo exercitu victoriam Iudic. 6.
reportauit; sic Christus nonnullis pauperrimis piscatoribus mundi imperio potitus est. Quam figuram, quæ valde mystica est, suo loco fusiùs declarabimus.

Dauid autem (de cuius stirpe Christus descendebat) multis in rebus illum nobis ob oculos posuit: & præsertim in illa gloriosa victoria, quam de quodam magno gigante consecutus est, qui vndique armis circumseptus erat, ni- 1. Reg 17.
hil ille aliud secum ferens nisi baculum, & quinque lapides, quibus illum deuicit,

deuicit, & illius ensem eripuit, quo illi caput detruncauit. Sic & Christus Crucis baculo, & quinque vulneribus, quę in ea accepit, vicit, & deiecit huius mūdi principem, atq; mundo eiecit. Et vt Dauid eodem ense inimici caput obtruncauit; sic Christus morte, quæ ad nos propter peccatum venit, idem peccatum sustulit. Præterea, vt Dauid post multas persecutiones, quas regis Saul odio & inuidia passus est, tandem secundis rebus regnauit: sic Christus post magnas persecutiones, quas in primitiua Ecclesia tam multorum Martyrum morte passus est, tandem adoratus fuit, cognitus, & Deus verus habitus ab ijs, qui antea illum persecuti erant. Vt qui primùm suorum idolorū causa Christum persequebantur, paulò pòst Christi causa sua idola persecuti sint. Ad
1. Reg. 22. Dauid confugerunt, qui ære alieno premebantur, & in sordibus, & lachrymis
Matt. 11. versabantur: & Christus eos omnes vocat, qui suis debitis & peccatis laborāt, & onerati sunt, vt illorum animabus veniam & quietem tribuat. Dauid fidi-
1. Reg 16 bus molestiam leuabat, quam patiebatur Saul, cùm improbus spiritus eum torquebat. Christus verò, in Crucis ligno distentus, vt in cithara fides, leuamen, & consolationem, & remedium ijs omnibus affert, qui ab inimico ten-
2. Reg. 1. tantur. Luxit vehementer Dauid Saul sui inimici mortem: & Saluator tam fuit affectus peccato illorum, qui eum crucifigebant, vt primum verbum, ab eo in Cruce prolatum, pro ijs veniam petere, fuerit.

De Paschali Agno figura.

CVM nostræ fidei fundamentum Saluatoris nostri cognitio, & amor sit, tota lex, omnes Prophetæ, & sanctæ scripturæ omnes semper illum respiciunt: & propter hanc causam illorum auctor, (qui Spiritus sanctus est) non fuit contentus, vt multi sancti Patriarchę in suis personis illum repræsentarent; sed voluit etiam, vt omnia sacrificia imagines essent, & figurę illius summi sacrificij, quod in Cruce offerendum erat. Inter quæ primum, & maximè celebratum, & magis mysteriorum plenum, est illud paschalis Agni, cuius historia hæc est. Cùm Deus constitueret suum populum de AEgypti captiuitate liberare, vbi illam terram multis plagis affecerat,
Exod. 11. decreuit postremam, & omnium maximam adhibere, omnibus AEgyptiorum primogenitis occidendis: qua plaga ita timore perterriti fuerunt, vt ipsi celeriter de sua terra Israel filios eijcerent. Ante verò hanc plagam Moysi ius-
Exod. 12. sit Deus, vt populo significaret, quòd decima Luna illius mensis, qui Martius erat, quælibet domus Agnum duceret, & decima quarta illum immolarent his cæremonijs, quarum partim ad Agni sacrificium pertinent, partim ad rationem, qua illum comedere debebant. Quod ad primas attinet, inquit: *Agnus sit masculus, anniculus, absque macula; cumq; illum immolabitis, nullum illi os frangetis, & de sanguine eius ponetis super vtrunque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedetis, & edetis nocte illa carnes agni assas, & azymos panes, cum lactucis agrestibus.* Iubebat præterea ita: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantùm igni: caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis. Nec remanebit quidquam ex eo vsque manè. si quid residuum fuerit, igne comburetis.* Quod autem attinet ad comedendi rationem, sic inquit: *Renes vestros accingetis, & calceamenta vestra habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes.*

nantes. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero terram AEgypti.

Hæ sunt cæremoniæ, quas tam diligenter enumerat, quas tanta prouidentia in huius Agni sacrificio Spiritus sanctus ordinauit. Quis autem intellectus tam rudis erit, qui cùm hunc ordinem, & institutum infinitę illius sapientiæ esse intelligat, (licet mysteria ignoret, quæ in illis tecta sunt) non saltem in illis adesse suspicetur, atque diuinet? Eadem enim rerum conditio, quę hic imperãtur, (vt quòd agnus anniculus sit, ne illi ossa frangant, ne illũ comedant aqua coctum, nec crudum, sed igni tantum assum, nec remaneat quidquam ex eo vsque manè; & si quid residuum fuerit, igne comburant, & in superliminaribus de sanguine illius ponant) hęc omnia, inquam, nisi aliquod mysterium complectantur, quid religionis, aut sanctitatis, aut legis Dei maiestate & sapientia dignum continent? Harum autem cęremoniarum significatus ante Saluatoris aduentum cæcus, & obscurus erat; post illum autem, est ipsa luce clarior. Hac enim ratione Spiritus sanctus nobis ostendere voluit, quòd sicut post illius materialis Agni sacrificium Dei populus Pharaonis captiuitate, & durissima seruitute liberatus fuit; sic humanum genus à dæmonij potestate, & peccati seruitute, huiũs summi sacrificij mystici Agni virtute, qui spontè se in ara Crucis offerre debebat, liberum fore debere. Hoc modo veteris Testamenti mysteria per nouum declarantur. Quod nobis illi duo Seraphin declarant, qui in duobus arcæ testamenti lateribus oppositi inuicem facie ad faciem se respiciebant, vt vtriusque Testamenti miram conuenientiam, atque concordiam ostenderent.

Vt autem iam huius figuræ explanationem aggrediar; per Agnũ primùm illum Dominum intelligimus, quem omnes sanctæ scripturę propter mansuetudinem, & innocentiam Agnum vocant. Vult autem lex, vt hic Agnus sit masculus, non autem fœmina; vt doceat, nihil in eo fuisse molle, aut effœminatum, sed virtutem, atque constantiam magis quàm virilem. Iubere verò, vt sit anniculus; omnium virtutum absolutionem, quæ in illo perfectę & absolutę erant, ostendit. Iubere autem, vt ille Agnus absque macula esset, nil aliud est, quàm dicere, in vero Agno, qui Christus est, nulla peccati macula fuit, cùm commune omnium peccatorum remedium veniret. Et iubere, ne illius ossa frãgerent, est nobis ob oculos ponere illius inuictam fortitudinem, qua ille sanctus Agnus omnium dolorum, qui in hominum corporibus fieri possint, maximos passus est: illius enim sanctissimi corporis habitus omnium mollissimus erat, quippe qui Spiritus sancti virtute formatus erat, illius caro tota erat virginalis de purissimis Virginis Marię visceribus desumpta. Præterea dolores, quos in anima propter mundi peccata patiebatur, pro quibus illud sacrificium offerebat, erant quidem omnium maximi. His omnibus doloribus tam corporis, quàm animæ, nulla tamen in eo defatigationis vmbra in molestiarũ medio fuit. Voluit autem Spiritus sanctus, vt hoc in illius Agni sacrificio repræsentaretur, cùm iuberet illum occidere ita, vt nullum illius os frangerent.

Cur autem voluit, vt superliminaria Agni sanguine linirentur? Huius rei ratio in lege est, cùm dicat, quòd media nocte Deus transiret per illam terram, & percuteret omne primogenitũ AEgypti, cumque peruenisset ad Hebræorum

domos, & videret illũ sanguinem, transiret, nec esset in illis plaga disperdens. Nunc autem scire velim, quid Deo opus erat, cui omnia nuda, & aperta sunt, illud signum, ne ignoraret, quanam in domo suus populus habitaret? Quis non videt hic veri Agni Christi sanguinis efficaciam significatam esse? Hic
Exod. 12. enim maximè illa verba animaduertenda sunt; *Videbo sanguinem, & transibo vos: & non erit in vobis plaga disperdens.* Quidnam aliud hoc est, quàm æternum Patrem videre, quòd sui vnigeniti filij pretiosus sanguis iram nostris peccatis
Heb. 9. debitam placat? Nam (vt Apostolus inquit) si sanguis taurorum, aut hircorum, & rubeæ vaccæ cineres immolatæ valent ad emũdandos homines; quãtò magis Christi sanguis, qui Spiritus sancti plenus se ipsum Patri purum, & immaculatum obtulit, vt nos ab omnibus peccatis emundaret? Hoc de veris pœnitentibus intelligitur.

Neque illud sine mysterio est, iubere ne hunc Agnum crudum, neque aqua coctum, sed assum tantùm comederent. Vanum esset iubere, ne illum crudum comederent, (quis enim crudam carnem comedit?) nisi hoc aliquem sensum subiectũ haberet. Vnde S. Gregorius inquit, quòd eadẽ legis verba (cùm otiosa esse non debeant) nos à litera ad spiritum extollunt. Illi autem hunc Agnum crudum comedunt, qui Christum intuentur crucifixum, vt extrinsecus se habet; & ita illum à se depellunt, & renuunt. In aqua frigida coctum illum comedunt, qui curiosi sine charitate, sine humilitate, sine fide hoc mysterium sola sua ratione penetrare volunt, vt nonnulli Philosophi fecerunt, & multi hęretici, qui suo captu, & humana virtute illius amplitudinem, non autem diuinæ bonitatis magnitudine metiri voluerunt. Illi autem assum comedunt, qui charitatis & pietatis igne illud in animo euoluũt, quod pro nostra salute idem Dominus eodem igne inflammatus passus est. Sola enim charitas ad illud contemplandum, quod sola charitate factum, conueniens dispositio est. Pręterea iubere, vt totus Agnus comederetur ita, vt nihil ex eo reliquum esset; nihil aliud est, quàm dicere, nihil esse in hoc mystico agno, quod proijciendũ sit, nihil quod non maximè animabus prosit, vita, mors, doctrina, exempla, beneficia, miracula, & tandem gloriosa Resurrectio, & Ascensio: id omne pro nostra vtilitate, & omne pro nostra ædificatione est.

Sequitur deinde vt particulatim declaremus, quomodo hic Agnus comedendus sit. Et quoniam per hunc Agnum Christum in Cruce sacrificatum intelligimus, sic & sanctissimum Altaris sacrificium, vbi idem Christus est, & idem sacrificium offertur. Quamobrem omnes cæremoniæ, quibus iubebat Deus vt hunc Agnum comederemus, eò conducunt, vt nobis declarent quo apparatu nos debeamus disponere, vt dignè hoc Sacramentum, in quo idem Agnus est, recipere possimus. Dicit deinde nos debere comedere illum cum azymo pane, quod est conscientia pura, ab omni scelere & improbitate aliena. Huic pani lactucas agrestes addit, vt, si quid in anima non sincerum esset, amaritudine, & verę pœnitentiæ lachrymis illud purgaremus. Iubet præterea, vt cinctis renibus illum comedamus. In quo castitatis puritatem iubet, qui ex omnibus apparatibus potissimus est, vt hunc Dominum hospitio recipiamus: qui cùm puritatis fons sit, in sordida domo versari non potest.

Addit statim; calceamenta habebitis in pedibus vestris, tenentes baculos in ma-

in manibus, (qui viatorũ apparatus,& habitus est) vt nobis significaret, quòd qui dignè huic mensæ accumbere volunt, non indigenas huius mundi, sed hospites, & aduenas se arbitrari debent, quippe qui non habeant hîc ciuitatem permanentem, sed futuram inquirant; neque hîc, vt in propria domo, sed vt in aliena,& in diuersorio commorentur. Et ita nõ inuigilent, vt in hac terra altiùs radices agant, vnde citò discedendum est; sed in alia, vbi perpetuò permanere sperent. Id faciunt illi, qui Apostoli consilium sequuntur, qui inquit: Hoc est illud, quod dico, fratres, vt qui vxores habent, sic illas teneant tanquam non habentes: & qui lugent, tanquam si non lugerent: & qui gaudent, tanquam si non gauderent: & qui emunt, tanquam si non possiderent: & qui hoc mundo vtuntur, tanquam si non vterentur. Iam videtis quomodo huius mundi figura transeat. Id omne nobis significat, nos ita in hæc omnia huius mundi affectos esse debere, vt ea vtenda ad tempus nos accepisse existimemus, non vt ea, quę hęreditatis iure perpetuo tenentur. 1. Cor 7.

Addit præterea lex; & comedetis festinantes, quod (mysterij significato ablato) magis vetandum, quàm imperandum erat: sic enim comedere est cõtra temperantiæ præcepta. Verùm illius legis auctor spiritus & deuotionis, qua ille Agnus comedendus est, feruorem respiciebat. Hic enim diuinus cibus fame comedendus est, summo scilicet desiderio, quo velit anima pia se cũ suo Redemptore coniungere, qui esurientibus veram satietatem tribuit, & bonis replet; sed tepidos, & fastidientes dimittit inanes.

Iubet pręterea, ne quid ex eo remaneat vsque manè, & si quid residuum fuerit, igne comburatur. Quidnam aliud hoc est, nisi nobis significare, quòd si in mysterio Christi sacrificij, vel passionis, vel sanctissimi Sacramenti esset aliquid, quod nostri intellectus captum superet, nos debemus illud voluntatis amore complecti; & intelligamus, quòd quò res est incomprehensibilior, hoc est illo Domino dignior, qui non solùm in se ipso, sed etiam in operibus suis est incomprehensibilis: qui tanto amore nos prosecutus est, & ita nostram salutem desiderauit, vt pro ea multa fecerit, quæ nostri intellectus facultatem longè superent: quibus multò magis meretur, vt illum diligamus, quàm ijs, quę aliquo modo intellectu assecuti sumus.

Ad hæc omnia illud maxima consideratione dignum addo, quòd, ne quid huius mysterij picturæ deesset, voluit diuina sapientia, vt non solùm hæ cæremoniæ, sed etiam tempus illius perfectionis Christum verum Agnum nobis ob oculos poneret. Illum enim agnum materialem Iudæi decima Luna in ciuitatem deferebant legis iussu, & decima quarta illum sacrificabant, & comedebant: quo die ipsi de AEgypti captiuitate egressi sunt, pro cuius rei memoria hunc diem festum celebrabant. Eodem verò die, quo materialis Agnus in ciuitatem ingrediebatur, verus Agnus in Hierusalem ingressus est (qui dies Dominicus palmarum est) & quinq; dies deinde (qui dies Veneris Crucis fuit) sacrificatus est. Hac ratione voluit Spiritus sanctus, vt eodem tempore figura, & veritas se inuicem à facie ad faciem intuerentur. Hîc autem veteris Testamenti mysteria desierunt, & noui inceperunt: nihil enim erat, quod futurum remedium nobis figuris reprędsentaret, cùm illud iam aduenisset. Hactenus de figura Agni.

Figura de Vitula rufa.

CVM hoc Agni sacrificio cętera omnia legis sacrificia erãt summi sacrificij Christi figura: & hæc maior dignitas erat, quę in illis esset. Sed quoniã de singulis tractare nimis longũ esset, de vno tantùm adhuc tractabo, quod superioris simile est, quod alijs verbis & cęremonijs idem, quod & superius, significat. Spiritus autem sanctus minimè satiari posse videbatur in hoc mysterio nobis diuersis rationibus significando, vt qui eundem cibum multis modis conditum in mensa apponunt, ne comedentibus fastidium pariat. Iam figuram videamus.

Num. 19. *Præcipe filijs Israel, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugum: tradetisq; eam Eleazaro sacerdoti. qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium: & tingens digitum in sanguine eius, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus, combureteq; eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus eius, quàm sanguine & fimo flammæ traditis. Lignum quoque cedrinum, & hyssopum, coccumq; bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. Et tunc demum, lotis vestibus, & corpore suo ingredietur in castra, commaculatusq; erit vsque ad vesperum. Sed & ille, qui combusserit eam, lauabit vestimenta sua & corpus, & immundus erit vsque ad vesperum. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, vt sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersionis: quia pro peccato vacca combusta est.*

Hęc est huius sacrificij lex à Deo sancita; in qua quò res abiectiores sunt, & minùs legislatoris maiestate dignę, eò magis nobis significant in omnibus mysteria eo digna contineri; & ita literæ velo remoto, hîc Christi mysterium nobis propriè repræsentari cernemus. Cùm hęc Vacca cum suis conditionibus, quæ hîc illi tribuuntur, sacræ humanitatis figura sint. Quæ hoc loco fœminæ nomine significata est, vt carnis infirmitas, quam hic Dominus noster causa suscepit, significaretur.

Iubet statim, vt rubra sit; vt hoc colore nobis charitatis inflammatus ardor significaretur, qui hunc Dominum ad nostram humanitatem suscipiendam impulit: hæc enim vna, non autem merita nostra, satis fuit, quæ illum de cęlo in terram traheret. Dicit præterea, hanc vaccam integræ ætatis esse debere; vt Christi virtutum, & operum præstantiam significaret, quæ omnes perfectę, & absolutæ fuerunt. Addit præterea, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugum; vt illius humanitatis sanctissimę puritatem intelligamus, in qua nulla vnquam aut culpę vmbra, aut peccati, vel subiectio, vel seruitus fuit.

Hæc autem Vacca non in templo (vt alia sacrificia) immolatur, sed extra castra; vt inde intelligamus, Christum Saluatorem nostrum non in Hierusalem ciuitate, sed extra in agris fuisse sacrificatum: non enim pro illo populo solùm patiebatur, sed pro vniuerso mundo. Sacerdos tingit digitum in sanguine eius, & aspergit contra fores tabernaculi septem vicibus; vt significaret, quòd qui suorum peccatorum veniam consequi desiderant, & vnà gratiam, & Spiritus sancti dona, (quæ omnia hoc numero septenario comprehenduntur, qui vniuersalitatem significat) in primis Patri sui vnigeniti filij sanguinem effusum, & oblatum pro nostra salute, offerre debent: id enim no-

ſtræ ſpei præcipuum fundamentum eſt. Et vnà cum illo noſtros labores, lachrymas,& pœnitentiam offeramus: vt hæc omnia cum illo ſanguine iuncta per eum aliquid valeant, & mereãtur. Hoc nobis in Miſſa ſacerdos repræſentat, cùm calicem eleuat(vbi Chriſti ſanguis eſt) non ſolùm, vt à populo cernatur, & adoretur, verùm etiam, vt in Dei conſpectu offeratur.

Iubet etiam, vt illam totam comburat cum pelle, & oſſibus, & quidquid in ea ſit; vt inde cognoſcamus illam perfectiſſimam conſecrationem,& oblationem, qua Dei filius ita ſe ipſi æterno Patri obtulit, vt nihil ſibi reſeruauerit, quin in ſua manu poſuerit, & in illius ſeruitium contulerit, vt ipſe declarauit, tunc in horti oratione cùm Patrem alloquens dixit: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* & aliâs dixit ille: *De cælo in terram veni, non vt facerem voluntatem meã, ſed eius qui miſit me.* Huius Vaccæ cineres in puriſſimo loco ſeruabãtur, vt aqua, quæ illos contingeret, virtutem ſuſciperet, qua corporis ſordes illius legis purificarentur. In quo nobis declaratur, quòd merita paſſionis Chriſti in Eccleſia Catholica poſita ſunt, vt aquæ ſancti Baptiſmi vim dent, & cæteris Sacramentis omnibus, quibus peccatorum veræ ſordes mundantur,& purificantur. Luc 22. Ioan 6.

Illud autem quid ſibi vult, quòd qui tum huius Vaccæ ſacrificij miniſtri fuerunt, tum illius combuſtionis, cum reliquis omnibus, qui in eo ſuam operam præſtiterunt, debebant ſua veſtimenta, & corpora lauare,& vſque ad veſperum immundi eſſe? Cur miniſtri munditiæ, vſque ad veſperum immundi & contaminati eſſe debent tam munda re? Hoc (inquit S Thomas) nobis Pontificum, & Sacerdotum peccatum ſignificat, qui Chriſti mortem procurãrunt, qua ſibi mortem pepererunt,& fidelibus vitam dederunt: ipſi peccatum commiſerunt,& pro nobis remedium adminiſtrãrunt: ipſi ſuæ damnationis,& nobis ſalutis noſtræ miniſtri fuerunt. At id quouſque? Inquit lex, vſque ad veſperum; tunc cùm gentium plenitudo in Eccleſiam ingreſſa, cum illa & populus Iſrael ingredietur, & ita ſit purificatus, & ſaluus.

Figura de Moyſis virga.

NEQVE ijs Prophetarum,& ſacrificiorum formis contentus fuit ſupremus pictor, ſed alias multas diuerſis materijs deſcripſit, quæ nobis hoc Chriſti myſterium ob oculos ponunt. Inter quas eſt illa Moyſis virga tantopere in ſacris literis celebrata. Cùm enim Deus illum Pharaoni legatum mitteret, vt ſuum populum liberaret, cumq́ ipſe ſe excuſaret, quòd ſibi minimè crederet: nonnulla illi dedit ſigna, vt illa faceret. Inter quæ fuit, *vt in terram proijceret virgam, quam manu gerebat, quæ in terram cadens verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes. Dixitq́; Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, verſaq́; eſt in virgam.* Exod. 4.

Per virgam autem (quæ iuriſdictionis, & imperij ſignũ eſt) regale ſceptrũ Chriſti gloriæ intelligimus: per ſerpẽtem verò, quod animal venenoſum eſt, peccator, & peccatũ communiter intelligitur. Cùm igitur hæc regalis virga in terram caderet, ſerpentis figuram ſuſcepit, quòd Dei filius in terram deſcendens,& humanam naturam induens, pœnis, quæ ad nos propter peccatũ venerunt, obnoxiam; & in Cruce moriens, ſerpentis, id eſt peccatoris, & fontis imaginem ſuſcepit. Quòd autẽ Moyſes fugeret ab hoc ſerpẽte, nobis offen-

ſionem, & ſcandalum, quod Iudæi à Crucis humilitate ſuſceperunt, quò minùs Chriſtum reciperent, oſtendit. Vbi autem Moyſes ſerpentem iterum tenuit, in primam quam habebat figuram verſus eſt; vt ſignificaret, futuris tẽporibus, qui de Chriſti Cruce ſcandalum ſuſceperunt, fore, vt virgam & ſceptrum illius regiæ dignitatis cognoſcerent, & vt ſuum legitimum Regem, & Dominum adorarent.

Exod 7. Vbi animaduertendum eſt, quòd cùm Moyſes hoc ſignum in conſpectu Pharaonis faceret, & Magi alios ſerpentes huic ſimiles facerent, ſuas in terrã virgas proijcientes; Moyſis ſerpens illos omnes deuorauit. Quod nobis ſignificat, quòd Chriſtus ſerpentis imaginem ſuſcipiens, id eſt, peccatoris, omnes deuorauit ſerpentes; quòd omnia noſtra peccata deſtruxit, & de medio ſuſtulit. Quod Apoſtolus ſignificauit, cùm dixit, quòd Chriſtus peccatũ cum peccato euertit; nobis oſtendens, quòd cùm in ſe pœnas noſtris peccatis debitas ſumpſiſſet, eadem peccata pro illis ſatisfaciendo deſtruxit.

Figura de æneo Serpente.

Num. 21. POST has figuras, ſatis nota, & celebris eſt figura ænei Serpentis, de qua Saluator in Euangelio mentionẽ facit, quæ ita hoc myſterium nobis ſignificat, vt magis hiſtoria, aut prophetia, quàm figura videatur. Hiſtoria hæc eſt: Cùm Deus ignitos ſerpentes in deſerto mitteret in filios Iſrael, quòd de ſuis maioribus detraherent, cúmque ex illis multi morerentur, Moyſes pro huius plagæ remedio ad Deum preces fudit. Sed quod remedium illis tribuerit, maximè conſiderandum eſt. Dixit illi: *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno. qui percuſſus aſpexerit eum, viuet.* Quod fecit, & pro populo nunciauit, vt quando morſi eſſent, oculos in eum conuerterẽt, & ita ſanarentur.

Quàm autem accommodatè, & apertè nobis hoc Chriſti Crucis virtutem ſignificat? Nam ſi Spiritus ſanctus id nobis ſignificare nolebat, ad quid tam inaudito remedio vtebatur? Quid enim habet pictus ſerpens, quod vulnera verorum ſerpentum ſanare poſſit? Præterea quid habet illud ſolum reſpicere cum ſalute? Quantò facilius, & accommodatius remedium erat, ſerpentes occidere, vel illis iubere, vt diſcederent, qui illis iubere potuit, vt venirent. Sed hoc remedij genere perfectiſſimam Saluatoris Crucis imaginem nobis ante oculos ponere voluit. Quid enim aliud eſt Chriſtus inter latrones crucifixus, quàm pictus ſerpens, aut peccator pictus, qui peccator videtur, & non eſt? Hic autem Dominus cùm ſit iuſtus, vt peccatoris imago, cùm mortem nõ deberet, pro nobis mortem paſſus eſt, & per huius tantæ humilitatis, & charitatis meritum nobis omnium noſtrorum peccatorum veniam, & remedium impetrauit.

Quid autem in peccatore opus eſt, vt huius remedij beneficium conſequatur? Vt oculos eleuet, & in hunc Dominum crucifixum illos conuertat, vbi ſerpentis imago eſt, licet ſerpens minimè ſit. At quomodo illum intueri debemus? Idem myſterium nobis id ſignificat. Oculis tanti beneficij gratis, oculis humilibus, & deuotis; oculis fidei, amoris, miſericordiæ, & compunctionis, cùm recordatur peccata noſtra carnifices fuiſſe, qui Chriſtũ crucifixerunt: vbi (vt ille dixit) quod non debebat, perſoluit. Hoc igitur ſatis
Pſal. 68. apertè huius ſerpentis figura nobis oſtendit.

Figura de Eliseo.

NEQVE minùs perfectè Eliſeus Propheta idem myſteriũ nobis ſignificat, cùm mortuũ puerũ reſuſcitauit. Huius miraculi hiſtoria ea eſt: Cùm Eliſei hoſpitæ vnicus filius, quem habebat, moreretur, quem{que} eiuſdem Prophetæ precibus obtinuerat, ad Prophetam maxima celeritate perrexit, ſibi perſuadens fore, vt, qui illud bonũ ei dare potuit, idem quo{que} ei poſt mortẽ reſtitueret. Cùm Propheta igitur videret illã mulierẽ ad ſuos pedes proſtratã, & illius dolore miſericordia moueretur, ſuo ſeruo Giezi baculũ ſuum dedit, & iuſſit, vt magna celeritate pergeret, & ſuper faciem mortui pueri illum poneret. Quo facto, Giezi reuerſus eſt, inquiens, puerum non eſſe reſuſcitatum. Tunc Propheta domum, vbi mortuus puer erat, perrexit. Quid autem fecit? Eſt quidem admiratione dignum: Clauſit oſtiũ vbi mortuus puer erat, & orauit ad Dominũ: & aſcendit, & incubuit ſuper puerũ, poſuit{que} os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & tandẽ ſe totum ſuper totum puerum. Cum{que} Propheta maior eſſet, & puer minor, inquit ſcriptura, quòd ſuum cõtraxit Propheta corpus, vt corpori pueri demortui reſponderet. Quo facto, pueri corpus calefactum eſt. Quid præterea fecit? Ille reuerſus deambulauit in domo ſemel huc, atque illuc, & aſcendit, & incubuit ſuper mortuum, & oſcitauit puer ſepties, aperuit{que} oculos, & reſurrexit. 4 Reg. 4.

Nos profectò ſi illam lucem haberemus, & illum ſpiritum, quem habebant Sancti, hanc hiſtoriam, partim tam nouas cæremonias maximè admirantes, partim tanta myſteria, quæ hic contecta ſunt, venerãtes, quæ ſui ipſius teſtimonium perhibent, legeremus. Quid enim hæc omnia habent, vt mortuo vitam dare poſſint? Cùm autem illud verum ſit, ad Deum ſolum ſpectare mortuos reſuſcitare; ſicut illius omnipotentia hoc opus factum eſt, ſic illius ſapientia illius ratio deſcripta eſt. Cum autem æternus Pater ſemper ante oculos redemptionis mundi opus haberet, quod ab vnigenito eius filio fieri debebat, ſemper opportunitates quærebat, quibus illam repræſentaret. quod quidem hoc loco fit. Hic enim puer mortuus humani generis morte damnati figura eſt; quippe quod in omni peccatorum genere mortuum erat. Pro cuius ſalute miſit Deus ſeruum ſuum Moyſen, tanquam alium Giezi, cum ſuæ iuſtitiæ virga in manu, ante hominum oculos ſuæ iuſtitiæ ſeueritatem, & minas proponens, vt hac ratione eos à peccatis deterreret. Quod idem Moyſes illis in monte Sinai declarauit, inquiens, quòd Deus illuc tãto ſtrepitu, & terrore deſcenderat, vt hoc terrore illos à peccatis reuocaret. Præterea in maiori legis parte, quam illis dabat, contra illam delinquentibus mortem proponebat, vt hic timor in cauſa eſſet, vt illam obſeruarent. Nihil tamen horũ ad illorum oculos aperiendos, & Deum cognoſcendum, & illius mandata ſeruanda ſatis fuit.

Quod autem remedium fuit? Quod ſeruus ſuo timore perficere non potuit, id Dominus ſui amoris magnitudine perfecit. Quod iuſtitiæ rigor non perfecit, miſericordiæ facilitas perfecit. Quod plagæ non perfecerunt, id à beneficijs profectum eſt, & ab illo præſertim beneficio, quod fuit Deum hominem fieri, & magnũ fieri paruum, & qui Deus erat, in omnibus, remoto peccato, hominibus ſimilem fieri. Quod nobis ſignificat Propheta, cùm ſe contraxit, & ſuper puerum mortuũ extendit, & ſuum corpus pueri corpori magni-

Digitized by Google

magnitudine respondēs fecit; ex quo mortui caro calefacta est. Quid autē est mortui carnem calefieri, nisi quòd, cùm homo incomprehensibilem bonitatem & charitatem considerat, quam hic Dominus totius vniuersi in hoc opere declarauit, facere non potest, quin eius amore flagret, qui tantopere eum dilexit, sic eum quæsiuit, sic ei remedium attulit, & sic à morte ad vitam reuocauit.

Quid autem sibi vult illud deambulare in domo mortui semel huc, atque illuc, & iterum super illum incūbere, vt antea? Duabus in rebus nostri similitudinem sumpsit Saluator: altera est, se hominem hominum causa facere in opere incarnationis; altera est, cùm imaginem peccati in passionis opere sibi sumpsit: & vtrumque hæc geminata Prophetæ actio nobis exhibuit, cùm suum corpus pueri mortui, corpori magnitudine respondens fecit. Huc autem & illuc deambulare inter hæc duo, illud temporis spatium significat, quod Saluator post sanctam incarnationem, & ante sacram passionem per terras prædicando peregrinatus est.

Prophetam autem suum os, oculos, & manus, super os, oculos, & manus pueri ponere, ex quo illius caro calefacta est; nobis significat, quòd, quoniam Christi gratiæ, & meritorum participes simus, sanctificati, & à morte ad vitam reuocati sumus.

Puerum autem septies oscitare, peccatorum confessionem significat, ad quam quidem, homines, virtutis ratione, quæ huic Sacramento communicatur Christi passionis merito, à morte ad vitam excitare pertinet. Quibus omnibus in rebus cernimus, quàm propriè, quamq; suauiter, nulla scripturæ detorsione, Christi mysterio hæc scriptura accommodatur, quod (vt inquit S. Paulus) legis, & prophetarum finis est. In quo quidē facilè cernitur, quàm vellet æternus Pater, nos semper huius clementissimi Saluatoris præsentiam in oculis ferre.

De alijs diuersis figuris.

NEQVE hoc contentus fuit, sed voluit, vt omnes Sanctuarij apparatus hunc Dominum nobis significarent; id est, Arca fœderis; Manna, quod intus erat; propitiatorium, quod supra erat; mensæ panis, quem propositionis dicimus; thuris altare, candelabrum ex auro, & templi velum. Ad quem enim magis pertinet Arcam fœderis vocari, quàm ad illam sacram humanitatem, cuius meritis cum illo reconciliati fuimus? Quod aliud Manna suauius fuit, quodq; plures sapores haberet, quàm totum vitæ, & mortis Saluatoris curriculum? Quod magis verum propitiatorium, quàm ille Dominus, qui suæ passionis sacrificio Patris iram placauit, atq; leniuit, & quotidie hominum peccatis fit propitius? Quod splendidius candelabrum, quàm illud, quod mūdo lucem attulit, qui in tenebris & vmbra mortis versabatur? Quod altare magis proprium ad offerendum Deo in nostris orationibus thus, quàm sacra huius Domini humanitas, per quā nostris peccatis veniam, & nostris necessitatibus auxilium petimus? Qui panis maiorem habet vim ad animas nostras in spirituali vita sustentandas, eo Domino, qui

Ioan. 6. dicit: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, & qui comedit ex hoc pane viuet in æternum.* Velum quoque templi, quo sanctuarium operiebatur, sacram Christi humanitatem nobis significat, qua illius gloriæ diuinitas contecta erat.

Quare

Quare cùm Saluator in Cruce expirauit, hoc velū scissum fuit à summo vsq; deorsum, vt quod in figurato contingebat, id quoq; in figura cerneretur. Hæc hactenus de figuris, quæ Christum significabant. Matt 27.

Fructus autem, quem ex illarum cognitione percipimus, sunt illæ nobilissimæ virtutes inter Theologicas, spes, atque charitas. Dum enim consideramus in his figuris magna bona, quæ hic Dominus nobis pura gratia fecit, tantoq; suo pretio, cùm nos illis tam indigni simus, statim in spem erigimur, fore, vt in omnibus nostris necessitatibus, & petitionibus remedium consequamur ab eo, qui tantopere nos dilexit, & nobis tantam bonitatem & misericordiam ostendit, tantaq; beneficia in nos contulit. Neque minùs accendimur in illius incomprehensibilis bonitatis & charitatis amorem, quæ ferrea corda emollire potest. Quare idem Dominus dixit, quòd veniebat, vt poneret ignem in terris, quia veniebat ad ea beneficia conferenda in homines, quæ ad illos suo amore inflammandos satis essent. Luc.12.

Spero quidem fore multos, qui hac doctrina gaudeāt: Nam hæ præcipuę virtutes, quæ sunt spes, & amor, maximam consolationem secum trahunt, & quilibet se illas habere existimabit, seq; in Deo sperare, illumq; amare dicet. Vt autem aliquis, quòd Deum amet, coniectura assequi possit, opus est, vt inuestiget vtrùm in se sint omnia, quæ cum hoc amore natura coniuncta sint. Ex quibus primum est, diuina præcepta seruare; vt apertè significauit Saluator, cùm inquit; *Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est qui diligit me.* & alio loco: Si quis me amat, is mea mandata seruabit. & S. Ioannes in sua Canonica inquit: Si quis dixerit se Deū amare, & illius mandata non seruat, mendax est. Nota est illa S. Gregorij sententia: Nunquam otiosus est Dei amor; magna enim operatur, si verus amor est: quòd si ea non facit, verus amor nō est. Quòd si quis scire vellet, quænam sint opera, & virtutes, quæ hunc amorem comitantur, S. Paulum legat, qui charitati, quæ idem est cum hoc sancto amore, has proprietates tribuit. *Charitas,* (ille inquit) *patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam: non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Hæc S. Paulus. Hæ igitur huius virtutis proprietates, & comites sunt. Quare vt naturalia per suas proprietates, quas habent, cognoscuntur; (vt per calorē cognoscitur ignis, & per frigus aqua) sic per has proprietates homo, num Dei amorem habeat nec ne, nō quidem solis verbis inquirere debet. Quare inquit S. Gregorius, quòd lingua, anima, & vita interroganda est, & examinanda, an Deum amemus necne. Hæc autem à dolo liberatio hìc omnibus Christianis datur. His enim signis poterit quidem conijcere num hanc virtutem consecutus sit. Hac autem tam seria commonitione exposita, secundo tractatui de figuris Christi finem imponemus. Ioan. 14. 1 Ioan. 2. 1. Cor. 13.

INCIPIT TERTIVS HVIVS TERTII LIBRI TRACTATVS:

In quo per Dialogum inter Diſcipulum, & Magiſtrum, omnibus reſpondetur quæſtionibus, quæ de Incarnationis, & Paſſionis Saluatoris noſtri myſterio ab humana prudentia fieri poſſunt.

DIALOGVS PRIMVS, QVI DE cauſa aduentus filij Dei in mundum tractat.

DISCIPVLVS.

LEGI, Magiſter, diligenter, quidquid hactenus de noſtræ Redemptionis myſterio ſcripſiſti: quantam autem conſolationem, & ædificationem ex ea noua luce perceperit anima mea, verbis aſſequi non poſſum: neque ſatis admirari poſſum magnos fructus, quos hæc ſacra tulit arbor, cùm nullum reperiatur opus à virtute profectum, ad quod adhortatio, & cuius exemplum in ea non reperiatur. Ego tamen, vt magis hanc lucem aſſequar, magiſq; ad tantæ philoſophiæ cognitionem perueniam, nõnulla à te petere velim, ne vlla de hac re dubitatio in animo meo relinquatur. Fateor tamen ex ijs, quæ dicta ſunt, reſpõſum eſſe nonnullis, quæ de hoc myſterio fieri poſſent. Initio enim mihi accommodatis exemplis expoſuiſti, cur culpa, & pœna illius primi peccati, à patre in filios peruenerat, & ita tota humana natura infecta erat.

Potiſſimas etiam cauſas, & rationes adduxiſti, cur, cùm Angelus & homo lapſi ſint, diuina prouidentia in ſua obſtinatione Angelum deſeruerit, & homini auxilium ferre decreuerit. Quare ex dictis his duabus quæſtionibus ſatisfactum eſſe arbitror. Nunc autẽ (tanquam ſi nunc ad Dei cognitionem venirem) omnes omniũ partium huius myſterij conuenientias, & circunſtantias petere volo, ſingulas ſeorſim proponendo, vt veritatis cognitio diſtinctiùs aperiatur.

Itaque primùm aduentus filij Dei in terram, cauſam ſcire velim; cùm miniſtri illi minimè deeſſent, vt id omne perficeret, quod vellet, licet ille hoc modo in perſona minimè veniſſet.

MAG. Mihi quidem valde placet, vt ſingulas ſeorſim huius myſterij partes tractemus; ne inter ſe confundantur. Vt igitur huic quæſtioni ſatisfaciam, illud priùs ſupponendum eſt, illum ſummum Dominum, & Imperatorem,

causam huius mundi efficientem,& finalẽ esse; illum eum creasse, & sibi creasse. Nam vt nullus alius eum facere potuit,nisi ille; sic nulli alij fieri potuit, nisi ipsi: vt scilicet totus hic mundus omnium diuinarum perfectionum liber esset,per quem omnes intellectuales creaturæ,qui homines & Angeli sunt, illum summum Dominum, & omnium rerum factorem cognoscerent,amarent,& glorificarẽt. Vt hic mũdus totus esset tẽplum,& chorus regius, in quo omnes creaturæ vna voce sui Domini gloriam prædicarent.Hic finis est,propter quẽ hic mũdus creatus fuit,vt fides,& naturalis Philosophia docet.Quod cùm ita esset, princeps tenebrarũ, vt superbus Dei inimicus, huic rei se opposuit,& se accinxit, vt huius mundi imperio potiretur,& Dei gloriam vsurparet,& in eo omnes tanquam Deum colerent,& venerarentur. Itaque in omnibus illius partibus signis collatis,& armis, & vexillis,& templis, & altaribus, & sacrificijs statutis,penè vbique effecit, vt sibi obedientia,& cultus præstaretur. Rebus ita existentibus, (supposita diuina prouidentia) quid vero, & legitimo huius mundi Domino faciendum erat? Illud quidem ei faciendũ esse existimo, quod Reges terræ faciunt, cùm aliquod regnum ab ipsis deficit: legationes mittere,duces,& seruos, qui regnum ad suum dominum conuertãt, iubendo,vt seductores,& infidi pœnis afficiantur. Cùm autem negotium huiusmodi est, vt hæc omnis prouisio satis non sit,idem Rex eò se recipit, vel filium suum mittit maxima cum potestate, & auctoritate, vt hoc negotiũ exequatur, rebelles pœnis, & fideles præmijs afficiendo, vt tam rigore,quàm clementia, vt personæ postulant, illud regnum patri suo restituat.

Hæc est in hoc genere ratio,qua in terris homines vtũtur,eandemq; rationem summus Imperator secutus est. Cùm videret mundum,quem ipse creauerat,ab hoc tyranno vsurpatum,suos misit legatos, qui Patriarchæ, Prophetæ,& Angeli fuerunt,& maximis plagis affecit mundum, vt ad Dei cultum illum conuerterent, vt fuerunt diluuia, strages, fames,pestes, captiuitates, ignis de cælo, & alia huiusmodi supplicia. Tantus tandem fuit illis temporibus diuinæ iustitiæ rigor,& præsertim in proprium suum populum,(qui eò magis suo Domino cultum præbere debebat, quo plura bona ab eo acceperat)vt per Isaiam dicat: Quousque vos castigabo, cùm in dies peiores sitis, Isa.1. & scelera sceleribus cumuletis? A planta pedis vsque ad caput nulla pars sana est,nulla non vulneribus affecta, & propterea meis verberibus vibicibus plena,& absque medicina, qua curetur. Et per Ezechielem hanc duritiem in tam multis plagis celebrat, inquiens: Laborauimus, & sudauimus: tamen ca- Ezec. 24. ligo malitiæ huius gentis abstersa non est: neque multis cauterijs,quæ in illis inussimus. Quid? Tantum abfuerũt homines ab emendatione Prophetarum minis,& admonitionibus,vt non solùm se non emendarent,sed vt furiosi, & phrenetici in eosdem Prophetas insurrexerint, qui eos curare studebant, & diuersis rationibus interfecerint: alios lapidabant,alios secabãt,alios ferreis virgis vtrinque perforabant. Hic fructus ex medicina, qua Deus sui populi morbos sanare volebat, perceptus est.

Quid in hac re Deo faciendum erat? conquiescendum? cedẽdum? victus debebat negotium deserere, & dæmonium victorem relinquere, quod gloriaretur non potuisse Deum se vincere,& aduersus præualere, & de throno suo deijcere? Non consentaneum quidem erat. Quid igitur remedij? Quod nũtij

non potuerunt, poterit Dominus: quod seueritas non potuit, misericordia quidem poterit: & quod timor perficere non potuit, amor quidem perfecit,
Osee 14. vt idem Dominus pollicitus erat per Prophetam, inquiens fore, vt homines amoris vinculis,& catenis trahat. Hac autẽ tam iusta causa summus Imperator suum filium in terram mittere decreuit, vt, quod primi legati perficere non potuerant, ipse Dominus perficeret. Et hoc consilio Apostolus suam
Heb. 1. Epistolam ad Hebræos incepit, inquiens: *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula.*

Videamus iam quomodo hunc nouum legatum misit? Eo profectò modo eum misit, quo huiusmodi personæ dignitatem maximè decebat, cuiusmodi erat Dei filius potentiæ, & gratiæ plenus: potentiæ, vt dæmonia vinceret; gratiæ, vt hominum corda in se beneuola redderet, præterita ignoscens, & præsentia condonans, vt quod pœnis perfici non potuit, beneficijs perficeretur: & quod verberibus minimè sancitũ fuit, illecebris sanciretur. Qua-
Isa. 61. re idem Dei filius per Isaiam inquit, se venire, vt mundo Iubilei annum, & vnum iræ diem prædicaret: Iubileum, pro fontibus veniam,& vindictã pro dæmonum punitione: alio etiam loco inquit idem Propheta,ad vindicãdos, & saluos nos faciendos; quod est,ad misericordiam, & iustitiam administrãdam: misericordiam in homines,& iustitiam in dæmonia; misericordiam in deceptos, & iustitiam in deceptores; misericordiam pro regno, & iustitiam in tyrannum, qui in se insurrexerat. Hoc dixit apertè Saluator ante suam sacram passionem: *Iam mundus iudicatus est,& princeps huius mundi eijcietur foras.* Et
Ioan 12. dæmonium huius mundi principem vocat,non quòd iure ad eum pertineret; sed quia tyrannide eum occupauerat, illud in terris vsurpans, quod in cælis obtinere minimè potuerat. Hic à Dei filio iudicandus est, & ab eo in exilium de mundo eijciendus,& ijs omnibus expoliandus, quæ ipse in eo surripuerat.

Hic enim est ille fortis armatus,de quo in Euangelio inquit Saluator,qui
Luc. 11. suam domum fortiter custodiebat; sed cùm alius eo fortior venit, illum eiecit, diripuit,& suis armis spoliauit. Hic autem fortis armatus (qui dæmonium erat) mundi imperio potitus, ita suos captiuos suorum affectuũ catenis oppressos tenebat, vt nulla esset in terris vis, quę illos liberare posset, quoad de cælo venit potentia, quæ illum vicit, & omnem prædam illi abstulit. Hæc illa victoria est tam celebris, quam Isaias Propheta canit, inquiens fore, vt il-
Isa. 27. lo die visitet Dominus in gladio suo duro & grandi & forti, super serpentem Leuiathan, & cetum interficiat, qui in mari degit. Hic est ille magnus cetus, qui totum mundum deuorat, & ille tortus serpẽs, qui caudæ extremitate ter-
Apoc. 12. tiam partem stellarum de cælo,& quasi omnes mundi partes secũ traxit. Contra hanc tam magnam beluam venit Dei filius vt pugnaret,& sui brachij ense huic draconi caput detruncauit, prædam abstulit,& in terram illius templa, atque altaria deiecit. Vt,qui oculos habent quibus hanc victoriam intueantur,& re ipsa hanc nouam libertatem cognoscant, quam Dei filius illis consecutus est, cùm à peccatorum & perturbationum captiuitate eos liberauerit, in quibus viuebant; ij hanc victoriam admirati,& huius tyranni cultum,& adorationem humi proiectam,cum Propheta,qui sub persona Regis Babylonis hanc

hanc victoriam admiratur, clamant, & inquiunt: *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cadentem populos in indignatione, plaga insanabili, subijcientem in furore gentes, persequentem crudeliter.* Et paulò infrà, inquit: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cælum conscēdam, super astra Dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Veruntamen ad infernum detraheris in profundum lacus.* Isa. 14.

Hic adimpleta est illa prophetia, quæ inquit; Perdix oua fouit, quæ non peperit: congregauit diuitias, & non in iudicio; in dimidio dierum suorum derelinquet eas. Quam prophetiam exponit S. Hieronymus his verbis: Naturalis historię scriptores inquiunt, hanc esse perdicis naturā, vt alterius perdicis oua furetur, & illis incubet, & excludat; sed vbi creuerunt, & verę matris vocem exaudiunt, adulterinam deserunt, & veram sequuntur. Quod exemplum satis probè hic sanctus vir ad gentium conuersionem explicandam accommodat, quę cùm dæmonium, tanquam verum Deum, quod Dei gloriam sibi vsurpauerat, fint secutæ, & adorauerint, cùm Euangelij prædicationem, & sui legitimi Dei, & Domini vocem audierunt, deceptore relicto, suum Creatorem secutę sunt. Iere. 17.

Hæc igitur aduentus Domini in terram causa fuit, scilicet ad comminuendum caput huius serpentis, vt mundi initio pollicitus erat, de illo tyrannum extrahens, & efficiens, vt in illo verus & legitimus Dominus agnoscatur, & adoretur.

DISC. Huius aduentus causa satis iusta mihi videtur; cùm idolorū cultus omnium malorum maximum esset, ex quo sui Creatoris despicientia, & dedecus cōsequebatur, & innumerabilium animarum perditio: & huiusmodi negotium, quod contra se omnes mundi nationes, omnes Reges, & omnes Monarchas habebat, non erat Dei filio indignum, imò ad eum solum tam difficilis prouincia pertinebat. Ad quem enim magis pertinet pro honore, & regno patris sui regredi, quàm ad filium, & huiusmodi filium?

MAG. Sic se res habet, vt dicis. Sed hæc hactenus. Ex professo enim posthac de mundi victoria, & de idololatria tractabimus. Nunc autem vide num tibi sit aliquid, quod scire velis.

DISC. Hoc in crastinum diem differemus: maiorem enim commoditatem postulat.

DIALOGVS SECVNDVS, in quo quæritur, cur Saluator in mundum venerit, naturam humanam suscipiens.

DISCIPVLVS.

RIMAE quæstioni vbi satisfactum est, (quę est, cur Creator voluerit in terras venire ad reformandum mundum, quem creauerat) ad summam huius mysterij veniamus, quę est, cur humana carne indutus venire voluerit. Et (vt hanc cum superiori quęstione coniungamus) cùm iam homo fieri voluerit, cur sùm posset integræ ætatis in mundum venire, voluerit infans nasci, vt alij infantes nascuntur.

MAG. Primùm illud tibi animaduertendum est, quòd licet tota diuinitas in illo paruo corpore clausa esset, nō ob eam causam sequebatur, quin in toto creato esset, tanquam prima causa, à qua cęteræ causæ pendent, sine cuius virtute & pręsentia cęteræ omnes cessarent. vt omnes horarij rotę cessarent, si pondus, quo mouentur, remoueretur. Et vt Deus, in iusti anima cùm hospitatur, vitam illi spiritualem tribuens, ob eam causam à toto mundo non abest; sic cùm in illa sacra humanitate inclusus, diuinam vitam illi tribuens, in omnibus rebus esse non desistit, illis naturalem vitam administrans: præsertim cùm videamus nostram intellectiuam animam, (quę spiritualis substantia est) licet in suo corpore inclusa sit, per vniuersum mundum tamen proficisci, & discurrere. Quantò magis igitur ille simplicissimus, & purissimus diuinus spiritus id facere poterit? Propter hanc causam de illo inquit Propheta, quòd ascendit super Cherubin, & volauit, & super pennas ventorum volauit.
Psal.17. Quibus verbis nobis significauit Dei pręsentiam, & assistentiam, qui omnia videt, omnia penetrat, per omnia proficiscitur, omnia sustinet, & sua diuina prouidentia regit, atque gubernat. Quòd si Solis virtus, qui Dei creatura est, vniuersum mundum illuminat, & calorem administrat; quantò magis Creatoris virtus, & potentia id facere poterit?

Cùm autem hoc manifestum sit, tuę quæstioni respondebo; cur hic Dominus, cùm voluerit humanam naturam sibi induere, ab hac tantula figura non solùm hominis, sed infantis, & infantis tanta humilitate & paupertate, inceperit. In hac autem responsione illud recordare, quod heri diximus, venisse scilicet hunc fortem ducem, vt illi antiquo serpenti caput comminueret, & vt cum illo forti armato pugnaret, diriperet, & de mundi domo, & imperio propelleret, quem tyrannide occupauerat. Ad id autem vbi se accinxit, quibus armis illi vtendum erat, vt cum illo pugnaret? Si in sua propria figura venisset, & suis proprijs armis, quam gloriam consecutus esset, si inimicum
Exod.8. superasset? Non ea est Dei conditio. Culicibus, cùm sibi lubet, regibus bellum
Iudith 13 in fert. Per manum mulieris Holofernis caput detruncauit, & totum Assyriorum exercitum dissipauit. Et hac ratione debiliora mundi elegit, vt cum for-
1 Cor.1. tioribus belligeraret. Hoc significauit Apostolus, cùm dixit, quòd Dei infirmum erat omni totius mundi fortitudine fortius. Qua ratione decebat hunc

Dominum venire, vt hęc sua victoria gloriosior esset, cum inimico pugnando non potentia, sed infirmitate; non suæ diuinitatis viribus, sed suæ humanitatis humilitate; non sui spiritus fortitudine, sed sui corporis debilitate; non gigantis corpore, sed paruuli infantis, de quo scriptum est, quòd antequam loqui sciret Damasci vires superaret, quæ huius mundi principis vires sunt. Isa.8. Hac ratione noster Dauid cum Golia gigante pugnauit, non armis Saulis deauratis; sed funda, & lapide, id est, non suæ diuinitatis potentia, sed suę humanitatis infirmitate: & quò debiliora fuerunt arma, eò victoria illustrior fuit. 1.Reg.17. Quare hac de causa, vt in hac figura veniret, maximè decebat. Neque propter hanc causam solùm, sed etiam, quòd hæc eadem figura ad hanc prouinciam erat maximè accommodata. Nam si veniebat, vt homines sibi conciliaret, & dęmonia confunderet, in ea figura veniret necesse erat, in qua ab hominibus magis diligeretur, & à dæmonibus minus cognitus esset: vt hac ratione in se homines beneuolentia afficeret, & arte dæmonia superaret: vt qui astu hominem deceperat, atque vicerat, astu quoque à Deo vinceretur, & irrideretur. Ad vtrunque nulla figura hac conuenientior erat.

DISC. Hoc quidem Pręceptor satis probè dictum est, & ex his tuis responsionibus maximam consolationem animus meus percipit: maximum enim solamen est, diuinorum operum summum artificium, & consilium intelligere, & quàm accommodata media adhibeat ad eos fines consequendos, quos sibi proponit. Neque hæc vna causa esse debet, quòd nostra humanitate se vestierit, sed multæ aliæ, quas scire desidero. Nam si hoc negotium carnis oculis intuemur, non videtur consentaneum esse, vt illa altissima, purissima, & simplicissima substantia, quæ (vt Isaias inquit) terrę pondus tribus digitis sustinet, mõtes, & colles, pondere, & mensura collocauit, tam humili veste, vt humana caro est, indui voluerit. Isa.40.

MAG. Quàm spatiosum campum hac petitione aperuisti, in quo magnum aliquod ingenium suę eloquentiæ flumen effundere posset. Quàm multæ diuitię sunt in hoc mysterio inclusæ? Quis autem illam conscientiæ puritatem habebit, qua illas tractare audeat; & illã Spiritus sancti lucem, vt admirabilia intelligat, quæ in illo inclusa sunt? Illius autem Domini bonitate fretus, qui ad ea descendit nostra causa, nonnulla ex multis dicam, quæ hęc tua quæstio postulat. Vt autem meliore ordine procedamus, illud dicam, illo altissimo Domino non fuisse indignum, se huiusmodi hominem facere, cuiusmodi se fecit: quo posito illud declarabo, quàm fuerit conueniens, vt illa summa bonitas hanc nostram humanitatem sumeret, quantamq; gloriam hinc consecutus sit.

Dico igitur, quòd infideles indignum diuina maiestate fieri hominem existimàrunt, quia Christum fuisse hominem, vt cæteri sunt, arbitrabantur, ijsdem scilicet proprietatibus, & communibus infirmitatibus cum ijs qui in peccato concepti sunt, omnibus illis peruersis appetitibus, & perturbationibus, quas supra narrauimus, vbi de originali peccato egimus, ex quo intellectus obscuratus mansit, liberum arbitrium infirmum, voluntas contumax, imaginatio profuga, & inquieta, appetitus inordinatus, & iners ad omne bonum, & omnium malorum cupidus, & in primis infirma caro, & in malum procliuis. Talis homo de ventre matris nascitur. Quòd si homines negant

negant se Deum huiusmodi hominem fecisse, id iure quidem negant: nihil enim erat Deo indignius, quàm huiusmodi habitum induere, huiusmodiqúe naturam.

DISC. Quem hominem igitur se fecit?

MAG. O res magnæ admirationis, & suauitatis; in qua pia anima cogitando diu noctuq; versari non satiatur. O Dei sapientia, quæ sic abiecta & prostrata erigit, parua adauget, & humilia honorat. Cùm enim sua immensa bonitate se ita demitteret, vt nostram humanitatem susciperet, huiusmodi hominem se fecit, vt sibi dedecori non esset, sed maximę gloriæ, se huiusmodi fecisse, cùm in illius potestate esset, quem vellet se facere, nullo alio sumptu, nisi sola voluntate, id faceret.

Primùm enim in communi hominum natura erat aliquid, quod Deus fecerat, quod fuit natura; & aliquid aliud, quod dæmonium contulit, quod peccatum est. Hic autem Christus Dominus sibi illud suscepit, quod Deus fecit, & reliquit illud, quod dæmonium construxerat: nostram enim naturam sine peccato suscepit. Neque communi aliorum hominum via cóceptus, aut natus est, sed mira quadam ratione, & huiusmodi maiestate digna. Spiritus enim sancti virtute conceptus fuit, & de Maria Virgine natus. Quòd si Deus nasciturus erat, ex virgine nasci debebat: & si virgo parere debebat, hic Deus esse debebat. Hoc conceptionis, & nascendi genus tam nouum fuit, tam gloriosum, & filio Dei dignum, quòd licet multi stulti Imperatores tanquam dij vocari, & coli voluerint, nullus tamen illorum sibi hanc tantam gloriam vindicarit.

Quid autē de diuitijs, & gratijs dicam, quę huic sacratissimæ humanitati concessæ fuerunt? Prima & summa gratia fuit illius cum diuino Verbo coniunctio, quod maius est, quàm omnis Dei omnipotentia dare possit. Qua dignitate illa sancta humanitas super omnia, quæ Deus creauit, & creare potuit, exaltata fuit. Et cum hac dignitate omnes gratiæ concessæ fuerunt, id est, vt vniuersale totius humani generis caput esset: vt per eum omnibus ex stirpe Adę gratia dari posset. Et cum hac omnes gratiæ illi datę fuerunt, quas dicunt gratis datas, hoc est, gratia prophetiæ, sapientię, faciendorum miraculorum, curandi ægrotos, dominandi in improbos spiritus, & omnium diuitiarum, & donorum sancti Spiritus, quæ in illa sanctissima anima domicilium

Isa. 11. habuerunt, vt Propheta Isaias significat, cùm inquit: *Egredietur virga de radice Iesse, & ex ea flos, super quem spiritus Domini conquiescet, spiritus sapientia & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientia & pietatis, & illius animam spiritus timoris Domini replebit.* Hęc, & innumerabilia alia dona sancti Spiritus in illa sanctissima anima inclusa fuerunt: in illa enim omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, vt animę personaliter cum Deo vnitæ dignitas postulat, positi fuerunt.

Hoc igitur cùm sic se habeat, non erat à diuina maiestate alienum, tam pulchrum, tamqúe diues pallium se induere. Nam licet natura humana sit angelica inferior, tamen gratia ita adaucta fuit, vt longè Angelorum naturæ præstet. Ex vili pãno fieri potest vestis, tam multis pretiosis lapillis exornata, tantaqúe opera, & fimbrijs, vt longè sit pretiosior, quàm si ex tela aurea tota

confecta

confecta esset. Quod enim dignitati deest materiei, id formæ, & operę pulchritudo supplet. Templi velum, quod erat ante fœderis arcam, ex diuersis coloribus, & acu pictum Dei iussu erat: quod sacræ humanitatis velum significat, quo diuinitatis gloria tecta erat: & illius colorum varietas, multitudinem, & differentiam huius virtutum; & acu fuisse pictum, Spiritus sancti exquisitissimum artificium, quo illa sancta humanitas ornata, & pulchra reddita fuit, nobis significat. Propter hanc causam dixit Dauid: *Dominus induit se pulchritudine, & fortitudine pracinxit se* Et propter hanc causam in sua pulchritudine dicitur formosus præ filijs hominum, quod est præ omnibus Sanctis, qui fuerunt vnquam, aut futuri sunt. Quod sponsa in Canticis nobis ante oculos ponit, cùm inquit: *Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios hominum*, id est (vt diximus) inter omnes Sanctos. Quare Psalmista inquit, quòd hic Dominus vnctus fuit Spiritus sancti gratia præ omnibus illis, qui illius participes fuerunt, qui omnes electi fuerunt. Propter hanc causam Daniel illũ Sanctum sanctorum vocat.

Psal. 92. Cant. 2. Psal 44. Dan. 9.

Prꝫterea naturales animi perturbationes, quæ vniuersim rationi in hominibus tam rebelles, tamq; contumaces sunt, propter peccatum, in quo omnes concepti sumus, in eo tam obsequentes erant, quàm ante peccatum originalis iustitiæ virtute erant. Cùm enim esset Spiritus sancti virtute conceptus, ab Adam naturam tantùm, non autem culpam desumpsit: propter hanc causam hæc mala radix in illo non erat, quæ in nobis quidem est. Non enim æquum erat illum vestigium vllum peccati habere, qui ad lethalia nostrorum peccatorum vulnera sananda veniret.

Tanta fuit tandem illius sanctæ humanitatis perfectio, & pulchritudo, & tantum abest, vt doctores existiment, in mundum venire in hac forma diuina maiestate indignum fuisse, vt peccatis satisfaceret, vt dicant, quòd licet nullum fuisset peccatum, nec peccatores quos redimeret, tamen incarnatus esset, hac ratione illud confirmantes: non esse consentaneum, vt illud tam præstans opus sacræ humanitatis (quæ pluris est, quàm omne creatum) ex tam fragili re, & casu facta, vt peccatum est, penderet: illud etiam adducentes inter cætera, quod summo bono hęc summa communicatio conueniebat, vt per eam illius bonitatis, & charitatis magnitudinem declararet, & pro mundi, quem creauerat, honore: vbi enim coniunctus fuit cum homine, qui minor mundus est, totus maior mundus honore afficiebatur, & coniungebatur cum principio, à quo profectus erat, vt postea expositurí sumus.

Huius autem sacræ humanitatis præstantia & gloria hîc non conquiescit: quidquid enim in eo successit, illi primæ ac summæ dignitati vnionis cum diuino Verbo conueniens fuit. Huiusmodi enim sunt consequentia, & conuenientiæ eorum operum, quæ diuino consilio ordinata sunt. Itaque pręter ea, quæ dicta sunt, (ne qua dignitas, aut gloria in hoc mysterio deesset) antequam hic Dominus nasceretur, statim mundi initio, & omnibus ætatibus, quæ postea successerunt, à Patriarchis promissus, à Prophetis nuntiatus, à Sibyllis prędicatus, & in omnibus legis cæremonijs, sacrificijs, & sacramentis figuratus fuit.

Quando autem iam in mundum venturus erat, quo modo venit? Venit, vt tantam maiestatem decebat. Ab Angelo fuit nuntiatus, Spiritus sancti virtute con-

tute conceptus, de matre Virgine natus, multis millibus Angelorum illius natiuitas celebrata, à pastoribus salutatus, à stellis significatus, à Regibus adoratus, à iustis cognitus Simeone, Anna, Zacharia, Elisabeth, & in primis à sancto Ioanne infantulo, qui in suæ matris visceribus inclusus illum cognouit, & adorauit: quod nouum, nec vnquam visum venerationis genus fuit: sic enim Domini gloriæ, & honori maximè conueniebat, qui primùm in mundum veniebat.

Postea autem cum illo adolescente gloria quoque adoleuit. In illius enim baptismo cęli aperti sunt, & super illum in visibili columbæ specie Spiritus
Matth. 3. sanctus descendit, & illa magnifica Patris vox insonuit; *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Deinde cùm iret ille per terras, & cum hominibus versaretur, ea faciebat opera, quæ illius dignitatem maximè decebant. Cùm enim Deus in humana forma de cælo in terram descenderet, quænam opera illi facienda erant, nisi Dei opera? Huiusmodi igitur opera hic Dominus fecit, languentes sanabat, cæcos illuminabat, leprosos mundabat, dæmonia ejiciebat, paralyticos curabat, mortuos resuscitabat, rerum naturas mutabat, panes multiplicabat, super maris aquas deambulabat, ventis imperabat, tempestates tollebat, cordium secreta reuelabat, futura nunciabat, sanctissimam vitam viuebat, miram doctrinam prædicabat, peccatis ignoscebat, homines illuminabat, & sanctificabat. Quodque maius est, non solùm ipse hæc miracu-
Ioan. 14. la faciebat, sed alia huiusmodi, & maiora faciebant illi, qui in illum credebant, vt idem dixit. Neque solùm id sui verbi virtute operabatur, sed tactu solo suæ vestis, quę in terris salutem omnibus afferebat, qui illam contingerent. Quid autem est Deo dignius, quàm hoc vitæ genus? Nulla quidem alia ratione æquum erat vt cum hominibus, quàm huiusmodi amplitudinibus, versaretur.

Sequitur deinde mors, quę licet mors turpis videretur, non tamen minùs quàm vita gloriosa fuit. Nam si à mundi initio in Abel iusti morte improborum bellum cum bonis inceptum fuit, & in omnibus ætatibus perseuerauit cum Prophetarum morte; quo modo peruersus mundus se gerere debebat cum eo, qui sic viuebat, & huiusmodi doctrinam prædicabat, & huiusmodi testimonium suorum malorum operum afferebat, nisi eū persequi, qui se sic persequebatur; & eum perdere, à quo sic euertebatur; & mortale bellum illi inferre, à quo in se huiusmodi inferebatur? Quid illi faciendum erat, qui totus caro erat, in eum, qui totus spiritus erat? quid phrenetico, nisi in medicum insanire? quid lippo, nisi lucis splendore offendi? quid latroni, nisi in illum sæuire, qui sua furta retegeret?

Quid autem de modestia, & grauitate dicam, quam in morte præ se tulit? Ipse per se ad mortis locum venit; ante illius mortis diem vesperi suis discipulis prędicauit, eos consolabatur, illis pedes lauit, & illud altissimum ac diuinissimum sui corporis & sanguinis Sacramentum ordinauit: illis obuiam processit, qui vt illum caperent, veniebant, & vbi illi in terram ceciderunt, bis eos erexit; & sanctum Petrum reprehendit, quòd vnum ex suis inimicis percusserat, & sua benedicta manu illius vulnus sanauit. Etiam in medio suorum inimicorum constitutus, quam patientiā in tam multis tormentis ostendit? Quod silentium in tam multis accusationibus? Quam mansuetudinem inter

totin-

tot iniurias? Quam grauitatem in responsionibus? Quam modestiam ante iudices,& tribunalia tam iniusta? Neque minùs animaduertenda sunt verba, quæ in Cruce protulit, tam persona,à qua dicta fuerunt, digna, pro ijs orando,qui illum crucifigebant,& re ipsa blasphemabant; bono latroni paradisum offerendo, & amato discipulo piam matrem commendando, & spiritum in manus patris sui,illius tantę obedientiæ opus ad finem perducens. Hæc omnia apertè illius innocentiam testabantur, & personæ diuinitatem ostendebant: sed multò magis passionis tempore mundi motus idem testatus est. Elementorum mutatio,cælorum obscuratio,terræ motus,lapidum fractio, sepulchrorum apertio, mortuorum resurrectio, & veli templi scissio, quod illius sanctę humanitatis figura erat: ita decebat,vt discinderetur, cùm illa pateretur. Consentaneum enim erat,vt ita mundus commoueretur, cùm mundi Creator in cruce moreretur. Vt omnia ab initio ad finem pari concordia proficiscerentur,vt tanti Domini dignitatem decebat, conceptio, natiuitas,vita,mors cum reliquis omnibus. Neque in hac re illius gloria desijt; quòd si mortuus est, tertio die statim, vt mortis Dominus, & victor, resurrexit, & cum illo multi alij mortui, & infernum diripuit, & huius mundi principem cepit: quo facto, cum illa tam magna præda sua ipsius virtute ad cęlum per aerem cum anima & corpore ascendit,præsentibus discipulis maxima admiratione affectis;& inde misit Spiritum sanctum, cuius virtute per nonnullos piscatores mundum reformauit,idolorum altaria deiecit, Imperatores deuicit,Martyres consolatus est,fecit vt deserta loca à Monachis habitarentur,& culta à virginibus;& mundum sapientia, & religione, & Dei cognitione repleuit,de suis inimicis,& de omni mundi potentia, & (quod magis est) peccati triumphauit;& qui illius mortem procurârunt, meritam pœnam luerunt.

Vt autem redeamus ad rem,quis diuina maiestate indignum arbitrabitur, se hominem facere,cùm totus illius vitæ & mortis processus tam multis mirabilibus,tanto ordine,& rerum consequentijs adornatus,atque illustratus sit? Qui hanc descriptionem,hanc mirabilem rerum congruentiam,& mysteriorum condecentiam considerabit,qui mirum Dei consilium, & sapientiam nō agnoscat? Quomodo nonnulli pauperes,& rudes piscatores hanc telam texere sciuerunt,hoc opus describere,tantaq́ concordia,nisi eadem veritas eos rexisset? Quamobrem vt Philosophi in huius mundi fabrica tantum ordinem, & rationem videntes, illum intellexerunt casu & fortuitò minimè esse constructum,sed sapientissimum habere artificem,& rectorem, qui illum administraret: sic etiam hunc mirabilem Christi vitæ processum,& quidquid antè præcessit,& paulò pòst consecutum est,videntes,& hinc miram horum mysteriorum conuenientiam,& congruentiam,& multò magis magnum fructum, quem inde totus mundus percepit, intelligentes, minimè facere potuerunt homines,quin tantum opus reciperent,& approbarent,& cognoscerent,quòd hoc consilium erat Deo dignum, non humanum inuentum: licet hoc vnum non sit nostræ fidei fundamentum; alia enim innumerabilia sunt, quę hanc cęlestem veritatem confirmant, atque testantur. Quare iure quidem Propheta dixit,quòd testimonia,& mysteria nostrę fidei credibilia facta erãt nimis, Psal. 92.
proter multas rationes,quibus mundus adductus illa recepit.

DISC. Non possum, Præceptor mi, verbis tibi explicare, quantam consolationé anima mea ex hoc tam copioso, & suaui sermone perceperit. Homini enim Christiano, qui duo lumina in suo intellectu habet, (aliud naturale rationis, aliud fidei) nihil suauius est, quàm videre, hæc duo lumina concordare.

Nunc autem cùm demonstraueris illius Domini altitudine non fuisse indignum, se huiusmodi hominem fecisse, qualem hîc demonstrauisti; iam mihi tradas velim, quod initio proposuisti, id est, quantæ gloriç huic Domino fuerit, nostram carné sumere, quamq; fuerit diuinæ naturæ conueniens. Nam quæ conuenientia, aut quæ ratio est, qua in vna persona duæ naturæ tam inter se diuersæ, vt diuina, & humana est, coniungerentur.

Quàm fuerit conueniens, diuinam naturam cum humana coniungi, declaratur, quàm multiq; fructus ex hac mirabili coniunctione consecuti sint.

MAG. Vt huic petitioni respondeam, illa ratione vtar, qua Angelicus Doctor S. Thomas vtitur, tam efficaci, tamq; potenti, vt nullus futurus sit mentis & rationis particeps, quin ab illa conuincatur. Quæ vt intelligatur, illud tanquam notum & manifestum supponédum est, illud cuilibet rei conuenire, quod ei secundùm suam naturam conuenit. Sic enim dicimus, studere, legere, philosophari, doctrinæ esse capacé, homini conuenire; quòd illius naturç competunt, quod est creaturam rationis participem esse. Iam quæ Dei natura sit, videamus. Omnes quidé fatentur eandem esse essentialem bonitatem, qua creauit, regit, ac gubernat omnia. Hæc est illa perfectio, qua ille gloriatur, quæ omnium, quæ in illo sunt, gloriosissima est, vt suprà dictum est. Nunc autem peto, quid sit bonitatis proprium.

DISC. Illud in scholis tritum esse audio, quod à S. Dionysio dictum est, bonum esse sui ipsius communicatiuum, vt in omnium creaturarum præstantissima cernitur, qui Sol est, qui tam liberaliter omnibus corporeis creaturis suum splendorem, calorem, & virtutem impertitur.

MAG. Satis probè respondisti: & idem exemplum est in hominibus, qui reipsa boni sunt, qui vellent quidem (si fieri posset) in omnes homines illam bonitatem infundere, & sui similes reddere. Quamobrem ille magnus Sapiens dicere solebat, se sine liuore omnibus suam sapientiam communicare, neminiq; honestatem, & pulchritudinem abscondere. Hæc autem cùm sit bonitatis naturalis proprietas, illud sequitur, quòd quò maior erit bonitas, ita etiam magis sui ipsius communicatiua erit; vt in igne cernitur, cuius cùm sit natura proprium comburere, & inflammare, quò maior erit ignis, eò valentiùs etiam comburet, & inflammabit.

DISC. Quis hoc negare poterit?

MAG. Neque quod hinc consequitur negare poterit: id est, quòd cùm Deus non solùm bonus sit, sed summè bonus, & ipsa bonitas; illud sequitur, sui ipsius summè communicatiuum esse: neque alia erat ratio, qua se homini summè communicaret, quàm sua ipsius essentia communicanda. Qua communicatione non solùm homini, verùm etiam omnibus creaturis pro ratione cuiusque speciei se communicauit; cùm in homine concurrant, & in vnum congregatæ sint tam spirituales, quàm corporales, quòd ex vtraque

natura constet. Hæc ratio tam potens est, vt, quid ei responderi possit, non videam. Nam si quis diceret, iam Deum homini huius mundi omnes diuitias communicasse, cùm illius seruitio omnes creaturas constituisset: id tamen omne, si cum Deo conferatur, tanquam punctus est in medio mundi constitutus, cum altiori cæli circulo comparatus. Nam (vt inquit Sapiens) hic mūdus totus in conspectu Dei est tāquam gutta matutini roris, vel tanquam granum quod in aurificis lance ad ponderandum imponitur. At Isaias vlteriùs progreditur, cùm dicat omnes mundi nationes in illius cōspectu esse, tanquā si non essent, & coram illo pro nihilo haberi. Id igitur cùm ita sit, qui fieri poterit, vt summa communicatio dicatur, nobis illa tribuere, quæ Propheta Spiritus sancti plenus nihil esse dixit? Quare hæc diui Thomæ ratio extra cōtrouersiam est. Sap. 11. Isa. 40.

DISC. Maximè quidem miror cùm videam, quàm breui ratione meæ quæstioni satisfacias; ex quo factum est, vt quod prima fronte à diuina maiestate alienum videretur, apertissimis rationibus ostendas, id Deum maximè decere. Quid tamen illis respondere debemus, qui dicunt magis Dei filij dignitatem decuisse corpus luce formatum suscepisse (quæ creatura formosissima est) quàm ex carne constans, quod ab Adæ carne originem trahebat, & multorum aliorum magnorum peccatorū, qui in huius Domini genealogia numerantur, licet illius caro innocentissima, & absque vllo peccato esset?

MAG. Breuiter huic quæstioni satisfaciam, vt Eusebius Emissenus illi respondit inquiens; id nostræ redemptionis iustitiæ minimè conuenire. Num lux (inquit ille) peccauit, vt in suo corpore aliorum peccata lueret? Quare huius creaturæ corpore illius mortis pretium dari non potuit, neque illius resurrectionis exemplum. Præterea nullam mihi spem attulisset fore, vt inimicum meum vincerem, nisi in meo corpore ille triumphasset. Ad quid debebat ille lucis corpus sumere, qui ad redimendum hominem veniebat? Inanis esset profectò ille Medicus, qui sanum hominem susciperet, & infirmum relinqueret. Ægroto enim corpori medicina adhibenda est. Euseb homi. 11. Paschæ.

DISC. Satis huic factum est. Nunc verò aliud mihi suboritur dubium, videri scilicet hominibus illa summa maiestate fuisse indignum, sibi carnem induere.

MAG. Ad id breuiter respondeo; quòd licet homo ratione suarum humilitatum, infirmitatum, & suæ carnis vilitatis, sit ex omnibus creaturis miserior, & vilior: tamen si illius animæ præstantiam respexeris, & finem, ad quem creatus fuit, nihil profectò (inquit S. Thomas) ex Seraphin altiori cedit: cùm Seraph nullus alius finis sit, nullaque beatitudo, quàm ipsius hominis finis, & beatitudo, cùm vtrique ad eandem gloriam creati fuerint: quam Sancti semper in oculis ferunt, ne quid tanta dignitate indignum faciant. Sic de quodam ex priscis Patribus qui Isidorus dicebatur, scriptum est, quòd cum quodam die mensæ accumberet, cœpit vehementer flere: qui interrogatus cur tantam vim lachrymarum effunderet, respondit; Fleo, quòd bestiarum cibū comedam, cùm deceret, vt pro animæ meæ dignitate in paradiso diuino cibo fruerer. Si quis autem hanc tantam hominis dignitatem animaduerteret, videret profectò non fuisse illa immensa bonitate indignum, tam nobili creaturæ remedium parare.

DISC. Non possum non maximè hac responsione gaudere, cùm tantopere ad finem meum conducat. Sed quoniam tanta res, vt est Deum fieri hominem, secum magnos fructus, magnasq; vtilitates hominum vitæ ferre debet, id mihi in præsenti declares velim.

MAG. Id tibi compertum erit, si illud memoria tenueris, quod hactenus tractauimus, vnà cum ijs omnibus, quæ in hoc libro legisse mihi significasti. Primùm enim hac ratione nos ille Dominus ad se amandum lacessiuit, nobis suæ bonitatis immensitatem adaperiens, quo nihil est quod magis alliciat ad amandum. Nam quemadmodum (vti diximus) diuinæ bonitatis proprium est, se summè communicare; ita hæc summa communicatio apertissimum argumentum est, illam esse summam bonitatem, quæ se ipsa hac ratione communicauit.

Hinc etiam nobis suæ charitatis immensitatem declarauit, cùm se nostrũ fratrem, nostram carnem, nostrum sanguinem effecerit, quod pariter nos ad illum amandum magnopere allicit, atque trahit.

Hac ratione nostram quoq; spem adauxit, & credibile esse nobis ostendit, quòd, vt Deus descenderat, vt se hominem faceret, fieri quoque posset, vt homo per gratiam ascenderet, vt se Deo similem redderet: cùm illud sit multò maius, quàm hoc, vt in superiori libro docuimus.

Quòd si illos admirabiles fructus arboris Crucis memoria tenes, quos narrauimus, intelliges profectò, quòd illorum fundamentum est, Dñũ se hominem fecisse: minimè enim fieri poterat, vt in cruce moreretur, nisi homo extitisset: itaque omnibus his fructibus caruissemus, in quibus omnis nostra salus, atque redemptio consistit.

Præterea cùm hic Dominus se hominem fecisset, & cum hominibus tanta sanctitate versatus esset, beatitudinis iter suæ doctrinæ luce nobis adaperuit & facilius reddidit, nobisq; spem dedit ipsius exempli virtute fore, vt & nos cum illo proficiscamur: altera enim nostra ignorantia, altera nostra infirmitas indigebat; & vtræque, vt cum carnali sapientia, & mundi potentia pugnaremus, opus erant. Cùm enim Euangelij philosophia ex altera parte inordinatæ cupiditatis honorum, diuitiarum, & sensuum voluptatum damnatio sit; & ex altera nihil magis curent (vt vniuersim loquar) omnes homines, & omnes mundi magni, & prudẽtes viri, (qui per mare, & per terras, per ferrum, & ignem, hæc omnia conquirunt, in quibus suam felicitatem, & vltimũ finem positum esse decreuerunt) quo modo debilis homunculus posset huic torrenti resistere, & totius mundi opiniones reprobare, nisi Christi filij exempla, & testimonia haberet? Statim enim in promptu est illud S. Bernardi argumentum, vbi de humilitate, asperitate, & paupertate vestimentorum tractans, quibus puer Iesus natus inuolutus fuit, sic inquit: Vel hic puer, qui hoc genus asperitatis delegit, fallitur; vel mundus, qui contraria persequitur, aberrat. Sed fieri non potest, vt summa sapientia fallatur: sequitur igitur, mundum penitus falli. Hoc argumento boni mundi prudentiam & potentiam irrident. Hic autem est vnus ex fructibus, quem Dei filius in mundum tulit, vt S. Augustinus his verbis inquit: Vt homines fidentiùs ad primam, & summã veritatem, qui Deus est, pergerent, eadem veritas humana carne induta fidem, id est, fidei veritatem, atque doctrinam statuit, atque fundauit. Necessitatem

autem

autem, quæ aderat huius magisterij tantæ auctoritatis, nescio quo lumine cõsecutus sit ille magnus Philosophus Plato, qui inquit, hac conditione suos discipulos debere præcepta seruare, quæ illis dederat, quoad venisset alius homo magis sacer, qui aliam præstantiorem doctrinam illis traderet.

DISC. Iure quidem, Præceptor, dixit Dauid: *Quàm dulcia sunt faucibus meis eloquia tua Domine super mel ori meo.* Hoc inquam propter iucunditatem, quam ex tuis sermonibus percepi: præsertim cùm in animo euoluo, quàm multis rationibus & vijs infinita bonitas suæ incarnationis mysterio nostrã infirmitatem adiuuet. Qui enim tam multis infirmitatibus circumuẽtus erat, & tam multis malis propensionibus oppressus illius communis peccati ratione, vniuersali medicina indigebat, qua curaretur. Quæ quidẽ in Crucis mysterio satis potens reperitur, vt ex dictis facilè colligitur, vnà cum ijs, quæ in superiori tractatu continentur. Sed quoniam huius mysterij materies ex altera parte tam alta est, ex altera tam copiosa, alia quidem habeo, quæ à te scire velim, quæ in alium sermonem differemus. Psal. 18.

MAG. In eo rem acu tangis: nostri enim intellectus imbecillitas meliùs distincta, & paulatim declarata percipit, quàm si omnia vnà tractentur. Recordor quidem apud Quintilianum legisse, quòd, vt vasa strictiori ore liquorem recipere non possunt, si totus vnà infundatur, sed recipiunt si sensim infunditur; sic etiam meliùs, quæcunque difficilia sunt, percipiuntur, cùm paulatim, & distinctè id nobis traditur.

DIALOGVS TERTIVS, IN QVO quæritur, cur Saluator noster, cùm illi placuerit se hominem fieri, suam vitam humilem, pauperem, & laboriosam esse voluerit.

DISCIPVLVS.

MATERIA quam tractamus tantam suauitatẽ ex altera parte, & tantam maiestatem ex altera habet, vt semper mihi aliqua inquirenda sit occasio, qua de illa aliquid quæram: propter hanc causam superiori aliam quæstionem adiungam. Scire enim velim, cur altissimus Deus, cùm pro nobis fieri hominem sibi placuerit, in hoc mũdo tam pauper, tam humilis, tam multisq; molestijs viuere voluerit, quàm multas in sua sanctissima vita, & morte passus est. Commune enim mundi iudiciũ paupertatem, & vitam humilem, & laboriosam, rem abiectam, & vilem esse existimat, & omnibus rationibus tam quæ fieri, quàm quæ fieri non possunt, contendit, vt illam effugiat.

MAG. Huic quæstioni, si res apud homines sapiẽtes, & Philosophos tractaretur, nihil profectò loci esset: ex quibus multi sine fidei lumine sola naturali ratione hæc omnia bona, quæ mundus adorat, à se longè remouerunt, existimantes ea quidem hominibus onera esse, curas afferre, & ad Philosophiæ studium, quod ipsi sectantur, maxima impedimenta esse, & felicitatẽ, quam ipsi prosequebantur, summopere perturbare. Quod ita verum

est,

est, vt vel Epicuri discipuli (qui felicitatem in voluptatibus ponebant) hos vitæ genus effugerent, dicentes, quòd hæc onera, hæ curæ, & molestiæ, quas secum trahebant, voluptates, & iucunditates illius vitæ, quam ipsi expetebant, perturbabant, minusq; gratas, & suaues reddebant. Philosophi autem Stoici, hæc bona nullo modo appellari bona, volebant, q, qui illa haberent, minimè bonos facerent, imò nonnunquam in causa essent, vt inaniores, impudentiores, molliores fierent, & in calamitatibus oppressos inhumaniores, (calamitates enim non sunt experti) & in primis magis voluptatibus, & turpitudinibus dediti essent, quòd diuitiæ ad id, & ad alia multa illos impellût.

Cùm autem mundus tam cæcus sit, vt vera bona non cognoscat; & Iudæi Messiam omnium ditissimum, & potentissimum expectent; vtrisque huius doli vanitatem aperiam. Et quoniam, quæ ad aliquem finem ordinantur, ab eodem fine cùm illorum ordo, tum ratio desumatur, illud mihi dicas velim, cur Dei filius in mundum venire debuit?

DISC. Apparet, tantum negotium, vt est mundi Dominũ in hunc mundum venire humana carne vestitum, nisi pro magnis rebus esse non potuisse, id est, vt mundum renouaret, & maximis bonis homines afficeret.

MAG. Hinc à te peto, cùm duo genera bonorum sint, alterum corporis, animi alterum, quænam tibi maiora videntur?

DISC. Huic rei quisque vel rudis agricola respondere posset: cùm illud compertum sit, quòd quantò anima corpori præstat, tantò animæ bona, quæ nos ad vitam æternã disponunt, corporis bonis, quæ desinunt cum vita, profectò præstant. Vt autem hæc tam præstantia bona nobis daret, vt in mundũ veniret consentaneum fuit. Et ne quid amplius à me requiras, vlterius progrediar, & ex dictis colligam, quòd vt animi bona bonis corporis præstantiora sunt; sic animi mala (quæ peccata sunt) quàm corporis mala peiora sunt: idq; eo gradu (vt apud S. Augustinum legisse memini) quod minus malum esset, omnes mundi creaturas perdi, quàm Deũ vnico mortali peccato lædere.

August. lib. Cur Deus homo ca 9.

MAG. Satis probè philosophatus es. Et hinc colligere possumus, quòd cùm mundi Dominus veniret, vt mundum reformaret, quem ipse creauerat, æquum erat, vt duplici de causa veniret; altera est, peccata in exiliũ eijcere, quæ vera mala sunt; altera est, nos veris bonis, quæ animi bona sunt, ditiores efficere. Quòd si ad hunc finem veniebat, nullum aliud vitæ genus illi conueniebat, nisi huius, quæ vita pauper, aspera, & humilis erat.

DISC. Hoc scire peruelim.

MAG. Me si attentè audieris, profectò cognosces. Medici, vt aliquem morbum curent, in eo maximè inuigilant, vt illius causas remoueãt, qui putridi humores sunt, à quibus morbus nascitur. Hoc autem curandi genus ab illo medico seruatum est, qui de cælo descendit: statim enim vt venit præcipuis peccatorum omnium radicibus remedium applicuit.

Quæ res vt intelligatur, sciendum est, quòd omnium malorum vniuersale principiũ, & fons, est nimius sui ipsius amor, originalis peccati primogenitus filius, omnis corruptionis principium, & Antichristi præcursor: ad cuius aduentum inquit Apostolus homines sui nimios futuros esse amatores. Ab hoc malo amore tres nascuntur filij, qui tres mali amores sunt, id est, inordinatus amor honoris, diuitiarum, & voluptatum. Ex his autem tribus ra-

2.Tim.3.

mis

mis,qui ab hoc pestifero trunco oriũtur,omnis mortis fructus,& vitæ nostræ corruptionis oritur. Et hoc modo dicere possumus, quòd vt totum humanũ genus post diluuium à Noe profectũ est per illos tres quos habuit filios,Sem, Cham,& Iaphet; sic omnia vitia humani generis ab hoc vniuersali patre illorum omnium, qui sui ipsius amor est, per hos tres filios, quos habuit, qui tres improbi amores sunt, quos diximus,nascuntur.

Ex illis enim primus(qui honoris peruersus amor est)ad multa peccatorũ genera origo existit. Huius rei causa est,quòd homines non in virtute honorẽ ponũt,(quæ sola honorẽ meretur) sed in multis inanibus rebus, quas mundus cæcus honore dignas existimauit,licet non sint.Et vt horũ singula consequaris,multæ malæ artes,& rationes reperiuntur,& his omnibus vtuntur ij, qui hanc vanitatem expetunt, vt illud sibi consequantur,quod tantopere desiderant: & ita in multas peccatorum abyssus incidũt, & quæ suis animabus necessaria sunt, cùm non tantopere sibi honesta videntur, omittunt. Hoc in causa fuit,vt cùm Pharisæi mira Christi opera viderent,illũ sequi noluerint, neque illi credere: quòd (vt inquit S. Ioannes) potius mundi, quàm Dei gloriam amarunt. Idem Dominus eandem sententiam repetit,inquiens: Quomodo potestis credere vos,cùm alter alterius honorem quærat,& Dei honorem negligat,qui à Deo proficiscitur? Adsunt etiam multa facultatum genera,& multæ malæ artes,quibus illas adipiscamur; & ita etiam hic sunt multa incitamenta ad multa peccatorum genera.Quare,inquit Apostolus,omniũ malorum cupiditatẽ esse radicem.Cupiditas etiam voluptatũ inordinata est, tanquam multorum malorum semen. Mundani enim homines, veris voluptatibus bonæ conscientiæ neglectis, (quæ, vt inquit Sapiens, perpetuũ cõuiuium est) suas voluptates ponunt in cibo,& potu,in somno, & in carnis voluptatibus,in curiosis vestibus,in mollibus lectis, in magnificis dom bus, in festis,in ludis,& in alijs delicijs, quas caro appetit,quarum singulæ sæpe multis malis artibus comparantur,& ita multorum peccatorũ causa sunt: & præterea homines effœminatos,& molles,immanes,viles,infames Epicuri discipulos,& Mahometi, qui illius voluptates sequebatur, & in primis (vt inquit Apostolus)Christi crucis inimicos efficit, & magis suarũ voluptatum, quàm Dei amatores,& idololatriæ,& sui vẽtris ministros. Neque solùm multorum peccatorum hic amor causa est,sed etiam est omnium virtutum gladius: cùm enim voluptatis amator sit laborum inimicus,cumq; omnes virtutes sint cum laboribus coniunctæ, eadem ratione,qua quis est laboris inimicus,omnium quoq; virtutum inimicus est.Quamobrem inquit Seneca,in voluptatis regno virtutem nullam partem habere.& alio loco inquit idem,vili omnino illum virtutem æstimare, qui nimis suum corpus diligit. Ita quoque communis Philosophorum sententia est,quòd voluptatis amor omnium malorum esca, atque cibus sit. Et multò magis hi tres amores erunt, de quibus hic agimus. Cùm autem quisque illorum in suo genere tam potens sit,maximè ad peccandum homines impellit:cùm illud nobis compertissimũ sit, quòd qui hac affectione tenẽtur,neque paradisum,neque iudicium,neque mortem,neq; promissiones,neque minas,neq; Dei beneficia æstimant;imò id omne, vt sint voti compotes,tam facilè quàm aranei telas discindunt.

(Ioan. 12. — Ioan. 5. — 1. Tim. 6. — Prou. 15. — Philip. 3.)

Hæ verò cùm sint tres præcipuæ humani generis plagæ; æquissimum erat,

Digitized by Google

vt ille Dominus, qui de cælo venit, vt mundi Medicus esset, his cataplasmata & remedia pararet. Quamobrem (præter gratiæ remediũ, & Sacramentorũ, quæ ad hoc conducunt) voluit suam vitam esse pauperem, humilem, & laboriosam, & multò magis mortem. Quòd si ad id veniebat, quanam alia ratione illi veniendum erat? Felicitaténe, & pompa, cùm ad nostram superbiam sanandam veniret? Locupléſne, cùm ad illorum inordinatam cupiditatẽ sanandam veniret? Commodisne omnibus, & delicijs, vt alter Salomon, cùm ad illorum nimium luxum damnandum veniret? Quòd si contraria contrarijs curantur, quonam modo horum morborum Medico veniendum erat, nisi illis medicinis, quæ his contrariæ essent?

Hoc autem exemplum Sanctis ad mundi despicientiam, & huius generis vitæ amorẽ maximus stimulus fuit, cùm illud in Christo Domino viderint. Quis enim tam ingrati animi futurus est, qui cùm cæli Creatorem, & Angelorum Dominum, & beatorum gloriam, in hoc habitu, & figura tam humili videat, tam multa tormentorum genera patientem, non aliquam partem illius imitari conetur, quod in eo videt, vel saltem non permittat, vt medicina, quæ tanti constitit, frustra facta sit? O medicinam, inquit S. Augustinus, quæ rebus omnibus remedium affert, quæ omnia dispersa colligit, quæ debilibus subsidium præbet, quæ omnia superuacanea detruncat, & corrupta corrigit. Quæ superbia sanari potest, nisi hac Saluatoris humilitate sanetur? Neq; minùs hanc cælestem philosophiam nascendo, quàm moriendo docuit, cùm eodem die, quo natus est, nulla ratione habita temporis anni, in stabulo hospitari, & in præsepio collocari voluerit, & statim re ipsa huius vitæ iniuriarum & miseriarum partem experiri. Nam (vt inquit S. Bernardus) illius natiuitatis tempus hyemis fuit, nox frigida, locus apertus, lectus durus, panni pauperes, comitatus Iosephus tantùm, & Maria. Quæ paupertas igitur, quæ humilitas cum hac conferri potest? Quò magis hic Dominus descendere debebat, quàm in stabulo nasci, & in præsepio dormire, quod est cum beluis lectum, & domum communem habere? O Rex Angelorum, ô cælorum Domine, quisnam locus hic est, quem delegisti? Si cælum tua sedes est, & terra scabellum pedum tuorum; si sedes super Cherubin, & inde respicis abyssos; cur tuam sedem in tantæ humilitatis abysso ponere voluisti? Nulla alia est causa, nisi nostræ vitæ remedium: inde enim statim exemplo docere vis, quod deinde verbis prædicaturus eras. Hoc autem præsepium est suggestus, ex quo magna efficacia mundi despicientiam, & Euangelij philosophiam doces.

DISC. Satis mihi factum est, atque persuasum, quòd nullum vitæ genus erat, quod Saluatorem sequi magis conueniret, quàm hoc ab eo delectum, eo posito, eum venisse, vt de mundo peccata in exilium eijceret, illorum radicibus euellendis. Quòd si veniebat, vt cum his tribus gigantibus pugnaret, qui tam potentes sunt; si vt idola deijceret, quæ à gentibus colebantur; si vt bellum inferret pompis, & vanitatibus, superbiæ, auaritiæ, delicijs, quæ mundum tyrannide vsurpauerant, & secum omnes homines trahebant, & à Deo alienabant, & illorum studia ad idolorum cultum conferebant; quibus alijs armis cum illis certare debebat? quo alio habitu illi veniendum erat? Sed quoniam mihi dixisti, hunc Dominum non solùm venire, vt de mundo in

exilium eijceret mala, quæ peccata sunt, sed etiam, vt nos veris bonis cumularet; scire velim, quomodo hic humilitatis, & paupertatis habitus ad id etiam conducat.

MAG. Hoc etiam tibi eadem facilitate exponam. Quare illud tibi supponendum est, nullum maius bonum posse à rationali creatura comparari, quàm Deo similem fieri, illam summam sanctitatem, & puritatem, quantum fieri potest, imitando. Neque quisquam existimet præsumptionem esse, ad hanc similitudinem aspirare: cùm idem Dominus toties nos ad illam excitet, inquiens: Estote sancti, vt & ego sanctus sum. Sic & Apostolus nos adhortatur, inquiens: Prior homo de terra, terrenus fuit: sed secundus de cælo, cælestis fuit. Qualis terrenus fuit, tales & terreni sunt: & qualis cælestis fuit, tales & cælestes sunt. Quare si hactenus terreni imaginem gessimus, nunc cælestis imaginem geramus. Leui. 16 1 Cor. 15.

Hanc vitæ altitudinem Dominus pulchra similitudine nobis significauit, inquiens per Ezechielem Prophetam: Sumam ego (inquit Dominus) medullam cedri, summitatem frondium eius auellam, & trãsportabo eam in altum montem, ibi nascentur, & suum fructum ferent. Quænam cedrus hæc est, quę medulla, quæ summitates? Alta cedrus, Pater omnipotens est: huius cedri medulla, Filius est, qui in Patris sinu est: & ramorum summitas, Spiritus sanctus est, qui ab vtroque procedit. Hæc autem summitas in alto Ecclesiæ monte plantata fuit, & ibi accepit hunc diuinum spiritum, & cælestem fructũ tulit, in terra homines cælestes, & diuinos nutriendo, conformes ipsius plantæ naturæ, quæ in illa plantata fuit. Ezec. 17.

Ad id maximè Deus in terras venit, & hoc nos dignos fecit, & Spiritum sanctum misit, vt sui spiritus virtute ita homines spirituales efficeret, & ædificaret, vt omni carne exuti hanc cælestem vitam viuere possent. Et cælestis vita dicitur, propter similitudinem, quam in suo genere habet cum eorum spirituum beatorum vita, qui cùm liberi & soluti sint terrenis rebus, semper se continent in eo, vt suos oculos diuina bonitate pascant, infinita luce fruentes illius vniuersalis, & summi boni, in quo omnia bona sunt. Hoc idem in suo genere illi faciunt, qui hoc cælesti spiritu ducti eò peruenerunt, vt hanc vitam viuerent; vt Sancti fecerunt, qui à mundo segregati, in Deum omnem operam & curam contulerunt, & ita vt corpore in terris, & animo, cogitatione, & desiderijs in illa cælesti patria versarentur. Huius autem generis vitæ pręcipuus auctor Deus est, vt ipse inquit cum sancto Iob loquens his verbis: Scisne tu ordinem, qui in cælis est, & hunc eundem ordinem in terram ponere poteris? Deus solus hanc mutationem facere potest, vt est homines in terris cæli puritatem, ordinem, & exercitia imitari, vt Apostolus se fecisse ostendit, cùm inquit; Omnis mea conuersatio in cælis est; non enim in caducis rebus oculos animę suæ posuerat, quæ cernuntur, sed in æternis, quæ cerni minimè possunt. In hac autem tam difficili prouincia opus est, vt homo penitus inordinatis affectibus nuntium mittat, & molestissimis huius mundi curis. Nam (vt S. Climacus inquit) vt minimè fieri potest, vnicum oculum cęlum, & terram intueri, qui duo termini contrarij sunt; sic fieri non potest, vt homo in cælestium rerũ, & caducarũ amore, mentem & cogitationem habeat. Vt enim in alteris viuas, in alteris tibi moriendũ Philip. 3.

 est.

est. Hoc illud abnegare, & Euangelij crux est, & illa mortificatio, ad quam nos sæpe Apostolus hortatur, suadens, vt hoc mortis genus in huius mundi rebus complectamur, vt in diuinis viuamus.

Hæc autem tam pretiosa buccea magno pretio emitur. Nam (vt diximus) ab anima nostra rerum omnium terrenarum cupiditas penitus eijcienda est, vt omnibus affectionibus, & viribus in vnum collectis, maris aqua, quæ terram versus per hos omnes canales currebat, ad cælum se cōuertat, & ad summi boni, qui Deus est, amorem conferatur. Et licet multi sint Euangelicæ vitæ gradus, in quibus homines salui esse possint; tamen quia hic maior est, hunc illum esse dicimus, quem potissimùm Dei filius in terris plantare voluit, illius aduentus causam ab illius postremo termino, & fine denominando.

Si igitur propter hanc causam ille cælestis, & nouus homo veniebat, quomodo illi veniendum erat ad hoc genus vitæ prædicandum, & celebrandum, nisi illo in sua ipsius persona celebrando, & exercendo? Quomodo debebat hanc medicinam probare, nisi prior eadem vteretur? Quomodo illi faciendū erat, vt alijs persuaderet hoc melius esse, si contrarium sibi sumpsisset? Quomodo hominibus suaderet, vt hunc habitum noui hominis sibi induerent, si ipse veteri indutus, & in terris solito venisset? Quomodo illi credidissent, qui nimium diuitiarum, honorum, & voluptatum amorem damnabat, si huiusmodi rebus circumfluens venisset, quas ipse vituperabat? Huiusmodi igitur ille venire debebat, omnibus corporis bonis destitutus, omnibus bonis animæ diues; extrinsecus humilis, intrinsecus gloriosus; in hominum oculis abiectus, coram Deo gloriosus. Huiusmodi tandem ille venire debebat, cuiusmodi nos facere volebat: tale illius vitę genus esse debebat, qualis doctrina erat. Nam aliter si venisset, ipse sibi contrarius esset, & actionibus illud demolitus esset, quod doctrina ædificasset.

DISC. Magnopere quidem recreatur animā mea his, quæ hactenus à te dicta sunt. Et nullum intellectum futurum esse arbitror, licet cæcum, qui si eas conuenientias, quas proposuisti, animaduerterit, nō conuincatur, & præclarè cernat, quòd nullo alio accōmodatiore habitu, neq; alio viuendi genere venire debebat ille, qui ad id veniebat, vt mundum emendaret, & vt homines terrenos, & voluptatibus deditos, cælestes & diuinos efficeret; cùm minimè fieri possit, vt alterum sequatur, qui alterum penitus non deserat, & omittat. Quòd si igitur hæc est maior perfectio, quam homo in hac vita consequi possit, non consentaneum fuit, vt, qui ad id veniebat, vt illam alijs traderet, illa careret.

Declaratur, quàm fuerit consentaneum, Christum in hoc vitæ genere pauperem, & humilem viuere, ratione finis, ad quem homo conditus fuit.

MAG. Tam diues, tamq; copiosa hæc materies est, vt licet multa dicamus, plura tamen semper, quæ dici possent, nobis reliqua sint. Nam quæ lingua, quod diuina sapientia in tanto negotio respexit, & ordinauit, exprimere posset? Cùm autem ex dictis tantam perceperis consolationem, vlterius progredi volō, & quæ dicta sunt explanare, licet ratione diuersa.

Quam

Quamobrem illud tibi sciendum est, quòd vt in omnibus rerum generibus, aliæ veræ, aliæ falsæ sunt, quæ veræ videntur; sic etiam in hominis felicitate, alia vera, alia apparens est, quæ scilicet videtur, & non est; & hac ratione fucata maiorem mundi partem decepit. Hæc illa felicitas est, quæ in diuitiarum, honorum, & corporis voluptatum copia versatur. Quę felicitas est fucata, dolosa, breuis, fragilis, & innumeris curis, & angoribus obnoxia. Alia vera est, quę non in bonis corporis, sed animæ, quæ bona spiritalia sunt, consistit, & prętertim in contemplatione & amore summi boni, qui Deus est, in quo homo veram, & consummatam quietem habet.

Quid tamen dæmonium molitur? Nos veræ felicitatis specie decipit, quæ exterior, & sensibilis est, & felicitas videtur, & non est; nos verò, vt rudes, & ignari, illius felicitatis splendore capti, vel, vt veriùs dicam, sapore huius felicitatis, & specie huius exterioris cibi allecti, sic trahimur ab illo, vt penitus nos captiuos, & seruos nostrarum cupiditatum efficiat. Ex hac autem deceptione cæteri errores huius vitæ, & mala proficiscuntur: peruerso enim vitæ fine, & ipsa peruertatur necesse est. Hac autem ratione existimans homo omnem felicitatem in hoc bonorum genere consistere, se illorum inquisitioni tradit, & omnibus suis studijs, & peccatis illa quęrit, quibus homines illa conquirere solent.

Hic autem dolus cùm tam vniuersalis sit, decebat quidem, vt hic Dominus, qui de cælo venerat, vt veritatis præceptor esset, nos ab illo liberaret, nosque doceret, quibusnam in rebus vera felicitas consisteret, vnà cum medijs, per quæ illa comparetur.

Nos autem ille docuit, in summi boni contemplatione, & amore, (quod ex Spiritus sancti donis maius est, quæ sapientia dicitur) nostram felicitatem consistere: quodq; præcipua media, quibus illa comparatur, erat rerum omnium, quæ in mundo sunt, despicientia, & omnium nostrarum affectionum oppressio, & nostræ carnis commodorum sublatio. Quę doctrina non solùm fidei lumine, sed etiam rationis lumine naturali confirmatur. Nonnulli enim fuerunt magni Philosophi, qui hoc consecuti sunt, & in hoc sapientiæ genere summum hominis bonum esse statuerunt: licet illorũ sapientia à nostra valde differat; nostra enim à Spiritu sancto infusa est, sed illorum humano studio acquisita est. In hac sententia (inter magnos Philosophos) fuit Plato: qui in Dialogo, qui Phædon inscribitur, sub persona Socratis loquens, inquit in hoc sapientiæ genere nostram felicitatem consistere.

Hac autem auri fodina detecta, (in qua primi Philosophi foderunt ita, vt nihil inde extraherent) Socratis amici ab eo petierunt, quanam ratione homines tantum bonum sibi comparare possent. His respondit ille, hoc sapientię genus in hac vita minimè comparari posse, sed in futura. Inter autem cæteras huius rei causas, quas ille adducit, ex præcipuis vna est, quòd homo dum viuit innumerabilibus generibus necessitatum, morborum, curarum, negotiorum, molestiarum, periculorum, accidentium, infortuniorum, & aliorum huiusmodi, quę illi in vita contingunt, obnoxius est; tam in sua persona, quàm suorũ consanguineorum, & amicorum, & familiarium, quorum curę, & molestiæ non minùs nos afficiunt, & perturbant, quàm quæ nobis ipsis contingere solent. Cùm autem anima tam corporis amica, & soror sit, his oneri-

bus oppressa,& omnibus his spinis sauciata, ad contẽplationem huius altissimę substantiæ liberè se erigere non potest,quòd illa in luce inaccessibili versatur,neq; se intelligi,vt conuenit,nisi ab animabus puris, & nimijs mundi negotijs liberis permittit.Quòd si alia ratione se attollere vellet, carnis onus, & curarum spinę deorsum trahunt,& illi impedimento sunt, quo minùs ascendere possit.Propter hanc causam iure optimo ille magnus Philosophus dicebat,hominem minimè posse hãc sibi sapientiam comparare,& se totum illius studijs tradere, quoad anima huius corporis seruitio per mortem, quæ hoc vinculum,& hanc societatem soluit,libera non esset; quòd eo tempore liberè in sublime,absque vllo corporis impedimento,volare posset.

Hic tamen Philosophus hanc sententiam temperauit, inquiens, quòd si quis reperiretur,qui in terris ita viueret,tanquam si in terris non esset,& ita à se omnes corporis curas,& voluptates depelleret,tanquam si in hac vita non esset; hic in numero mortuorum haberi posset,& quò magis huiusmodi esset, eò esset ad rerum diuinarum contemplationem accommodatior: quod est (vt diximus) proprium illius sapientię officium. Per hoc autem genus mortis intelligit hic Philosophus omnium nostri corporis appetituum separationem,quę nullo accommodatiore vocabulo significari potest,quàm hoc mortis nomine. Nihil enim aliud mors est,quàm animæ à corpore separatio. Sapientis autem est,quantum in se situm est,animam à nimia cura, & ab omnibus corporis appetitibus, & commoditatibus separare,& eo contentum esse, quod ad vitam sustentandam penitus est necessarium. Quam sententiam (vt S. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani refert) magni Philosophi celebrarũt, & vsque ad sidera laudibus extulerunt. Id autem iure optimo quidem, quia pręterquam quòd argumentum certissimum est, est etiam potissimum,quo Euangelicæ perfectionis veritas probatur,& confirmatur. Quam Propheta
Psal. 45. duobus verbis significauit, cùm inquit: *Vacate,& videte quoniam ego sum Deus.* Vbi rerum caducarum separatione pro medio vtitur, vt animam ad summi boni agnitionem,& contemplationem conferat. Quę separatio tam generalis esse debet,vt hoc nomen mortis mereatur,quod ei Philosophi imposuerunt; cùm nihil aliud sit mors,(vti diximus) quàm animę à corpore separatio?

Philosophi autem vbi eò peruenerunt cognitionis,satis in sublime volasse sibi videbantur,& iam esse consecuti, quod magna ingenia, vt scirent, multum ac diu elaborarunt; quod fuit statuere quibusnam in rebus felicitas consisteret, & quibus rebus comparari posset. Nos quidem multa excitant, vt ei Domino gratias agamus, qui de cælo venit,quiq; hanc philosophiam (quam magna ingenia diuturno studio vix attigerũt,nunquam autem exercitatione confirmarunt) ita docuit,quòd eam innumerabiles homines,& literarum rudes,non solùm assecuti sunt, sed etiam perfectissimè in se ipsis exercitatione confirmarunt.Id enim fecerunt initio Ecclesiæ omnes illi sancti Patres,qui in AEgypti solitudinibus versabantur:qui(si hoc dici potest) magis quàm mortui mundo,& suę carni erant:cùm ex illis multi leguminibus tantùm,& agrestium herbarum radicibus se sustentarent. Quod ad virginem Eustochium in quadam epistola S. Hieronymus narrat: in qua loquens de pœnitentia, quam ipse agebat in deserto, sic inquit: De cibo & potu non loquor, cùm monachi, licet infirmi sint, aquam bibant, & quidquam coctum comedere inter illos

luxuria

luxuria habeatur. Hac igitur ratione illi sancti viri suorū corporum seruitio liberi, in huius diuinæ philosophiæ studio, & exercitatione, dies noctesq; cum incredibili Spiritus sancti suauitate, & consolatione conterebant. Nam si aliter vixissent, quomodo homines ex carne & ossibus constantes solitudinem, & vitam tam intolerabilem ferre possent; cùm homo natura sit animal politicum, & societatis amicum? De his inquit S. Hieronymus in eadem Epistola, quòd ita in carne viuebāt, ac si extra carnem fuissent. In quibus verbis totum hoc complexus est, quod de hac morte philosophica hactenus expressimus.

Hoc mortis genus, & hanc studij, & exercitationis rationem scribit Philo, omnium Philosophorum eloquentissimus, & grauissimus, quam primi fideles circa Alexandriā exercebant, quod postea suo loco ad vnguem referemus. Illud vnum in præsenti dicam, quod ad rem facit, & est, quòd hi sancti viri extra ciuitates in humilibus casis habitabant, quas iuxta lacum Marian sibi ædificabant. Illud maximè de illis confirmat, quòd omnes suas possessiones & facultates à se remouebant, & hac ratione de suo corde illarum amoris radices euellebant, & rerum huius mundi curas à se depellebant. Nemo, inquit ille, ante Solis occasum aut comedit, aut bibit, ita tempus diuidentes, vt diem in sacræ sapientiæ studijs, & noctis partem in corporis necessitatibus satisfaciendo conterant. Alij sunt, qui tertio quoque die comedunt, quos verbi Dei fames magis affligit. Et qui magis hanc altam sapientiam consequuntur, & diuinæ scripturæ profundiora secreta spiritalia degustant, ita sunt in illos suaues cibos propensi, vt vsque ad sextum diem corporeos cibos obliuiscantur: tunc autem comedunt, non voluptatis desiderio, sed vt corpus sustentent. Hæc Philo.

DISC. Quod mihi retulisti testimonio tanti viri, vt Philo est, & fide digni, maximè admiror. Non enim adduci possem, vt crederem fieri posse, vt tam multos dies sine cibo corpora viuerent, & id omne tempus in rerum diuinarum contemplatione contereretur. Quare quò nostra philosophia est altior, & admirabilior, quàm philosophia tantorum Philosophorum, quos nominasti; & quantò longiùs nostri philosophi profecti sunt, quàm ipsi ne suspicari quidem potuerunt? Quæ maior mors, quæ maior animi & corporis separatio reperiri potest, vbi sine nutrimento sex dies corpus in vita manet? Quàm magna gaudia, consolationes, & vires Spiritus sancti erant eorum, qui tam diuturnum ieiunium ferre poterant? Illud mihi dicas quæso, nū hac tempestate vllæ illorum sanctorum Patrum reliquiæ reperiantur.

MAG. Fidei articulus est, fore, vt vsque ad diem nouissimum Spiritus in Ecclesia cōmoretur, qui huius cælestis vitæ præcipuus auctor, & magister est. Saluator autem, cùm vellet à suis discipulis discedere, dixit: *Ecce vobiscum ero vsque ad consummationem seculi.* Quamobrem semper in Ecclesia erunt homines, qui huius mundi rebus neglectis in Deo omnem suam felicitatem, amorem, & spem habebunt. Illud tamen verum est, quòd (vt inquit Cassianus) hæc tam diuturnæ abstinentiæ integræ hebdomadæ sine vllo cibo, in aere & temperie harum Occidentalium regionum esse minimè possunt. In reliquis verò (quæ est paupertas, vitæ asperitas, continuum orationis studium, & tandem illud mortis genus, quod hactenus exposuimus) in multis nostræ religionis locis reperitur. Matt. 28.

Multa

Multa enim cœnobia,& multæ etiam prouinciæ inter Christianos sunt, vbi hæc philosophia intelligitur,& exercetur meliùs,quàm vel Socrates, vel Plato vnquam intellexit:neque id à Philosophis magnis,&in humanis scientijs peritis,vt ipsi fuerunt,sed à multis(vt diximus) hominibus literarum rudibus,& sine harum scientiarum studio. Qui Philosophi si hac tempestate à mortuis resurgerent, & illam tam altam philosophiam viderent, quam ipsi tanto studio consecuti sunt,intellectam,& exercitatam tam multis in locis ab hac gente, facere quidem non possent,quin admirarentur, & cognoscerent, hic Dei digitum adesse,illamq; veram esse fidem,& religionem,quæ illam tam altam,& veram philosophiam assecuta erat.

Vt autem reuertamur ad rem ; si nobis non solùm fidei lumine, sed etiam apertissima ratione,& magnorum Philosophorum testimonio compertissimum est,quòd verè sapientis vita in hoc mortis genere consistit, (quod est separatio bonorum mundi, & corporis commodorum) vt liberiùs spiritum nostrum ad rerum diuinarum contemplationē conferre possimus : quæ vita illius philosophi,qui de cælo descendit,esse debebat, ad hanc cælestem philosophiam tradendam,nisi pauper,humilis,& laboriosa?

Quòd si sunt (vt iam diximus) duo genera felicitatis; alterum falsæ, quæ in bonorum corporis abundantia consistit ; alterum veræ, quæ in animi bonis,neglectis corporis,versatur:quonam alio habitu illi veniendum erat,qui veniebat in mundum,vt falsam felicitatem damnaret,& veram traderet?

In quo facilè cernitur,quantopere fallantur mortales, qui bonis caducis & fragilibus sectandis se veram felicitatem consecuturos esse sperant.Qui non aliter in errore versantur,ac illi,qui cùm Orientem versus nauigare vellent, ad Occidentem nauem dirigerent; in eo enim felicitatem quærunt, quod veræ felicitati penitus contrarium est. Quare vt veritas cum mendacio esse non potest,quòd altera ab altera eijcitur; sic etiam falsa & vera felicitas in eodem subiecto esse non possunt:cùm non minùs inter se contrariæ sint, ac veritas & mendacium sibi inuicem aduersantur.

DIALOGVS QVARTVS, in quo de Saluatoris passionis,& mortis causis, & conuenientijs agitur.

DISCIPVLVS.

1.Cor.1. IAM tempus est,Præceptor, quo de præstantiori huius articuli mysterio nostræ Redemptionis agere incipiamus,quæ filij Dei Crux, & mors est,quę, vt inquit Apostolus, Iudæis scandalum fuit, & Gentilibus stultitiæ materies. Nam (vt S.Gregorius inquit)hominibus,dementiam esse, visum est, vitæ auctorem pro illis mori : & inde homines infidelitatis scandalum susceperunt,ex quo occasionem & incitamentum illius amandi accipere deberent.Vt autem Deus nos à tanto periculo liberet ; præter fidem,quam Dei misericordia de hoc mysterio habemus, conuenien-

uenientias scire cupio,& fructus, quos humana ratio,eadem fide illuminata, in illo reperiat;humana enim prudentia maximè stupet, cùm Deum mortuum esse audit.

M A G. Huius stuporis causa illa est,quòd homines ita sunt in carne inuoluti,& ita spiritum negligunt,vt nulla alia vel bona,vel mala cognoscant,nisi quæ ad corpus pertinent; itaque altera omnibus suis studijs prosequuntur,& altera quantum in se situm est effugiunt. Et quoniam ex corporis malis (vt ait Aristoteles)horribilior mors est,ob id ita illam timent, & ab ea sic abhorrent, vt multi eam ne in animum quidem sibi venire patiantur. Sed vt iam tuę quæstioni respondere incipiam, illud te monitum volo; quòd cùm in fidei articulis confitemur,Deum mortuum, & passum esse, non intelligimus Deum secundùm suam naturam pati,sed secundùm humanam,quam pro nobis suscepit.

Nam tanta est illius altissimæ substantiæ simplicitas,puritas,& immutabilitas,vt nullum qualitatis,aut alterius accidentis genus in illum cadere possit. Nam in Deo nihil aliud est amplius,quàm ipse Deus. Et in hanc sententiam inquit S.Augustinus,quòd,vt cùm martyr moriebatur, corpus solùm moriebatur,non autem anima; sic cùm Dei filius patiebatur,sacra humanitas patiebatur, sed diuinitas ab omni passione libera & immunis erat. Hoc nobis significauit illud memorabile Abrahæ sacrificium,in quo iubebat Deus, vt suum filium Isaac sacrificaret; & cùm sanctus Patriarcha brachium eleuabat,vt illum sacrificaret, affuit Angelus,qui iussit,ne illum contingeret, cùm suæ fidei,& obedientiæ integritatem ostendisset:sed eodem tempore Patriarcha arietem cornibus vepribus adhęrentem vidit,quem ipse sacrificauit: ita quòd filius superstes,& aries solùm fuit occisus.Qui(vt inquit S.Ambrosius) nostri Redemptoris sacrificij nobis conditiones declarat,in quo adoramus & confitemur duas naturas,diuinam, atque humanam ; quarum humana tantùm patiebatur; sed diuina, vt Isaac,omni passione libera fuit. Gen. 22.

D I S C. Satis compertum est, quod dicis, & omnes homines intelligunt. Quod cùm verum sit,cur Deum mortuũ esse,& passum,& sepultum fatemur; cùm nihil horum ad diuinitatem pertineat,sed ad humanitatem solùm?

M A G.Ad id respondeo,Dei filium tam arcto vinculo secum nostram humanitatem coniunxisse,vt,licet ibi duas naturas perfectas, & distinctas, non tamen plures, quàm vnam personam, qui vnus Christus est, quæ illas duas sustinet,cognoscimus: cùm autem hæc vnio tam stricta sit,altera natura alteri suas proprietates communicat, & ita quod Dei proprium est, sacræ humanitati tribuitur,& quod humanitatis est,Deo tribuitur.Quod in matrimonijs fieri cernitur;in quibus,quòd matrimonio iuncti vnum fiunt,omnes tituli & bona alterius alteri communicantur: ita vt si quis Rex inferioris conditionis vxorem duceret, (vt Rex Assuerus,qui Hester duxit) ipsa vt ille æqualiter, & pariter Regina vocabitur. Idem in hoc spirituali matrimonio diuini Verbi cum humana natura confitemur. Et hoc quidem iure,quòd hęc vnio & coniunctio arctior sit,& admirabilior,& diuinior,cæteris omnibus, quæ in creatis rebus existant.

Hoc autem fundamento iacto, iam tuæ quæstioni respondebo: licet huius profundi pelagi ingressum timere inceperim,vbi tot admiranda,& am-

dines sunt, vt ne Angelorum quidē linguis explicari possint. Sed cùm verum sit, quod Aristoteles inquit, quòd illud parum, quod de altissimis rebus scire possumus, plus valet, & suauius est, quàm de infimis multum: ita licet parum sit, quod de hoc mysterio consequemur, si cum multo comparatur, quod in illo contemplatione dignum est; hoc tamen parum incredibili nobis animi iucunditati, & vsui futurum est.

Dico igitur, quòd violenta mors conditionem habet vnam, quæ in paucis rebus reperitur, & est, posse omnium turpissimam, & omnium gloriosissimā & honestissimam esse. Publicè enim quem per magistratus, tanquam scelestum hominem interfici, est omnium pessimum; cùm in eo duo tanta mala sint, hoc est, pœna, atque culpa. Sed si quis violenter fuerit interfectus pro patria sua, pro rege, vel pro fide, pro castitate, vel pro alia virtute; notum est, quòd quò mors esset crudelior, doloribus cumulatior, & turpior, hoc gloriosior, & honestior esset: Quare vt de morte iudicemus, non dolores spectamus, sed causam; & secundùm causam, mortem vel laudamus, vel vituperamus. Quamobrem vt de amore dicimus, eum esse talē, qualis res amata est, si bona, bonus; si mala, malus: sic in suo genere dicimus, talē mortem esse, qualis illius causa est; & ita bona, vel mala, honesta, vel turpis, ratione causę dicitur. Quos honores Decij Romę consecuti sunt, quòd se pro patria deuouerunt? Quantopere celebrata, & prædicata est Attilij Reguli mors? qui timore mortis non adductus fuit, vt suaderet, quod patrię minimè conduceret: & ne fidem datam falleret, Carthaginem reuersus est, vbi pro eo, quod suaserat patriæ contra illam, multis tormentorum generibus interfectus fuit. At gentilium exempla missa faciamus. Quàm fuerit gloriosa Agnetis, Margaritæ, Dorotheę, Agathę, & aliarum innumerabilium mors, quis non videt? quæ vt suam castitatem conseruarent, ex altera parte omnes minas spreuerunt, & ex altera magnas promissiones, quas illis tyranni faciebant.

Ex his autem (quòd exemplum non satis notum est) virginis Potamicenæ puritatem non prętermittam, quam partim Palladius, partim Eusebius libro sexto historiæ Ecclesiasticæ scribit. Quæ propter pulchritudinem cùm à quodam illustri viro expeteretur, cui seruiebat, nec promissionibus, nec minis adduci potuit, vt illi nuberet. Tunc ille crudelis amans Alexandriæ præsidi eam tradidit, illi iubens, vt nisi sui domini voluntati morem gerere vellet, crudeliter eam torqueret. Pręses autem cùm virgini minatus esset, eam in æneo bullientis picis, nisi sui domini voluntati obsequeretur, impositurum; tamen virgo hilari vultu mortem delegit, ne in peccatum laberetur, Pręsidem per Imperatoris vitam orans, ne in æneo nuda, sed ita, vt tunc se habebat, imponeretur. quod factum fuit. in quo satis magnum temporis spatium commorata est: cùm autem pix ad collum peruenit, suum spiritum ad thronum cęlestis sponsi emisit, gloriosè de carne, & de mundi, & diaboli, qui id vrgebat, potentia triumphans. Quanto fuit hæc quàm Lucretiæ mors tantopere celebrata honestior? quæ pluris honorem, quàm castitatem fecit, cùm magnam culpam in adulterio, & maiorem in homicidio commiserit.

Etsi hoc exemplum, cum cæteris, quę narraturus sum, satis sit ad comprobandum, quod dictum est, aliud tamen simile adducere volo, quod idem

Euse-

Eusebius libro octauo eiusdem historiæ refert, quippe quod omnium cognitione dignissimum sit. Inquit igitur, quod in eadem ciuitate Alexandria quædam præstans virgo nomine Dorothea erat, nobili loco nata, multisque propinquis, & diuitibus cumulata; sed multò magis illius virtutis gloria, & prudentia, & omnium bonarum artium exercitatio, & ingenij acumen in illa elucebat; illius autem pulchritudo, & gratia tanta erat, vt Deus illam ex omnibus illius seculi mulieribus exornare voluisse videretur. Illa verò cùm pluris faceret animæ pulchritudinem, (quæ in virtute, & religione vera consistit) Deo præter suum spiritum illud, quod tantopere hominibus placebat, consecrare decreuit: itaque perpetuam virginitatem delegit. Maximinus autem (qui tam diuina, quàm humana sua luxuria, & ira polluere tentabat) virginis pulchritudinem cognoscens, (non autem virtutem, & voluntatis fortitudinem) secum ipse decreuit, illius castitatis consilium frangere. Deinde cùm rescisset, eam Christianam esse, & videret potiùs illam esse torquendam, quàm alliciendam, cœpit dubitare, ad quamnam partem potiùs inclinaret; in qua contentione, luxuria, qua ipse maximè detinebatur, vicit. Virgo autem cùm expectaret, vt ad martyrium comprehenderetur, nuntij secreti à tyranno ad illam iuerunt, qui illius virginitatem tentarent. Quibus ingenuè, & sapienter respondit his verbis: Dicatis tyranno velim, me Domino meo non minùs mei corporis templum, quàm animæ impollutum custodire velle: meque eandem infidelitatem existimare, consentire in id, vt violetur, quàm in idolorum cultus blasphemiam; neque minùs propter hanc causam, quàm propter fidem ad mortem paratam esse: dicatisque velim, non decere tam barbarum tyrannum, tam mites nuntios mittere, neque illud cor voluptatibus frangatur, quod tam multę hominum sanguinis vndę molle reddere non potuerunt. Hac responsione accepta, illius ignis flammæ magis exarserunt, & statuit (nisi morem sibi gereret) illi vim inferre. Quod cùm castissima virgo sciret, domo cum familia & diuitijs suis relicta, noctu cum nonnullis suis fidelissimis ancillis, & sua tantopere dilecta castitate comitata, ciuitate egressa est, & tyrannum deceptum, & stupefactum reliquit. Eodem modo alias nobiles mulieres, & virgines tentauit, & eadem voluntate (superioris exemplo) illum irriserunt, & morti se potiùs, quàm luxuriæ seruituti deuouebant. Quas diuersis pœnis torquendas iubebat, quas illę libenter ferebant, quòd à Domino duplicem coronam, alteram pro fide, alteram pro castitate expectabant. Hęc Eusebius. Quis autem non videt hic, quanta sit huiusmodi mortuorum gloria? Quę verba, quod ingenium, quæ eloquentia satis erit, vt hanc admirabilem virtutem, & constantiam celebremus, & præsertim in debili fœmineo sexu? Quamobrem his exemplis apertè conspicitur, quòd mortis violentæ qualitas à mortis causa denominatur, & ita honesta, & turpis dicitur.

Mortis igitur Martyrum gloriam, qui incredibili constantia, tam multis tormentorum generibus se tradiderunt, ne fidelitatem amitterent, & fidem, quam cælesti Imperatori debebant, quę lingua satis erit, quæ exornare possit? Hæc omnia eò spectant, vt id apertè videas, quod hactenus dictum est, quòd talis est mors, qualis causa est.

DISC. Cui hoc dubium est? Ad quidnam aliud omnem suæ eloquentiæ vim

tiæ vim contulerunt Homerus, Virgilius, Lucanus, & multi alij Poetæ, & Historici, quàm ad illorum fortitudinem celebrandam, qui vel pro patria, vel pro virtute omnia pericula adibant? Plato quidem volebat, vt qui pro patria vitam profunderent, pro heroibus, id est, diuinis hominibus haberentur.

M A G. Hoc autem cùm ita se habeat, rogo te, vt mihi dicas, cur hic Dominus passus est? Quòd si id tu ignoras, ab Isaia Propheta postules, qui tibi respondebit, quòd cùm ipse solus ex omnibus Adæ filijs sit innocens, & ab omni peccato immunis, propter nostra scelera passus est, vt Pater æternus decreuerat. Quare non solùm pro patria passus est, sed pro omnibus mundi nationibus, & omnium seculorum præteritorum, præsentium, & futurorum. Passus est pro sui æterni Patris gloria, & obedientia. Passus est, vt veritas suæ doctrinæ prædicaretur, & vitia sacerdotum, & pontificum reprehenderentur. Passus est, vt mundum renouaret. Passus est, vt nos à tyrannide, & seruitute diaboli, & peccati liberaret. Passus est, vt nos puros & mundos coram Deo efficeret, vt Paradisi portas nobis aperiret, & à pœnis inferni nos liberaret. Et (vt id paucis verbis complectar) vt nobis omnes fructus arboris Crucis, quos in superiori tractatu exposuimus, communicaret: quod fuit, ea nobis omnia parare, quæ nobis ad hoc vitæ genus sanctum in terris viuendum, & ad merendā præterea æternam vitam, necessaria erant. Nam si rectè consideras, omnes hi fructus sunt ad id potissima auxilia: vt, si dicta collegeris, per Crucis mysterium æterno Patri reconciliati simus, & illi non solùm amici, verùm etiam filij facti. Per Crucem apertissimam nobis Dei bonitatis, charitatis, & iustitiæ cognitionem dedit, & virtutis præstantiæ, & peccati turpitudinis, & reliquorum omnium, quæ ad nostram philosophiam pertinent. Per Crucem Dei filius nos prima gratia dignos fecit, vnà cum reliquis omnibus, quæ ad nostram salutem pertinent. Ex Crucis virtute septem Sacramenta profecta sunt, quæ nostrarum omnium necessitatum & morborum remedia sunt. Quid plura? In Crucis mysterio illos maximos stimulos reperimus, & illa incitamenta, quæ ad amandum Deum, ad sperandum in illius misericordia, ad illius iustitiam timendam, ad peccati abominationem conducere legisti; quæ quatuor ex omnibus, quæ in Christiana vita reperiuntur, maximè necessaria sunt. In Cruce ad omnes virtutes, & præsertim ad humilitatem, ad obedientiam, ad vitæ asperitatem, ad Euangelicam paupertatem, & mundi despicientiam, & omnium corporis commodorum fugam efficacissima exempla reperimus. Crux consolatur nos in omnibus infirmitatibus, & angustijs. Crux copiosissimam, & suauissimam materiam meditandi, & inflammandi cordis nostri ad pietatem, & illius Domini amorem, qui huiusmodi molestias nostri causa passus est, nobis præbet. Crux nobis dat, quod Deo offeramus, ne tunc inanes videamur, cùm ad illum accedimus, vt aliquid ab eo precibus petamus. Quid dicam præterea? Fateor quidem, me maxima molestia affici, quòd tam pauca de hoc mysterio dicam, vbi tam multa sunt, quæ dicenda essent. Hinc aliqua ratione intelligere poteris, quot genera gratiarum, & auxiliorum ad virtutem prosequendam in nos à Cruce profecta sunt.

Ex quo hæc animaduertens S. Augustinus iure exclamat inquiēs: O Crucis nomen, ô mysterium tectum, ô gratia ineffabilis. O Crux, quæ hominem cum Deo coniunxisti, & à dæmonij dominatu, qui eum ceperat, segregasti. O Crux,

quæ

quæ quotidie Agni absque macula laudes fidelibus repræsentas,& crudele venenum antiqui serpentis Christi sanguinis liquore depellis, & ignem accensi ensis, qui paradisi portam defendit,extinguis. O Crux,quæ quotidie terrena cum cælestibus pacifica,& concordia reddis,& æterno Patri mediatoris mortem pro Ecclesia filij repræsentas. Magnum,& profundum est Crucis mysterium,ineffabile est charitatis vinculum, quo nos cum Deo coniunxit. Per Crucem Deus ad se omnia traxit: hæc enim est vitæ arbor,qua mortis dominatio deiecta fuit,quā nobis altera arbor attulit.Alio quoq; Sermone de Cruce sic loquitur: Hæc Crux nobis multa bona attulit. Hæc ab erroribus nos liberauit,& in tenebris & vmbra mortis versantes illuminauit.Hæc ex aduenis domesticos fecit,& ex longinquis vicinos,& ex peregrinis ciues.Hæc fuit inimicitiarum mors, & pacis firmitudo, & omnium bonorum thesaurus. Per hanc non aberramus per deserta, cùm per eam veritatis iter inueniamus; neq; regni sumus exules,cùm per portam regiam ingressi simus. Nihil est amplius, quòd dæmonij accensas sagittas timeamus,cùm vitæ fontem inuenerimus, quo illas extinguemus. Per illam animæ,viduæ ampliùs dici nō possunt,cùm illarum sponsus de cælo venerit; non ampliùs rapacem lupum timebimus, cùm bonum pastorem inuenerimus. Per eam tyrannum non veremur, cùm verum regem sequamur. Hæc S. Augustinus.

DISC. Mirum in modum lætata est anima mea hoc Crucis fructuum catalogo, qui omnes causæ fuerunt, quòd in cruce Saluator passus est. Cùm autem tam gloriosæ sint passionis causæ,non minùs talis eadem quoque passio fuit.Nunc autem denuò Dei sapientiam admiror, quòd in re, quæ carnis oculis abiecta videtur, (vt crucis mors est) tam multæ diuitiæ,& thesauri inclusi sunt. Velim ego, vt illi satisfacias, quod nobis ab infidelibus obijcitur,qui tanta maiestate indignum arbitrantur, quòd tot generibus contumeliarum, & iniuriarum,& tam turpi morti se obnoxium fecerit.

MAG. Quàm spatiosum philosophandi campum anima pia in eo habeat, quod hactenus exposuimus,profectò vides,quod (ne nimis longa oratione vtar) cuiusq; pietati,& deuotioni contemplandum relinquo. Illud scias, quòd tam hoc,quàm quod in superiori tractatu legisti, eò conducit, vt huic oppositioni respondeatur. Vt autem apertissimè demonstrem, quòd non solùm mors,sed etiam reliquæ iniuriæ omnes, quæ cum ea fuerunt,non solùm non sunt illa summa maiestate indigna,verùm illud cōtendo,quòd ex omnibus,quę hactenus fecit,& in omnibus seculis facturus est, nihil tanta maiestate gloriosius,honestius, & dignius est.

DISC. Quod dicis mihi profectò maximè mirum est, & scire velim quomodo id ex dictis colligas.

MAG. In hoc vtor eo fundamento, quod initio superioris tractatus de Dei immensa bonitate proposuimus,quæ, vt eo loco cerni potest, vniuersale omnium illius actionum tam naturæ,quàm gratiæ principium est. Quod mira quadam ratione Spiritus sanctus sacrarum literarum auctor in Psalmo 135. qui incipit, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius*,declarat. Hic enim Psalmus ex viginti septem versibus constat, in quibus Propheta diuinorum operum magnitudinem tam naturæ, quàm gratiæ declarat: in cuiuscunque autem versus fine Dei misericordiam illorum causam

 ponit,

ponit, qui illius bonitatis effectus est, & ita repetit viginti septem vicibus hęc eadem verba; *Quoniam in æternum misericordia eius.* Quod sic à Spiritu sancto dictum fuit, vt intelligeremus, quòd omnium diuinorum operum primum principium illius bonitas, & misericordia est: quæ sapientiam, & omnipotentiam suas sorores vocat, vt illud exequantur, quod diuina bonitas facere decernit. Ita res omnes creatæ hanc bonitatem prædicant, & omnes scripturę sacræ puncti, & tituli à capite ad calcem hoc idem canunt, & testantur. Hæc tandem illa perfectio est, qua gloriatur maximè Deus, quámq; maximè glorificari desiderat. Psalmographum enim dicere, quòd illius misericordiæ sunt super omnia opera sua, est dicere, quòd illius bonitas, à qua misericordia proficiscitur, omnia illius opera præcedit. Nunc autem scire velim, prætermissa diuinarum personarum processione, quænam sit huius bonitatis magis propria, magisq; naturalis operatio?

DISC. Hoc iam declaratum est, cùm dicebamus, quòd boni natura est, vt se ipsum diffundat, atque communicet.

MAG. Iam descendamus ad id vt sigillatim de hac veritate tractemus. Inde sequitur, quòd probi hominis magis naturale, & magis proprium est, cæteros homines bonos facere, atque bene facere. Et quando maius bonum, quod homini fieri possit, est illum bonum reddere; (quoniam quidquid est præterea, quasi nihil est) illud sequitur, quòd magis hominis proprium sit, velle alios homines probos efficere: hoc enim est sui ipsius cõmunicatiuum esse. Id autem eo modo est, vt quò homo magis bonus est, hoc etiam magis eo desiderio inflammatus est. Et quò est maius hoc desiderium, eò maiores difficultates aggreditur, maiora pericula adit, & longiora itinera ingreditur, licet vsque ad extremas mundi partes sint, vt illud desiderium expleat; vt Apostoli, & omnes illorum successores fecerunt, qui (vt in historijs Ecclesiasticis patet) ad id in omnes terrarum orbis partes iuerunt, licet sibi compertum esset, se pro eo mortem cum vita esse commutaturos.

Quæ itinera, quas molestias propter hanc causam S. Paulus passus est? quot persecutiones pertulit? quoties verberatus? quoties in carcerem coniectus? captus tamen dicebat, linguam sibi non esse captam, cùm inde illas diuinas literas ad omnes ecclesias scriberet, & ibi animas cõuerteret: ibi enim, inquit ille, Philemonis seruum conuertit. Quòd si quis ab Apostolo sciscitaretur, quibus rebus adduceretur, vt tot mortes pateretur; responderet quidem ille, se hæc omnia pro electis pati, vt sua doctrina æternam salutem consequerẽtur. Quid autẽ de glorioso nostro Patre S. Dominico dicam? De quo scriptum est, tanquam fanale in igne fieri dolore illarum animarum, quæ peribant. Neq; hic exemplũ sancti Diaconi Beniamin silentio prætermittam, quod Nicephorus refert, qui cùm Persiæ regis iussu caperetur, Romani legati precibus liberatus fuit, hac tamen conditione, ne in posterum Christum ampliùs prædicaret. Quod quidem cùm ille renuerit, neque seruare voluerit, crudeliter supplicijs affectus fuit; in illo enim corpore ferreas virgas, quæ in extremitatibus hamatæ erant, fixerunt, & hac ratione permansit multis doloribus affectus quoad studiosum spiritum ad cælum amandauit. Huiusmodi exemplis multos libros implere possem: at hæc sufficiant, vt intelligatur, quàm bonorum proprium sit alios bonos facere, & benefacere, licet illud cariùs

emat. Ex quo illud colligitur, quòd quò quis est bonitate perfectior, eò duriorem prouinciam aggredietur, modò, quod cupit, consequatur: sic etiam, quantò plures,& grauiores dolores propter hanc causam patitur, tantò magis suæ bonitatis perfectionem aperiet,& maiori gloria dignior erit,cùm hæc bonitati debeatur. Hoccine credis?

DISC. Quis hoc negare posset, nisi qui omnino mentis esset inops?

MAG. Hoc tam firmo fundamento iacto, illud conclusum est, quod initio proposui, quòd Crucis mors non solùm non fuit turpis, sed maior gloria fuit,quàm quæcunque ab humano intellectu Saluatori tribui possunt. Nam si ex omnibus perfectionibus, quæ in Deo sunt, bonitas sit præstantior; (vt superiùs exposuimus) si perfectæ bonitatis maximè proprium est procurare, vt omnes boni euadant, seq; propter hanc causam ad multos labores,& difficultates perferendas offerre; cùm hic Dominus tam multa passus sit propter hanc tam gloriosam causam, quàm multa nemo vnquam passus est, quæ gloria ob id, quæ laus ei tribuenda est? Nihil est quod quis dubitet, quòd,quò pœnæ magnitudo creuit,hoc huius quoque gloriæ magnitudo aucta est,& eò magis hominem huius debiti magnitudine illius amori obligauit.

Quod S. Bernardus in deuoto quodam Sermone declarauit, vbi inquit, quòd hic Dominus venit,vt ignem in terra poneret, & huius beneficij magnitudine accenderet: in quo tam nostri amore se abiecit, atque prostrauit. Humiliauit enim se (inquit Sanctus) vsque ad carnem, vsque ad mortem, & vsq; ad crucem. Quis autem dignè cogitare poterit, quanta humilitas, & mansuetudo fuerit, Maiestatis Dominum carnem induisse, & morte damnatum esse, & crucis vituperio affectum? Quis fortè dicet; Nónne potuisset Creator hominem absque tot difficultatibus redimere? Fieri quidem potuisset, verùm hac tanta iniuria voluit potiùs illum redimere, vt magis nos ad se diligendũ incitaret, vt redemptionis difficultas eum magis hac noua gratitudine obligaret,quem creationis facilitas parum pium effecerat. Nã ingrati animi homo dicebat; Video quidem me gratia fuisse creatum; sed sine Creatoris molestia,& labore: id enim illi tantùm constitit dicere, Fiat, quidquid factum est. Hac ratione humana malitia creationis beneficium imminuebat,& illud ingrati animi materiam efficiebat, quidquid maioris amoris causa esse debebat. At Deus illorum ora obturauit,qui hæc dicebant, cùm luce clariùs cernatur,quàm multa Dominus noster pro nostra salute passus sit, atque erogauerit. Ex Domino seruus,ex diuite pauper,ex Verbo caro, ex Dei filio factus est homo. Quamobrem recordare ingrate homo,quòd licet ex nihilo te fecerit Deus,te tamen nihilo non redemit. Sex diebus omnia, & te cum illis creauit: sed triginta annorum spatio in medio terræ tuam salutem operatus est. Hæc S. Bernardus.

Ex quibus cernitur, quàm magnos stimulos in hoc mysterio ad sui Redemptoris amorem,& ad omnem virtutem cor humanum habeat. Neque hoc solum auxilium in hoc effectu habemus. Recordare illos omnes fructus arboris Crucis, quos in superiori tractatu legisti, quæ efficacissima remedia ad bonitatem, & sanctitatem sunt. Nam hoc intellecto, statim probatum cognoscitur,quàm gloriosum,quamq; dignum fuerit illa infinita bonitate, effecisse tantam rem, vt tanta beneficia apud nos collocaret.

DISC.

DISC. Iam consilium,& ordinem,quo hanc rem tractasti, intelligo,cùm tam studiosè arboris Crucis fructus declaraueris. Hoc enim probato, & cognito,illud cognoscitur apertè,nihil esse gloriosius, nihilq́ dignius illa bonitate, quàm tam multa operari, vt nos bonos redderet.

MAG. Sic se res habet. Hoc enim huius diuinæ philosophię præcipuum fundamentum est. Sed mihi dicas velim: Si tibi diceretur,illum celeberrimũ Apellem perfectissimam imaginem fecisse, vel Demosthenem elegãtissimam orationem, vel Hippocratem efficacissimam medicinam, vt aliquem morbum curaret, idne crederes?

DISC. Nihil est, quod dubites. Hi enim tres viri, quos nominasti, præstantissimi fuerunt quisque in sua facultate, quam profitebantur, ob id nihil de illis æquiùs credi potest.

MAG. Quòd si quodlibet horum operum tam credibile sit in his viris, quòd in illis artibus peritissimi fuerunt; quantò pręstantior bonitas in illa nobilissima,& pręstantissima substantia est? Humanúsne intellectus reperitur, qui id complecti suis viribus possit?

Ex hoc igitur quò magis erit talis bonitatis proprium tantum opus perfecisse, vt nos bonos efficeret; & medicinam tam efficacem parasse, vt nostrarum animarum morbos curaret, quę potiora huius bonitatis impedimenta sunt? Quod tam verum est, quòd in Deo gloriosius est, hanc medicinam sui sanguinis liquore condijsse, quàm cęlos,& terram creasse. In creationis enim opere præcipuè suæ sapientię,& omnipotentię magnitudinem aperuit, & ita sapientis,& potentis gloriam cõsecutus est: hinc verò boni gloriam (vt probatum est) & perfectionis, de quo ipse se pręedicat, sibi comparauit. Ex quo hoc opus inter diuinas personas Spiritui sancto tribuitur, cuius bonitas propria est, quòd hoc summę bonitatis opus est.

DISC. Medicinę virtus non ex eo tantùm cognoscitur, quòd laudetur, sed ex effectibus,qui ex illa consequuntur. Illud igitur mihi exponas velim, quod in terris hęc medicina perfecit.

MAG. Satis probè. Cùm ex hoc videas mundi mutationem, vbi hæc medicina de cęlo venit, (vt antea animaduertimus, & fusiùs postea dicturi sumus) & hinc illius virtutem,& efficientiam videbis: quòd ante Crucis vituperium,Deus in paruo tantùm Iudæę angulo cognoscebatur, vbi etiam nõ satis probè colebatur; sed deinde in vniuerso terrarum orbe pręedicatus, & cognitus fuit. Vt,quod hic Dominus non perfecit cum hominibus omni sapientia huius mundi,& pulchritudine Solis, Lunę, & stellarum, & creatarum omnium rerum,id verberibus,spinis, colaphis, & Crucis vituperio perfecerit. Quod vno verbo Saluator exposuit, cùm loquens cũ Iudæis inquit: *Cùm*

Ioan. 8. *exultaueritis filium hominis,* (id de Cruce intelligit) *tunc cognoscetis quis ego sim.* Vt quod humano iudicio & prudentię scandalum videretur, & impedimentum ad non credendum hunc Dominum, eo diuina prouidentia, & potentia ad illum adorandum vsa est.

Parum est,quod dixi: aliud addam,quod non poterit,& in te,& in cęteris, qui attentè hęc considerauerint, admirationem non parere. Ea recordere velim admiranda, quę Deus,cùm de AEgypto suum populum eduxit, operatus est. Omnes illius regni primogenitos interfecit; mare aperuit,quà transirent;

irent; carros, & Pharaonis exercitum demersit: de cælo manna demisit, de petra aquam eduxit, dies noctesq́ nubis columna duxit, Iordanis fluēta continuit, Hiericho muros corruere fecit, lapidibus super suos inimicos de cælo pluit; quodq́ omnem admirationem vincit, per tres horas in cæli medio Solem cōtinuit, vt illos persequi possent. Ea tandem admirabilia fecit, vt idem Moyses dixerit, huiusmodi signa fuisse, quæ nunquam antea in terris visa fuerunt. Quod omne eò spectat, vt hic populus Dei magnitudinem cognosceret, & vt Deum coleret, veneraretur, amaret, & ei seruiret. At mihi dicas velim, quo modo hic populus his admirabilibus, & Dei consilio responderūt?

DISC. Tu quidem meliùs hoc nosti, quàm ego, quòd in sacrarum scripturarum lectione magis versatus es.

MAG. Illud autem in illis scribitur, quòd tempore Iosue ducis, & illorū, qui viderāt Dei magnalia & admirabilia, quę pro illis Deus fecerat, hic populus Deo seruiuit; illis verò mortuis (quod breui fuit) statim à suo liberatore, & Domino defecerūt, & ad idolorū cultū ita se cōtulerunt, vt suos filios illis immolarent; & cum hoc se omnibus vitiorū abominationibus obstrinxerūt, quæ cum idololatria esse solent. Cui tam dediti erāt, vt neque omnia hęc admirabilia, neque omnia diuina beneficia, neque præsentia verbera satis essent, quæ eos ab hoc peccato retraherent. Quam propensionem Deus cum Onagri, qui agrestis asinus est, appetitu sensitiuo cōparat: quòd vt hic, cùm asinæ odorem sentit, sic cæcus currit in illam & effrænatus, vt quo tempore amore hoc animal affectum est, à venatoribus facilè capiatur: sic & hic populus eodem furore cæco, & temeritate ad hoc maximum peccatum ruebat. Et licet nonnunquam magnis Dei plagis à peccato se remoueret, statim tamen restitutus, ad illud reuertebatur. Quod tamdiu perseuerauit, quòd diuina patientia defessa & tanquam victa manum sustulit, & decem tribus in Assyriorum manus tradidit, vt perpetuò captiui essent; & tribus Iuda, quæ reliqua fuit, in Babyloniam captiua ducta fuit, vbi septuaginta annos seruiuit, nullo templo in Hierusalem, neque altari, neque sacerdote, qui Deo sacrificaret, relicto. Hic igitur fructus fuit, quem percepit Deus ex illis miraculis, quibus tam apertè suę diuinitatis omnipotentiam, & gloriam patefecit.

Quibus autem verbis, quod dicendum restat, declaraturus sum, quod quidem non homines solùm, sed Angelos etiam stupidos reddere potest? Hic tantus Dominus, qui tot miraculis suæ diuinitatis omnipotentiam declarauit, & illum populum in suo cultu continere volebat, nihil nisi quod dictum perfecit. Hic autem idem tanquam scelestus homo captus, verberibus, sputis, & colaphis affectus, & dementis vestibus irrisus, & vt fictus rex spinis coronatus, minoris quàm Barrabas æstimatus, morte damnatus, & crucis morte, nudus inter latrones coram omnibus, sic cum eodem mūdo fecit, vt in omnibus illius nationibus innumerabiles gentes eum adorarent, & vt verum Deum, & cæli, Solis, Lunæ, & stellarum, & temporum, & omnium rerum Creatorem agnoscerent: idq́ fecit illorum idola deijciens, atque pessundans: tantaq́ fide, vt omnia tormenta, quæ tyrannorum immanitas reperire potuit, ne latum quidem vnguem ab illa confessione remouere possent.

Hac igitur re quid maiore admiratione, & stupore dignum excogitari potest? Quòd tot Dei miracula, tot beneficia, tot flagella non satis essent, quæ il-

 lum

lum populum ab idolorum cultu deterrerent; quotq; tot genera vituperiorum, & dedecorum satis essent, vt omnes gentes suos Deos raptarent, & comburerent, quos antea colebant, & illorum loco hominem tãquam reum à iudicibus damnatum, & crucifixum adorarent? Hoc satis erat, vt crederetur hoc Dei opus esse: adauget hanc fidem animaduertere, quòd idem Saluator prophetauit id esse futurum, cùm inquit: *Si exaltatus fuero à terra, omnia trãham ad*
Ioan. 12. *meipsum.* Hoc fuit maius miraculum, quàm quæcunque Deus fecerat vnquã, quod fuit eo ad mundi conuersionem vti, quod ipsi mundo scandalum esset, & à quo maximè abhorreret.

DISC. Nescio quas tibi gratias agam, Præceptor mi, pro hoc tanto thesauro, quem mihi retexisti; & pro luce, qua hoc profundum mysterium illuminasti, qua magnitudinem potentiæ cerno, quæ sub hoc iacet, quod imbecillitas videtur.

MAG. Satis probè huius mysterij philosophiam intellexisti. Quam quidem his verbis S. Augustinus declarat: Magnum quidem spectaculum est, videre Dei filium crucem in humeris portare. Hoc si infidelium oculi intueantur, magnum vituperium videtur; sed si fidelium contemplantur, magnum mysterium est. Illis oculis magnæ iniuriæ indicium est; sed his magnæ fortitudinis opus est. Illorum oculi vident hunc Regem pro sceptro sui tormenti lignum ferre: at hi lignum ferre vident, in quo affigendus erat, quod deinde in frontibus Imperatorum terrarum orbis figendum erat. In illo ligno improborum oculis vilipendendus erat, & in eodem ligno in bonorũ cordibus glorificandus erat. Hæc S. Augustinus. Vt si hunc Dominũ fidei oculis respexerimus, inueniemus quidẽ, quòd quò magis ibi negligitur, eò gloriosior est; quò abiectior, eò potentior; quò magis nudus, eò ditior; quò magis ab improbis vituperatur, eò magis à bonis laudatur, & glorificatur: tandem quò magis est extrinsecus in suo corpore fœdatus, eò intrinsecus in anima formosior est, & magis ab illis animabus amatus, quæ illum his oculis intuentur.

Psal. 117. Hoc illud miraculum est, quod Dauid cantat, cùm inquit: *Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* hoc est, in altiori ædificio. Huius operis hic Dominus auctor fuit, quod nostris oculis magnam admirationem affert. Quid enim in terris dignum maiori admiratione fuit, quàm hominem cum duobus latronibus per iudices cruci affixum, pro vero Deo, & omnium gentium Domino adorari, & coli? O potentia admirabilis, ô potentia tecta, hominem de ligno pendentem, mortem, quæ humanum genus occidebat, interficere? hominem cum sceleratis damnatum, homines cum dæmonibus damnatos saluos facere? hominem in ligno clauis affixum omnia ad se trahere? animam tormentis spontè oblatam innumerabiles animas ab inferis eripere? & vnius corporis morte omnium animarum, & corporum mortem interficere?

Vt autem apertiùs superiora intelligantur, aliud addam, quod maximè huc conducit. Recordare quod in superiori tractatu legisti, vbi dictum est, quòd Deus in suis operibus suam gloriam, & hominis vtilitatem respicit. Quare sicut per regium sigillum, scriptum, vbi inuenitur, regium esse cognoscimus; eodem modo, cùm in aliquo opere Dei gloriam videbimus, & hominis

minis vtilitatem illud opus Dei esse statuere possumus. Quare illud mihi dicas velim, in quonam alio opere hæc duo perfectiùs, quàm in Christi Cruce reperiri possunt? Vtilitatem enim, quam hinc homo percipit, vel cæci ipsi vident, & quidquid hactenus dictum est apertè declarat. Non autē minùs hic Dei gloria apparet. Nam si memoria tenes quæ dicta sunt, hac potiùs, quàm alia actione suæ potentiæ magnitudinem magis declarauit Deus, vt hactenus demonstrauimus, quod est, mundum sibi per Crucis vituperia, & infirmitatem subijcere. Hinc illius bonitatis magnitudo cernitur, cùm tam multis se tradiderit molestijs, vt nos bonos, atque sanctos efficeret. Hinc illius misericordiæ magnitudo, cùm sibi omnes miserias, & naturæ nostrę debita susciperet. Hinc illius iustitiæ magnitudo, cùm culpam sine iusta vindicta non permiserit adesse. Hîc non minùs diuinæ sapientiæ consilium declaratur in hoc opere, quod (vt S. Paulus inquit) Gentiles dementiæ esse arbitrabantur. Sapientis enim proprium est, fine statuto ea deligere, quæ ad finem accommodata sunt. Cùm autem hominis finis, illius salus sit; & virtutes, & Dei propinquitas, & gratia sint ea, per quæ salutem consequi valeat; videas iam num aliud quid accommodatius reperiri poterat, quàm Crucis mysteriū? In quo illud inuenio, quod mihi maximam admirationem, & consolationem affert: & est, quòd si attentè decimumoctauum fructum arboris Crucis consideraueris, quem exposuimus, (in quem potissimæ virtutes Christianæ vitæ ingrediuntur) inuenies quidem tam perfectè singulis hoc mysterium conducere, ac si pro vna tantùm, non autem pro alijs effectum esset.

Quòd si de satisfactione pro peccatis mundi tractas, si de ijs, quæ cor nostrum in Dei amorē propensum facere possunt, vel ad virtutem spei, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, vitæ asperitatis, Euangelicæ paupertatis, & cæterarum virtutum, inuenies profectò huius rei veritatem; quòd tam propriè, & tam perfectè hoc mysterium illarum singulis conducit, non aliter, ac si vni tantùm ordinatum esset. In quo diuinæ sapientiæ consilium mirum in modum elucet, quæ tam vniuersalem medicinam inuenire non ignorauit, & omnibus morbis, & necessitatibus nostrarum animarum accommodatam. Hoc eò spectat, vt videas apertè, quàm bene hæ duæ res, quas diximus, Dei gloria, & hominis vtilitas, ad nostræ Redemptionis opus concurrant. Videbis præterea vnà, quod paulò ante diximus; quòd non solùm hic inest hominis vtilitas sine Dei iniuria, imò maxima cum illius gloria, vt superiùs declaratum est. Videtur igiturne tibi opus huiusmodi, in quo ex altera parte tanta insit hominis vtilitas, & ex altera tanta Dei gloria, dignum esse, quod recipiatur, & adoretur?

DISC. Conuictus quidem sum hoc responso, & tanquam manibus ac pedibus obstrictus: & fateor nihil sub cælo esse, quod æquiùs credendum sit. Quid autem mihi dicas, Præceptor, de communi errore, in quo imprudentes homines versantur, cùm audiunt, qui dicunt, Deum hominem esse factū, & in cruce mortuum esse? Hæc enim consideratio infidelibus infidelitatis causa est, & fidelibus maximam admirationem affert.

MAG. Si diligenter attenderes primi libri illud caput, in quo de naturæ operibus egimus, quámque admirabilis & incomprehensibilis Deus in plerisque illorum sit, ostendimus, huic quæstioni satisfactum esse iudicares.

Videres enim quàm admirabilis,& incomprehensibilis sit Deus in creationis opere, in cælorum magnitudine inæstimabili, in illorum motuum velocitate, in ordine tam firmo, qui in illis seruatur; & prӕterea in omnium seminũ virtute, à quibus omnia proficiscuntur; in fabrica omnium corporũ animalium, in illorum dotibus ad nutritionem, ad defensionem, ad filiorum educationem, videres quidem quàm admirabilis sit Deus in omnibus operibus suis. Neque minùs in paruis, quàm in magnis rebus, vt formica, aranea, culex, apes, bombyx est: nullum enim tam abiectum est, vt ait Aristoteles, quod quibusuis admirationem non afferat, modò id vt decet animaduertat. Quòd si Deus in omnibus naturæ operibus tam mirabilis est, (id est, in suæ omnipotentiæ, & sapientiæ operibus) multò erit admirabilior in suæ bonitatis opere, quæ in illo gloriosior est, & qua ipse gloriatur, & à nobis cognosci desiderat, cùm maioris amoris, & illius nominis venerationis causa sit. Quòd si omnia magna ingenia stupent, & omnes intellectus defatigantur, cùm diuinæ potentiæ, & sapientiæ magnitudinem intuentur, quæ in hoc opere splendet; qui non stupescent diuinam bonitatem, & misericordiam, quam Dauid præ omnibus illius operibus esse testatur? Quæ autem opera facere poterat, quæ tantam admirationem afferrent, nisi eo patiendo, quod passus est, & quæ extrema fecit faciendo, si ita dici possunt, vt mundum redimeret, & homines bonos, & beatos efficeret?

Quod vt meliùs intelligatur, illud te scire oportet, quod nõ minùs quàm superiora tibi placebit. Quamobrem illud suppono, quòd terrarum Reges diuersis rationibus suæ bonitatis, & potentiæ magnitudinem demõstrant. Rem exemplis illustremus. S. Ludouicus Galliæ rex in illa magna classe, quam ad terram sanctam oppugnandam parauit, suam potentiam ostendit: bonitatem autem, & sanctitatem suam tũc manifestauit (vt in illius Vita scribitur) cùm ad Christi imitationem, singulis Sabbatis in abditum locum se referebat, vbi pauperum pedes lauabat, abstergebat, & osculabatur; eodem modo & manus. Cùm etiam certis diebus ducentis pauperibus cibum præbebat, antequam ille comederet, & illis accumbentibus cibum & potum administrabat. His enim actionibus, quàm bonus esset ille Rex, declarabatur, qui vt summum Regem imitaretur, (qui in hunc mundum, vt ministraret, non vt ministraretur, venit) sic se abijciebat, atque prosternebat. Eandem quoque bonitatem Helena Constantini Imperatoris mater ostendit, cùm in Hierusalem cuidam collegio virginum Deo dicatarum seruiebat, vt Ruffinus scriptũ reliquit. Idem quoque de Placilla Theodosij Imperatoris vxore commemorat, & multò magis, quàm de hoc. Nam ad imperij sedem eleuata, multò maiori amore in Deum, qui sic illam dignitate auxerat, affecta erat: itaque cùm primùm imperiale pallium induit, ægrotos maxima diligentia curare, & calamitate oppressos leuare cœpit: neque in hac re suorum familiarium, aut ministrorum opera vtebatur, sed ipsa se illis præbebat ancillã, ad ægrotos proficiscens, & necessaria parans, & ad Xenodochia pergens suis ipsa manibus ægrotis ministrabat, vngues purgabat, ius gustabat quod illis coquebatur, cochlearia illis præbebat vt comederent; panem incidebat, cibum in mensa apponebat, cyathos abluebat, omnia tandẽ munera exequebatur, quæ serui præstare solent. Et si quis ab illa sciscitaretur, cur ita faceret: respondebat ꝙ ma-

Matt. 20.

gna

gna facere Imperatoris erat: sed se hæc omnia Deo offerre, vt imperiũ, quod sibi datum erat, custodiretur. Et Imperatori dicebat: Animaduertas Imperator oportet, quid paucis antè diebus eras, quidq́; nunc es. Quod si feceris, benefactori minimè ingratus eris, & ita prouincias ab illo acceptas legitimè administrabis. Hæc omnia Ruffinus scribit. Quàm autem sit huius benignissimæ dominę bonitas, & sanctitas in his tantis humilitatis, & bonitatis operibus expressa, quis non videt? Ex quo cognoscimus quidem, quòd Imperatorum maiestas, & magnificentia, in magnis donis largiendis, & magnis rebus perficiendis; sed bonitas, his abiectis, & sanctis muneribus, ostenditur.

DISC. Satis probè intelligo quod mihi dicis; sed ad quid, profectò me latet.

MAG. Nunc audies. Illud tibi sciendum est, quòd cùm in Deo multæ perfectiones sint, omnes tandem ad duo genera reducuntur: alteræ enim ad maiestatem, alteræ ad bonitatem pertinent, (licet quæ ad maiestatem pertinent, ad bonitatem etiam spectent) & quælibet harum perfectionum sua opera habet sibi proportione respondentia, quibus se manifestat. Nam perfectiones, quæ ad maiestatem pertinent, (vt sapientia, & omnipotentia, & cæteræ huiusmodi sunt) nobis magnis operibus faciendis declarãtur; quæ verò ad bonitatem pertinent, contrà in humilibus rebus declarantur: illę efficiendis magnis operibus magnificentiæ, hæ pietate magnis; illæ ad altiora ascendendo, hæ descendendo, & humanis necessitatibus accurrendo. Et sicut illæ, quòd sint altiores, cerni minimè possunt; & hæ, quòd nimis abiectæ, & humiles sunt: sic illæ quò sunt altiores, eò magis maiestatis nobis magnitudinem adaperiunt; & hę, quò sunt humiliores, eò magis bonitatis magnitudinem nobis significant; vt superiora exempla patefaciunt. Cùm autem bonitatis gloria (vt toties ostẽdimus) sit maior, & qua Dominus Deus noster maximè gloriatur, & qua maximè in cælis ab illis spiritibus beatis laudatur; illud sequitur, quòd quò magis hic Dominus se humiliauit, eò se fecit humaniorem, & magis ad nostram miseriam & paupertatem descendit, vt illi opem ferret, eò magis immensę suę bonitatis gloriam, & diuitias nobis aperuerit. Et quemadmodum illius sapientiæ, & omnipotentiæ opera stupescimus, ita & multò magis æquum erat, vt illius bonitatis opera admiraremur. & quò magis vtraque opera nostros intellectus suspensos reddunt, eò sunt digniora, & magis Dei propria, qui in omnibus operibus suis admirabilis est. Quo autem modo illius immensæ bonitatis opera nos attonitos reddere poterant, nisi cùm videremus Creatorem pro suis creaturis captum, colaphis & sputis affectum, verberatum, spinis coronatum, minoris quàm Barrabam æstimatum, tandem morte, & crucis morte damnatum, & inter duos latrones crucifixum?

DISC. Quàm verum est, quod dicis Præceptor. Hoc enim illud est, quod omnia corda illius bonitatis contemplatione stupida reddit, vt stupent cùm diuinæ sapientiæ, & omnipotẽtiæ opera considerant: & præterea etiam, quòd non video quomodo huius bonitatis opera tam admirabilia esse possent, nisi id patiendo, quod passus est. Omnes enim creaturas vniuersi orbis creare, & omnia illis ad vitam necessaria vbertim parare, bonitatis opus est: at hoc nos stupidos minimè reddit; nihilo enim pluris Creatori cõstat, quàm velle, & hoc solum nos stupore non afficit; sed cùm beneficium, quod confertur, à benefactore carius emitur, vt illud nostræ Redemptionis fuit. Neque minùs

distinctio, quam fecisti, arridet, cùm omnes diuinas perfectiones ad has duas præcipuas reduxeris, quod mihi inprimis notandum fuit. Hæc enim vna satis est, quæ infidelium tenebras, atque nubes ab oculis disijciat; vt apertè videant, in ijs, quæ infidelium oculis videntur humilia, immensam gloriam & pulchritudinem esse inclusam. Hominum tamen, qui mundani dicuntur, personam in me repræsentare volo, & causam petere, cur, cùm hæc Crucis philosophia tam sit diuinæ bonitati conueniens, vt exposuisti, hominibus rudibus, & voluptatibus deditis, dura videatur, & nonnunquam quærant, quid opus esset, vt tam multas molestias subiret, cùm minori impensa potuisset quidem hominem redimere, si voluisset?

MAG. Ad id in ijs omnibus, quæ hactenus dicta sunt de hoc mysterio, respondi; propter hanc causam nihil ex ijs, quæ dicta sunt, repetiturus sum, vt hanc rem confirmem. Volo tamen, vt hanc quęstionem intelligas illius hominis esse, qui nondum aratro manum admouit, vel, vt melius dicam, qui nondum brachio scutum aptauit, & arma sumpsit, vt cum dæmonio decertaret, & cum prauis carnis propensionibus pugnaret, qui inimicus maior & familiarior est, omnibus qui nobis aduersantur, cùm ex altera parte sit nobis amicior, & ideo maiori cum difficultate superetur. Homo rusticus, qui nunquam mare vidit, nec nauem conscendit, cùm primùm in illam ascendit, admiratur, cùm tot rudentes videt, tot funium genera, quibus malus circundatus est, & à nauta sciscitatur; Cur hoc? cur illud? Nauta verò respondet: Videris quidem frater nunquam nauigasse; quod si aliter esset, intelligeres quidem nihil horum esse, quod ad nauigandum non sit necessarium.

Hoc quoque carnalis homo, & infidelis, qui nunquam virtutis mare nauigauit, vbi audit, cùm quis dicit Dei filium hominem esse factum, & tam multas molestias passum, vt homini salutem afferret, secum ipse ea ait, quæ repræsentasti. At qui strictum virtutis callem ingreditur, & vita communi minimè contentus, contendit, vt ad perfectionem perueniat, ne vestigium quidem in hac via figit, quin in Christum crucifixum oculos cõuertat, si ieiunare debet, si suam carnem malè tractare, si suos appetitus & improba desideria reprimere, si suæ voluntati aduersari, si facilè inimicis ignoscere, si molestias ęquo animo ferre, si viriliter & festinanter carnis commoditatibus & mollitiei resistere, si pœnitentię & virtutis crucem complecti, quod aliud remedium ad id omne habet, nisi in Christum crucifixum oculos conuertere, & eo vires reficere, quod suum Creatorem pati pro se cernit: hîc enim exempla cernit, hîc vires, hîc rerum omnium solatium, cùm animaduertit quantò maiora sint illa, quæ omnium rerum Dominus non pro se quidem, sed pro illo passus sit? vt difficulter gressum in hac via moueat, nisi ante oculos semper hoc speculum, & hoc exemplum habeat.

Quòd autem virtutis studium vnum sit ex præcipuis incitamentis ad nostræ religionis sinceritatem, & excellentiam cognoscendam, illis verbis Dominus declarauit, quibus suę doctrinæ veritatẽ confirmabat, inquiens, quòd si quis fecerit voluntatem Dei, & illius mandata seruauerit, apertè suæ doctrinæ veritatem, & excellentiam cognoscet. Quibus verbis significauit, quòd vitę puritas ex pręcipuis erat medijs ad nostræ philosophiæ puritatem, & veritatem cognoscendam. Qui enim hanc conseruant puritatem, ijs diuinę lucis ra-

cis radij copiosiùs communicantur, quibus apertiùs nostrorum mysteriorũ veritatem,& conuenientiam cernunt: & vnà cum his vident, quomodo hæc omnia mirum in modum bonę vitæ exercitationes,& bona opera adiuuent: & hoc auxilio ita illa delectantur, vt cum Propheta dicant; *In via mandatorum tuorum Domine delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs*.& alio loco dicit: *Dilexi mandata tua super aurum & topazion.* Psal. 118.

DISC. Ex voluptate,& consolatione, quam in omnibus superioribus sermonibus,& tam iustis & accommodatis responsis, quę in eis quæstionibus dedisti, percepi, illud intelligo, quod in his tuis scriptis legi, scilicet, quòd cùm adsit musica & vocum concentus corporis auribus, sic etiam animæ auribus adest: quam quidem vidi suauissimo & admirabili concentu, quem omnia nostrę Redemptionis mysterij cum veritate,& diuinæ bonitatis magnitudine habent. Hęc autem vtriusque rei conuenientia inter se, dulcissima harmonia,& concentus nostri intellectus est, cuius perfectio est veritatis cognitio: & ita naturaliter delectatur illa, vt aures musica,& omnes alij sensus,& animę vires suis perfectionibus delectantur.

Cùm autem hæc concordia sit firmissimum veritatis argumentum, (vt Philosophi docent) nescio, quid respondere poterunt infideles, qui huius mysterij fidem accipere noluerunt, in quo tam mira omnium rerum concordãtia,& congruentia est. Vbi enim ille summus iudex cum illis in iudicium intrabit, & ab eis quęret, cur non crediderunt veritatem, tot miraculis, tot prophetijs,& diuinarum scripturarum testimonijs comprobatam, in qua diuinę bonitatis tam proprium opus est,(cuius præcipuum munus est benefacere, & bonos efficere) quid poterunt ad id respondere, nisi vt quidam Doctor rectè inquit; Domine te tam bonum non putabam, vt te tam multis molestijs traderes, vt homines bonos efficeres. Hoc responsuri infideles videntur, qui Dei bonitatem sua metiuntur, non existimantes Deum facturum, quod ipsi minimè facerent, si dij essent. Quod responsum tanquam blasphemia illis in maius supplicium futurum est.

Huius totius Tractatus Conclusio.

MAG. Ex omnibus igitur hactenus à nobis dictis colligitur, quòd Christi Passio, quod nostræ fidei mysteriũ magis arduum est, (quod Iudæis scandalum fuit, & Gentilibus stultitia, vt inquit Apostolus) sit opus maioris sapientiæ,& prouidentiæ, quàm quæcunque Deus in hoc mundo fecerat; nullumq; sit magis glorię Dei conueniens, id est, gloriæ illius bonitatis, charitatis, misericordię, iustitię, & sapientię, quàm hoc: sic etiam, quòd nulla medicina sit magis nostræ miseriæ conueniens, id est, ad nostrorum debitorum satisfactionem, vt nobis Dei cognitionem, & maxima exempla,& ad omnes virtutes stimulos daret,& præsertim ad charitatem, ad humilitatem, ad Dei timorem, ad spem, ad obedientiam, ad mansuetudinem, ad patientiam,& ad peccati odium, quàm hæc. Sed quid opus est verbis, vt miram huius medicinæ conuenientiã declarem? Quæ enim in cælo, vel in terris persona esse poterat huic rei accõmodatior, quàm filij Dei persona? Nam vt nullus erat in vniuerso terrarum orbe illo maior, vel melior; sic nemo, nec maiori auctoritate potuit docere, nec maiori efficacia impetrare, nec maiori iusti- 1. Cor. 2.

ri iustitia satisfacere, nec maiori gratia mereri, nec maioribus beneficijs obligare, nec meliora exempla dare, quàm ipse nobis dederit. Quis alius secundus Adam? quis alius Pater? quis alius Pastor? quis alius Saluator? quis alius Aduocatus? quis alius Rex? quis alius Mediator illo melior nobis dari poterat? Hoc tam notum est, vt quicunque non à Deo derelictus, id apertè videret. Quod autem hic humanos intellectus suspensos reddit, est videre, quòd hoc remedium (vt antea demonstratum est) tam singulis his rebus accommodatum venit, quæ vel ad Dei gloriam pertinent, vel ad hominis salutem, quàm si ad hanc, non autem ad cęteras paratum esset. Quod quidem maximam admirationem parit, & diuinæ sapientię, & consilij altitudinem in hoc opere præcipuè declarat.

DISC. Non possum Pręceptor non tibi eas gratias agere pro ista doctrina, quas verbis assequi minimè possem. Nunc enim primùm ad fidem venire videor, & mihi oculos aperiri, quibus huius mysterij pulchritudinem cernam, & maiori lumine credam, quàm hactenus crediderim. Neque id mirum est. Nam vt duo cerei iuncti magis, quàm vnus, illuminant; sic fidei lumen vnà cum ratione, quam creauit Deus, nostros intellectus magis illuminant, & in hac eadem fide magis confirmant; quę cùm ex se certitudinem, & firmitatem habeat, ex rationis lumine claritatem, quæ in hac vita illi deest, accipit.

MAG. Gaudeo quidem, dum video hanc nostrã praxim non sine fructu fuisse, cùm ex ea tanta percipiatur vtilitas, vt est fidei augmentum. Cùm enim illa sit omnium virtutum fundamẽtum, & radix, notum quidem est, quòd si ex altera parte hæc radix erit doctrina culta, & ex altera Spiritus sancti gratia, illius beneficium in virtutum fructum, qui ab illa proficiscuntur, redundabit. Sed illud te scire velim, quod in hoc negotio maximum est, scilicet, ne hoc nouum lumen, & firmitatem, speculationibus, & rationibus, quas hic adduximus, tribuas, neque alijs, licet præstantissimæ sint. Fidei enim Christianorum virtus non in humanis rationibus consistit, (quę tandem humanę sunt) sed in lumine, quod Spiritus sanctus in intellectũ baptizatum infundit. Quod facit, vt maiori certitudine, & firmitate nostræ fidei mysteria credamus, quàm omnes omnium hominum rationes, atque demonstrationes. Multò enim plus Dei virtus potest, quàm quęcunque creata sunt, & pręterea fides (vt inquit Apostolus ad Ephesios) est Dei donum: sine quo non dico humanę rationes, sed ne opera quidem diuina (vt miracula sunt) satis sunt, quę hoc fidei genus in hominum intellectibus efficiant. Quæ enim maiora miracula sunt, quàm quę Pharisęi, & Pontifices viderunt? ipsi tamen Saluatori mortem moliti sunt. Quod maius miraculum, quàm Lazari resurrectio? nulli tamen eorum, qui aderant, crediderunt. Ad hæc, quod maius miraculum vnquam, quàm Saluatoris tertio die resurrectio? Quando vnquam ab initio mundi, vel visum, vel lectum est, hominem mortuum se ipsum resuscitasse? Pharisæi tamen, & Pontifices, licet hoc tam nouum non ignorarent miraculum, & tam apertum excubiarum testimonio, quas ipsi ad sepulchrum apposuerant, non solùm non crediderunt, sed multos numos custodibus dederunt, vt dicerent, quòd se dormientibus, illius discipuli venerunt, & corpus furati sunt. Vt sua ipsorum cęcitate non contenti, populo lucis portam clauserint, vt secũ in inferni tenebras illos pertraherent. Quibus exemplis apertè cernes, quòd

Ephes. 2.
Ioan. 11.
Matt 28.

quòd fine Dei pręcipua assistentia, nec miracula (quę, vt S. Thomas inquit, sunt fidei mysteriorum satis firma argumenta) satis sunt, quæ in nostris intellectibus fidem efficiant.

Quare si nunc in anima tua nouam firmitatem, & certitudinem fidei sentis, luminum Patri, à quo hęc omnia beneficia proficiscuntur, & hęc omnia cęlestia dona, immortales gratias agere debes: vt credendo, vnà cum beneficij gratia grati animi memoria augeatur.

De fructu, qui ex omnibus hactenus dictis percipiendus est.

NEQVE satis est, vt intelligas, quæ dixi, sed aliud maximum addere volo, quod ad id conducit, vt ex omnibus dictis superiùs fructum & medullam percipias. Nam (si rectè existimas) maior pars eorum, quę dicta sunt, eò conducit, vt nostrum intellectum veritatis lumine, & cognitione informemus, & perficiamus. Vitæ autem Christianæ perfectio non in sola intellectus luce, sed multò magis in charitatis ardore, quæ in voluntate est, consistit. Cùm enim multi Philosophi fuerint, qui Deum cognouerunt, (vt Apostolus inquit) sed quoniam illum non glorificârunt, neq; voluntate amârunt, euanuerunt in cogitationibus suis, & in cordibus suis obscurati sunt: quòd cognitione non bene vsi sunt, quam illis Deus per suas creaturas donauit. Propter hanc causam igitur nunc cognitione vti incipiamus, quam ex superioribus omnibus consecuti sumus, vt nostram voluntatem ad Dei amorem excitemus, vnà cum alijs affectibus, & motibus, quos huius mysterij magnitudo postulat. Rom. 1.

Quare illud in memoriam tibi reuocare volo, quod S. Augustinus in libro suarum Confessionum inquit: Aquam sancti Baptismi suscepi, & statim præteritę vitæ curæ ab anima mea remotę fuerunt. Et illis primis diebus satiari non poteram considerando mira quadam cum suauitate altitudinem, quam pro salute humani generis diuinum consilium delegit. Quare cùm considerąret hic sanctus vir tum ex diuina luce, quam acceperat, tum ex sui ingenij magnitudine, quàm accommodatum medium fuerit Dei filij incarnatio, & passio, tam ad Dei gloriam, quàm ad omnium necessitatum humanarum remedium, non satiabatur illius anima consideratione illius suauissimæ harmonię & concentus, & illius miræ proportionis, quam hæc medicina habebat, à Deo ad nostrorum morborum curam inuenta. Si quis spiritum, lucem, & intellectum huius Sancti haberet, in huius mysterij contemplatione quā multas consolationes inueniret.

Sed ne nos in nostro gradu omnino huius solatij parte careamus, hic aliquā tibi formulam tradā, qua hoc beneficium perpendere possis. Quare primùm ab animo tuo remouere debes, quòd extrinsecus oculis carnis indignū videtur, quòd Deus sibi carnem sumpserit, & in cruce mortuus sit. Ideo satis est, quod in superioribus Dialogis dictum est, in quibus apertè demonstrauimus, quòd, Deum talem se fecisse hominem, qualem se fecit, non solùm illius amplitudine indignum non fuit, sed maximam gloriam illi fuisse: & idem de sacra passione declarauimus, causam perpendentes, cur passus sit Saluator, & modum quo passus est; quæ duæ res eò gloriosiorem sacram passionem efficiunt, quò vituperijs, & doloribus fuit plenior. His duabus rebus cognitis,

tertia quoque tibi cognoscenda est, quam diximus esse huius mysterij nostræ Redemptionis fundamentum, id est, quòd Deus in rebus, quas facit, non respicit quod potentia absoluta potest, sed quod ad illarum perfectionē spectat, ex quo diximus nullū aliud magis accommodatum medium ad nostram salutem, quàm illius filij incarnationem, atq; passionem, reperiri potuisse.

Hoc iacto fundamēto, consideres velim miserrimum statum, in quo versabatur homo propter peccatum: & inuenies quòd à Dei gratia longè aberat, & cum illo inimicitias exercebat, quod omnium malorum maximum est. In Creatoris cognitione cæcus erat, ad illius amorē erat niue frigidior, ad illius cultum impotens, de paradiso in exiliū eiectus erat, diabolo captiuus & subiectus, suarum affectionū catenis erat captus, infirmus erat, & ad omnes Christianas virtutes ineptus; & ad eas nō solùm infirmus, sed etiam mortuus, cùm non solùm esset suis appetitibus viuus, verùm etiam magis, quàm viuus.

Post hanc considerationem velim, vt tibi in memoriā reuoces admirabiles sanctę Crucis fructus, quos legisti, & inuenies quidem, per eos ita Saluatorem sua passione singula hęc mala curasse, tam efficaci, & accōmodata medicina, vt si pro vno tantùm, non autē pro alijs esset parata, vt superiùs diximus. Medici singulis morbis singulas medicinas inuenerūt: at hic Medicus, qui nobis de cęlo venit, has vna medicina omnes nostrę animæ morbos perfectissimè curat. Hac autem consideratione aliquid senties ex illis, quæ Diuus Augustinus de hac noua inuentione sentiebat, quam Dei sapientia excogitauit, cùm filium suum in mundum misit, vt nostris morbis remediū afferret, quæ tantam vim habuit, vt ex hominibus Angelos, & ex dęmonij, suorumq; appetituum captiuis, Dei filios effecerit.

Post hanc diuinæ sapientiæ considerationem velim, vt ad Dei bonitatis, & charitatis, & misericordię, quas in hoc opere præ se tulit Deus, meditationem ascendas. Quamobrem nunc te oportet mecum ad magnam speculam ascendere, id est, nunc maxima cum humilitate, & reuerentia animæ tuæ oculi tibi eleuandi sunt super nubes, & super cęlos; & super omnes choros Cherubin, & Seraphin euolare debes; & supra hos omnes, ad tam excelsum locum peruenire, vt illum locum quasi minimè videre possis, & ibi in throno maiestatis illam altissimam substantiam contemplari, illam tam splendentem lucem, quæ intuentium oculos perstringit; illum Dominum, qui in luce inaccessibili inhabitat, quam nemo mortalis vidit vnquam; eum, in quo sunt omnes omnium creaturarū corporalium, & spiritualium pulchritudines, eęq; nulla proportione illis respōdentes: eum qui simplici suę volūtatis specie cælos, & terram cum omnibus, quæ in eis sunt, creauit; eum, cuius sapientia infinita est, potentia infinita, pulchritudo infinita, maiestas & magnitudo infinita; eum, qui solus ineffabilis est, incomprehensibilis, inaccessibilis; qui manēs immotus omnia mouet; omnia regit, licet ad nulla se conferat; omnibus vtitur, & non defatigatur: quem stellæ matutinę laudant, cui Dei filij laudes canunt,
Isa. 40. cuius præsentia cæli columnę tremūt; qui, vt inquit Isaias, tribus digitis terrę pondera sustinet; in cuius conspectu (vt idem inquit) omnes gentes sunt tanquam si non essent: illum tandem, cuius felicitas & beatitudo tanta est, vt nec vniuerso hoc mundo creato, nec mille mundis, quos crearet, neque augeri, neq; maior esse posset; neq; quòd omnes homines salui fiant, vel cum lau-

dent, magis glorioſus eſt, neque quòd omnes damnentur minori gloria eſt.

Vbi autem hac ratione ad ſummum perueneris, & oculos animæ tuæ in illa altiſſima ſubſtantia cibaueris, inde ima petas velim, tanquam aquilæ alis, & ad paruam Bethlehem caſam deſcendas; & inde velim proficiſcaris ad cœnæ locum montis Sion, ad Pontificum domum, ad Pilati prætorium, ad montem Caluariæ, ad ſanctum ſepulchrum; ibi intelliges quidem quanta ratione homines ſtupeſcunt, quæcunque in ſingulis ijs locis vident. Videbis profectò hunc tantum Dominum, quem contemplatus es, ſtabulum pro domo habere, pro lecto præſepium, pauperrimis linteis inuolutum, fœminæ vbera ſugentem. Inde eas ad cœnaculum, & mundi Creatorem videbis ibi, pallio depoſito, linteo præcingi, tanquam ſeruum, ad pedes nonnullorum pauperum piſcatorum proſtratum, & ſui ipſius proditoris, & maxima humilitate, & pietate illis pedes lauare. Inde cum eodem Domino diſcedas ſtatim, & meditere, quàm turpiter captus ſit, quod ipſe Dominus celebrauit, inquiens: *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus comprehendere me.* Matt. 26. Cum illo deambules velim ad omnia tribunalia, quo deductus fuit, & animaduertas iniuriarum genera, quibus apud Annam, apud Caipham, apud Herodem, & in Pilati prætorio affectus fuit. Conſideres etiam illud nouum irriſionis genus, cùm ſpinea corona illi impoſita fuit, & operam des, vt omnibus ijs locis interſis, & meditere noua vituperiorum genera, quibus in illis fuerit affectus: (omnibus enim artubus contremiſcere fateor, cùm ea mihi referenda eſſe cenſeo) & animaduertas, quid ſentires, ſi ex altera parte ſpiritus oculis huius Domini altitudinem contemplareris, quem hîc tibi ante oculos pono; & carnis oculis depreſſiones videres, & iniurias, quibus illis locis affectus fuit. Et cogita, nō cor carneum, ſed marmoreum illum habere, qui tam multas iniurias videns, & vituperia, non attonitus, & penitus extra ſe poſitus fiat, cùm videat vnà maiorem cœli altitudinem cum maiore terræ humilitate eſſe coniunctam. Quid igitur maiorem terrorem, aut maiorem admirationem afferre poteſt?

Quòd ſi tanta re perterritus illius cauſam inquirere velles, nullam aliam profectò inuenies, niſi bonitatem, charitatem, & miſericordiam Dei: qui cùm multis alijs medijs poſſet mundum reformare, & ſaluum facere, hoc tamen vti voluit, quòd erat (vt dictum eſt) Dei gloriæ, & hominum ſanctificationi conuenientius. Ita quòd tantum fuit deſiderium noſtræ ſanctificationis, & beatitudinis, id eſt, efficiendi nos Dei amatores, & ſeruos, humiles, & manſuetos, carnis & mundi vanitatum contemptores, & crucis amantes; deniq; in omni virtute ſummos, qui cùm cognoſceret, quantò maiorem vim hoc haberet, quàm cætera omnia, ad hanc virtutem comparandam, propter hanc cauſam his omnibus ſe tradere voluit.

Vt autem hoc magnum Saluatoris deſiderium apertiùs declaremus, id aliquo exemplo mihi faciendum exiſtimo, ex quo id aliqua ratione intelligatur, licet nullum reperiri poſſit exemplum, quod quodammodo vel vmbram huius rei referre poſſit. Hiſtorici Gentiles ſcribunt, quòd Agrippina Neronis mater, quæ tantopere filium ſuum Imperatorem videre optabat, quòd vbi propter hanc cauſam virum ſuum Claudiū veneno interfecit, vt ſuum filium Imperatorem faceret, tractauit. Cùm autem quidam Aſtrologus ei diceret, futurū eſſe, vt ille Imperator eſſet, ſed fore etiam vt ſuam matrem

interficeret; illa respondit: Me interficiat, modò Imperator sit.

Hoc autem exemplum aliqua ratione Saluatori accõmodare possumus; qui tantopere nos non terræ Imperatores, sed cæli, & Dei filios efficere desiderauit: tantopere expetiuit efficere, vt homines spiritales, & diuini essent; tantopere animas nostras Spiritus sancti gratijs, & donis exornare cupiuit, (vt cum illis in homine Dei imago eluceret) & preterea sanctos Martyres tantopere roborare desiderauit, (quo suorum certaminum victorijs, & triumphis Deum glorificarẽt) vt, cùm sciret quòd nullum aliud medium accommodatius, neque potentius ad hæc omnia erat, his omnibus iniurijs, irrisionibus, & vituperijs se tradere non dubitaret, vt vel verberibus afficeretur, crucifigeretur, & minoris quàm Barrabas estimaretur. Quis autem spiritus non deficit hic in tantarum rerum consideratione, Deum sputis, vt blasphematorem fœdatum? Deum colaphis affectum, spinis coronatum, & pro irrisione modò albo, modò coccineo colore indutum? O pietatem, ô bonitatem, ô charitatẽ, ô misericordiam tanto Domino dignam? Hoc quis facere potest, nisi Deus? Que bonitas eò peruenire potest, nisi Dei bonitas? Quid facitis cælorum Angeli? quid vos omnes creaturæ, cùm cernatis, quid vester Creator patiatur? Quin tremis pre timore terra? Quin dolore vos lapides frangimini? Cur vos cæli terram, vbi Dominus vester crucifixus est, illuminatis? Domine audiui vocem tuam, & timui. Consideraui opera tua, & stupefactus sum, cùm te iam non inter duo animalia, sed inter duos latrones crucifixum cernam. In hac re deficiunt animæ piæ, hic pauent, hic non solùm ore mutæ fiũt, sed interioribus sensibus, qui tanta bonitate suspensi, & in admirationem tracti, quòd ad talia descenderit Deus; quodam sancto silentio eum laudant, & glorificant, & tacendo hanc Dei misericordiam ineffabilem esse predicant, incomprehensibilem, & que facilè omne cognitionis & laudis genus superet.

Sed quid mirum omnes intellectus tantæ bonitatis consideratione suspensos, & stupefactos esse? Nam si Dei sapientiæ, & prouidentiæ magnitudo, que in nonnullis creaturis elucet, tam humanos intellectus in sui admirationem trahit, & tanquam attonitos, & extra se positos relinquit; quantò magis consentaneum est, vt Dei bonitatis magnitudo hoc efficiat, quæ in hoc opere elucet, cùm hæc bonitas illa sit perfectio, qua ille magis gloriatur? Quid autem aliud erat, quod homines sic stupefactos redderet, & extra se raperet, nisi illius incomprehensibilis maiestatis & magnitudinis consideratio, que se maioribus doloribus, & vituperijs subiecit, quàm qui vnquam passi sunt, vt hac ratione nobis maiora exempla, & acutiores stimulos ad omnem virtutem relinqueret? Quàm desiderauit hic Dominus nos sanctos efficere, cùm propter hanc causam tam difficilibus rebus se tradiderit?

Cur igitur cor pium, quod hæc animaduertet, non elaborabit, vt omnes virtutes, omnemq; sanctitatem complectatur; saltem vt ei morem gerat, qui hoc tantopere expetiuit, & tanto pretio emit? Quis non insudabit, vt eum amet, qui tantum in nos amorem pre se tulit? Quis in eo non inuigilabit, vt huius Domini virtutem imitetur, quam nobis in sua vita, & morte impressam reliquit?

Hanc itaque partem concludens dico, quòd huius mysterij pia meditatio hos quinque effectus parit, quos hic tibi breuiter proponam. Primùm enim animas

animas suspensas reddit, & in reuerentem & profundam admirationē huius Redemptoris bonitatis trahit. Deinde eas eiusdem bonitatis, & ardentissimæ charitatis maximo amore inflammmat. Postea eas huius summi beneficij quàm gratissimas reddit. Præterea in illis maximum excitat desiderium, quo impelluntur, vt aliquid tantarum virtutum, & admirabilium exemplorum, quæ hic Dominus nobis repræsentauit, imitentur. Postremò magnum desiderium in eis efficit, eius amore molestias & iniurias patiendi, qui tam multa pro nobis passus est. Hi sunt præcipui fructus, qui ex huius mysterij consideratione nobis percipiendi sunt, ad quos (vt dixi) ordinantur quæcunque in hac materia dicta sunt.

DISC. Iam Præceptor extremam manum huic tam longę narrationi imposuisti. Nunc intelligo fructum, qui ex tam gloriosa Crucis palma, quam initio proposuisti, colligitur; qui omnis ad Crucifixi amorem, & illius virtutum imitationem, & præsertim illius molestiarum, refertur. Hinc pariter facilè intelligo, quàm malè sciant philosophari homines animam negligentes, & hæretici, cùm ita Dei intentiones, & consilia peruertant, vt quod nobis pro tam magnis incitamentis, & stimulis dedit ad omnes virtutes, ex eo argumenta petant, quibus in suis peccatis fidenter perseuerent: & quod diuina sapientia ordinauit, vt honestorum laborum nos amatores efficeret, hi Crucifixi sumptu ad perseuerandum & indormiendum in vtramq; aurem in suis vitijs disponunt. Quis igitur hic hoc opus inimici nostræ salutis esse non videt? Quemadmodum enim Dei bonitas solet ex malis bonum percipere: sic huius aduersarij malitia ex bonis malum percipit; cùm ex hoc tanto mysterio, quod in terris Deus operatus est, vt nos bonos efficeret, ex eo ille argumenta petit, & stimulos, quibus nos improbos efficiat.

Summa huius tertij libri.

HVIUS tertij libri finem cum principio coniungamus, & quod initio proposuimus colligamus. Summa igitur eorum, quæ dicta sunt, ad tria capita refertur. Quorum primum est, quòd homo remedio indigebat, quòd propter peccatū corruptus, malis propensionibus affectus, & ineptus ad Dei gratiam remanserat. Hoc omnibus hominis morbis & defectibus facilè cernitur, quos ex aliqua parte exposuimus, cùm de originali peccato tractaremus, vbi magnam partem morborum, & incommodorum humanæ naturę tractauimus, & schisma, ac rebellionē sensitiuę partis animæ nostræ cōtra spiritualē & nobiliorē explicauimus. Quod si quis apertius intelligere vellet, hominē in puris naturalibus consideret, sine lege, & sine huius peccati remedio. Nam qui, qualis sit equus, videre vult, quē velit emere, phaleras amouet, & illum nudū circunspicit, vt qualis sit faciliùs cognoscat. Hac ratione humana quoque natura consideranda est, sine legis, & gratiæ medicina. Hoc ex primo cap. Epistolæ ad Romanos intelligetur, vbi Apostolus Gentilium idololatrias, abominationes, & nefanda peccata refert.

Quod omne in quarto horum librorum declarauimus, describendo primam ex quatuor actionibus, quas in terris Christus operatus est, quod fuit Idololatriam de medio tollere, in qua homines lapides, & ligna, & dracones, & serpentes, & aues, & bestias immanes adorabant. Illorum quoque sacrificia simul declarauimus, ex quibus nonnulla crudelissima erant, cùm suos filios

immolarent; alia turpissima, vt Bacchi,& Floræ,cum gentilium vitijs,& abominationibus,in quibus hos suos deos adulteros,& homicidas imitabantur. Quid autem de duodecim tribubus dicam,quæ legẽ à Deo cum tantis promissis & minis acceperant? Decem defecerunt, & ita à Deo derelictæ fuerunt, & in captiuitatem in alienas terras perductæ fuerunt; & vna, quæ remansit, talis quoque fuit,itaque in Babyloniæ captiuitate meritam pœnam luerũt. Vbi malitia ita dominabatur,& virtus in exilium erat eiecta,vt Deus per Hieremiam dixerit: Circuite omnes vias Hierusalem, quòd si fidelem hominẽ, & qui faciat quod debet,inueneritis, illius miserebor. Quod autẽ maius argumentũ inopiæ virtutis,& religionis,quàm hoc reperiri potest? Illud quoq; reperitur, quod à mala Christianorum vita ducitur, qui post gratiæ legem etiam,cùm veram fidem habeant, sic peruersè viuunt, ac si illam non haberent, cùm non minùs pro omnibus vitijs, & cupiditatibus se perdant, quod credunt credentes,tanquam si nihil crederent. Quis autem dubitare poterit,huiusmodi creaturam,vt hæc est,medicina,remedio,& gratia non egere, cum alijs supernaturalibus auxilijs, quæ tam infirmam naturam curarent? Hoc igitur primum caput,& primum huius materiæ fundamentum est.

Iere.5.

Alterum est,immensæ Dei bonitati conuenientissimum esse, licet id minimè deberet, huic tantæ necessitati auxilium ferre,& infelici homini remedium parare,vt cùm in hæc omnia mala alterius culpa fuerit lapsus, alterius etiam iustitia redimeretur: & vt habuit patrem, qui eum perdidit, ita alium haberet,qui opem illi ferret.Præterea non erat consentaneum, vt dæmoniũ finem optatum assequeretur,seq; Dei voluntatem, & consilium impedire potuisse gloriaretur. Hoc secundum caput est.

Tertium autem est, quòd licet diuina bonitas, & prouidentia homini remedium multis alijs rationibus afferre posset,si voluisset; nulla tamen ratio efficacior,nulla præstantior,nulla Dei gloriæ,& hominis saluti accommodatior reperiri poterat, quàm Dei filij incarnatio,atque passio. Quod per maximos intelligitur fructus, quos de sanctæ Crucis arbore retulimus, & alios multos, qui verbis explicari non possunt.

Ad duas obiectiones præcipuas, quæ in hac materia proponuntur, quod est, Saluatorem tam humili pallio indutum esse, vt nostra humanitas fuit, & in cruce mortuum esse, responsum est. Ad primam enim dicimus, quòd cùm Deo visum fuit commodum, hoc pallium indui, & nostram humanitatem secum coniungi, tam multis gratijs,& diuitijs, & donis supernaturalibus eam adornauit,vt sibi non solùm non esset vituperio,sed summæ gloriæ, illam sibi sumpsisse,cùm penes illum esset potestas efficiendæ illius eiusmodi, qualem eam esse ipse voluisset. Ad secundam obiectionem de Crucis morte,dicimus,quòd in omnibus passionibus,& in omni morte pœnam non respicimus,sed causam: vt cùm causa iusta sit, & pro communi bono, non solùm illa pœna non turpis sit, sed quò magis est doloribus & contumelijs referta, eò maiorem gloriam afferat. Hæc est huius summi mysterij summa, quam in vnum collectam pius lector habere potest,vbi hunc librum attentè legerit, & sibi familiarem reddiderit. Et hinc inæstimabilis vtilitatis, & suauitatis fructus colliget.

TERTII LIBRI FINIS.

DA MI-

587

DA MIHI INTELLECTVM,

ET SCRVTABOR LEGEM TVAM, ET CVSTODIAM ILLAM IN TOTO CORDE MEO.

Psal. CXVIII.



SCRVTAMINI SCRIPTVRAS, QVIA VOS PVTATIS IN IPSIS VITAM AETERNAM HABERE: ET ILLAE SVNT, QVÆ TESTIMONIVM PERHIBENT DE ME.

Ioan. V.

R. P. F.

Digitized by Google

R·P·F· LVDOVICI GRANATENSIS PRÆDICATORVM ORDINIS,

DE REDEMPTIONIS HVMANAE, ET ALIIS MYSTERIIS, LIBER QVARTVS:

In quo, fidei lumine procedendo, de noſtræ Redemptionis myſterio agitur.

Hic liber in duas diuiditur partes: In prima antedictæ prophetiæ ponuntur, & ſigna, quibus Saluator cognoſceretur: In ſecunda per Dialogum petitionibus, & oppoſitionibus, quæ huic myſterio fieri poſſunt, reſpondetur.

PRÆFATIO.

TANTO zelo erat affectus Apoſtolus hominum ſalutis, & præſertim eorum, qui ſecundùm carnem erant ſui fratres, vt ſolenne iuſiurandum faciat, & Spiritum
Rom. 9. *ſanctum teſtetur; in quo doloris, & mœroris continui magnitudinem declarat, quam pro illorum cæcitate patiebatur; quòd vellet eſſe anathema Chriſti, vt ipſi ſaluarentur. Et cùm eum tam crudeliter perſecuti eſſent, & quinquies eum verberibus ita affeciſſent, vt ne ab vnica verberatione ſe abſtinuiſſent, ipſe pro illis ſe ad id offerebat, quod dictum eſt, & perpetuò pro illis Deo preces fundebat. Ad cuius imitationem non defuerunt graues auctores, tam antiqui, quàm recentes, qui eodem ſpiritu afflati, & harum animarum*

marum salutem expetentes, libros conscripserunt, in quibus ex professo illud sibi probandum statuunt, Christum nostrum Saluatorem & Dominum, esse Messiam, & iam venisse, & figuras iam cessasse, & legis vmbram, & veritatis lucem aduenisse. Et vt id probent, argumenta, & illorum doctorum oppositiones in formam redigunt, vt illis respondeant, & cum interpretationibus violentis & detortis pugnent, quibus ipsi à luce veritatis fugiunt, illorum falsitatem apertè demonstrantes. Et quoniam hoc argumentum aliàs à clarissimis ingenijs pertractatum est, hoc missum faciens: hic planiùs agere volui, Prophetias allegando, quæ de ijs tractant, quæ à Saluatore agenda erant, cùm in mundum veniret, & cætera illius stirpis indicia, & eius conceptionis, & natiuitatis, & vitæ, & mortis cum cæteris, quæ vnà acciderũt, omnibus, absque responsione ad falsitates, quibus Rabini has prophetias corrumpunt: solùm in Isaiæ Prophetia cap. 53. quæ de nostri Saluatoris passione agit, commoror. (Quam ipsi laboribus & molestijs, quas suus populus in tam longa captiuitate patitur, adscribunt) tam enim falsa est, vt vel puer facilè cerneret, quòd omnes penè illius periodi illi expositioni apertissimè contradicunt, vt hic facilè quisque non cæcus cernat, quòd ipsi ad meridianam lucem oculos claudunt.

Quamobrem in hac, & in alijs duabus, vel tribus, quæ breues sunt, & facilè confutari possunt, aliquid temporis consumpsi. Reliquas verò ijs doctoribus reliqui, (vt dixi) qui hoc argumentum ex professo pertractant. Oppositiones etiam, quas ipsi faciunt, vt in suo errore perseuerent, simpliciter per quendam Catechumenum proposui, quas ipse interrogationis more proponit, potiùs vt erudiatur, quàm argumentis veritatem oppugnet. Hac facili ratione, & plana hanc materiem tractare volui: veritas enim per se simpliciter narrata sæpe maiorem vim habet, quàm si multis argumentis explicetur. Et etiam quòd sunt tam multæ, & sic apertæ actiones, & signa, quæ Spiritus sanctus nobis in sancta scriptura reliquit, ad Saluatorem cognoscendum, cùm veniret in mundum, vt vna illorum pars ad eum cognoscendum sit satis: nisi homo penitus obstinatus, & cæcus fuerit. Quòd si ijs non sufficerent, sufficient illis, qui ad discendum erunt aptiores, & ad doctrinam accommodatiores, qui non erunt quidem pauciores: cùm velit Deus omnes saluos fieri, & ad veritatis cognitionem peruenire, vt Apostolus testatur. 1. Tim. 2. *Propter hanc causam ad multa errorum genera confutanda, in quibus versantur ij, qui cæci sunt, non me accinxi, sed ea tantùm attigi, quæ omnibus hominibus cõpertissima sunt. Nemo enim tam rudis est, qui nesciat Hebræos suum Messiam expectare; & credere fore, vt sit Rex valde potens, qui mundũ sub suam ditionem*

ad mis perducat; quodq; Sabbatum festum diem habent, & alias legis ceremonias, & cætera huiusmodi seruant. Cùm enim hæc omnia in omnibus sancti officij actis, quibus omnes intersunt, publicentur: nemo est, qui hæc ignoret. Quamobrem nihil hic cuiquam proponimus ex his erroribus, quod ipse ignoret, cùm omnibus tam aperta sint.

Sanctissimæ Trinitatis mysterium, quàm obstinati negant, rationibus tractare nolui, (vt Richardus de Sancto Victore facit) sed quòd omnis Christianus hoc mysterium explicitè credere debet, (vt & cæteros articulos fidei) declarandum erat quod credere debemus: quòd, cùm audiamus dicere Patrem, & Filium, & generare, ne quid corporale, & tanta maiestate indignum conciperemus. Reliquum huius capitis in illo consumitur, vt humanum intellectum abiectum, & demissum reddamus, ne putet id minimè fieri posse, quod intelligere nequit; cùm certò sciat, vt Philosophus inquit, quòd intellectus noster, tam ineptus, & tam cæcus est ad Dei altissima intelligenda, vt noctuæ oculi ad Solis aduersi lumen intuendum. Cùm autem suæ animæ, quam intrinsecus habet, substantiam non cognoscat, qui fieri potest, vt secretorum omnium maximum, quod super cælos est, cognoscat? Et propter hanc causam nobis non iubet, vt id intelligamus, sed vt credamus, vt eò nostra fides plura mereatur, quò magis super omnem humanam rationem extollitur.

Ad hanc materiam me accinxi ad omnium fidelium nostræ fidei confirmationem, & consolationem, quæ fides est præcipuus huius libri finis, & præcipuè illorum, quos Deus à quauis alia religione ad nostram perduxit, omnium inquam fidelium generatim; quòd Prophetiæ, quæ de Christo Domino loquuntur, & adimpletio, & verificatio illarum, non solum illos conuertebant, qui fidem sanctis scripturis præstabant, verùm etiã gentiles, vt in capite 7. Actuum Apostolorum apparet, vbi scriptum est, quòd cùm sanctus Paulus in ciuitate Thessalonica disputaret, probaretq; per scripturam illud, quod ad Christi mysterium spectat, magnus numerus gentilium, & nobilium fœminarum crediderunt. Ex altera enim parte antiquas prophetias considerantes, & ex altera multas ex illis esse adimpletas suo tempore videntes, id nisi Dei virtute esse non posse cognoscebant, qui solus futura scit; quæ à stellis non pendent, sed à libero hominis arbitrio. Quòd si hoc illis temporibus satis erat ad gentilium intellectus conuincendos, quantò magis satis erit nunc, quo cæteras prophetias vniuersaliores, & rerum multò maiorũ, adimpletas cernimus? De hoc enim
Zach. 13. *Domino prophetatũ erat, quòd ab eo Idololatria de mundo in exilium eijcienda erat, quæ in omnibus illius partibus dominabatur: quodq; futurum erat, vt homines ad veri Dei cognitionem traheret: quodq; ministri, qui hæc duo ad*

finem

finem perducturi erant, de ciuitate Hierusalem egressuri erant: & præterea, Isa. 2. Psal. 20.
quòd illa ciuitas vnà cum illo nobilissimo templo, & illa Iudææ republica euer-
tenda erat in Saluatoris mortis punitionem, vt Daniel prophetauit apertiori- Dan. 9.
bus verbis, quàm meridiana lux est. Quod totum ad vnguem cernimus adim-
pletum in exilio, & totius gentis vniuersali captiuitate huius regni, quæ per
totum terrarum orbem dispersa est, sine Rege, sine templo, sine sacerdote, sine
sacrificio, sine forma Reipublicæ, aut ordine, sine vlla pinna, quæ sua sit, cùm
fuerit regnum omnium nobilissimum, & quàm Romanorum regnum vetustis-
sus. Qui hæc tanta ante mille annos prædicta videt, & nunc tam perfectè ad-
impleta cernit, quî dubitare potest, num ille Deus sit, qui tam magnas res per-
ficere, & tot ante annis, quàm acciderunt, prædicere potuit? Quamobrem iure
optimo dicimus, quòd hæc doctrina vniuersim iuuat ad omnes fideles in fide
confirmandos. Quod quàm sit necesse temporibus aduersis, calamitates, quas
nostris temporibus fides patitur, apertissimè declarant.

Illis autem inprimis vtile erit, qui ab antiqua lege ad Euangelij fidem
se receperunt, qui quidem multi sunt. Nam (vt S. Hieronymus inquit in Ne-
potiani Epitaphio) Dominus noster Crucis regio titulo (qui literis Græcis,
Latinis, & Hebræis scriptus erat) harum trium linguarum nationes sibi de-
dicauit, & ascripsit. Et vnus inter maximos Christi triumphos est, illius Eu-
angelium receptum esse non solùm à barbaris nationibus, verùm ab his tribus
totius mundi præcipuis partibus; hoc est, Roma, vbi Imperij sedes erat; à
Græcia, vbi sapientiæ schola; à Iudæa, vbi veri Dei cognitio erat, quod sta-
tim primis Ecclesiæ temporibus vidimus, quibus in ciuitate Hierusalem vna
S. Petri predicatione tria millia animarum se conuerterunt, altera quinque Actor. 2.
millia, & in dies fidelium numerus augebatur, non solùm in illa ciuitate, ve- Actor. 4.
rùm etiam in omnibus vicinis locis. Propter hanc causam S. Paulus ante suam
conuersionem ad Damasci ciuitatem ibat cum summi Sacerdotis mandatis, vt Acto. 9.
eos fideles comprehenderet, & in carcerem detruderet, quoscunque in ea repe-
riret viros, & mulieres: & horum fidelium nouorum erat (vt S. Lucas scri-
bit) vita perfectissima; quòd omnes (inquit ille) vnam animam, & vnum cor Actor. 4.
in Deo habebant; & omnes se suorum bonorum possessione priuabant, & ante
discipulorum pedes proijciebant, vt ab illis distribuerentur iis, qui maximè
indigerent. Et illorum sanctitas huiusmodi fuit, vt, cùm vellet Apostolus
Thessalonicensium vitam laudare, illis dixerit, quòd Dei ecclesiarum, quæ 1. Thes. 2.
in Iudæa erant, imitatores fuerunt, quòd easdem persecutiones passi erant à
suis, quas & illi à suis. Et in Epistola ad eosdem Hebræos, eos laudat, in-
quiens eos sua bona diripi, seq; illis spoliari passos esse non solùm æquo animo,

sed maximo gaudio, recordantes, se in cælo alia tutiora bona habere.

In hac autem fidei sinceritate, & religione fideles illius nationis etiam post magnam Hierusalem cædem, & euersionem perseuerârunt vsque ad Imperatorem Adrianum, qui post Traianum imperauit, quo tempore quindecim sanctissimorum eiusdem nationis Episcoporum successiones numerantur, vt refert Eusebius libro 4. Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 1. Id illis temporibus cernimus. Neque benigna Dei manus, qui non est personarum acceptator, defuit: qui (vt inquit S. Augustinus) multis modis ad se homines trahit: & ita statuit ille, vt catholicorum Regum Ferdinandi, & Isabellæ industria, & sancto zelo, in sancti Petri rete maximus eorum piscium numerus ingrederetur, nostri Redemptoris fide confitenda, & tot iam annis in ea perseuerando: inter quos homines fide, & literis, & virtutibus ornatissimos vidimus. Idem cernimus in hoc Lusitaniæ regno, licet seriùs: fuit enim sub tempus Regis Emanuelis, qui eodem zelo adductus, & maxima benignitate, & magnificentia erga homines huius nationis vsus fuit, qui ex vlteriori Hispania huc se contulerunt, ita eos tractauit, vt Christi fidem susciperent, atque baptismum, sperans fore, vt & tempus, & doctrina, & veritatis vis perficeret tandem, vt ipsi sua sponte, & libenter id susciperent, quod tunc illius precibus suscipiebant. Quod ex Regis sententia cessit, cùm cernamus, quantum in hoc regno fides processerit, atque aucta sit. Nam illi, qui zizania erant, terram deseruerunt, & aliò se contulerunt: sed triticum in area, id est, in fidelium terra, relictum est.

Nunc autem, vt hanc partem concludamus, dico, quòd horum librorum doctrina ad omnes fideles generatim in fide confirmandos conducit, & particulatim ad illos, qui ex alia religione ad nostram se receperunt. Qui quidem non dubito quin hinc maximam, & perpetuam voluptatem percipient, eam si humiliter, & simpliciter perlegerint: ita enim firma fidei, quam profitentur, fundamenta scripturarum testimonio videbunt, quòd iure optimo debebunt Deo immensas gratias pro hoc tanto beneficio agere, quod non solùm ad animarum suarum salutem, verùm etiam suarum rerum, vitæ, & honoris, & totius eorum posteritatis conseruationem maximè conducet: quòd ijs, qui fidem, & amorem in Deo habent, omnia cooperantur in bonum.

DE

DE MODO PROCEDENDI IN HAC PARTE. Cap. I.

DVO lumina Deus omnibus Christianis communicat, vt eum cognoscant: alterum rationis, alterum fidei est; alterum naturale, supernaturale alterum; humanum alterum, alterum diuinum est: sed vtrunque Dei filius est; quòd vtrunque ab eodem principio, (qui idem Deus est) sed alterum naturæ, alterum gratiæ via, proficiscitur. Fidei lumen in intellectum, quo temporis momento baptizatur homo, infunditur; & nullo peccato, nisi sit ei contrarium, amittitur. Huius luminis cognitio est ita certa, ita firma, & tam infallibilis, vt idem Deus est; Ephes 2. quòd in illius veritate, & verbo nititur; quod quidem fieri non potest vt deficiat: hac tamen firmitate, in hac vita obscurum est: illius enim euidentia in alteram vitam seruatur. Cognitio verò naturalis luminis rationis, licet non tam euidens sit, neque certa, vt est, fidei cognitio, euidentiam habere potest, cùm illud, quod alicuius veritatis fides prędicat, lumen rationis quoque idem testatur. Et hoc modo probatur animę immortalitas, & Dei prouidētia, quam de omnibus rebus habet.

Nunc autem sciendum est, quòd in superiori libro, suppositis nonnullis fidei principijs, nos rationis lumine vtimur, declarantes, quomodo omnia, quę fides de nostræ Redemptionis mysterio prædicauit, non solùm non sint rationi contraria, sed etiam illi assentiantur. At nūc fidei lumine tantummodò vtamur, quod quidem perfectius est, omnia sanctę scripturæ testimonia referentes, & pręcipuè Prophetarum, vt nostræ Redemptionis, & aduentus Christi in mundum, qui sanctis Scripturis apertissimè probatur, mysterium declaremus, atque confirmemus.

DE PRIMO PRINCIPIO, ET CAVSA NOSTRAE REDEMptionis, quæ nostri clementissimi Creatoris, & Domini immensa bonitas fuit; & de fine, ad quem Deus hominem creauit. Cap. II.

QVOD Deus sit abyssus, & mare Oceanum infinitarum magnitudinum, & perfectionum, non fides solùm catholica, sed etiam humana Philosophia, & omnium gentium consensus intelligit. Omnes enim Deum tam magnum esse fatētur, vt nihil maius excogitari possit. Inter has illius perfectiones vna nō est maior, vel minor, quàm alia; quælibet enim illarum illius diuinitatis simplicissimam naturam comprehendit, atque complectitur. Tamen secundùm nostrum intelligendi modum bonitas laudatior, & gloriosior est: secundùm nostrum inquam modum, quia si quis esset summus in multis præstantijs, & artibus, neq; esset virtute prȩditus, bonum minimè dicimus: qui si solùm esset virtutibus munitus, licet cętera ei deessent, pleno ore eum bonum vocamus. Propter hanc causam dicimus, quòd secundùm nostrum intelligendi modum, bonitas in Deo gloriosior est, à qua misericordia proficiscitur. Et hæc illa est, quam magis in se laudat, & magis in suis operibus declarat, quorum semper illius bonitas causa est: quæ reliquas virtutes, & magnitudines eius (vt illius infinita potentia, & sapientia sunt) vocat ad horum operum executionem. Hac bonitate mundum creauit, hac eum administrat, hac tam multas iniurias, quæ

in suum sanctissimum nomen inferantur, patitur. Hæc sine cessatione sua beneficia in mundum distribuit, cùm faciat oriri Solē suum supra bonos, & malos, & pluat super iustos, & peccatores. Hæc tandem præcipuè omnibus creaturis prouidet, eas per accommodata media ad suos fines perducendo, qui illis ab eadem bonitate assignati fuerunt. Hæc cuncta principium, & causam ab hac immensa bonitate Creatoris habent. Et ita hæc omnia illa mirabili suorum corporum fabrica, & suorum operum conuenientia testantur.

Math. 5.

Cùm autem (vt S. Dionysius testatur) boni natura sit sui ipsius communicatiua, vt est Sol luminis, & virtutis suæ: sequitur, quòd summum bonum sit summè sui ipsius communicatiuum: ad hanc autem communicationem pertinet, facere omnia, vnūquodq; in suo genere, suæ bonitatis & felicitatis participantia. Hoc igitur in causa fuit, quòd hic Dominus tam multa bona suis creaturis communicauit, neque vlla necessitas, aut gloria peculiaris, quæ ad illius gloriam addi posset. Hic enim Dominus, antequam mundum creasset, fuit multis millibus seculorum milium sine hac tanta domo, & mundi familia; & licet solus, tam diues, & tam gloriosus, & tam beatus secum, & cum vnigenito suo Filio, suæ gloriæ & pulchritudinis imagine, & cum Spiritu sancto. vinculo & amore vtriusque, vt nunc est cum omnibus creatis rebus, ita, vt nihil ei addiderit, quod priùs non habuerat. Nam, vt vel ipsi Philosophi probant, & præsertim Aristoteles, ipse purus actus est: quo significant, tam altam substantiam esse, tam puram, tamq; perfectam, vt nihil ei possit addi, neque possit esse amplius, quàm est, neque accipere amplius, quàm habet, quòd omnia habet, quòd sit infinitè perfectus, diues, potens, & omnium bonorum plenus.

Cùm igitur in hoc ditissimo, & felicissimo statu sit, nullius rei indigēs, sola sua bonitate, & nobilitate nō voluit solus esse beatus; sed nonnullas creaturas tam nobiles creare, quę illius gloriæ essent participes, & cōsortes: id est, vt quemadmodum ille suam ipsius essentiam & pulchritudinem cernit, & ea fruitur; sic ipsi eam viderent, amarent, & fruerentur, & ita essent, vt ille, beati, & quibus cum ille est, licet non tantopere, vt ille est; non enim illum comprehendunt, vt ipse seipsum comprehendit. Hic est finis tam altus, & dignitas tanta, quòd nullus homo sit, nec tam altus creari potuerit, cui naturali ratione tanta gloria conueniret. Hæc felicitas, & gloria illa est, quæ totum sinum, & amplissimam capacitatem nostrarum animarum complet, & ita eas beatas efficit. Ad hunc autem finem tam altum illi infinitæ bonitati placuit non solùm Angelos creare, sed etiam homines, non dedignans, neq; fastidiens, quòd tam abiecta creatura (quæ ex altera parte est beluis proxima) suæ accumberet mensæ, & ex eisdem comederet quę & ipsa, & iisdem quibus & ipsa frueretur. Benedicta sit huiusmodi misericordia, huiusmodi nobilitas, & bonitas, & magnificentia huiusmodi, quæ tam copiosè se creaturis tam humilibus communicare voluit.

Sed quia Dei opera sunt satis probè ordinata, & prouisa, vt hominem ad tam altum creauit finem, sic eum muniuit facultatibus, & supernaturalibus gratiis, quibus se ad hanc dignitatem accommodatum redderet. Hic enim est generalis huius Domini mos, quòd cùm aliquam creaturam ad aliquē finem ordinat, ei satis copiosè omnem facultatem, & omnes dotes tribuit, quæ ad

illum

illum consequendum necessariç sunt. Hæ supernaturales dotes duç potissimùm fuerunt, iustitia originalis,& gratia. Gratia hominem formosum,& Deo gratum, & amicum reddebat; titulum quoque, & ius ad gloriam,tanquam filio tribuebat; qui ea ratione,qua talis est,titulum & ius ad paterna bona habet. Cùm gratia item charitas ei dabatur, qua Deum magis, quàm se ipsum, suaq; omnia amabat:& cum ea quoque reliquæ virtutes,& Spiritus sancti dona dabantur,vt facilè,& suauiter opera glorię meritoria facere posset. vt hac ratione illud obtineret per iustitiam,quod Deus illi prędestinauerat per gratiam.Secundum autem donum erat iustitia originalis,quæ est rectitudo quędam,& ordo,quo pacificè tum cum Deo, tum secum degebat; & per hanc rectitudinem,& ordinem,sibi ipse dominabatur,suisq; omnibus affectibus naturalibus imperabat: id est, quòd cùm homo duabus partibus constet, altera animali,altera rationali, valde bene diuina sapientia dispositi, vt animalis pars subiecta rationi esset,quod si contrà se haberet,maximum inconueniens esset. Præterea omnibus animalibus dominabatur, (quibus omnibus sua nomina imposuit) ita morti quoque,& omnibus morbis, qui ad mortem aditum patefaciunt.

Hoc autem totum cum hac conditione dedit, vt si esset Deo fidelis, & obediens, his omnibus priuilegijs frueretur, tam ille, quàm omnes illius posteri: quòd si huiusmodi non esset, tum sibi, tum illis amitteret. Hoc non aliter se habet, ac si Rex alicui patritio aliquod oppidum cum hac conditione concederet, vt si fidelis esset,& suum officium præstaret, omnibus suis posteris etiam illud idem concederet. Hæc conditio omnibus in rebus iusta est, at multò magis in gratiæ bonis: nam quemadmodum nullo iure ea debentur, sic cùm tribuuntur, illius dominus dare potest cum ijs conditionibus,& limitationibus, quascunque vult. Quamobrem quemadmodum poterat Deus hominem sine his dotibus,& gratijs creare,sine vllius querela; sic vbi eas dedit, cum ea cautione, quę illi placuit,dare potuit: conditio autem ea est, quam diximus. Vt autem hanc fidelitatem, & obedientiam experiretur,& exerceret,hominem in terrestri paradiso collocauit, facultatemqúe tribuit,vt ex omnibus omnium arborum fructibus comederet, præterquam vnius, qua illi interdixerat mortis, & omnium bonorum, quæ acceperat, amissionis pœna.

Cùm igitur homo in hoc felicissimo statu versaretur,diabolus (qui non dormiebat,sed inuidia ardebat, quòd tam abiecta creatura illud sibi compararet,quod ille amiserat) in serpentis figura venit, & hominem in infirmiori parte aggressus est, (quæ mulier fuit) & eam decipiendo fecit,vt Dei mandatum excederet, & ipsa peruersa effecta, suum quoque maritum peruersum effecit,& ita vtrique Dei mandatum excesserunt. Et statim illis oculi adaperti sunt, & se nudos esse cognouerunt, & suam ipsorum turpitudinem viderunt: quòd statim innocentiam amiserunt,& concupiscentia in illis regnare cœpit. In hoc igitur miserabili statu cùm illi permanerent,eo amisso quod acceperant, vt erant ipsi, & nos genuerunt, nudi nudos, pauperes pauperes, cæci cæcos, miserabiles miserabiles, & mortales mortales. Filius enim patris conditionem sequitur: vt nobilis nobiles,& rusticus rusticos generet: & ita quales remãserunt ipsi,tales nos generauerunt. Quos enim filios nunc generat Genes.3

homo,

homo,non sunt tales,qualis ipse ante peccatum erat; sed tales, qualis ipse remansit,cùm illos generauit.Quamobrem vt ille sine donis,quæ acceperat,remansit,sic nos omnes eadem priuatione nascimur. Ita vt primus homo,propter peccatum, quod commiserat, in se naturam corruperit, quam habebat, & eandem in filios suos naturali generatione transtulerit.

Cernimus etiam,quòd secundùm ciuiles leges,cùm pater nobilis propter aliquam defectionem iure primigeniti,& dignitatis quam habebat,priuatur, id omnes illius posteri amittunt,quòd illius filij sint.Hac igitur ratione quid mirum est,filios Adæ amisisse primogenituram,& præstantiam,quam ille defectione & infidelitate amisit? At hoc supplicium dum ipse viuebat ad suos peruenit filios, qui ita multiplicati sunt, vt totum terrarum orbem implerent; & ita iactura,quæ ad illos paucos pertinebat,eadem ratione in reliquos deriuata est.

QVALIS HOMO PROPTER PECCATVM REMANserit. Cap.III.

NVNC declarandum est,qualis remanserit homo,& totum humanum genus,quod ab illo proficiscebatur;vt illius casu apertè cognito,& morbo,necessitatem intelligamus, qua illis remedia & medicinę opus erant; & intelligamus etiam medicinæ cum morbo proportionem, & congruentiam, vt inde apertiùs intelligatur,quàm excellens,quamq; idoneum medium,diuina sapientia elegerit,vt hunc morbum curaret. Cùm autem non hunc fructum solùm,sed multos alios etiam ex cognitione status,& miseriarũ,in quibus propter peccatum remanserit homo,simus consecuturi, idcirco hanc materiam fusiùs tractaturi sumus.

Ex dictis igitur,cùm homo propter peccatum illud diuinam gratiam amiserit,(cuius officium est,hominem gratum,& formosum Dei oculis, & illius amicum reddere)statim illis oculis deformis,& inimicus illius, & iræ filius
Ephes.2. remansit: & tales omnes nascimur,vt Apostolus inquit.Sic etiam gratia amissa,per quam ius ad gloriam habebamus,hanc restitudinem amisimus,&ab ea exclusi fuimus.Ex quo fit, vt pueri,qui sine sancti Baptismi aqua moriuntur, ad limbum vadant; quòd cùm gratiam non habeant, illis gloria minimè datur.

Eodem modo gratia amissa,& charitas amittitur,qua magis homo Deum amabat,quàm seipsum,& omnia sua:& nunc res contrà se habet, quòd charitate amissa,& cum illa originali iustitia, quæ sensus cohibet, magis homo se ipsum amat,quam Deum,& reliqua omnia:seq; pro Deo habet, & sibi amorem vendicat,quem soli Deo debebat. Eodem modo gratia amissa,omnes dotes,& dona,quæ ad bene agendum habebat,amittit : & ita mancus,& inutilis ad omne meritum redditur,licet neque fides, neque spes vllo crimine amittatur.Nunc autem animaduertite vos,quonam modo triremis se haberet, si eam remis,& remigijs,& malo,& velis,& gubernaculo cum omnibus rudentibus spoliares, quo modo nauigaret?Sic homo remansit,cùm has omnes rudentes spiritales donorum, & gratiarũ amisit, quibus Deus munitum hominem creauit,vt vitã omni gloria dignã degeret.Inde difficultas oritur, quam ad

ad opera summi boni meritoria habemus; cùm tam multis prędicatorũ vocibus,& exclamationibus,tam multis promissionibus,& minis,& beneficijs, & Dei verberibus,tam pauci sunt,qui integrè se Dei seruitio offerant.

Iustitia quoque originali amissa,quæ nostrę carnis appetituum frænum erat, hæc fera belua ita effręnis, & inordinata remansit,vt præter dęmonium nihil in mundo furiosius,nihil effrænatius, nihil damnosius reperiri possit, quàm ipsa est.Inde appetituum turba,& animi perturbationum, tam potens oritur, vt nonnullis videatur, illis minimè resistere posse, & ad peccandum necessariò impelli, cùm res aliter se habeat; cùm Deus hominem cum libero arbitrio creauerit,dixeritq; illum suo appetitui dominaturum, licet id illius fauore,& gratia.Et ad hæc omnia mala accedit,quòd quędam habitualis propensio illi sit relicta,qua magis se ipse,quàm Deum diligat, quæ maius inconueniens est,& maior miseria humanæ vitæ,& est fons quidam,ac seminarium omnium peccatorum,quæ in terris fiunt.Hoc Dauid in Psalmo 50.suæ pœnitentiæ allegabat,vt aliqua ex parte suum crimen eleuaret,inquiẽs: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,& in peccatis concepit me mater mea.* His verbis infirmitatem, & malas propensiones, quæ nobis originali peccato euenerunt, significat. Quod peccatorum nomine significauit,nam(vt Theologi docent) originale peccatum vnum est,sed potentia omnia peccata est,quòd omnium principium,& causa est.

Hoc igitur est fundamentum,quo nostræ Redemptionis mysterium intelligamus; & est pręcipuus nostræ fidei articulus, quæ omnes Adę filios cũ hoc morbo,& hoc vero peccato nasci fatetur.

DE PRIMA NOSTRAE SALVTIS SPE, QVAE nobis post peccatum data fuit. Cap. IIII.

QVANQVAM nostrę cõceptionis & natiuitatis huiusmodi miseria,& infelicitas est; Creatoris tamen nostri immensæ bonitati,& clementię placuit, ne multum temporis elaberetur, antequam iucundissimum nuntium nobis afferret,quidnã de nobis statuisset;sed statim,& eodem peccati tempore homini lapso remedij spem attulit,cùm serpẽti(vel vt veriùs dicam Dęmonio,quod sub illa figura venit) dixerit hæc verba: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen suum & semen illius: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*: id est, laqueos omnibus illius passibus,& itineribus pones. Hęc Dei sententia contra dæmonium prolata maxima consideratione digna est. Dæmonium enim hac victoria valde elatum erat,cùm videret, se vicisse illum, in quo vniuersus mundus erat,& ob id se mundi principem, & victorem esse. Sua quoque potentia gloriabatur, cùm sibi videretur plus potuisse,quàm ipse Deus, cùm se diuinis voluntatibus,& consilijs impedimento fuisse sibi persuaderet. Gloriabatur item,cùm videret,quàm sapienter negotium ad finem perduxisset, cùm fortem per infirmiorem deuicisset,id est, virum per mulierem peruertendo,& per eam vtriusque dominum se faciendo. Deus his verbis illi significauit fore,vt omnibus his animi elationibus priuaretur, caput illi conterendo, id est, illius potentia tollenda, & hominem ab illius tyrannide liberando,& eum in suam dignitatem, & gratiam restituendo: ad quæ & illud Genes. 3.

addit, se hanc victoriam de illo consecuturũ, non per Angelos, & Archangelos, (per quos antea deuictus fuit, & de cælo deturbatus) sed per aliam mulierem, & per alium virum. Tanquam si dixisset: Gloriatus es, quòd per infirmã fœminam de mundo triumphasti: at ego hac te gloria priuabo; alius enim debilis fœminæ fructus de te triumphabit; ex quo omnem hanc superbiam amittes. Tibi enim maius erit dedecus, quòd fructus debilis fœminæ de spiritu triumphat, quàm spiritus de muliere imbecilla. Quare Deus in his verbis tum iustitia, tum misericordia vtens, (vt in omnibus suis actionibus solet) hominem iustè puniuit, & remedium misericorditer pollicitus est: & hac ratione homo liber, & dæmonium confusum, Deus victor, & Dominus eius quod decreuerat, remansit.

Hęc fuit prima misericordia post illum generalem à prima luce casum, prima gratia, primum spei pignus, quod Deus hominibus dedit; & ijs præsertim, qui priùs suos filios occiderunt, quàm parentes essent. Ex hac prima promissione nihil aliud habemus, nisi quòd futurus erat homo, non autem Angelus, qui nobis remedium allaturus erat; cùm & ille fuerit homo, qui nostri damni causa fuit. At sequentibus temporibus apertiùs, & magis particulatim huius noui hominis qualitates, & quas dicunt circunstantias, declarauit.

Propter hanc causam sibi peculiarem populum ex omnibus deligere statuit, de quo hic reparator oriretur, & in quo prædicarentur prophetiæ, & signa, quibus cognosceretur, cùm venisset. Vt autem id tractemus, tria animaduertenda sunt. Primum est, fuisse morem antiquis temporibus ante legem, & post legem, homines signa à Deo supernaturalia petere, vt illius promissio-
Gen. 15. num maiorem certitudinem haberent. Ita Patriarcha Abraham à Deo signũ
Iudic. 6. petijt eius promissionis, quam illi fecit de Cananæorum terra. Ita etiã Gede-
4. Reg. 20 on, & Ezechias, & Zacharias pater S. Ioannis Baptistę, vt promissionũ certitu-
Luc. 1. dinem haberent. Et idem Dominus nonnunquam eadem illis offerebat, licet
Exod 3. id ab illo minimè peterent, vt Moysi, cùm eum legatum ad Pharaonem misit.
1. Reg. 10 Hoc modo quoque Samuel Sauli signa dedit, vt eum certiorem faceret, quòd Deus eum in Regem sui populi delegerat, quod illi maximè mirũ videbatur, quòd ex minori Israelis tribu erat, & tã tenuis, vt tũ sui patris asinas inquireret. Vt igitur Propheta hanc incredulitatem vinceret, non vnum, sed tria signa illi dedit, his verbis: *Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in principem. Cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Beniamin, in Meridie, dicentq́; tibi, Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas: & intermissis pater tuus asinis, solicitus est pro vobis, & dicit, Quid faciã de filio meo? Cumq́; abieris inde, & vltrà transieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. Cumq́; te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum. Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philisthinorum: & cùm ingressus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosq́; prophetantes: & insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.*

Hæc

Hęc enim signa tibi dare non potuissem sine speciali Dei lumine. Quemadmodum igitur Deus prouidit hęc tam aperta signa, vt hic homo cognosceret, se à Deo in Regem sui populi delectum esse; sic idem Dominus prouidit non tria, sed plura signa, & efficaciora, vt verus Rex Messias cognosceretur, cùm in mũdum veniret, tantò apertiora, & efficaciora, quantò negotium maius erat: post quæ hunc Dominum non cognoscere, eò maior incredulitas est, quò signa, & plura, & apertiora sunt.

Hæc signa nobis Prophetæ dederunt (qui homines sanctissimi fuerunt, ad hominum peccata reprehendenda à Deo missi) qui spiritus Dei pleni, quæcunque ad Saluatoris aduentus mysterium pertinebant, prophetârunt. Quòd autem hunc propheticum spiritum habuerint, ex eo cernitur, quòd adimpleta sunt, quæ multò antè ipsi prophetârunt, tam in ijs, quę ad suam gentem pertinent, quàm ad alias gentes, vt in historijs tam sacris, quàm prophanis scriptum legitur. Vt in prophetia de regno Cyri, quę tam multis annis antè, quàm nasceretur, fuit, & in alijs huiusmodi. Idem etiam cernitur in illorum genere vitę, quæ pauperrima & humilis fuit, & à cupiditate tam aliena, vt nihil huius mundi voluerint. Ex quo apparet, quàm longè abessent ab illis decipiendis, qui nihil aliud à suo expectarent officio, quàm exilia, persecutiones, & mortes. Quorum calamitates, & angores refert Apostolus, inquiens, *quòd ludibria, & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus.* Hæc Apostoli verba sunt, quę apertè declarant, quàm ab omni cupiditate h. Sancti abhorrerent. Huius autem persecutionis causa erat, quòd publica peccata reprehendebant; & virtutem docebant, quod non minùs vitiosis hominibus, quàm infirmis oculis lumē clarum, molestum est.

Isa 40. Heb. 12.

Antiquitas quoque illorum est veneratione digna, quòd (vt inquit S. Augustinus) multò ante Philosophos fuerunt: quod per Iudæi populi antiquitatem perspicitur. A Sem enim Noe filio, vsque ad Abraham nouem generationes fuerunt. Post quem AEgypti captiuitas consecuta est, quæ quadringentos annos perdurauit. Quibus elapsis, vniuersus populus egressus est, & promissionis terræ potitus est, quod septingentis annis cum decem & octo ante Romam conditam fuit. Et omni eo tempore semper Dei Prophetæ in illo populo fuerunt; ex quibus sexdecim hoc tempore tantùm habemus, quatuor maiores, & duodecim minores; & omnes, vt eodem spiritu prophetârunt, sic etiam in prophetijs concordes sunt, quas nobis de Christo reliquerunt, vt postea dicemus, vbi illorum testimonia allegabimus.

Aug lib. 18 de Ciuit. Dei.

Secundum autem, quod nobis animaduertendum est, quòd cùm omnia Dei opera perfectissima sint, ea signa nobis danda erant, ad hunc Dominum cognoscendum, quibus eum apertissimè cognosceremus, nisi nostra malitia, & obstinatio nobis impedimento esset, cùm hæc cognitio esset principium, & fundamentum nostri remedij, sine quo fieri non poterat vt salui essemus. Nisi inquam nostra malitia impedimento esset: nam cùm hęc regnat, nulla est ratio, nullum miraculum, nihilq; quod satis sit; vt in Pharaone cernitur, qui post multas alias plagas & miracula, cùm maria aperiri videret, vt Israelis popu-

populo viam daret, in sua tamen obstinatione perseuerauit.

Horum signorum certitudinem declarauit Dominus ijs duobus discipulis, qui ad castellum Emaus ibant, iam remedium desperantibus, quod
Luc. 24. expectabant: quos ipse his verbis reprehendit: *O stulti, & tardi corde in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ: Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.* Hic Saluatoris loquendi modus cum hac vehementia declarat, quàm apertè Prophetæ hoc mysterium annuntiassent. Et ita deinde discipuli fassi sunt, quòd sua corda præcipuo calore, & deuotione ardebant, cùm Christus Dominus eis has prophetias declarabat. Et cùm idem Dominus illarum efficaciam cognosceret, eosdem aduersarios suæ causæ iu-
Ioan. 5. dices statuit, inquiens: *Scrutamini scripturas: illæ enim sunt quæ testimonium perhibent de me.*

Propter hanc causam Apostoli hoc testimonio vtebantur, vt fidem Christi persuaderent, & fundarent. Et ita S. Lucas in Apostolorum Actis scribit,
Act. 17. quòd cùm S. Paulus Thessalonicam venisset, & intrasset Iudæorum synagogam, tribus Sabbathis hoc mysterium prædicauit, scripturis probans, quòd oportebat Christum pati, & à mortuis resurgere, quodq; is erat Iesus Christus, quem ipse prædicabat. Præterea scribit S. Lucas, quòd multi Iudęi crediderunt, & se cum Apostolo coniunxerunt, & magna Gentilium multitudo, & multę nobiles mulieres. Et paulò pòst scribit, quòd nonnulli huius ciuitatis nobiles viri Dei verbum susceperunt cum magno feruore, & deuotione, quotidie in scripturas incumbentes, vt illarum concordiam cum Christi myste-
Act. 18. rio viderent. In sequenti autem capite de quodam Iudæo, nomine Apollo, Alexandrino genere, viro eloquenti, & in scripturis satis perito, (de quo men-
1. Cor. 3. tionem facit S. Paulus in Epistola ad Corinthios inquiens; *Ego plantaui, & Apollo rigauit*) scribitur, quòd is magno spiritus feruore Ephesi nostri Saluatoris fidem docebat. Qui cùm venisset Corinthum, multum in illis, qui crediderant, perfecit: Iudæos enim publicè vehementer vincebat, per scripturas ostendens, quòd Iesus Christus erat, & Rex Messias in lege promissus. Hæc S. Lucas, quæ eò conducunt, vt intelligatur, quòd per scripturas Christi mysterium apertissimè probatur.

Quòd si hoc satis erat, vt eo tempore id crederetur, nunc longè plures ad id causas habemus. Tunc enim nondum actiones, quæ à Christo fieri debebát in terris, declaratæ erant, (quod erat idolorũ euersio, veri Dei cognitio, multarum animarum sanctificatio, & magna peccatorũ eorũ punitio, qui eum crucifixerunt) quod omne his temporibus adimpletum esse cernimus. Itaque his signis eum venisse intelligimus, qui secundũ Prophetarũ testimonia hæc tam magna & tam manifesta mũdo facere debebat. In quo cernitur scripturarum vis in Christi mysterio probando: cùm & ante hæc tanta opera satis erant ad efficiendum, vt crederetur. Et quod magis est, nõ solùm à Iudæis crederetur, qui scripturis fidem præstabant; sed etiam à gentilibus, qui eas non recipebant. Nam cùm viderent multa alia in persona, vita, & morte Christi adimpleta, (vt multis antè annis prophetatum erat) Dei virtutem hîc interesse sciebant, cùm nemo, quid futurum esset, præter illum scire posset.

Omnes tandem prophetiæ tam manifestę, tamq; certæ sunt, & signa quæ

nobis ad cognoscendum Saluatorem data sunt, vt nostræ religionis aduersarij dicere potuissent, quòd hæ prophetiæ fuerũt Christianorum cõmenta, vt suæ religionis fidem confirmarent. Sed ne id dici posset, diuina prouidentia statuit, vt ijdem fidei nostræ aduersarij harum scripturarum veritatem faterentur, quæ sunt eædem, quas & nos Christiani fatemur. Et ita ipsi secum suæ damnationis testimonium ferunt, & nostræ veritatis, & iustificationis. Et in hunc sensum S. Augustinus verba Dauid declarat, qui in Psalmo quodam à Deo postulat, ne huius veritatis testes interficiat, (qui Hebræi sunt) ne vnà cum illis sanctarum scripturarum testimonium pereat.

Dominus autem Prophetarum testimonio non contentus, voluit, vt cum illis & Sibyllarum testimonium adesset, quæ idem testantur, (vt paulò pòst videbimus) vt cùm omnium Creator veniret ad communem salutem, & remedium tum Iudæorum, tum Gentilium, in vtrisque gentibus adessent Prophetæ, qui illius opera, & mirabilia prophetarent. Sibylla enim (vt nonnulli volunt) vel prophetissa, vel diuinorum consiliorum interpres exponitur.

Tertium animaduertendum illud est, quòd cùm Deus quædam signa ad hunc reparatorem cognoscendum nobis daret, non debebat permittere, vt alius reperiretur homo, in quem hæc omnia signa caderent. Quod aliter dicere, esset in Dei infinita sapientia defectum ponere, quæ nobis signa dedisset manca, quæ in alium quoque hominẽ cadere possent, quod magna blasphemia esset. Erat etiam hominem culpa liberare, quòd eum Saluatorem cognosceret, qui non erat, cùm in illum signa omnia caderent.

His igitur omnibus rebus cognitis, dicimus, quòd cùm Deus populum creare vellet, vbi hic nasceretur Imperator, & vbi prophetaretur, caput, & communem omnium patrem illius delegit, qui Patriarcha Abraham fuit, iussitq; ei, vt de sua terra egrederetur, & in promissionis terram, quam illius posteris daturus erat, veniret, vbi commoraretur, hæc verba illi dicens: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Gene. 12. Quam promissionem apertius declaraui: Deus tunc, cùm post illud celebre sacrificium, cui sanctus ille Patriarcha præstò fuit, vt suum filium immolaret, cum solenni iureiurando promissionem ijsdem verbis confirmauit, illud addens, fore, vt omnes Gene. 22. terræ gentes, per filium, qui ex eo nasceretur, benedicerentur. Et ita benedictos esse, est, saluos, & sanctificatos, & Deo reconciliatos esse: hæc enim vera benedictio est, sine qua nihil est, quod hoc nomine dignum sit. Hanc conditionem in suo cantico S. Ioannis Baptistæ pater Zacharias declarauit, cùm de redemptionis beneficio ageret, inquiens, quòd tunc Deus iusiurandum Abrahæ factum adimpleuit, quod erat nos ab inimicorum timore liberare, vt ita Luc. 1. ei in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris seruiremus. Hæc enim vera benedictio est, quæ ab huiusmodi Saluatore expectanda erat, quòd per sanctitatis, & iustitiæ meritum gloriæ beatitudinem, qui vltimus finis est, ad quem homo creatus fuit, nobis tribuit. Hic etiam sciendum est, quòd non inquit, fore, vt ab hoc Domino vnica gens benedictionem consequeretur, sed omnes

terræ cognationes; vt tum per hoc, tū per multa alia testimonia, quæ postea citabimus, cognoscatur, non venisse hunc Dominum, vt vnam solam saluaret gentem, sed omnes gentes, quas ad suam imaginem & similitudinem creauerat, & suæ gloriæ capaces effecerat. Frustra enim eas cum tanti boni capacitate creasset, si eas ab hoc remedio exclusisset.

Hoc idem promissum Patriarchæ Iacob totidem verbis renouauit, cùm
Gene 28. in quiete illas ei scalas ostendit, quæ à terra ad cælum pertingebant, inquiens illi, fore, vt ex eo filius nasceretur, in quo omnes gentes benedicerentur. Hic Patriarcha Iacob Abrahæ nepos duodecim masculos habuit, & tūc cœpit Deus ad magis particularia descendere, & docere, ex quonam ex ijs duodecim filijs Saluator nasciturus esset, qui Iudas erat. Sanctus enim Patriarcha cùm iam expiraturus esset, singulis suis filijs nuntians, quid illis vsu venturum es-
Gene 49. set, cùm ad hunc peruenit, inquit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*: qui Rex Messias est, vt Chaldæa interpretatio declarat.

In huius capitis fine Christianum lectorem admonitum volo, ne in prophetijs, quas hic adducemus, verborum elegantiam quærat: veritatis enim sinceritas non permittit quidquam illis addere, quæ nuntiantur, nisi aliquod verbum esset, quod ad sententiæ expositionem faceret. Cæteras verò auctoritates maiori libertate allegare poterimus, vt meliùs intelligantur. Illud etiam sciat lector, quod in singulis verbis commoraturus non sum, nisi cùm paulò obscura sunt; quòd si aliter, nimis prolixum esset. Satis est, in illam sententiam conducant, ad quam allegatæ sunt.

DE ALIIS PARTICVLARIBVS SIGNIS, ET PROphetijs de Saluatore. Cap. V.

VNC ad magis particularem Prophetiarum, quæ ante Saluatoris aduentum fuerūt, tractationem descendemus: quæ & signa sunt, quibus Saluator cognoscendus erat. Hæc autem signa alia sunt de stirpe, à qua Saluator nasciturus erat; alia de natiuitate, alia de vita, alia de morte, alia de ijs quæ post mortem consecutura erant, & alia (etiam aperciora) de ijs, quæ ab illo in terris post illius mortem facienda erant: alia tandem non minùs euidentia de tempore, quo hæc omnia fieri debebant. De his igitur signis, & Prophetijs hic breuiter tractaturi sumus.

Quod autem ad primum attinet, (quod de stirpe est) nihil est, quod auctoritates allegemus; quoniam omnes confitentur, quòd de tribu Iuda, & de stirpe Dauidis, qui ex hac tribu originem ducebat, nasciturus erat. Propter hanc causam in Prophetarum scriptis nomine Dauidis promittitur, & vocatur, filium patris nomine significando. Hęc stirpis conditio, cùm Saluator natus est, verificari potuit, cùm stirpes, & familiæ separatim descriptæ erāt, & cognitæ: quod nunc accidere non posset, quòd confusæ, & per omnium terrarum orbem dispersæ sunt: & præsertim cùm Vespasianus Imperator iusserit, vt omnes conquirerentur, & interficerentur, qui ex semine Dauidis essent; ne inde Iudæi occasionem coniurandi, & ab imperio Romano deficiendi (vt scribit Iosephus) sumerent.

Quod

Quod autem ad natiuitatem attinet, primùm illud compertũ est, in Bethlehem nasciturum esse, vt apertissimè Micheæ prophetia his verbis testatur: *Tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.* Mich. 5. Matth. 2.

Aliud quoque signum est tali Domino dignum, id est, quòd de Virgine Spiritus sancti virtute nasceretur; quod Isaias prophetauit hominibus incredulis, inquiens, quòd Deus aliquod signum daret suarum promissionum, & signum esset; *Ecce, virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel. Quod est interpretatum nobiscum Deus.* Isa. 7. Matt. 1. Neque hæc prophetia aliter interpretari potest, quòd tanta verborũ maiestate data est (vt Isaias scribit) pro Dei signo: quod nisi ita esset, quod signum erat virginem parere filium communi cæterarum fœminarum via? Neque in scriptura nouum est futurarum rerum signa dare, vt præsentia certiora reddãtur. Sic enim Deus cum Moyse fecit, cùm eum suum nuntiũ ad Pharaonem misit pro sui populi liberatione, inquiẽs: *Vade, et ego ero tecum: et hoc habebis signum, quòd miserim te: Cùm eduxeris populum meum de AEgypto, immolabis Deo super montem istum.* Exod 3.

Hanc eandem conceptionem, & virginalem partum Hieremias prophetauit, cùm dixit: *Creauit Dominus nouum super terram: Fœmina circundabit virum.* Iere. 31. Quæ autem nouitas hæc est nunquam visa, quòd mulier benedicta sola Dei virtute in suis visceribus clauderet virum, qui ille Dominus est, de quo hîc agimus? Cui enim hæc tanta nouitas, & gloria nunquam mundo visa, seruabatur, nisi ei qui veniebat, vt Saluator esset totius mundi?

Hoc idem Propheta Ezechiel in suis figuris declarauit, cùm huius mystici & mirabilis templi, quod Deus illi ostendit, formam describeret, vbi inter cætera dixit: *Et conuertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem: & erat clausa. Et dixit Dominus ad me, Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transiet per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Ezec. 44. Quisnam alius Deus per hanc portam ingressus est, nisi Christus Deus, & verus homo. Nam Deus in illa suà vera essentia, & natura non ingreditur, & non egreditur, nec mouetur, cùm cælos & terram impleat.

Hanc eandem Virginis conceptionem nobis exhibet ille lapis de monte recisus sine manibus, de quo dixit Daniel, quòd statuã Nabuchodonosor fregit, & deinde ita creuit, vt vniuersum mundum impleret. Dan. 2. Per quem lapidem omnes Catholici, & Hebræi doctores Christi regnum intelligunt, (vt postea videbimus) & dicere sine manibus de monte fuisse recisum, quid magis propriè repræsentare potuit, quàm huius noui Regis cõceptionem, quæ sine masculi opera Spiritus sancti virtute fuit?

Hoc est illud magnum secretum, quod Salomon cum omni sua sapientia se nullo modo consequi dicebat. Prou. 30. Nam cùm sic fateretur: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari.* addit quartam rem, quam penitus ignorabat, quæ est, *Viam viri in adolescentula*, vel (vt Pagninus vertit) *in Virgine.* Nesciebat enim quomodo hic vir, de quo loquebatur, in virginem ingrederetur, neque quomodo de illa egrederetur. His comparationibus hic magnus Sapiens, quàm incomprehensi-

henſibile huius virginalis partus myſterium eſſet, declarare voluit. Illud enim compertum eſt, neminem aquilæ itineris veſtigia, quà volat, cognoſcere poſſe, nec per aquam nauigij, nec ſerpentis ſuper petram. Cùm igitur hic Sapiens dicat, quòd hæ viæ ſibi difficiles cognitu erant, (cùm verè impoſſibiles ſint) quodq́ quartam penitus ignoraret: illud nobis ſignificat, quàm ſit hęc via magis incomprehenſibilis, quàm cæteræ, id eſt, Saluatoris cõceptionis, & natiuitatis myſterium: vbi fatemur Virginem Dominam noſtram tam poſt partum, quàm ante partum puriſſimam virginem fuiſſe. Nam qui veniebat ad ſananda & reſarcienda fracta omnia, ſuæ ſanctiſſimæ matris integritatem minuere non debebat. Et propter hanc cauſam, qui de ſepulchro clauſo, & obſignato cum lapide, qui ſuper illud erat, egreſſus eſt, potuit & de matris viſceribus egredi, virginalis illius integritatis puritate ſalua. Cùm autem Salomon neque ingreſſum, neque egreſſum huius viæ ſe cognoſcere fatebatur, quid mirum noſtri ingenij ruditate nos id aſſequi non poſſe? Nam (vt inquit Euſebius Emiſſenus) multa Deus facere poteſt, quæ nos intelligere nequimus.

Vt autem id credamus, ſatis accommodatum exemplum habemus, quod S. Auguſtinus libro vigeſimo ſecundo de Ciuitate Dei refert, quod ſuis temporibus accidit, quod ſic ab illo narratur: In Carthaginis ciuitate quædam nobiliſſima fœmina nomine Petronia commorabatur, quæ maximũ morbum patiebatur, cui Medici nullum remedium afferre ſciebant. Huic fœminæ quidam Iudęus remedium dedit, vt ex ſuis capillis faſciculum faceret, in cuius medio eſſet annulus, & ita cinctum ferret, vt carnem contingeret. Ipſa ſalutem expetens illi credidit, & ita fecit. Cùm autem Carthagine diſcederet aliquando, vt S. Stephani reliquias viſitaret, ad flumen peruenit, quod apud quoddam ſuum prædium perfluebat, vbi illa nocte conquieuit. Cùm autẽ poſteriori die ſurgeret, vt ſuum iter perficeret, annulum, quem cinctum ferebat, ad pedes ſuos vidit; & id admirata, faſciculum contigit, quem cinctum geſtabat, & ſatis probè ligatum cum ſuis nodis, vt ſe antea cinxerat, inuenit. Tunc credidit annulum fractum eſſe, & ita delabi potuiſſe. Quem manu capiens integrum, & ſaluum inuenit, & hoc videns miraculum pro ſalutis, quam expectabat, pignore interpretata eſt, & ſtatim annulum, & capillorum faſciculum, in quo ligatus erat, in flumen proiecit. Hoc miraculum adducit S. Auguſtinus, vt eos conuincat, qui Saluatorem reſurrexiſſe non credebant, cùm in ſancto ſepulchro clauſus, & obſignatus eſſet; neque de Virginis viſceribus egreſſum, ſalua virginali integritate, & puritate. Iam inquirant increduli (inquit hic Sanctus) quod huic fœminæ accidit, nobili loco natæ, nobili viro nuptæ, quę in ſe magna erat, magna in ſua ciuitate, vbi morabatur: & per hoc miraculum tam dictis ſimile, credant, eum pro ſua gloria facere poſſe, quod pro ſui ſerui Stephani gloria fecit. Qui enim annulum de faſciculo, ſine faſciculi fractura extrahere potuit, is ſuum glorioſum corpus etiam ſepulchri porta clauſa, & ſine virginis integritatis imminutione, extrahere potuit.

Nunc autem prudens lector in animo euoluat, quàm erat conſentaneum, vt Dei filius, cùm humanam carnem ſuſcepturus eſſet, non communi cæterorum hominum lege naſceretur, quæ neque ſorde, neque peccato vacat; ſed alio præſtantiore modo conciperetur, & nouo, id eſt, ex matre virgine, & virgine

virgine purissima, sola Spiritus sancti virtute. Quare iure optimo dixit, quòd si Deus de muliere nasciturus erat, id de virgine esse debebat; & si virgo parere debebat, Deum parere debebat; neque ei qui omnia potest hoc miraculum impossibile erat. Nam qui mundi initio de homine fœminam creauit, ipse in mundi fine hominem de fœmina formauit.

Nũc Saluatoris natiuitatis signa prosequẽdo, alia inquit Prophetia: quòd Hierusalem magna infantium copia periret propter huius noui Regis natiuitatem, quod his verbis Ieremias prophetauit: *Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.* Intelligit hîc Propheta per Rachel Bethlehem terram, vbi ipsa Beniamin peperit, & vbi sepulta fuit. Hæc cædes, & crudelitas nunquam antea visa, perpetrata fuit, quòd illi sancti Magi Hierusalem venerunt, interrogantes de nouo Iudęorum Rege, qui natus erat. Ex quo Herodes, qui alienigena erat de Idumæorũ genere, timens ne Iudæi in se insurgerent pro suo naturali rege, hoc adhibuit remedium, vt inter hos infantes Bethlehem natos, & locis finitimis, hunc quoque interficeret, qui in eadem terra natus erat. Quam cædem in Gentiliũ libris scriptam legimus: Macrobius enim in Saturnalium libro secundo narrat, quòd cùm Cæsar Augustus Imperator rescisset, quòd Herodes inter alios pueros occisos suum quoque filium occiderat, inquit: In Herodis domo melius est esse suem, quàm filium: significans, quòd cùm Iudæi sues non occiderent, meliùs puer liber fuisset, si esset sus, quàm si filius. Iere.31. Matt.2.

Hos Imperatoris dictum eò conducit, vt infideles, qui Euangelistis fidem non præstant, suis historicis credant, licet sine hoc testimonio ratio satis sit. Nam cùm hæc cædes tam publica esset, & tam per omnem terrarum orbem vulgata, non ausus esset Euangelista hanc historiam referre: nam si vera non esset, omnes in se homines commouisset, quo sui Euangelij fidem penitus resignasset, itaque fecisset, vt omnes fabulam esse existimassent.

Quamobrem illud etiam notandum, quòd fama ferebatur per totum terrarum orbem, quòd ex diuinis oraculis hauriebatur, fore, vt eo tempore nouus Rex in terris nasceretur, quem adorare debebant homines, qui salui esse vellent. Et Iosephus celebris historicus, genere & professione Iudæus, scribit, quòd illa ætate in sacris libris prophetia inuenta fuit, quæ prædicebat, quòd de Iudæorum stirpe nasciturus erat Rex, qui toti terrarum orbi dominaturus erat. Suetonius autem in Titi & Vespasiani Imperatorum vita, inquit, quòd hæc eadem fama per totum Orientem peruagabatur. Et M. Tullius libro secundo de Diuinatione, inquit, quòd Sibyllinarum versuũ interpres idem testabatur, licet Tullius, vt Reip. amicus, à Regis nomine abhorreret.

Præterea alia prophetia est de vniuersali pace, quæ in terris futura erat, cùm Saluator veniret. Et ita Isaias, cùm gentium conuersionem prophetaret, & diceret, quòd venturæ erant in Sion, vt veram religionem, & Dei cultũ pararent, inquit: *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Hoc in Cæsaris Augusti Imperio contigisse scimus, qui Romæ bellis ciuilibus finitis, & M. Antonio suo competitore, & Cleopatra deuictis, 46. annis imperium tenuit maiori pace, maiori otio, quàm ad illud vsque tempus fuerit vnquam vel visum, vel auditum. Quod diuina prouidentia sapientissimè statutum fuit, vt Euange- Isa.2.

erat inter homines, tractat, quæ erant dignitati, cuius ille erat, congruentia. Idq; refert Isaias, qui cùm gentium conuersionem prophetare desineret, statim subiungit: *Dicite pusillanimis, Confortamini, nolite timere. Ecce Deus vester vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Quæ signa sancti Euangelistæ scribunt, de quorum auctoritate suo loco dicemus. Isa 35.

Alia prophetia Zachariæ fatetur, quòd hic Dominus futurus erat pauper, & vt pauper Hierusalem ingrederetur, his verbis: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus & Saluator: ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Idem fatetur Propheta Ieremias (cùm loqueretur cum eodem Domino) his verbis: *Expectatio Israel, Saluator eius in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, vt fortis qui non potest saluare?* Hæc verba non sunt de diuite, neque potente, sed paupere, & debili. Et hoc modo conueniebat vt veniret Saluator, cùm illius aduentus veram felicitatis, & sanctitatis viam docturus esset, quæ non in bonorum huius mundi possessione, sed in despicientia, & in cælestium bonorum thesauro, & voluptate consistit. Hæc igitur sunt illius vitæ præcipua signa. Zach. 9. Matt. 21. Iere. 14.

DE SALVATORIS MORTE PROPHETIAE, ET DE ijs omnibus, quæ in illius sacratissima passione acciderunt. Cap. VII.

VM Spiritus sanctus optimè sciret scandala, & impedimenta, quæ mundus in Christi passione inuenturus erat, singularem adhibuit curam, vt sigillatim tum mortis rationem, tum quæ vnà concurrerunt, scriberet, quorum vndecim hic narraturi sumus. Nam primùm, quòd violentia interficiendus esset, (quod infideles negant) Daniel Propheta in illa mira visione, quam omnes nostri doctores, & Hebræi fatentur de Christo esse, apertissimè testatur, cùm inquit, quòd in dimidio hebdomadis, quam ibi scribit, occidendus erat Christus; quodq; non erit eius populus, qui eum negaturus est. Idem dicit Isaias cap. 53. vbi penè totam narrat passionis historiam cum circunstantijs, inter quas inquit, quòd hic Dominus *tradidit in mortem animam suam.* Idem dicit Hieremias in suis Lamentationibus his verbis: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus, In vmbra tua viuemus in Gentibus.* Dan. 9. Thre. 4.

Dauid autem mortis qualitatem in Psalmo 21. describit, qui totus de sacra passione apertissimè tractat: vbi filius cum suo æterno Patre loquens inquit: *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea.* Quo postremo verbo docet quantopere illud sacratissimum corpus distractum fuerit, cùm omnia illius ossa dinumerari possent. Idem fatetur Zacharias Propheta his verbis: *Et dicetur ei, Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Neque idem Propheta Zach. 13.

pheta lanceæ vulnera silentio prætermisit, nam sub Dei persona loquens sic
Zach. 12. inquit: *Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ et precum: & adspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super vnigenitum.*

Alia quoque circunstantia Domini passionis fuit, illum nudum crucifigere, & fortes super vestimenta illius iacere. Quod idem Saluator in antedicto Psalmo refert, (qui totus de hoc mysterio tractat) his verbis: *Diuiserunt sibi*
Psal. 21. *vestimenta mea*, qui scilicet me crucifixerunt, *et super vestem meam miserunt sortem.* In eodem Psalmo narrat contumelias, & opprobria, quæ in illum conferebant his verbis: *Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labijs, et mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum.* In eodem Psalmo idem Propheta declarauit, quàm abiectus, & vilipensus futurus esset hic Dominus. Et ita sub sua persona loquens inquit: *Ego sum vermis & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Alia Prophetia inquit, quòd inter cæteras crudelitates, quibus homines vsuri erant in illum, illa erat: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Quod prophetauit Dauid Psalmo 68.

Isaias autem Propheta cap. 50. in sua ipsius persona iniuriarum, & colaphorum, quasi imaginem repræsentat, quas ipse perpessurus erat, his verbis: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus et conspuentibus. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus.* Hæc verba ad Isaiam non pertinent, cùm ipse talia in sua persona non sit passus, (imò satis honoratus fuit, & plurimi fiebat ab omnibus) sed ad Christi personam, quam ipse gerebat.

Inter has angustias non prætermisit silentio Propheta illius discipulorum
Zach 13. fugam, qui sic sub Dei persona inquit: *Phramea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum, percute pastorem, et dispergentur oues gregis.* Sed quoniam ex his ouibus vna in lupum se mutare debebat, & agnum alijs sui similibus lupis traditura erat, id quoque attigit Dauid, cùm
Psal. 54. eiusdem Dei nomine dixit: *Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos*, hic scilicet contra me surrexit. Quo verò pretio vendendus esset, prophetauit Zacharias, qui sub persona eiusdem Domi-
Zach. 11. ni inquit: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me.*
Matt. 27. *Projce illud ad statuarium decorum pretium quo appretiatus sum ab eis.* Sed quoniam tam multis molestijs conflictatus is futurus erat, qui non cognosceretur, id
Isa. 53. apertissimè Isaias prophetauit, inquiens: *Et quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum. Et nos putauimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo & humiliatum.* Quod illorum cæcitatis causa fuit, qui eum non susceperunt, propter scandalum, quod de illius persona ceperunt.

Aliæ sacræ passionis particulares circunstantiæ sunt, quas prophetauit Isaias ita planè, vt magis historiam præteritarum rerum, quàm futurarum prophetiam scribere videatur. Ex quo fit, vt eum multi meritò quintum Euangelistam

gelistam vocent. AEquum igitur erit, huc totidem verbis transferre, quod dicit, non solùm vt sit veritatis testimoniũ, verùm etiam, vt pium lectorem deuotissimis illius verbis, ad deuotionem, & misericordiam excitemus.

De Christi passione Isaiæ prophetia.

SIC Propheta Isaias incipit: *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* Et statim Saluatoris figuram misericordia dignam, & angores, describere orditur, sic inquiens: *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum: Despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum.* Et statim paulò inferiùs inquit iterum Propheta: *Propter scelus populi mei percussi eum; quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.* Et tandem Propheta hoc concludit caput sub Dei persona loquens his verbis: *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Et tandem in fine inquit: *Pro transgressoribus rogauit, ne perirent.* Isa. 53.

Tota hęc prophetia tam apertè de Christi passione, & eius personæ dignitate, & præstantia tractat, vt (quemadmodum diximus) præteriti magis historia, quàm futuri prophetia videatur. Hæc enim omnia à sanctis Euangelistis relata cernimus.

Quòd autem illorum testimonium verum sit, præter fidem, hac apertissima ratione cognoscitur. Scimus præceptum esse Oratorum, & eorum etiam omnium, qui ad alicuius rei persuasionem spectant, oportere dissimulare, & tacere, quidquid suę causæ aliquod incommodum afferre potest, quodque illam iuuare potest, illud solum dicere. Sancti autem Euangelistæ, cùm scirent maximè homines mundanos scandalizare, & à fide Christi retrahere contumelias, & opprobria passionis, & mortis Christi in Cruce, (quę illis temporibus vilior, & turpior habebatur, quàm nunc furca est) si humano spiritu, & decipiendi consilio scripsissent, passionis contumelias tacuissent, (quę fidei impedimento erant) vel illius summam breuiter attigissent, & ea miracula solùm scripsissent, quæ ad eam conducebant. At non ita fecerunt: maiorem enim diligentiam in passionis opprobrijs describendis, quàm in miraculorũ gloria narranda adhibuerunt: multa enim miracula silentio prætermiserunt, vel breuiter attigerunt, & passionis iniurias particulatim narrârunt: in quo cernitur (vt diximus) non humano, sed diuino consilio scripsisse, neque eò spectabant, vt mũdum deciperent, sed vt veritatis testimonium darent. Nam licet hæc historia infidelibus scandalum esset, erat tamen maximus amoris

ſtimulus,& viuus ignis,qui hominum corda in eum inflammaret,qui tã multa pro illis pertulit.

In huius prophetiæ comprobatione ex ijs,quę contigerunt,cùm tam multis annis fuerit prædicta,tam magnum noſtrę fidei argumentum eſt, atq; confirmatio,vt per eam maximè ille Reginę AEthiopiæ theſaurarius ſe conuerterit,cùm huius prophetiæ myſterium ſanctus Philippus diaconus ei decla-
Actor. 8. raret. Quod licet ita ſe habeat,illi,quorũ oculos tenebrarũ princeps perſtrinxit,cùm viderent,quòd hęc tam aperta prophetia eos conuincebat, talem illius interpretationem excogitârunt,vt nemo ſit tam rudis,quin illius falſitatem apertè cognoſcat: inquiunt enim,liuores,& contumelias,& oppugnationes,quas hîc Propheta refert,non de Chriſto intelligi, ſed de Iſraelis populo,qui poſt Hieruſalem euerſionem diſperſus,abiectus, demiſſus, atque proſtratus per vniuerſum terrarum orbem peregrinatur. Cõtra quam interpretationem ſingula huius prophetiæ verba,& puncta ſunt. Tota enim illa declarat,quòd innocens eſt,qui patitur; & populus ille eſt, propter cuius ſcelera
Isa. 53. patitur,vt apertè illa verba,quæ Dominus dicit,indicant, *propter ſcelus populi mei percuſſi eum* & ea, vbi Propheta tum ſuo, tum ſui populi nomine inquit: *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* In quo cernitur,non eſſe hîc populum, qui patitur,ſed alium,qui propter illius ſcelera patitur. Dicit item Propheta, *Et liuore eius* (qui patitur) *ſanati ſumus.* Quomodo fieri poteſt,vt propter ea, quæ hic populus patitur, omnes ſanati ſimus? De hoc etiam Domino dicitur, *quòd iniquitatem non fecerit,nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Quomodo de hoc populo id dici poteſt, in quo peccata,& deceptiones,& non liciti contractus, vt in cęteris peccatoribus, ſunt? Præterea de hoc Domino,qui patitur, dicitur: *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur.* Quod quomodo verum fieri poſſit de hoc populo, qui tantum abeſt ab hac patiendi voluntate,ſeq́ue ad mortem offerendi? Dicit ad hæc Propheta: *Deſiderauimus eum: Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem.* Quod nullo modo huic populo conuenit, cùm nihil illi magis in optatis ſit, quàm ſe honoratum,& ſuper omnes homines collocatum videre. Inquit tandem,quòd,qui patitur,*pro tranſgreſſoribus rogauit.* Quod multò minùs huic populo cõuenit, qui ſolet multas execrationes quotidie in ſuis ſynagogis proferre in eos,qui ex ſua ſecta non ſunt.

Hoc igitur cùm ita ſe habeat, cumq́ue omnia huius prophetiæ verba illi interpretationi contradicant; quantopere dæmonium eos cęcos reddat, qui in ſua infidelitate perſeuerant, quis non videt? Quomodo ipſi ſuę conſcientiæ ſtimulum non timent? Quî non eos pudet tam apertum mendacium dicere,tamq́ue turpem falſitatem proferre? At cùm animus cæcus,& obſtinatus ſit,non ſolùm verba,& rationes,ſed ne miracula quidem eum ſanare poſſunt.

Poſt omnem hanc prophetiam declarat Propheta magnum fructum, qui ex his moleſtijs conſecuturus erat,& gratiæ copiã,quæ per Chriſtum mundo danda erat, & ſic inquit: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum,& voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit*

debit

debit & saturabitur. Significare vult, fore, vt eius rei exitum videat, quam tantopere desiderauit, (scilicet, hominum salutem) quod ...

somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Quod festo die Pentecostes accidit, cùm Spiritus sanctus visibili forma linguarum ignis venit, vt discipulos charitatis igne inflammaret, eisq; omnium linguarum totius terrarum orbis donū tribueret, vt vbiq; terrarum Euangelij gratiam prædicarent. Quòd si aliter, cùm penè tot linguæ essent, quot nationes, & prouinciæ: quî potuissent in omnibus mundi nationibus fidem prædicare, qui suæ terræ linguam tantummodò scirent?

Quòd autem hęc historia de Spiritus sancti aduentu hoc modo vera sit, prçter fidem, hęc apertissima ratio confirmat. Sanctus enim Lucas, eam qui scribit, inquit, quòd cùm id accidit, Hierusalem Iudæi morabantur religiosi,
Actor. 2. & Dei cultores omnium nationum, quę sub cælo sunt; inquit etiam, quòd hoc miraculo tam venientis Spiritus sancti modo, quàm linguarum varietate stupefacti fuerunt. Quod si non ita se habuisset reipsa, quî fieri potuisset, vt Euangelista adduceretur, vt eam rem scriberet, quę si vera non fuisset, tā multos contra se testes, qui mentiri eum dicerent, habuisset, ex quo omnem suæ scripturæ fidem resignasset.

Quòd autem futurum esset, vt hic idem Spiritus in fidelium corda infunderetur, prophetauit apertissimis verbis propheta Ieremias, qui cum Deo lo-
Iere. 31. quens, sic inquit: *Ecce, dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum; non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra AEgypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meā in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Deum autem scribere suas leges non in tabulis lapideis, vt superioribus temporibus, sed in hominum cordibus, nihil aliud est, quàm dicere fore, vt Spiritus sanctus in ijs commoretur: neq; solùm, vt ijs diuinam legem tradat, sed (quod maius est) eos excitet, & propensiores ad legem seruandam reddat. Quod nobis repræsentauit, cùm in venti forma venire voluerit, cuius proprietas est, omnia mouere, cùm nauigia ab eo vsque ad vltimas terras moueantur. Hic autem diuinus motus nobis magis opus erat, quàm cognitio; non enim tam homines intellectus ignoratione, quàm errore & molestia voluntatis peccant. Idem pollice-
Ezec. 36. tur Deus in Propheta Ezechiele his diuinis verbis: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis* (quæ sunt leges meæ) *& operemini: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Illud nobis significat; Vos fidelium seruorum officio fungemini, & ego fidelissimi, & liberalissimi Dei, & Domini munere fungar. Apertioribus verbis, quàm his, Spiritus sancti virtus, & officium prophetizari posse minimè videtur. Hęc autem tanta gratiæ affluentia, quo tempore, & quibus medijs hominibus danda erat, nisi cùm Saluator hominibus promissus ad eos veniret, &

nos

nos suæ passionis sacrificio illa dignos faceret ? Neque sine mysterio est, quòd quemadmodum verus Agnus, qui Christus est, eodem die sacrificatus fuit, quo Paschalis agnus (qui illius figura erat) immolabatur, vt eodem die figura cum figurato concurreret: sic Spiritus sanctus, qui legis gratiæ auctor est, eodem die veniret, quo lex data fuit, quod die Pentecostes erat; vt eodem die, quo data fuit altera lex, & altera daretur: vt hoc modo gratia ei suppleret, in quo lex deficiebat. In quo mira veteris cum nouo Testamento concordantia cernitur, non solùm in promissorum adimpletione, verùm etiam in tempore, quo hæc omnia conficienda erant.

DE MAGNIS, ET MIRABILIBVS ACTIONIBVS, QVAE Saluatori post aduentum in mundum facienda erant. Cap. IX.

OMNES antedictæ prophetiæ, & signa ad Christum cognoscendum, sunt illius personæ præcipua, id est, stirpis, Natiuitatis, Mortis, Resurrectionis, Ascensionis ad cælũ, & Spiritus sancti aduentus. Alia sunt non minùs quàm superiora certa, sed ad illius aduentus cognitionem clariora, quòd vniuersaliora, & mundo notiora sunt, & hæc sunt actiones, & mirabilia opera, quæ illi in terris facienda erant.

Et antequam harum Prophetiarum testimonia referre incipiamus, necesse erit lectorem studiosum animaduertere, quòd Prophetæ, & præsertim Isaias (qui omnium prior, & elegantior est, & ille qui clariùs de his verba fecit) nonnunquam proprijs verbis ea describit, & apertis; nonnunquam comparationibus, & siluestrium arborum, & frugiferarum, ferarum bestiarum, & cicurum, & solitudinum, & terrarum cultarum metaphoris nobis ob oculos ponit. Proprijs verbis, & apertis scribit, cùm æternum Patrem cum suo filio quatenus homine loquentem inducit, qui sic inquit: *Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Ecce, dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Nullis apertioribus verbis, nec magis proprijs mundi conuersio, quàm his, explicari poterat. Metaphoris verò, & similitudinibus elegantissimis, idem significat. His loquendi rationibus duplici de causa vtitur; altera, ne sæpius ijsdem verbis eãdem sententiam replicet, quòd id legentibus satietatem pareret; altera, & magis pręcipua, vt res amplificet, quas prophetizat, cùm eas magnarum rerum nominibus vestiat, & exponat. Cùm enim per Isaiam inquit Deus, quòd eum agri bestię, & dracones, & struthiones glorificabunt; diuinę gratiæ virtutem magnificat, quæ, vt homines feri, & superbi, & pestilentes (qui gentiles erant) Dei glorię prædicatores, & Angelorum puritatis imitatores essent, efficere potuit. Præterea vt Prophetæ hæc opera amplificarent, eo lumine, quod habebãt, illorum magnificentiam intelligentes, in spiritum rapti eo modo ante hominum oculos ea ponebant, vt homines pro hoc beneficio ad laudandum Deum excitarent, & omnes creaturas, vel quę sine sensu sunt, in vnum ad id conuocant, vt in Psalmo 97. apparet, quem infrà allegabimus.

Isa. 49.

Vt autem iam de mirabilibus operibus agere incipiamus, quæ post Saluatoris mortem peragenda erant, hæc quinque futura esse dicimus. Primum est, idololatrię euersio. Secundum est, in mundum veri Dei cognitionem inducere,

ducere, qui Abraham, & Iacob Deus erat. Tertium est, vitia radicitus euellere, quæ quidem ex eadem idololatria consequebantur; & hominum mores ad bonam frugem perducere. Quartum est, Romanorum Imperium fidei subiugare, & ad veri Dei cognitionem perducere, (quod significatum fuit in illa statua, quam Nabuchodonosor vidit) quod Constātini Imperatoris tempore adimpletum fuit. Quintum est illorum punitio, qui Saluatoris mortem procurarunt, vnà cum Hierusalem, & sancti templi euersione.

Ex his quinque tam magnis operibus, prima tria vnico verbo doctores significant, quod mundi vel vocatio, vel conuersio est. Quod Dei opus cùm sit omnium maximum, & amplissimum, ab omnibus Prophetis nunciatum fuit, & presertim ab Isaia, vt S. Ambrosius ad S. Augustinum scribit. Cùm autem hoc opus Dei bonitatis, & omnipotentiæ, sit ex omnibus admirabilius, & præcipuus Saluatoris aduentus in mundum effectus, quodqúe apertiùs nostrę fidei veritatem confirmat, & alacriores pias animas reddit, (cùm illorum exitum predictionibus respondere cernant) ex multis prophetijs hîc nonnullas referemus, quas tum hic Propheta, tum alij de hac vocatione prophetarunt. Et capite 42. æternum Patrem cum filio humanato loquentem his tam magnificis verbis inducit: *Hæc dicit Dominus Deus creans cælos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: Ego Dominus vocaui te in iustitia,* (dicere vult, vt per te cernatur, quòd iustus sum, & in promissis verax) *& apprehendi manum tuam,* meum auxilium & fauorem tibi prestans, *& seruaui te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium: Vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoque ego annuntio: antequam oriantur, audita vobis faciam. Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ.* Et paulò infrà penè eandem sententiam repetit his verbis: *Et ducam cæcos in viam quam nesciunt: & in semitis quas ignorauerunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta.* In omnibus his verbis tam magnificis promittit Deus gentilibus, qui in tenebris, & in obscura suę infidelitatis nocte viuebant, Euangelij lucem, & gratiæ virtutem, vt eos sibi reconciliaret; & virtutis viam planam, & suauem, & carnis asperam, & difficilem redderet.

Libro 4 Confess. cap. 4.

Isa. 42.

Et idem Dominus nunquam satis repetiuisse hoc tam gloriosum promissum sibi videtur, illud, vt meretur, multis illustribus verbis, & metaphoris amplificans, & ita in capite sequenti inquit: *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea: ponam in deserto viam, & in inuio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo. Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit.* Quid autem Propheta per dracones, & feras bestias intelligat, iam declaratum est. Per flumina verò, & aquæ fontes, semper gratiæ virtutem intelligit. Nam vt aqua mundat, & refrigerat, & sitim extinguit, & terram fertilem reddit: sic gratia hos eosdem effectus in anima spiritaliter operatur. De his autem aquis locutus est ille, cùm dixit:

Isa. 43.

Hauri-

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Et dicetis in die illa, Cōfitemini Domino, & inuocate nomen eius. Vt autem Dominus hoc gratiæ beneficium carius reddat, (per quam omnes homines, qui tanquam feri dracones sibilabant, hunc sibilum in diuinas laudes commutaturi erant) inquit, ne homines meminerint, neque in præterita beneficia intueantur, (vt est liberatio de AEgypti captiuitate, & promissionis terræ acquisitio, & alia huiusmodi) quòd licet hæc beneficia per se sint perpetua memoria digna: parua tamen sunt, si cum Euangelij gratia, & Christi sacrificio, per quod illam nos meriti sumus, conferantur. Isa. 12.

Superiora Isaiæ sunt, qui paulò infrà in sequenti capite eandem vocationem apertioribus verbis, & suis metaphoris repetit, sic inquiens: *Effundam aquas super sitientem terram, & fluenta super aridam.* Et ne eum hic de terra, & aqua propriè dicta loqui censeremus, se ipsum interpretatur, inquiens: *Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Iste dicet, Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu sua, Domino: & in nomine Israel assimilabitur.* Illud nobis significat, gloriabitur quòd veri Dei sit seruus, & ab eo suscipiet verè fidelis nomen, & inuocādi illius nomine Dei Iacob: id est, quòd non amplius Iouis nomine inuocaturus est, nec aliorum Deorum, qui falsi sunt, sed veri Dei, qui Iacob fuit, & est Deus. Et vt Propheta nobis significaret, in hac gentium vocatione plures gentiles futuros, qui se conuerterent, suis solitis metaphoris in cap. 54. vtens, sic inquit: *Lauda Deum sterilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni quæ non pariebas: quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius quæ habebat virum, dicit Dominus.* His verbis Propheta in duarum fœminarum metaphoris, alterius sterilis, & desertæ, alterius nuptæ suo viro; duas Respub. alteram gentilium, alteram Iudæorum proponit: de priore autem, quæ derelicta est, dicit fore, vt plures filij nascantur, quàm de altera; maior enim fuit fidelium numerus, qui ex gentilium Repub. (quæ per totum terrarum orbem diffusa erat) quàm ex illa Iudæorum, quæ parua erat mundi pars, Christum susceperunt. Is. 44.

Fortasse defessus erit lector, cùm hanc eandem promissionem toties audiat: at Deus in ea repetenda nunquam defatigabatur; quod accidisse, vt prędictum fuit, (quod omnes cernimus) nostræ fidei grauissimum argumentum, & confirmatio est. Et ita per Isaiam loquens, & illos ad bibendum inuitans, qui in suis animabus gratiæ aquam sitiunt, statim Christum illius auctorem, primùm cum hominibus, deinde cum illo verba faciens, promittit. Hominibus inquit: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.* Filio verò inquit: *Ecce, gentem quam nesciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israel, quia glorificauit te.* Nobis significat, quod te fecit quatenus hominem mundi reparatorem, & saluatorem. Et eum testem vocauit, (vt eum S. Ioannes in Apocalypsi vocat) quòd nobis testatus est, & significauit fideliter Patris voluntatem, nobis perfectè tradens qua ratione ei obsequi deberemus. Isa. 55. Apoc. 1.

In cap. verò 60. idem repetit promissum maxima verborum magnificentia: Suum enim sermonem ad Hierusalem ciuitatem conuertens, sic
Isa. 6. inquit: *Surge, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* Et ne putaremus solùm pro hoc populo hunc Dominum venire, statim subdit: *Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi.*

Vt autem apertè intelligeremus, omnes has prophetias sub suis metaphoris gentium conuersionem prophetizare; in harum omnium fine (quod in vltimo capite est) cognitionis eorum, quę prophetizauerat, in hanc vocationem clauem posuit, sic inquiens: *Mittam ex eis, qui saluati fuerint, ad Gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes sagittam: in Italiam & Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabũt gloriam meam Gentibus.* Quibus verbis sine metaphora hanc gentilitatis vocationem ad veri Dei cognitionem, & cultum, de quo hic egimus, declarat: cumq; hęc vocatio sit sæpe promissa, & sępe tum in hoc Propheta, tum in alijs repetita, vix fieri poterat, vt à fidelibus Apostolorum temporibus circuncisis crederetur. Sanctus enim Petrus cùm Cornelij Centurionis toti familiæ prædicaret, (qui gentilis erat) statim Spiritus sanctus super illos descendit, & S. Lucas
Act. 10. inquit, quòd fideles circuncisionis, qui cum S. Petro venerant, stupefacti sunt, cùm viderent Spiritus sancti gratiam etiam gentilium nationibus communicari; quòd eos varijs linguis loquentes, & Deum collaudantes, vt eosdẽ Apostolos audiebant.

Neque Isaias solùm hanc vocationem prophetauit, nam alij quoque Prophetæ hoc prophetârunt, & Dauid præsertim, qui in Psalmo secũdo æternum Patrem inducit cum suo filio loquentem his verbis: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et in Psalmo 109. idem Pater cùm loqueretur cum suo filio, inquit: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Hic autem omnes homines, tam Iudęos, quàm gentiles, qui suo regno & imperio contradicerent, inimicos vocat. In Psalmo 97. in magnum spiritus feruorem raptus, huius generalis beneficij magnitudinem considerans, omnes creaturas, tam sensu præditas, quàm sine sensu, ad gratiarum actiones, ad gratulationes, & ad plausus propter hanc misericordiam inuitat. Nam vbi finiuit illa verba dicere, *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostr*; sua verba ad creaturas cõuertit, ita vt neq; terram, neq; maria, aut montes, aut arbores, aut flumina prætermittat, quæ ad canendas Deo laudes nõ inuitet. Huius lætitiæ causa est, *quòd venit Dominus iudicare terram*, id est, ad eam regendam, & gubernandam. hoc enim significat illud verbum, iudicare, vt & in alijs scripturæ locis. Huius autem Psalmi initio nos inuitat, vt Deo canticum nouum cantemus; nobis significans, quòd huius beneficij nouitas, tam ab alijs differens, hoc nouum canticum, id est, nouas laudes, nouam

nouam deuotionem, nouum amorem, & nouam animi grati memoriam hæc tanta, tamq; generali misericordia postulat.

Oseas autem Propheta inducit Deum hanc eandem gratiam promittẽtem his verbis: *Miserebor eius quæ fuit absque misericordia. Et dicam non populo meo, Populus meus es tu: & ipse dicet, Deus meus es tu.* Cui nunc hæc verba conueniunt, nisi gentilitati, quæ cùm Dei populus non fuerit, Christi gratia, & Euangelij prædicatione Dei populus effectus est? Neque minùs apertum est Michex testimonium, cuius verba hæc sunt: *Et erit, in nouissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent, Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de vijs suis, & ibimus in semitis eius: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem.* In quibus verbis Propheta non solùm gentium conuersionem prædicit, verùm etiam vnde Dei verbũ egressurum erat, & doctrina, quæ gentes conuertere debebat, quæ ciuitas Hierusalem est; cùm nobis compertum sit, ex ea Christi discipulos egressos esse, qui idololatriam eradicârunt, & veri Dei Iacob cognitionem seruerunt. Hanc eandem Michex prophetiam totidem verbis cap. secundo Isaiæ scriptam legimus, vnà cum loci additione, vnde Euangelij prædicatio egressura erat, quæ de Sion futura erat. Et quemadmodum hi duo Prophetæ eodem spiritu prophetârunt, sic eandem prophetiam totidem verbis scripserunt. Hæc hactenus de prophetijs, quæ gentium conuersionem prædixerunt.

Ose. 2.

Mich. 4.

DE PRIMA ACTIONE PER SALVATORIS IN MVNDVM aduentum facta, quod fuit idololatria blasphemiam in exilium eijcere, quæ penè in toto terrarum orbe suscipiebatur. Cap. X.

IXIMVS in superiori capite, quòd gentium vocatio tria mirabilia opera continet, quæ Saluator in mundum facturus erat; quod erat idololatriam euertere, & veri Dei cognitionẽ & cultum in terris serere, & multorũ hominum mores & vitã renouare. Nunc consentaneum erit sigillatim hæc omnia tractare, & in singula Prophetias adducere, quæ multis ante annis eadem prædixerunt, & vnà magnitudinem, & difficultatẽ exponere, quæ in illorum quolibet fuit; vt in singulis cernatur, diuinæ omnipotentiæ brachium interfuisse.

Vt igitur ab idololatria incipiamus, hæc omnium facinorum, quę in terris à Saluatore facta fuerunt, maximum fuit. Quod apertè per Zachariã Prophetam prædixit Deus, inquiens: *Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà.* Sophonias quoque inquit: *Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ Gentium.* Et Propheta Nahum, cùm sub persona Dei loqueretur, inquit: *Interficiam sculptile & conflatile. Ecce super montes pedes euangelizantis & annuntiantis pacem.* Isaias quoque inquit: *In die illa abijciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum.* & alio loco: *Et contaminabis*, inquit ille, *laminas sculptiliũ argẽti tui, & vestimẽtum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam* menstru-

Zach. 13.

Soph. 2.

Nahũ 1.

Isa 31.

Isa 30.

menstruatæ. Et sanctus Tobias, cùm moriturus esset, prophetico spiritu inquit:
Tob. 14 *Relinquent gentes Idola sua, & adorabunt Deum Israel.*

Hoc tam gloriosum facinus, manifestum est, ad Messiæ aduentum reseruari. Nam cùm omnes gentes per illum (vt antiquis Patribus promissum fuit) benedictæ futuræ essent; quam benedictionem idololatria in toto terrarum orbe regnante, & vnà cum ea, quæcunque abominationes & peccata ab illa manabant, consequi poterant? Quod per idem opus compertum est, cùm ex huius summi Imperatoris exercitu exierunt duces (qui Apostoli fuerunt) qui suo sanguine, miraculis, & doctrina, hanc gloriosissimam prouinciam aggressi sunt.

Nunc autem necesse est, vt, quàm magnum beneficium fuerit hanc grauissimam pestem de mundo eijcere, declaremus, vt hoc modo videamus, quãtum huic Domino debeamus, qui hoc tanto malo nos liberauit. Nobis enim constat & manifestum est, quòd post primi hominis lapsum, omnium malorum maximũ in terris idololatria fuit. Nam ab ea tam multa mala, tam abominanda peccata, turpitudines, crudelitates, emanârunt, vt nullis verbis explicari possint. Et quoniam non bene medicinæ excellentia, & efficacia cognosci potest, nisi priùs morbi grauitas cognoscatur; hîc necesse erit huius pestis magna mala explicare, vt videamus (vt dixi) illud, quod cælesti medico, qui eam sanauit, debemus. Confiteor autem, hæc tam incredibilia videri, quæ in hac re fuerunt, vt nisi innumerabilium auctorum libri, illorum pleni extarent, nemo reperiretur mentis & rationis particeps, qui hæc vel scribere auderet, vel credere posset. Et præterea tam fera hæc, & tam turpia sunt, vt à castis auribus veniam petere, vt ea narrem, mihi necesse sit. At dicenda sunt: hoc enim illud est, quod nostra corda ad Christianæ religionis amorem, (quæ tam magnis malis libera est) & ad potentissimi nostri Saluatoris, qui ea de mundo in exilium eiecit, seruitium magis mouere debet. Quidquid tamen dicturus sum, credibile futurum est, supponendo, eo tempore homines penitus fuisse dæmonio deditos, quòd eos gubernabat; & cùm talis gubernator fuerit, (qui omnis sceleris fons est) facile intelligi posse, quales futuri sint illi, qui ab illo gubernantur.

Sciendum igitur est, quòd homines instinctu naturali in hoc mundo aliquam inesse supremam diuinitatem credunt, & sic cum quadam propensione ad eam venerandam & colendam nascuntur. Hoc autem in omnibus mundi nationibus, quamuis barbaris, cernitur, in quibus semper aliquis diuinus honor, & cultus reperitur. Ipsi autem cùm existimarent propter illorum ingenij ruditatem, nihil aliud præterea reperiri, nisi quod ipsi corporis sensibus cognoscerent, pulchrioribus mundi creaturis diuinitatem tribuerunt, & ijs, à quibus plura commoda ad vsum vitæ consequebantur; vt erat Sol, Luna, Planetæ, & cæli stellæ; & hæc venerabantur, & pro Deo suo colebant. Cùm autem hinc ad Creatoris pulchritudinem, & prouidentiam cognoscendam rationem capere deberent, eique pro huiusmodi creaturarum ministerio gratias agere; vt eum negarent, & potius creaturæ, quàm Creatori seruirent, occasionem inde sumpserunt. Quàm autem magnum hoc fuerit peccatum, hoc exemplo cernatur. Quale scelus esset alicuius Reginæ, quæ suum maritũ Regem intueri nollet, & tantummodò aliquem ex nobilibus viris, qui Regem comi-

comitarentur, qui formosus esset, respiceret? Huiusmodi fuit mundi adulterium, & infidelitas, cùm à suo Creatore ad creaturam defecerit. Quòd si in hac re creaturarum pulchritudine decepti fuerant, per eas, (vt Sapiens inquit) quantò sit formosior Dominus, qui eas creauit, coniectura assequi potuissent. Sap. 13

Quod autem turpius est, inter illorum Deos, & masculos, & fœminas, & matrimonia, & incestus cum fratribus, & dissensiones, & partes, & zelotypiam, & adulteria, vt hic inter homines esse censebant: & sic scribunt, quod Deus Vulcanus, Deæ Veneris maritus, subtilissimum rete confecit, in quo Deum Martem permixtum cum sua Venere cepit: & hoc modo in ignominiam per totum cælum adduxit, Deos muneribus hoc tam pulchro spectaculo afficiens. Et suorum Deorum principi has omnes turpitudines, quas diximus, ascribebant, illud addentes, quòd vt puellas deciperet, & violaret, nonnunquam tauri, nonnunquam aquilæ, nonnunquam cygni, nōnunquam auri sibi formam induebat: quinam Deus hic esset, videte, & quomodo fieri posset, vt homines non hæc vitia probarent, cùm se in his suorum Deorum maiorem imitari viderent?

Dæmonij deceptio hîc non quieuit, neque hominū cæcitas. Nam ingenti in seipsos amore, eos omnes in Deorum numerum referebant, qui aliquid ad communem hominum vitæ vsum excogitabant. Et ita Æsculapium Deum fecerunt, quòd medicinam inuenit; Bacchum, quòd vini vsum; Cererem, pro panis vsu; quendam puerum, quòd aratrum monstrauit; Regem nomine Estercem, quòd agrorum stercorationem tradidit, quo plures ex agris fructus caperent; (quod S. Augustinus tradit) & Herculem, quòd sua virtute terrarum orbem monstris, quæ terras infestabant, liberauit. August. lib. de Ciuit. D. i.

Hæc autem blasphemia cùm diu perdurasset, eò Imperatores etiam peruenerunt, vt Deorum nomina, & cultum sibi vendicarent. Quod fecit Domitianus, & Commodus, & crudelissimus ac turpissimus Nero, & Diocletianus magnus Ecclesiæ hostis, qui manum, vt cæteri Imperatores, ad osculandum non porrigebat, sed pedem. Idem fecit illa horribilis belua C. Caligula; ad id natus, vt in illius viuendi ratione cerneretur, quò tum hominum prodigalitas, tum gula peruenire posset; & quantum vitium, cum potestate, & auctoritate coniunctum posset. Hic autem (vt Eusebius Cæsariensis refert) nouus Iupiter nobilissimus Deus Caius vocari voluit: & in omnibus Imperij Romani terris erant imagines & aræ illi dedicatæ, præterquam in Iudæorum synagogis, qui hoc minimè permiserunt.

Quid autem de Alexandro illo Magno dicam, qui vbi de Dario victoriam deportauit, eò elationis animi peruenit, vt se Deum nominari, & coli iusserit? Et quoniam grauissimus Philosophus, quem secum semper habebat, nomine Clisthenes, Aristotelis sectator, huic tantæ dementiæ restitit, eum coniurasse finxit, & ei aures, & nasum, & labra abscindi iussit, & in cauea ferrea vnà cum cane concludi, & post hæc tam immania eum tandem interfecit: quo quidem scelere omnium suarum rerum gestarum gloriam obscurauit, vt refert Seneca, qui tanti Philosophi mortem deplorat.

At scelus & dementia Adriani Imperatoris vlterius progreditur, qui cuiusdam pueri, quo abutebatur, nomine Antinoi, mortem ita ægrè tulit, vt ad

vt ad huius doloris consolationem, eum tanquam Deum coli voluerit, & templum ei ædificauerit, & sacerdotes addiderit, & sacrificia, & festos dies constituerit, qui in illius honorem celebrarentur. Et hoc disposuit quidam homo (vt S. Hieronymus refert) in studijs, & philosophiæ doctrinis educatus.

Nunc autem iudicemus, num cum hac blasphemia se æquet illa Senatus Romani, qui publicam fœminam nomine Floram, Deam consecrauit, quòd moriens magnarum facultatum, quas sibi tam honesto ministerio comparatat, eum hæredem fecit? Cuius rei testimonia extant Plutarchi, Ouidij, & ex nostris Lactantij Firmiani in primo suarum institutionum libro, & S. Augustini in secundo de Ciuitate Dei. Neque eo contentus Senatus, quotannis tertio Calend. Quinctilis illius festum diem celebrabat. At qui dies festus? Scorta, vt & illa fuit, (est quidem turpe dictu) coram populo nudabantur, & turpissima verba effutiebant, & ante suam Deam hoc modo saliebant. Quis hoc turpius aliquid excogitare posset? Quisnam id crederet, ni tam graues auctores id conscriberent? Quis futurus est, quin intelligat huiusmodi fuisse mundum, qui talia permittebat, & probabat, & celebrabat? Quis autem hæc legēs poplitibus flexis non Christum laudabit, qui per suos discipulos, tam horribilem pestem de mundo in exilium eiecit?

At hic Satanæ inuenta non desinunt, alia restant, & peiora quidem. Venerem enim & Cupidinē, (qui mater, & filius erant) turpitudinis Deos faciebant: vt quod munus nos Christiani Dæmonio ascribimus, quem spiritum fornicationis dicimus, ipsi his duobus tam præstantibus Dijs tribuerent. Et ita suum Deum Cupidinem manu sagittas & arcum tenentem pingebant, vt munus significarent, quo fungebatur, cùm profanis amoribus hominū corda feriebat. Quid autem de Deo dicam, quem ipsi Priapum dicunt? cuius historiam propter verecundiam scribere non auderem, nisi eam diuina scriptura
3 Reg 15. narraret. In qua scribitur, quòd rex Asa, quippe qui catholicus esset, & virtute ornatus, fecit, vt illius mater vidua, & honesta fœmina, non esset illius Dei tam turpis societatis princeps, neque cum alijs fœminis longis vittis in huius abominandi Dei festis saltaret. Et ille sanctus Rex hoc idolum confregit, (cuius imago turpissima erat) & in torrentem Cedrum demergēdum iussit. Quidquam ne huic æquale reperiri potest? Nihil amplifico, nihil exorno, sed summatim narro, quod scriptum legi.

Illud autem peto, in quonam genere eos esse dicemus, qui animalia rationis expertia, Capras, Boues, Crocodilos, Ciconias, Draconem (de quo mentionem facit Daniel) & serpentes, quos sanctus Paulus refert, adorabant? Ex his
Rom. 1. autem omnibus (vt Theodoretus refert) maximè Caprū, quippe qui ex omnibus petulantior, & viridior esset, adorabant. Sed maiorem terrorem incutit, quod dicturus sum: & ne mendax habear, Mar. Antonium Sabellicum in medium adducam in suo de exemplis libro, qui inquit AEgyptios eò dementiæ venisse, vt allia, & cepas, vt deos adorarent. Ex quo per iocum quidam Poeta dixit: eos esse felices populos, in quorum hortis Dij nascerentur.

De abominandis sacrificijs, quæ Gentiles suis Dijs offerebant.

NOLO

NOLO amplius Christianum lectorem defatigare, neque tam turpibus historijs aerem fœdare. Non tamen possum, nec debeo sacrificiorum genera tacere, quæ his Dijs offerebantur; & festa, quæ in illorum honorem celebrabantur; licet ex Deorũ genere, quænam esse illorũ sacrificia debebant, facilè intelligi possit. Alia enim Deorum cõditioni congruentia, alia hominum appetitibus accommodata erant. Ob id duo sacrificiorum genera erant; altera crudelissima, in quibus homines sacrificabantur; alia turpissima, in quibus maximæ turpitudines fiebant.

De primis sacræ literæ mentionem faciunt. Quoniam vel Iudæi ipsi (vt Prophetæ, Psalmi, & sacræ historiæ testantur) dæmonibus filios & filias immolabant, & sanguinem innocentem effundebant, vt idolis seruirent. Hanc crudelissimam cæremoniam Iudæi à Gentilibus sumpserunt, inter quos hoc sacrificij genus maximè vigebat. Rhodienses enim Idus Octobris Saturno hominem immolabant. Et Heliopoli (quæ ciuitas in AEgypto erat) quotidie tres homines sacrificabant. Sic etiam Lacedæmones Marti Deo hominem sacrificabant, & idem Laodiceæ faciebant, & Carthagini. Et Græci, licet maioris ingenij essent, cùm ad bellũ se conferebant, humanum sanguinem sacrificabant. Philo quoq; historicus scribit, quòd rex Aristomenes vno die trecentos homines Ioui immolauit. Quid autem inhumanius, quid crudelius, quid furiosius huiusmodi sacrificio esse potest? Vt autem apertè conspiciatur, Deos capitali odio hominum genus persequi, qui huiusmodi sacrificia postulabant, ad hoc vsque tempus in Indijs Orientalibus suis improbis Dijs homines immolantur, & in Occidentalibus (antequam ad eos Euangelij lux perueniret) hoc idem carnariũ in vsu erat, quod ei curæ erat, de quo Saluator inquit, quòd ab initio mundi fuit homicida, & sanguinis effusor. In nonnullis enim festis diebus, quos ipsi Indi celebrabant, solebant puerum ex formosissimis in pectore aperire, & ex eo cor extrahere, & eo sui idoli faciem vngere. Psal. 105. Ioan. 8.

Hæc erant crudelitatis sacrificia. De turpibus autem sacrificijs diximus aliquid superiùs, cùm de Dea Flora loqueremur, neque minùs turpia erãt ea, quæ turpissimæ Deæ Veneri offerebant. Hęc enim cùm improbæ mulieris studia magni faceret, multos habebat (prò nefas) qui vt eam propitiam haberent in huiusmodi negotijs, ei rem gratissimam faciebant, quod erat virgines prostituere. Quis hoc crederet, nisi ab hominibus maxima auctoritate scriptũ esset? Hæc Dea formosissimũ iuuenem nomine Adonin amabat, cuius mortem maximè deplorauit. Inter cæteras autem abominationes, quas Deus Prophetæ Ezechieli ostendit, quæ in suo templo committebantur, ex illis vna erat, quòd in eo aderat mulierum cœtus Hebræarum, quæ huius iuuenis mortem lugebant, in Deam misericordia motæ, quòd tam pulchrum amantem amisisset. Quod autem dicendum restat, huiusmodi est, vt naturalis verecundia mihi dicendi veniam non concedat, ne castas aures tam turpibus rebus offendam. At qui ea scire desiderat, Theodoretum legat in libro contra Græcos tertio, & septimo. Si quis autem turpitudines abominandas eorum, qui illos Deos honorabant, & imitabãtur, cognoscere velit, sextam Iuuenalis Satyram legat. Ezec. 8.

Hæc erant sacrificia, hi erant Dij, quibus mare, & terra seruiebant, quos Reges, quos Imperatores adorabant, & penè omnes mundi nationes. Et Imperator

perator Romanus, qui cum triumpho Romam ingrediebatur, tam multis captiuis, multisq; diuitijs comitatus, primum diem consumebat ad sui Dei templum, quem adorabat, eiq; pro victorijs deportatis gratias agebat. Eorum autem vita, & mores, qui tales colebant Deos, cuiusmodi esse debebant? Tales profectò, quales & Deorum, quos adorabant. Quam enim pœnam de illo reo sumere poterant, qui suum peccatum suorum Deorum exemplo protegebat, cùm illorum auctoritate vitia deificata, vt ita dicam, & canoni-
Sap. 14. zata essent? Inde fit, vt Sapiens dicat, quòd hæc improba superstitio omniũ mundi peccatorum erat causa, principium, & finis. Nam cùm verum sit, quòd religio, & Dei timor, sit omnium peccatorum frænum, & gladius; cùm illa religio esset talis, quæ non modò peccata non recideret, nec fœdaret, sed exornaret, & suorum Deorum exemplo auctoritatem tribueret, quæ remedia malis esse poterant?

Hinc igitur cernitur, quid mundus Saluatori, qui eum tam graui peste liberauit, debeat: & huius morbi magnitudine, neminem in terris fuisse, qui tantum beneficium in eum contulerit, quantum hoc fuit, facilè intelligetur. Ille igitur hac crudelissima tyrannide nos liberauit, ille hanc tantam flammam extinxit, ille hoc tantum vulnus curauit, & ita curauit, vt vix vlla cicatrix reliqua fuerit. Quòd si non extarent, vt nunc gentilium libri extant, in quibus hæc scripta sunt, quisnam esset vel Iupiter, vel Iuno, aut Venus, vel alia huiusmodi monstra, & dæmonia, quæ ab hominibus adorabantur, profectò nesciremus. Quamobrem cum Propheta admirari possumus, & dicere:
Psal. 72. *Quomodo facti sunt in desolationem! subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

Quid autem aliud nunc nobis reliquum est, nisi huic tanto Domino gratias agere, qui nos tam multis malis liberauit? & dicere; Benedictus sit illius aduentus, & benedictus ille, qui misit eum, & benedictum vexillum illius Crucis, sub quo illi fortes milites, qui Apostoli fuerunt, & Martyres, pugnarunt cum omnibus tam horribilibus monstris, & moriendo ea occiderunt, & cadendo deiecerunt, & exules in exilium eiecerunt, & iudicati damnarũt, & victi vicerunt. Quonam modo nobiscum actum esset, si adhuc mundus in eo errore versaretur, in quo versabatur tunc, nisi Christus sanctæ Crucis ligno antiqui serpentis caput fregisset? & nisi huius mundi principem de suo solio deturbasset? Quomodo inquam nobiscum ageretur, quid nobis faciendum esset, nisi pro vero Deo, & creatarum rerum omnium Creatore, lapides, & ligna, & dracones, & serpentes adorare; & in omnium vitiorum, & scelerum fimo inuolutos permanere? Iterum igitur, & millies benedicta sit Crux, benedicti claui, & verbera, & spinæ, & cætera Saluatoris tormenta; cuius exempla, & merita hos milites ad hanc prouinciam animarunt, nosq; à tanto malo liberarunt.

DE SECVNDA ACTIONE, QVAM SALVATOR IN terris facturus erat, quod erat, homines ad veri Dei cognitionem perducere. Cap. XI.

SECVN-

SECVNDA actio non minùs admirabilis, quam Saluator in terris facturus erat, est, vt falsorum Deorum pestiferis plantis radicitus conuulsis, cognitionem veri Dei in terra plantaret, qui quidem Iudæorum Deus erat. Quod omnes Prophetæ passim testantur. Et idem Prophetarũ Dominus iureiurando confirmat, sic inquiens: *In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitia verbum, & non reuertetur: quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Ergo in Domino, dicet, meæ sunt iustitiæ & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei.* Et Propheta Dauid cum Deo loquens in Psalmo 85. sic inquit: *Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.* Idem Propheta id significauit in Psalmo 46. cùm inquit: *Principes populorum cum Deo Abraham cõgregati sunt.* At pluribus verbis hoc in Psalmo 21. prophetauit, inquiens: *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium. Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur Gentium.* Et idem Dominus per Isaiam ait: *Quæsierunt me qui ante non interrogabant: inuenerunt, qui non quæsierunt me. dixi, Ecce ego, ecce ego, ad Gentem quæ non inuocabat nomen meum.* Quænam gens hæc est, quæ Deum non petebat, non quærebat, non inuocabat, nisi gentilitas? Quæ Deum non quærẽs, illum inuenit; quòd ipse benignitate, & misericordia eam quæsiuit, seq; illi obtulit. Quod præterea illæ omnes prophetiæ, quas allegauimus, testantur, cùm de gentium conuersione tractent. Isa. 45. Isa. 65.

Nunc autem æquum est, quàm magnum fuerit beneficium, quod in hac re in homines collatum fuit, quamq; difficile fuerit illud perficere, declarare. Nullus est homo tam barbarus, qui Dei cognitionem omnium bonorum principium, & causam esse non intelligat, sine quo in beluis homo magis, quàm in hominibus numerari potest. Et quando hæc cognitio Dei amorem, & timorem secum trahit, iam non solùm est principium, & fundamentum, sed etiam omnium bonorum summa. Et de hoc Dei cognitionis genere per Ieremiam Deus inquit: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.* In hanc sententiã inquit S. Augustinus, cum Deo loquens: Beatus est Domine, qui te cognoscit, licet nihil aliud cognoscat quàm te: & ille miser est, qui omnia scit, nisi te sciat: & si cætera omnia scit, & te simul cum illis, non est beatus, quòd illa sciat, sed pro eo, quòd à te scit, & cognoscit. Ierem. 9. August. lib. 5. Cõfess. c. 4.

Idololatria autem de mundo in exilium eiecta, possent quidem homines Philosophorum sectas, & opiniones de Dei cognitione, & cultu sectari, & ita vnà cum illis disperdi, & illorum cor obtenebrari, vt Apostolus inquit. At cùm hæc cognitio tantum bonum sit; quàm magnum fuit beneficium hanc nouam lucem mundo dari, vt per eam suum Creatorem cognosceret, & veneraretur? At non minùs difficile hoc opus, vt perficeretur, quàm magnum fuit: quòd ad id necesse erat, vt homines, suis antiquis Dijs pessundatis, Iudæorum Deum adorarent, & venerarentur, qui quidem Hebræi gens Rom. 1.

omnium superstitiosior habebatur, & ita Gentiles omnes ab illis abhorrebāt, eosq; aspernabantur. Sed multò maiori odio ipsi Iudæi Gentiles persequebantur, cùm in illorum domos ingredi maximum scelus existimarent, & multò maius cum illis edere: vt illi ostenderunt, qui de circuncisione crediderant, contra S. Petrum, quòd incircuncisorum domos ingressus esset, & cum illis comedisset, atque bibisset. Hoc mutuum odium vtriusq; nationis vocat sanctus Paulus diuisionis murum, qui inter has duas gētes erat, & maximum impedimentum erat, quo minùs in vna fide iungerentur. Et hunc murum, inquit ille, Christus prostrauit, qui has inimicitias suæ passionis merito diremit, legis cæremonias tollens, quæ gentilibus duræ videbantur, vt in eo apparet, quod M. Tullius in oratione, quam pro Flacco ad Senatum habuit, refert; in qua sic inquit: Semper fuit alienum à nostri imperij splendore, & nostrorū maiorum institutis, & nominis Romani grauitate, Iudæorum barbaram superstitionem admittere. Hæc Tullius. cùm ex altera parte compertissimū sit, Romanos Græcorum, & aliarum nationum Deos, & abominanda sacrificia accepisse: & Numa Pompilius secundus Romanorum Rex, quotquot Deos potuit suis addidit, existimans eò Romam tutiorem futuram, quò esset horū Deorum plenior.

Actor. 11.

Ephes. 2.

Quintilianus autem cùm de eo genere hominum ageret, à quibus abhorrendum est, inquit: Malorum auctores odio prosequimur, & ciuitatum fundatores infames sunt, qui aliquam perniciosam gentem instituerunt, vt primus Iudæorum superstitionis auctor fuit. Quibus verbis Moysen significauit, qui populo legem dedit. Hoc igitur cùm ita se habeat, quàm magnum facinus fuit perficere, vt hæc gens, suis antiquis Dijs neglectis & abiectis, ab omnibus gentibus cultis, vt verum Deum acciperent, & adorarent eum, quem gens tam barbara, & superstitiosa habita, (vt ipsi eam existimabant) adoraret, & veneraretur?

Lib. 3. cap. 9.

Cùm autem permagni nostra intersit huius actionis difficultatem cognoscere, vt pro ea Deum glorificemus, & gratiæ virtutem intelligamus; mihi necesse erit exemplum adhibere, quo id meliùs intelligatur. Illud compertum est, quòd fidei lumen, quod à Spiritu sancto proficiscitur, nos certos reddit, quòd in hostia consecrata Christus Dominus est: sic malus spiritus, licet differenti ratione, gentibus persuadebat, quòd Iouis idolum, vt Baal, illorum Deus erat. Et sæpe dæmonium in idolo nonnulla loquebatur, vt gentes in ea falsitate confirmaret. Hoc cùm ita se haberet, tantum diuina gratia, & Euangelij prædicatio potuit, vt homines hos falsos Deos pessundarent, quos ante tot millibus annis adorabant; & illorum loco Crucem, in qua Saluator mortuus est, collocarent, & adorarent. Vt igitur huius operis difficultas appareat, nunc peto, quis posset Christianum adducere, vt hostiam ita tractaret, vt Gentilis conuersus suos tractauit Deos, quod fuit illos pessundare, & calcibus terere? Hoc exemplo intelliget pius lector, quàm difficile fuerit hoc negotium cum gentilibus perficere. Sed sine hoc exemplo etiam satis fuit ad hanc difficultatem comprobandam innumerabilis Martyrum multitudo, qui amplius quàm ducentos annos propter hanc causam trucidati fuerunt, combusti, & tam multis tormentorum generibus, nunquam antea visis, nec lectis, nec excogitatis, affecti, quibus pro defensione suorum Deorum tyranni vi-

vtebantur, existimantes minimè fieri posse, vt eos placatos, & propitios, tum suo imperio, tum bonis temporalibus redderent, nisi Martyrum sanguine. Et licet hoc ita se habeat, Dei virtus, quam in suis Martyribus operabatur, tantum potuit cum Imperatoribus, vt hos Deos tam cultos, & defensos raptarent, & pessundarent, & illorum loco, vt verum Deum, Iudæorum Deum, à quo tantopere abhorrebant, adorarent. Quid igitur admirabilius est? At de hac re satis superiùs egimus, ob id hæc hactenus.

De alia actione in Christi aduentum dilata, quæ fuit, suæ religioni, & imperio, totius mundi caput, quod ciuitas Roma erat, simul cum illius Imperio subijcere.

IN hac secunda Christi actione aliud quoque includitur, quod ad illius aduentus cognitionem maximè conducit, quod est mundi caput, Romam scilicet cum suo Imperatore, sub suam religionem, & imperium perduxisse. Quod quidem illius Nabuchodonosor statua, quam in quiete (vt Daniel refert) vidit, nobis ob oculos ponit, cuius caput ex auro erat, pectus & brachia ex argento, venter & femora ex ære, & tibiæ ex ferro, pedes autem partim ex ferro, partim ex terra erát: addit preterea, quòd Rex in hoc somnio vidit lapidem de monte recisum sine manibus, qui in statuæ pedes ex terra & ferro incidit, & eos fregit, ex quo tota statua penitus dissoluta fuit; & ille lapis in montem magnum euasit, qui vniuersum mundum impleuit. Dan. 2.

Hęc fuit visio, per quam omnes doctores tam Catholici, quàm Hebræi quatuor Regnorum, & monarchiarum mundi successionem, & Christi regni felicitatem intelligunt. Primum enim regnum, per caput ex auro intellectum, Assyriorum fuit. Secundum fuit Persarum, per pectus & brachia ex argento intellectum, qui Assyrios debellârunt. Tertium Græcorum fuit, Alexandro imperante illo Magno, per femora ex ære significatum, qui deuicto Dario Persas subiugauit. Quartum Romanorum fuit, per tibias ex ferro significatum, quod Græcos, & alios mundi reges debellauit: quod ritè per ferrum, quod cætera metalla domat, significatur, quod huius regni proprium fuit, quod suo imperio penè totum terrarum orbem adiunxit; licet dicatur, quòd aliqua ex parte de terra pedes haberet, propter maximas discordias, & dissensiones, & ciuilia bella, quę in eo fuerunt. Lapis autem de monte sine manibus recisus, qui in statuæ pedes ruit, & eam fregit, & tantum creuit, vt mundum impleret, Christi regnum significat, cui Romanorum Imperium subijciendum erat.

Ex hac autem prophetia Christum iam venisse apertè colligitur. Nam (vt illa significat) Christus ille erat, qui Romanorum regnũ subiugaturus erat. Hoc Constantino imperante adimpletum fuit, qui cùm Romanorum Imperator esset, se Christo subiecit, eum cognouit, & pro vero Deo adorauit, & vt huiusmodi seruiuit, illius ecclesias ædificando, augendo, & illius ministros honore prosequendo. Qui glorioso sanctę Crucis signo in omnibus illius vexillis collocato, de tribus Imperatoribus tyrannis, & de omnibus suis inimicis gloriosè triumphauit.

DE TERTIA MIRABILI ACTIONE, QVAE FACIENDA *erat in terris post Saluatoris aduentum, quod erat, hominum mores ad bonam frugem perducere.*

Cap. XII.

TERTIVM mirabile opus, quod in terris Saluator facturus erat, est multorum hominum voluptatibus deditorum sanctificatio, qui cùm in omnibus abominationibus, & peccatis, quæ idololatriæ blasphemia secum trahit, volutarentur, futurum erat, vt in cælestes, & diuinos homines gratiæ virtute, quæ huius Domini meritis illis danda erat, mutarentur. Hoc prophetauit Dauid in Psalmo 71. qui totus de Redemptore est, vbi dicit: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis:* (qui iustitiæ fructus est) *donec auferatur Luna,* id est, semper. Idem dicit Isaias cap. 10. his paucis verbis: *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.* Et per eam abbreuiatam consummationem intelligitur eorum omnium perfectio, quæcunque multò antè prophetizata fuerant, quæ omnia adimpleuit Christus in aduentu suo: & hoc in causa fuit, vt in terris sanctitas, & iustitia gratiæ virtute multiplicaretur. Quod idem Propheta suis solitis

Isa. 35. metaphoris nobis significauit, sic inquiens: *Scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & iunci. Et erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur. Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi.* In quibus verbis, sub his metaphoris per aquas, gratiæ abundantiam; (vt superiùs diximus) & per feras bestias, feros homines, & difficiles; per calamos, & iuncos, viriditatem, & amœnitatem huius spiritalis horti Ecclesiæ significat. In ea, inquit, tutum iter inueniet, & à malis bestijs liberum, (qui dęmones, & peccata sunt) vt ad vitam æternam proficiscatur. Capite verò 55. eandem sententiam repetit, lætitiam & deuotionem explicans, quam fideles susceperunt, & gratias, quas Domino pro hac mira mutatione agebant, & ita inquit: *Montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. Pro saliunca ascendet abies,* (quę arbor formosissima est) *& pro vrtica crescet myrtus: & erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.* Nobis significare vult, quòd Dominus hac singulari mutatione in æternum laudabitur, quod est ex improbis bonos facere; hoc enim mutatio sterilium fruticum, & vilium, in magnas, & formosissimas arbores, nobis significat.

Hæc vitæ mutatio, quam nobis Propheta in allegatis auctoritatibus proponit per has metaphoras, & similitudines fontiũ, aquarum, ariditatis, & sterilium, & syluestrium fruticum in frugiferas, & formosas arbores, idem per alias non minùs pulchras metaphoras ferorum, & pestiferorum animalium, in mansueta, & facilia, significat. Itaque vbi de Saluatoris sanctitate, & gratia egit, statim mirabilem mutationem, quæ in hominibus facienda erat post illius aduentum, his perpulchris & suauissimis metaphoris declarat, dicens:

Isa. 11. *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus, & vrsus pascentur; simul requiescent*

escent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientis. Quòd autem per hæc verba, & per hæc animalia fera, & domestica, boni, & mali homines intelligendi sint, ratio, & finis, ad quem Saluator venturus erat, significat, & huius mutationis causa, quam Propheta allegat, id declarat, quod est, scientia Domini terram esse plenam, quod horum animalium ferorum mutationi in domestica non accommodatur, sed mutationi multorum hominum, qui gratię Christi virtute, ex feris, superbis, & crudelibus, vti leones, & lupi, in mansuetos homines, vt oues, & agni redditi sunt: & qui elati animi, & superbi erant, non solùm à demissorum & humilium societate non abhorrebant, sed nonnullis piscatoribus obedierunt, seque subiecerunt. Quod apertiùs Dominus significauit, inquiens, *quòd non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto suo*, quæ illius Ecclesia est: quę mons dicitur, propter vitæ, quam profitetur, altitudinem.

Hanc eandem mutationem beluarum ferarum in mansuetas (per quam superborum cordium in humilia & mansueta intelligimus) Sibylla quoque Cumęa prophetauit, vt postea dicemus; illud præterea addens, quòd in Saluatoris aduentu aurea ætas renasceretur: quia in mundo gens aurea, id est, purissimæ & sanctissimę vitę resurgeret.

Quàm autem magnum fuerit hoc opus, & hęc hominum mutatio, si mores hominum perditos, in quibus versabantur ante Euangelij prædicationem, inspexerimus, apertissimè intelligemus. Quod licet ex similitudinibus, & metaphoris Prophetę, quas antea adduximus, intelligi possit, & ex eo, quod de peccatis diximus, quæ cum idololatria erant; apertiùs tamen id perspicitur ex eo, quod sine figuris & similitudinibus Apostolus in Epistola ad Romanos scribit, vbi inquit, quòd in pœnam peccati idololatriæ Deus homines omnium appetituum & voluptatum tyrannidi reliquerit, vt sine vllo fræno, aut impedimento, omnibus se vitijs implicarent. Et quia tam malè homines propensionibus sibi in animabus impressis vtebantur, (quę nos ad verum Deum colendum, & venerandum impellebant, illis vtentes ad falsos Deos adorandos) vt & cæteras naturæ dotes, & beneficia amitterent, & ita in illis neque veritas, neque fides, neque in parentes amor, neque in amicos, aut benefactores, nec inopum misericordia, neque aliud officium humanitatis, quę tam est hominis propria, reperiretur. Ita etiam (vt inquit Apostolus) permisit, vt tam viri, quàm mulieres, naturali vsu misso, quem Deus ad speciei hominum conseruationem ordinauit, alijs inuentis vterentur, communi legi, & naturę officio contrarijs, hac ratione in se ipsis prèmium recipientes, quod illorum scelera, & idololatria merebantur. Et quòd eam, quam debebant, Dei cognitionem non habuerunt, permisit ille, vt in intellectus cæcitatē caderent, vt tanquam cæci, & ad cadendum procliues, in omnia peccata malitię, fornicationis, auaritiæ, astutiæ, inuidiæ, homicidiorum, contentionum, deceptionum, & odij se pręcipites darent. Et ita etiam essent aliorũ vitæ irrisores, & detractores, à Deo abhorrentes, iniuriarũ illatores, superbi, arrogan- Rom. 1.

tes,

tes, malorum inuentores, in parentes contumaces, ab omni ratione [illegible] ne amore, sine fidelitate, sine misericordia. Hæc Apostolus. Hæc igitur [illegible] peccata idololatriam consecuta sunt. Hi sunt fructus, quos illa mors [illegible] produxit Hoc illud est, quod antiquus serpens operatus est, qui (vt in[illegible] Ioannes in Apocalypsi) vniuersum mundum in his sceleribus deceptum [illegible] uolutum continebat.

Ad hæc autem confirmanda hic addam, quod refert Isidorus Clari[illegible] de mūdi corruptione ageret, ante Christi aduentum, & illud Euangelij [illegible] nens, quod incipit, Vos estis sal terræ. in quod inquit, quòd in histori[illegible] tiquis de quadam natione, quam illic nominat, scriptum legisset, quòd [illegible] eè inter masculos matrimonia celebrabantur; Neronem autem Sue[illegible] quendam iuuenem in vxorem publicè duxisse scribit. Quare illius [illegible] bus & crudelitatibus visis, multi dicebant: Vtinam illius pater h[illegible] vxorem habuisset. Hieronymus etiam in commentarijs in Isaiam in [illegible] put 2. verbum, quod inquit, Et pueris alienis adhæserunt, sic inquit: In [illegible] Græci & Romani hoc quondam vitio laborârunt, vt & clarissimi [illegible] phorum Grecie haberent publicè concubinos: & Hadrianus Philoso[illegible] tibus eruditus, Antinoum consecrarit in Deum: templumque ei ac vi[illegible] Sacerdotes instituerit: & ex eo AEgypti ciuitas ac regio nomen accep[illegible] ter scorta quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt publ[illegible] dini expositi: donec sub Constantino Imperatore, Christi Euangeli[illegible] scante, & infidelitas vniuersarum gentium & turpitudo deleta est. H[illegible] ronymus. Quę, licet vlteriùs non progrediamur, illorū infelicium tem[illegible] corruptionem satis apertè declarant; & vt intelligatur, quàm magnū [illegible] bile facinus fuerit, ex tam turpibus hominibus Angelos in vitæ puri[illegible]
Act. 10. cere. Et idem nobis significat illud linteum, quod S. Petrus vidit in [illegible] serpentum, & omnis generis animalium ferorum plenum; cumque [illegible] lo diceret Deus, vt illa animalia interficeret, & occideret; & ille resp[illegible] quòd nihil vnquam immundum comederat, & legibus interdictum [illegible] Dominus; *Quod Deus sanctificauit, tu immundum ne dixeris.* quo dicto, lin[illegible] cælum, vnde descenderat, ascendit. Et hoc, inquit scriptura, ter in eade[illegible] ne accidisse. Quo quidem voluit Spiritus sanctus mores, & conditio[illegible] minum, qui idola adorabant, nobis ob oculos ponere, qui Christi [illegible] mutati fuerunt, vt his horribilibus figuris destructis, in sua vita Crea[illegible] puritatem, & imaginem repræsentarent, & ita cum illo in cælum a[illegible] mererentur.

Vt autem, quàm magnum fuerit hoc opus intelligeremus, qua[illegible]
Isa. 41. illud Deus cognosci velit, & glorificari, Isaias his verbis nobis signific[illegible] *riam in supremis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertu[illegible] gna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudinem cedr[illegible] nam, & myrtum, & lignum oliuæ.* Et per spinam hîc intelligitur quædam [illegible] ptibilis arbor, quę alio nomine dicitur Sethin, de quo fœderis arca [illegible] ta erat, & statim subdit: *Ponam in deserto abietem, vlmum, & buxum sim[illegible] deant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit h[illegible] ctus Israel creauit illud.* Hîc quæso pie lector illa verba repetita animadu[illegible] *deant, & sciant, & recogitent, & intelligant*, quæ idem significant, quod mul[illegible]

fideratione dignum est. Quo dicendi genere voluit Deus huius operis magnitudinem amplificare, & voluit, vt homines cogitarent, & recogitarent, non semel, sed sępe sępius illius excellentiam. In quo apertissimè docet, quod hîc de arboribus propriè dictis sermonem non habet, sed de spiritualibus, iuxta profluentem gratię plantatis.

Et huiusmodi opus Dei bonitate & omnipotentia dignum erat: quod est, ex syluestribus arboribus, quę suibus tantùm pastum ferebant, frugiferas facere, quæ vitæ ęternæ fructum ferrent: vel, vt apertiùs loquar, ex hominibus dęmonum moribus similibus, alios homines, vitæ puritate Deo, & sanctis Angelis illius similes, efficere.

Vt autem hoc opus intelligatur, quod nobis tantopere Deus commendat, vt cogitemus, & recogitemus, operæ pretium erit, quàm magnum bonum sit animarum sanctificatio, & quàm multi fuerint illi, qui hoc modo sanctificati fuerunt per nostri Saluatoris mysterium, declarare.

Quod ad primum attinet, ad animam oculos conuertamus, quæ appetitus, & perturbationes omnes domuerit, & mundana omnia neglexerit; & in Deo solo omnē amorem suum, & spem, omnes curas, cogitatiões, & desideria fixerit, & locauerit, seq; tota Dei seruituti tradiderit; quę in hoc mundo cum corpore viuens, spiritu in cęlo versatur, & in carne degens ita viuit, ac si extra illam esset. Quid autem hac re formosius pingi potest? Plato dicere solebat, quòd si animę virtute præditę pulchritudo corporis oculis cerneretur, in omnium hominū cordibus mirabiles sui amores excitaret. Quòd si huius virtutis tam imperfectę pulchritudo tantam vim habet, vt ad se hominum corda alliciat, atque trahat; quid illa anima, quæ veris, & Christianis virtutibus esset munita, & gratię diuitijs ornata, vnà cum Spiritus sancti donis, faceret? Videtúrne hæc pulchritudo cum illa comparari posse? Minimè profectò. Cū enim Creator creaturę tanto interuallo antecedat, & Deus homini; quę comparatio esse potest inter illud, quod Deus sua manu facit, & illud, quod homines sua? Tanta est illius animę pulchritudo, vt neq; pulchritudo & amœnitas agrorum, nec splendor auri, & pretiosorum lapillorum, nec claritas Solis, aut Lunæ, & stellarum, cum illa comparari possit.

S. Catherinæ Senensi Deus animæ, quæ in gratia esset, pulchritudinē ostendit: cumq; virgo illa tam pulchram rem admiraretur, ei Dominus dixit: Vide num bene erogauerim, quod ego passus sum, vt animas tātopere ornarem? Sic profectò fecit, & sic testatur Apostolus inquiens: *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam*: pro qua se morti obtulit, vt huius sacrificij merito sic pulchram eam redderet, vt nulla in ea peccati macula, vel ruga inesset. Vt igitur hac pulchritudine animas exornaret, non dubitauit se omnibus passionis tormētis offerre, vt fœditatum sui sacratissimi corporis pretio, hac tāta gratia animas formosas redderet. Hoc nobis significat ille magnus amor, quo Iacob illam suam amatam Rachel prosequebatur, pro qua ab eo septem seruitutis annos petierūt. Et scriptura inquit, quòd id omne tempus illi parū amoris magnitudine visum est. Ad quid autem Spiritus sanctus (qui scripturæ auctor est) voluit vt hi describerentur amores, nisi per illos voluisset nobis alios puriores, & diuiniores repręsentare, amorem scilicet inæstimabilem, quo verus Iacob in Ecclesiam suam sponsam, & in omnes animas, quæ in gra-

Ephe. 5.

Gen. 29.

 tia

tia sunt, affectus est? Qui tantus est, vt (quemadmodum S. Chrysostomus ait) nullus huius seculi amator, licet sit ex illis, qui tanquam dementes degunt, propter eas, quas amant, sic in eo amore ardet, vt hic cælestis spōsus in eo amore, quo huiusmodi animas prosequitur: pro qua pulchritudine (vt alteri Iacob) parum videbatur illud, quod patiebatur.

Cognita animæ pulchritudine, & magno cælesti sponsi amore in illam, iam videamus, quot millia animarū hac ratione pulchræ redditæ fuerunt, & passionis Christi meritis sanctificatæ. Has autem quis enumerare poterit, nisi qui cæli stellas enumerat, qui Deus solus est? Sic se res habet profectò, & sic fidelissimus testis sanctus Ioannes, qui eas vidit, testatur, qui cùm dixisset ex duodecim tribubus Israel in fronte centum quadraginta quatuor millia fuisse si-
Apoc. 7 gnata, subdit: *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna, dicentes, Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & Agno.* id est, Sit Deus vnà cum suo amatissimo Agno glorificatus, per quos hanc consequimur salutem, cuius nunquam erit finis. Sic Euangelista in hac reuelatione electorum numerum tantum esse confirmat, vt omniū hominum numerum, & ratiocinationem facilè vincat. Quicunque enim iusti vnquam in terris fuerunt, ab innocente Abel, vsque ad postremum qui nasciturus sit, suam prædestinationem, & sanctificationem Agni Dei meritis, qui in Cruce oblatus fuit, acceptam referre debent; qui quidem per eam, & antequam pateretur ab æterno electi, & prędestinati, & sanctificati fuerunt.

Qui verò vellet hoc apertiùs intelligere, sciat, quòd in lucem octo libri prodierunt de Sanctorum Vitis ex diuersis libris collecti ab illustri Prælato Ludouico Lipomano, in quibus reperiuntur innumerabiles Martyres, sanctissimi Pontifices, Confessores, Virgines, & magni Monachorum cœtus, qui in terris degentes conuersationem suam in cælis habebant, & sub mortalium hominum figura immortalium substantiarum puritatem, & sanctitatem imitabantur, & in eo inuigilabant, vt in moribus, & vitæ eorum genere
Galat. 2. sic Christi imago eluceret, vt cum Apostolo dicere possent: *Viuo ego, non iam ego, sed Christus in me viuit.* Ego quidem illud nunc verè fateor, quòd ex omnibus rebus, illud mihi maximè Christi Redemptionis beneficium declarauit, nempe animaduertere, quòd omnes hę tantæ diuitiæ virtutum, & gratiarum, & hæc omnia mirabilia, quæ in Sanctorum Vitis legimus, quę in admirationem homines adducunt, qui ea legunt, sunt Crucis arboris fructus, sunt huius diuini sacrificij effectus, sunt formosissimæ propagines, quę à radice Iesse profectæ sunt.

De præstanti Monachorum AEgypti, & aliorum locorum, sanctitate, & vita.

Singularis sanctorum Monachorum vita, qui in AEgypto degebant, maximè ad id conducit, vt Redemptionis, & sanguinis Christi efficaciam declaremus, neque minùs ad fidelium ædificationem, & admirationem expedit. Quamobrem hîc referemus, quod in hac re scriptum inuenimus in sanctorum Patrum libris. Primùm S. Augustinus in

in libro de Ecclesię moribus, vbi aduersus Manichæos disputat, sic inquit: Nunc animaduertite Manichæi perfectorum Christianorum altitudinem, illorum puritatem, & ordinatos mores, & singularem continentiam. At quod vobis narraturus sum vos etiam scitis. Quem enim Christianorum multitudo latet, quæ summæ religionis per vniuersum terrarum orbem dispersa est, & præsertim in Oriente, & in AEgypto? Taceo nunc eos, qui in solitudinibus versantur, sed de illis loquor, qui admiratione, & laudibus digni, qui neglectis mundi illecebris in sanctas exercitationes, & orationes se contulerunt, &c. Hęc S. Augustinus. Hoc tam præstans vitę genus in AEgypto maximè floruit: in quo cernitur id, quod Apostolus inquit; *Vbi abundauit peccatum, ibi superabundauit & gratia:* quia (vti diximus) historici hanc terram idololatrię matrem vocant, cùm ad tantam cęcitatem peruenerit, vt allia, & cepas adorarent, vt antea declarauimus. Neque minùs illic vanitas regnauit, quòd in AEgypto illæ Piramides incredibili magnitudine fabricatæ fuerunt, quę inter septem mundi miracula numerantur. Ex his verò vnam, quæ apud Memphim ciuitatem constituta fuit, scribit Plinius trecentorum millium operariorum operam esse, & ædificationem viginti annis tantùm fuisse confectam. Cumqúe auctorum nomina colligeret, qui de his Piramidibus mentionem faciunt, inquit, non esse inter illos compertum, quinam reges fuerint, qui hæc opera facienda curárunt: & hoc rectè contigisse, inquit, ne in terris sciretur, quinam tantæ vanitatis fuerint auctores. Hæc Plinij sunt, ad quod ego illud addo, fuisse id Dei punitionem, & prouidentiam, vt hi reges obliuioni traderentur, vt intelligeretur, quàm parum hæc inuenta illis profuerint, quæ, vt illorum nomina ęternitati commendarent, excogitárunt. Rom. 5.

Vt autem redeam ad rem, in terra tantæ vanitatis, & superstitionis, sic religio, & sanctitas floruit, vt (quemadmodum S. Hieronymus inquit) tanta esset religiosorum multitudo, & præsertim in Syria, & in AEgypto, vt quemadmodum ex aluearibus magna apum multitudo, quam examẽ vocamus, egreditur, & vt hominum exercitus progreditur, qui suum ducem sequatur; vel vt populi, qui nouas sedes quærant: sic inde Monachorum societates egrediebantur, quos examina vocabant propter maximam multitudinem, cœtum, & ordinem, dum suos duces sequebantur. Et tam multi erant, vt, hoc Sancto testante, quasi quinq; millia in Nitria morarentur, vnico loco cellulis separati, multisq; alijs locis eodem modo. Qua de causa non solùm Iulianus Apostata, sed etiam Imperator Valens, licet Christianus, (sed vt apparet nõ satis catholicus) adductus fuit, vt imperaret, omnes Monachos cogendos esse, vt ad bellum irent, & propter hanc causam ex illis multi flagellati fuerunt. at citò Imperator tam magni sceleris meritas pœnas dedit.

Horum autem Monachorum sanctitatem, & vitam idem S. Hieronymus scribit in Epistola, quam ad virginem Eustochium dedit de virginitatis conseruatione, his verbis: Inter monachorum diuersitates probatiores illi sunt, qui in cœnobijs versantur, quorum maior numerus illorũ est, quibus & domus communis est. Prima apud eos confœderatio est, obedire maioribus, & quicquid iusserint, facere: diuisi sunt per decurias atque centurias, ita vt nouem hominibus decimus pręsit: & rursus decem præpositos sub se centesimus

habeat. Manent separati, sed iunctis cellulis, vsque ad horam nonam, vt institutum est. nemo pergit ad alium, exceptis his decanis, quos diximus, vt, si cogitationibus fortè quis fluctuat, illius consoletur alloquijs. post horam nonam in commune concurritur: psalmi resonant, scripturę recitantur ex more. & completis orationibus, cunctisq; residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit disputare: quo loquente, tantum silentium fit, vt nemo alium respicere, nemo audeat excreare. dicentis laus in fletu est audientium. tacitæ voluuntur per ora lachrymæ, & ne in singultus quidem erumpit dolor. Cùm verò de regno Christi, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annunciare futura, videas cunctos moderato suspirio & oculis ad cęlum leuatis, intra
Psal 54. se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Post hæc concilium soluitur, & vnaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est: nemo comedens loquitur. viuitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ sale solo condiuntur: vinum tantùm senes accipiunt, quibus & paruulis sępe fit prandium: vt aliorum fessa sustentetur ætas, aliorũ non frangatur incipiens. Dehinc cõsurgunt pariter, & hymno dicto, ad præsepia redeunt: ibi vsque ad vesperam cum suis vnusquisque loquitur, & dicit: Vidistis illum, & illum? quanta in ipso sit gratia? quantum silentium? quàm moderatus incessus? Si infirmum viderint, consolantur: si in Dei amore feruentem, cohortantur ad studium. Et quia nocte extra orationes publicas, in suo cubili vnusquisque vigilat, circumeunt cellulas singulorum, &, aure apposita, quid faciant, diligenter explorant: quem tardiorem deprehẽderint, non increpãt, sed dissimulato quod norunt, eum sæpius visitant, & priùs incipientes, prouocant magis orare, quàm cogunt. Opus diei statum est: quod Decano redditum, fertur ad œconomum: qui & ipse per singulos menses patri omnium cum magno tremore reddit rationem, à quo etiam cibi, cùm facti fuerint, prægustantur: & quia non licet dicere cuiquam: Tunicam, & sagum, textaq́ue iunceis strata non habeo: ille ita vniuersa moderatur, vt nemo quid postulet, nemo non habeat. Si quis verò cœperit ęgrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tãto senum ministerio confouetur, vt nec delitias vrbium, nec matris quęrat affectum. Dominicis diebus orationi tantùm & lectionibus vacant: quod quidem & omni tempore, completis opusculis, faciunt. Quotidie aliquid de scripturis discitur. Ieiuniũ totius anni æquale est, excepta Quadragesima, in qua sola conceditur districtiùs viuere: à Pascha ad Pentecosten cœnæ mutantur in prandia: quo & traditioni ecclesiasticæ satisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato. Tales Philo, Platonici sermonis imitator, tales Iosephus, Græcus Liuius, in secunda Iudaicæ captiuitatis historia Essenos refert. Hactenus S. Hieronymus.

Audiamus iam, quæ S. Basilius inquit, qui statũ, & vitam sanctorum Monachorum celebrans, sic inquit: Quid cum hoc tãto bono comparari potest, vbi vnus pater ad imitationem summi patris est, & multi filij, sancta æmulatione alij alios superare amore, & concordia contendunt, quam virtutem non hominum quidem, sed Angelorum imitantur? Aduersus huiusmodi milites, qui tam fortiter pugnant, nihil poterit diabolus; illorum enim nullus suis tentationibus neque causam, neque occasionem præbet. De his inquit Dauid:

Ecce

Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Bonum quidem, & satis probatum, quod vitam suam perfectam facit, quòd concordia & consensus est omnibus lætitiæ causa. Hæc Basilius. Psal. 132.

Neque æquum est, vt inter testimonia horum auctorum, S. Chrysostomi taceamus testimonium, qui multis suorum scriptorum locis de magnis virtutibus horum hominum tractat; & maximè Homilia 59. quinti voluminis, vbi laicos cum Monachis comparans, inquit, quòd hi viuunt in tranquillitate, & magna securitate; & inde tanquam de cælo intuentur illos, qui transuerso feruntur; quòd sibi cælestem conuersationem delegerunt, quia Angelorum similes redduntur, illorum vitam in terris imitãtes: vbi nemo rubore afficitur paupertate, nemo diuitijs magis honoratur; ex eo enim loco in exilium illud eiectum est, quod omnia peruertit, meum scilicet atque tuum. Illis omnia communia sunt, domus, mensa, vestitus; &, quod magis mirum est, omnibus idem cor est, omnes eadem nobilitate sunt nobiles, & eadem seruitute serui, & eadem libertate liberi. Eædem diuitiæ sunt omnibus, id est, veræ; eadem gloria, vera: quæ enim bona possident, non solùm talia sunt nomine, sed reipsa bona sunt. Omnibus eadem delectatio, idem negotium, eadem iucunditas, idem desiderium, & eadem spes est. Ibi omnia in proportione sunt, tanquam pondere, & mensura, vbi mira est consonantia, nulla inæqualitas, & prudens gubernatio & temperamentum inter illos perpetuam concordiam conseruat: quæ illis æternum gaudium parit, quòd omnes idem faciunt, & patiuntur; ex quo fit, vt omnes simul gaudeant, & tristentur; & præsentia negligentes, beatitudine fruuntur, cælestia bona expectantes. Quæcunque singulis vel secunda, vel aduersa accidunt, omnes sua ducunt. Et hoc modo aduersa minùs sentiunt, quòd omnes simul, & singuli suis viribus onus ferunt; & causæ illorum gaudij enumerari non possunt, quòd non solùm ex suis, verùm ex alienis iucunditatem percipiunt. Quòd si nos, qui hîc moramur, illorum vitam imitaremur, meliùs res humanæ, quæ in dies corrumpuntur, cederent. Hæc S. Chrysostomus.

Neque minùs apertum est Sozomeni testimonium, in historia Tripartita, qui vbi nonnullorum sanctorum Patrum illustrium sanctitatem, qui Constantino Imperatore illo Magno fuerunt, retulit; ad perpulchram, & deuotissimam descriptionem vitæ, & morum horum sanctorum Monachorum descendit his verbis:

Per id temporis, qui monasticum vitæ genus excolebant, cùm Ecclesiam maximè omnium illustrare, tum religionem Christianã suis pijs viuendi institutis magnopere dilatare visi sunt. Nam talis & tam sapiens vitæ ratio, ad homines à Deo tanquam res planè vtilissima delata, multiplicem scientiarum cognitionem & argutam differendi subtilitatem, veluti rem superuacaneam, & otium, quod in præstantioribus studijs ponendum est, sibi surripientem, & ad vitam rectè instituendam nihil afferentem adiumenti, penitus contemnit: solaq; hæc naturali quodam & minimè curioso prudentiæ genere docet ea, quæ vitiositatem vel omnino tollunt, vel vehementer diminuunt. In nullo bonorũ numero ducit ea, quæ inter vitiositatem & virtutem media interiecta sunt: sed his solùm, quæ sunt verè bona, lætatur, atque eum, qui à malo quidem abstinet, sed bonum non facit, improbum putat. Nam non vir- Sozõ. lib. 1 histo. Eccles. cap 12.

tutem ostentat, sed eam exercet sedulò: proq; nihilo ducit illam gloriam, quæ ab hominibus colligi solet. Animi quoque perturbationibus viriliter resistit, & neq; naturæ cedit necessitatibus, neq; corporis imbecillitati succumbit: sed diuinæ mentis nacta virtutem, ad omnium rerum opificem Deum semper aciem intendit, eum noctes dies'q; sanctè colere, & precibus atque orationibus placare non cessat. Atque animi puritate, & pijs vitæ actionibus Deum religiosè colere exorsa, expiationes aspersiones'q; & id genus alia aspernatur. Nam peccata solùm habet pro inquinamentis. Quinetiam casus extrinsecus inuectos euincit, & omnibus (verè dixerim) dominatur: atque neque perturbatione vlla, qua vita solet implicari, neque necessitate à proposito depellitur: neque onerata contumelijs discruciatur, neque incommodis affecta se vlciscitur, neque morbo aut inopia rerum necessariarum pressa animo cadit: imò verò de his omnibus gloriatur, & per totam vitam nihil aliud meditatur, quàm vt res aduersas toleranter ferat, mansuetudinem colat, paucis contenta sit: & quantum in humana natura situm est, quàm proximè ad Deum accedat. Præsentis autem vitæ bonis tanquam in transitu vtens, neque solicito rerum acquirendarum studio angitur: neque vltrà quàm necessitas postulat, commoda præsentia prouidet: sed vitam simplicem, tenuem, & à cura harum rerum parandarũ liberam & expeditam laudat, animo'q; solicito expectat beatitudinem, & ad sedem illam felicem proficisci omni tempore parata est. Ac dum pietatem erga Deum cupidè semper consectatur, turpium verborum obscœnitatem fugit: & ne vocem quidem ferre potest eorum, quorum facta à suo vitæ instituto aliena censeat. Itemq; res quas natura postulat necessariò, in angustum contrahens, corpus'q; paucis contentum esse cogens, temperantia vincit libidinem, iustitia iniustitiam coercet, & mendaciũ veritate: denique ordinis conseruatione, modum in omnibus rebus assequitur. In concordia autem & communione erga proximos tuenda, adeò piè se gerit, vt vtilitatibus tum amicorum, tum peregrinorum sedulò prouideat, suas fortunas faciat egentium cõmunes, quæ sunt singulis accommodata suppeditet: & neque lætantibus exhibeat molestiam, & dolore oppressos consoletur. Ad summam, omni studio & industria incumbit ad id prosequendum, quod est reuera bonum: verbis modestis & sapientibus sentẽtijs eos, qui sunt nimis exquisitæ elegantiæ & inanis orationis expertes, instruit, & tanquam medicamentis quibusdam auditorum animos sanat: & honore ac reuerentia adhibita, verba facit: est'q; à contentione, conuicio & ira, prorsus vacua, libera'q;. Nam cùm sit rationis particeps, omnem motum rationi contrarium auersatur, & perturbationes tam corporis quàm animi omnino euincit. Hãc præclaram viuendi rationem primus, vti quidam memorant, instituit propheta Helias & Ioannes Baptista. Philo porrò Pythagoræus tradit, Hebræorum facilè præstantissimos vndique in locum ad lacum Mariam in colle situm coactos, se pio & seuero vitæ generi dicasse. Quorum domicilia, victus rationem, & institutionem vitæ talem perhibet, qualem nos etiam hoc tempore à monachis in AEgypto obseruatam videmus. Vnde conijcio, apud AEgyptios ex eo tempore hoc ipsum floruisse. Memorant porrò alij persecutionum procellas, quibus religio Christiana varijs iactabatur temporibus, homines ad hoc vitæ genus suscipiendum impulisse. Nam cùm fuga facta, in mon-

montibus, solitudinibus & syluis ætatem agerent, huic viuendi rationi paulatim assuefactos esse. Verùm siue AEgyptij, siue alij huius piæ vitæ auctores fuerunt, illud certè constat inter omnes, quòd Antonius magnus ille monachus, perfectis pietatis institutis, & exercitationibus ad eam rem accommodatis, hoc vitæ genus ad summum perduxit. Hæc Sozomenus.

Summa historia peregrinationis septem hominum religiosorum de Palæstina, qui de Cœnobys, & sanctißimis patribus AEgypti, quos ipsi in suo itinere viderunt, testimonium ferunt.

VT meliùs hoc renouationis, & sanctificationis hominum per Christi mysterium summum beneficium intelligatur, hic mihi visum est, peregrinationis cuiusdam summam recitare septem religiosorum de Palæstina: qui nudis pedibus euntes cœnobia, & sanctos homines in AEgypto degentes viserunt. Ex quibus vnus erat Palladius, (qui deinde Cappadociæ Episcopus fuit) qui literis Græcis, quidquid in hac peregrinatione vidit, mandauit, & alius ex eadem societate, qui suum nomen manifestare noluit, Latinè conscripsit. Hæc autem historia magnæ auctoritatis est; hi enim duo historici inter se consentiunt; & præterea minimè fieri poterat, vt huiusmodi viri, quod verum non esset, conscriberent, præsertim cùm septem fuerint testes, qui interfuerunt his omnibus, quæ narrantur.

At ego summatim referam aliquid ex multis, quæ ipsi conscribunt. Et priùs historiam exponam miram quidem ex his, quæ in quadam ciuitate apud Theben viderunt, his verbis: Venimus ad quandam ciuitatem Thebaidis, nomine Oxirincum, in qua tantam inuenimus religionem, & sanctitatem, quantam nemo pro dignitate exprimere poterit. Intus enim & extra illa Monachis circundata erat, & publicæ domus gentilitatis tempore, & idolorum templa erant Monachorum domicilia, & in ciuitate cœnobia plura videbantur, quàm domus. Et in hac ciuitate, quæ satis magna est, & populi plena, (præter cœnobia, quæ sunt præcipuæ orationis domus) extabant duodecim ecclesiæ, quo populus conueniebat. Et neque in ciuitatis portis, neque in turribus, & illius angulis deerant Monachorum domicilia, qui dies noctesque hymnos, & laudes Deo canentes, ex tota ciuitate vnicam ecclesiam faciunt. In hac ciuitate nullus est hæreticus, nullus gentilis, ita vt nihil intersit, vtrùm iubeat Episcopus in ecclesia, vel in foro orare. Ad hæc magistratus & gubernatores huius ciuitatis in omnibus illius portis vigilias constituerunt, vt si fortè aliquem pauperem, aut aduenam venientem viderent, eum duceret domum suam, is nempe, qui priùs eum inueniret, & necessaria illi prouideret. Ac quis explicare poterit, quę officia hic populus in nos contulit, cùm nos per suam ciuitatem transire viderunt, nos vt Angelos honorantes? Quis exponet quãtis nos exceperint officijs Monachi, & innumerabiles huius loci Virgines? Nobis enim sanctus Episcopus, qui eam regebat, viginti millia Virginum, & decem millia Monachorum in illa esse, narrauit. Quòd si vellemus affectionem, honorem, & charitatis viscera, quibus nos acceperunt, explicare, & vt nobis vestes distrahebant, quisque pro se cupiens nos domum suam perducere, neque id verbis explicari posset, neque pudor id dicere permittit. Vidimus in hac sancta ciuitate multos primarios viros diuersis gra-

rijs ornatos, alios in faciendis verbis de Deo, alios in singulari abstinentia, alios in miraculis faciendis.

Hoc illud est, quod de illa Christianissima, & nobilissima ciuitate narratur. Quis hoc legens Deum non laudat? Quis non stupescit, cùm intelligit in vnica ciuitate cum suburbijs, præter ea, quæ dicta sunt, viginti millia Virginum Deo dedicatarũ versari? Quid magis nouum hominibus narrari posset? quid ad religionis Christianæ gloriam potius? Quænam benedictionis terra hæc est, quæ tales fructus producit? Quis hanc mutationem in hominibus ex carne, & sanguine, moliri potuit præter Deum? præsertim in AEgypto, quam historici prodigiosæ idololatriæ matrem vocant. In quo illud adimpletum cernitur, quod Apostolus inquit, *Vbi abundauit peccatum, ibi superabundauit & gratia.* Communis est Theologorum sententia, quòd furiosior, & immensior animi perturbatio, quæ nobis ex originali peccato contigit, hæc est: per quam hoc idem peccatum ab alio in alium deriuatur. Quis autem tam erat fortis, qui tam effrænem beluam frænare posset, prçter diuinam gratiam? cùm Sapiens dicat, neminem nisi præcipuo Dei dono posse vel continentem, vel castum esse. Et quoniam hæc virtus est tanquam magna Domina, quæ sola esse non potest, sed multis alijs virtutibus comitata, quæ vel inuita naturæ corruptione eam sustentent, & conseruent; nos fateri necesse est, vbi virginalis puritas vigebat, ibi & illius pedissequas simul esse; quæ sunt abstinentia, oratio, lectio, sacræ vigiliæ, in suam cellulam se abdere, se circunspicere, silẽtio vti, segregari, sibiq; omnibus occasionibus, quibus hic pulcherrimus flos languescere & arere potest, interdicere. Quòd si verum est, in cælo non esse cõnubia, (quòd sancti, vt Dei angeli viuerent) quid de huiusmodi vita dicere possumus, nisi cælestis vitæ imaginem esse? Quod si Sibylla Cumæa prophetauit, quòd Saluatoris in aduentu aurea ætas exoriretur; hac ætate quæ magis aurea esse poterat, vbi huiusmodi puritas vigebat? Quantum intererat inter hoc tempus, & illud, in quo ita homines erant dediti voluptatibus, vt quò Deam Venerem suis turpitudinibus propitiam haberent, ei in hoc seruiebãt, vt filias virgines ad omnem turpitudinem prostituerẽt, vt superius diximus? Quis igitur hanc tantam mutationem facere poterat ab vno extremo, ad aliud extremum, tam diuersum, & longè distans, nisi ille Spiritus omnis sanctitatis & puritatis amator?

Rom 5.

Sap 8.

Matt. 12.

Hic horum sanctorum virorum historia minimè desinit, sed vlteriùs progreditur, & alia non minùs admirabilia refert: nam statim cap. sequenti sic inquit: Vidimus sanctũ sacerdotem Serapionem in regione Arsenoite dicta, multorum cœnobiorum Patrem; sub cuius disciplina penè duodecim millia Monachorum militabãt, qui omnes ex suarum manuum labore viuebãt, quẽ tunc maximè exercebant, quando messis tempus erat, & bonam partem eorũ, quæ sibi dabantur, dicto Patri portabant, vt cum pauperibus communicaret. Hic erat mos non solùm horum, sed omnium Monachorum, qui in AEgypto viuebant, & tempore messis in ea elaborabant, & quisque pro suo labore certam frumenti mensuram obtinebat, & bonam illius partem pauperibus non solùm illius regionis, vbi morabantur, impertiebant; verùm nauigia onusta Alexandriam mittebant, vt in carcere detentis, & peregrinis, & alijs inopia afflictis impertirentur. In AEgypto enim tanta pauperum copia non erat, quæ

quæ horum ſanctorum virorum eleemoſynas, & beneficia exhaurire poſſit.

Neque verò hinc aliquis detrahendi de Religioſis noſtrorum temporum occaſionem ſumat, quòd hac ratione non laborent: illis enim nullum aliud propoſitum erat, nullumq́ aliud munus, niſi Deo inſeruire; & ſui ordinis inſtituto cautum erat, vt corpore laborarent: at qui hac noſtra tempeſtate degunt, præter diuina officia, quibus populi deuotionibus inſeruiendum eſt, eum docere, ei prædicare, illorum confeſſiones audire debent, ad quæ literarum ſtudium illis opus eſt; cum quo ſuarum manuum laboribus ſibi victum quærere non conſentit.

Vt autem ad hiſtoriam reuertamur, Vidimus, inquiunt, ibi in ciuitatis Memphis, & Babyloniæ regione, innumerabilem Monachorum multitudinem, qui diuerſis gratijs, & Spiritus ſancti donis lucebant. Hic ille locus erat, vbi Patriarcham Ioſeph pro ſeptem inopiæ annis triticum collegiſſe confirmant. In eadem hiſtoria procedentes aliud notabile his verbis addunt. Venimus ad celeberrimum omnium AEgypti monaſteriorum locum, quem Nitriam dicunt; qui ab Alexandria quadraginta millia paſſuum diſtat. Hoc loco vidimus circiter quinquaginta monaſteria, inter ſe vicina; in quibus multi ſimul verſantur, in alijs pauci, in alijs ſolitarij Monachi habitant, in quindecim paruos vicos diſtributi, ſed vnà charitatis nodis coniuncti, & inter ſe vna anima, & vnum cor effecti. Cùm igitur ad hunc locum peruenimus, vbi peregrinos religioſos venire ſenſerunt, tunc omnes vt apum examen de ſuis cellulis currebant maxima cum celeritate, & lætitia, nobis panem, & aquæ vaſa deferentes. Quid autem de illorum humanitate, & ſuauitate dicam? quid de officijs in nos collatis? de charitate, qua omnes inflammati nos ad ſuas cellas perducere conabantur, & nobis non ſolùm ea prouidere, quæ ad hoſpitium pertinebant, verùm etiam nobis eas impertiri diuitias, quas ipſi poſſidebant, quæ illorum erant humanitas, & manſuetudo, & aliæ huiuſmodi virtutes, quæ in illis reſplendebant, tanquam in gente ab ipſo mundo ſegregata, & quæ ab eodem doctrinæ fonte diuerſas gratias colligebat? Nullo profectò loco tantopere charitatem, in pijs operibus ſic eſſe frequentes, neque honeſtatis exercitatione florere vidimus.

Sozom. lib. 6. ca. 31.

Poſt hunc locum alius adeſt interiùs in deſerto, qui ab hoc decem millibus paſſuum diſtat, & Cellia ob cellarum multitudinẽ, quæ ibi ſunt, vocatur. Ad hunc autem locum Monachi minimè ſe recipiunt, niſi vbi in monaſtica vita aſſueti ſunt, & ſolitariam vitam viuere volunt.

Hæc eremus valde magna eſt, & cellæ tantum inter ſe diſtant, vt neque audiri voces inter ſe, neque videri poſſint. Quiſque in ſua cella ſeparatim verſatur: inter illos maxima quies, & ſilentium adeſt.

Diebus tantummodò Sabbathis & Dominicis in vnam eccleſiam conueniunt, ibiqúe ſe inuicem vident tanquam gens, quæ de cælo venit. Quòd ſi quis deeſt, id morbo contigiſſe ſciunt, & ſtatim ad eum vadunt, non omnes vnà, ſed quiſque ſolus diuerſis temporibus, ſecum quiſque portans, quod habet ad infirmi valetudinem recuperandam accommodatum. Hac occaſione excepta, nemo ſuorum proximorum ſilentium interpellare audet, niſi fortè aliquis ſit, qui eos tanquam milites in media acie conſtitutos adhortari, & animare poſſit. Ex illis multi in cellis inhabitant ab eccleſia, in qua conueniunt,

nium, tria, & quatuor millia passuum distantibus; & licet tam longè cellæ distantes sint, ea est tamen charitatis vnio inter illos, & cum proximis suis, vt omnibus admirationi, & exemplo sint. Inde fit, vt si quis inter illos versari velit, quisque sponte ei suam cellam offerat.

Post hæc autem ipsi religiosi narrant, se vidisse apud Theben nobilissimũ cœnobium, quod satis magnum terræ spatium occupabat, & muro circundatum, in quo mille religiosi inhabitabant; vbi erãt multi putei, & irrigui horti, & multa genera frugiferarum arborum, & rerum necessariarum magna prouisio, ne quis ex illis Monachis inde egredi cogeretur. Huius cœnobij ostiarius erat quidam senex, illius loci primarius, qui hac conditione ingredientes admittebat, ne inde ampliùs egrederentur. Sed, quod mirum est, non legis obligatio, sed perfectionis amor, & illius beatæ vitæ, ibi clausos continebat. Hic Pater apud portam domiciliũ habebat, quò accipiebat hospites, & omni humanitate tractabat. Ad quem nos vbi peruenimus, ingrediendi facultatẽ non dedit: sed de genere vitæ, quæ ibi seruabatur, nos certiores reddidit. Dixit, patres tantummodò senes egrediendi facultatem habere ad necessaria procuranda, sed reliquos omnes in silentio, & quiete, & religionis exercitationibus se continere, tantaq́ sanctitate esse omnes, vt miracula facerent. Et quod omnium maximè admirabile est, nemo illorum ægrotabat vnquam; sed ad vitæ terminum vbi perueniebant, Dei reuelatione sui discessus diem cognoscebant, & id suis fratribus nuntiantes, eisq́ vale dicẽtes, suum spiritum cum lætitia ad Creatorem emittebant.

Referunt præterea, se apud antedictam Theben vidisse hominem sanctissimum nomine Amonem, illorum trium millium Monachorum, qui Tabenenses dicebantur, maxima abstinentia homines, qui cùm mensæ accumbũt, ita de more sibi caput cucullo contegũt, vt nemo alterius abstinentiã videat. Summum hoc loco silentium seruant, & licet tam multi sint, ita in societate secum ipsi immorantur separatim, ac si in solitudine essent. Mensæ accũbunt, potiùs cibum contingentes, quàm comedentes, vt neque mensæ desint, neque ventri inseruiãt, scientes maiorem esse virtutem cibos ante oculos habere, & se ab illis abstinere. Quidquid hactenus dictum est, ex superius dicta peregrinatione illorum septem religiosorum excerptum est, & multa prætermisimus, quæ ipsi de sanctissimis Patribus, quos in illo itinere viderunt, narrãt.

Neque solùm in hac regione, verùm etiam in alijs mundi regionibus, præsertim in Græcia, hæc disciplina florebat, & hoc cæleste viuendi genus; neque in viris solùm, sed & fœminis, vt refert Theodoretus, (qui post Saluatoris aduentum quadringentis & quinquaginta annis fuit, Imperatore Martiano) qui vbi vitam nonnullorum sanctissimorum Monachorum descripsisset, qui extra cæterorum hominum societatem vitam agebant, sine domo, aut eremo, aut alio tecto, Solis ardores, & pluuias, & niues, & hyemis frigora patientes, (vt fuit Iacob, Iulianus, Eusebius, Macedonius, Petrus, Zenon, Romanus, Simeon qui in columna viuebat, & alij, quorum Vitas ille scribit, quorum multos cognouit ille, & familiariter vsus est) in huius historiæ fine nonnullarum sanctissimarum virginum Vitas describit, & in fine sic inquit: Has sanctas multæ virgines imitantur, quarum nonnullæ solitariam vitã sectantur, aliæ in societate degunt, & nonnunquam ducentæ & quinquaginta vnà

degunt,

degunt, aliâs plures, aliâs pauciores, quas super storeas dormire statutum est, & eundem cibum edere: manus in lana, & linguas in diuinis laudibus occupare. Et harum innumerabilia monasteria sunt, non solùm in nostra regione, verùm etiam in omnibus Orientis regionibus, & illorum Palæstina plena est, Aegyptus, Asia, Pontus, Cilicia, Syria, & terra, quæ inter duo flumina sita est, & illa mundi pars, quæ Europa dicitur. Nam postquã de Virgine Saluator natus est, statim læta virginitatis prata multiplicata sunt, quæ hos formosissimos flores, qui nunquam languent, ferunt. Hæc omnia Theodoretus. Qui (præter illius sanctitatem, & auctoritatem) in tam manifesta re mentiri non poterat; omnes enim in eum tanquam mendacem statim insurrexissent.

Neque in Italia multi sancti viri defuerunt, quorum Vitas, & miracula S. Gregorius scribit in suorum Dialogorum quatuor libris, qui multos annos post Theodoretum fuit. In quo quàm sanctitas in omnibus mundi regionibus floruerit facilè cernitur; cùm fuerit mundus ante Christi aduentum, fœdissimi fimi mons, & omnium vitiorum, & turpissimarum voluptatũ, quæ excogitari possint, vorago.

Vt igitur hanc materiam concludam, dico, quòd cùm animæ iustificatæ pulchritudo ita admirabilis sit, (vt declarauimus) & cùm tam multæ sint animæ, quæ per Agni sanguinem formosæ factæ sunt, cumqúe tam admirabilis sit mutatio, ex fera & immani vita, in hanc cælestẽ & diuinam; facilè cernitur, quàm fuerit mirum hanc tantam mutationem in terris fieri, quamq; bene omne hoc collocatũ sit, quod Dei filius propter hanc causam passus est. Facilè enim apparet, eum passum esse, vt tam multas animas pulchras redderet; vt Ecclesiam sanctificaret; vt hoc virtutis regnum fundaret; vt hanc nouam rempublicam crearet; vt hunc cantatorum & cantatricũ ordinaret chorum, qui perpetuò suum Creatorem laudaret; vt sedes cæli desertæ habitarentur, & vnà Angelorum, & hominum angelicorum chorus coniũgeretur, qui vna & eadem omnium voce communem Dominum laudarent: tandẽ, vt hac ratione suæ gratiæ omnipotentiam declararet, quæ ex terra cælum, ex carne spiritum, ex serpentibus Angelos efficere potuit. Quis igitur non cẽsuerit bene collocatam esse illius grani tritici mortem, quod in terram cecidit, à quo tam multa Sanctorum, & Sanctarum germina pullulârunt, quàm multi in mundo fuerunt? Et vnicus dies, quo passus est Saluator, fuerit in causa, vt infinitus Sanctorum numerus æternitatem habitaret? Nullam quidem maiorem gloriam immensę Dei bonitati dare possumus, quàm quòd ipse tot, tantorumqúe bonorum causa fuerit. Et licet electorum numerus minor esset, illius immensæ bonitati satis cõsentaneum erat pro paucis id facere, quod pro multis perfecit. Res enim non numero, sed pretio, & illarum dignitate æstimantur: cùm cernamus quantò pluris parum auri puri & puti valeat, quàm multum cęterorum metallorum; multò pluris vnus est lapillus pretiosus, quàm communium lapidum multi.

Neque quisquam existimet hoc modo sanctitatem in antè dictis terris tantummodò floruisse: in omnibus enim terris, & nationibus mundi, Christi sanguis virtus idem operabatur, licet ratione diuersa. Huius rei multitudo Martyrum apertissimum argumentũ est, cùm in omnibus Romani Imperij regionibus (quod penè totum mundum occupabat) Martyres paterẽtur.

Qui quidem tam mirabili constantia, tantam crudelitatem, & tormentorum genera ferre non potuissent, si in fide, charitate, & cæteris virtutibus omnibus, vt antea diximus, muniti non fuissent.

Ex hac igitur historia, & alijs similibus intelligemus, iure optimo Apostolum dixisse, se venire, vt mũdo inæstimabiles Christi diuitias prædicaret, vt Dei magnificentiam, & superabundantem gratiam, quæ hominibus data est illius summi sacrificij meritis, qui se in cruce obtulit, nobis significaret; quo quidem Apostolorum temporibus fidelibus Spiritus sanctus tam facili ratione dabatur, vt cùm illis solùm manus imponerentur, varijs linguis loquerentur, & prophetarent.

Ephes. 3

Hac autem tanta mutatione facta post Saluatoris aduentum in vniuerso terrarum orbe, illa Isaiæ verba, quæ superius allegauimus, intelligũtur: quibus inquit, hoc tempore asperos montes, & aridas terras, in amœnos hortos, & siluestres arbores in frugiferas, & feras bestias in mansuetas commutatum iri; dracones, & struthiones Deum glorificaturos esse, & in locis aridis flumina, & fontes aquarũ nascituros, qui feracia & frugifera ea redderent: his metaphoris gratiæ abundantiam, & mutationem, quam mundus Christi aduentu (vt suprà diximus) fecit, significat.

Aliquod vestigium, & memoria huius antiquæ religionis in barbarorum terris hac tempestate reperitur. Ex quo hîc non prætermittam, quod Carpij Comes pro religionibus scribit contra eos, qui illas oppugnant.

Inquit igitur ille, quòd cùm Lusitaniæ Regis classis ad fauces Arabici sinus perueniret, quidam Monachus senex, amplius quàm trium millium monachorum Pater, qui eo tempore in illa regione erant, cum Crucis signum in nauium carchesijs viderent, & illam esse Christianorum classem intelligerẽt, nutu illis se velle loqui significauit; multisq; verbis habitis, & multis lachrymis fusis, Christianam gentem videndo, illis librum orationibus plenum, quem secum deferebat, summo Pastori, & Christi vicario perferendum dedit. Qui liber Romam missus fuit, & Lusitaniæ oratori traditus, qui cum Michael de Silua erat, vt eum summo Pontifici traderet; quem librum meis manibus contrectaui, & illius folia euolui.

Hanc ille auctor historiam refert. Ex quo apparet hac nostra etiam tempestate inter gentes barbaras vestigia illius antiquæ religionis reperiri, quæ in multis mundi regionibus, & in AEgypto præsertim, & Palæstina, & Græcia, & alijs huiusmodi locis, quorum libri grauissimorum auctorum pleni sunt, floruit. Sancti quoque Gregorij Papæ memoria, quæ nostræ propior est, multi sancti viri hoc genere vitæ florebant: quorum virtutes, & miracula idem S. Gregorius in quatuor Dialogorum libris scribit, quos ipse de sanctis Italiæ viris conscripsit.

Et nostris temporibus (quibus, vt Saluator prophetauit, ita charitas refrixit) nullo Christianæ religionis loco, tam in religionibus, quàm foris, tam in coniugatorum statu, qàm aliorum ab hoc vinculo solutorum, desunt, qui magna cum puritate, & simplicitate viuunt, omnes suas curas, cogitationes, mentes, & voluntates in sui Creatoris amore, & timore, & illius sanctorum mandatorum obseruatione figentes, & locantes.

Hæc sufficiant, vt tertia actio, quam Saluator in mundo facturus erat, declare-

claretur, quem cùm nemo antè cognosceret, neq; coleret præter illum Iudææ angulum, hanc cognitionem propagauit, & barbaros mores, & immanes in omnibus mundi partibus reformauit.

DE QVARTA ACTIONE, QVAE POST SALVATORIS *mortem consecutura erat, quæ fuit illorum pœna, qui illi mortem procurarunt.* Cap. XIII.

QVARTA actio satis in mundo nota, quę post Saluatoris mortem consecutura erat, est punitio, & vltio illorum, qui mortem illi moliti sunt: quæ vt fuit pro maximo peccato, quod in mundo commissum esset; sic maior, & vniuersalior extitit, quàm vlla vnquam post mundum conditum: fuit enim funditus tollere, & penitus delere Rempublicam tam nobilem, & illud tam antiquum regnum, quod ante Romam conditam septingentos & octodecim annos cœpit, vt S. Augustinus scribit. Quę Respublica cum suo nobilissimo templo, & ita inter gentes celebrato, & cum suo regno, & sacerdotio, hactenus à nemine restituta est.

Hoc prophetauit Daniel apertissimis verbis, qui cùm definerct dicere post Dan. 9. sexaginta duas hebdomadas, quæ annorum hebdomadæ sunt, (vt postea dicemus) fore, vt Christus occideretur, statim huius peccati pœnam subdit inquiens: & ciuitatem, & sanctuarium dux euertet, qui super illam veniet; & post prælij exitum ciuitas destruetur, & solo ęquabitur; & hæc euersio perdurabit vsque in finem, id est, in perpetuum.

Eandem euersionem eadem culpa Isaias prophetauit, & in spiritu vidit, qui post illam magnificam visionem (in qua vidit Deum in throno excelso Isa. 6. & eleuato sedentem à Seraphinis comitatum, & laudatum) inquit, quòd Deus eum misit ad annuntiandum populo suo, futurum esse, vt illorum cor obcæcaretur, & aures clauderentur, & oculi obscurarentur, neque fore, vt ad Deum conuerterentur, neque ab illo exaudirentur. Et misericordia ductus Propheta hoc tristi nuntio, Deo inquit, Quousque hæc cæcitas duratura est? Ei respondit Deus, quoad ciuitates deleantur, & sine suis habitatoribus permaneant, & domus sine hominibus, & terra deserta relinquatur. Hęc Propheta. Quòd autem hæc euersio futura esset perpetua, vt nunc est, antea cap. 25. declarauit, vbi cum Deo verba faciens, sic inquit: *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Quia posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum: vt non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robustarum timebit te.* Eandem euersionem prophetauit paucis verbis Dauid Psalm. 108. vbi inter alias aduersitates, quæ huic populo contingere debebant, inquit: *Fiat habitatio eorum deserta, & non sit qui habitet in ea.*

Etsi hę prophetiæ huius euersionis testimonium apertum reddant, nostri tamen Saluatoris testimonium apertius est, qui vt verus Deus (ad quem vnum futura scire spectat) pijs lachrymis extremam ciuitatis Hierusalē euersionem prophetauit.

Cognitis prophetijs, quæ vltionē eorum indicant, qui Saluatorem morte af-

te affecerunt, reliquum est, vt de vindictę qualitate, & magnitudine agamus.

Ad quatuor vtilis erit hęc tractatio: primùm ad Christi gloriam; tantò enim maior est illius gloria, quò contumeliæ, & vilipensiones in suam maiestatem commissæ maiori supplicio punitæ fuerunt. Alterum est, vt qui adhuc cæci sunt (nisi penitus obstinati sint) oculos adaperiant, & in pœnæ magnitudine culpæ grauitatem agnoscant. Tertium, vt ij, quos voluit Christus Dominus ad veritatis cognitionem perducere, & in sua Ecclesia inserere, & Euãgelii gratiam impertiri, ampliùs in fide confirmentur, & omnium bonorum datori hoc beneficium acceptum referant. Et quò erit hæc historia tristior, eò maiori lætitia eos afficiet: in illa enim habebunt (præter ea, quæ dicta sunt) aliam nouam nostræ fidei confirmationem, & veritatis testimonium; quæ quidem quò magis crescit, eò magis auget pacem, & lætitiam bonę conscientię, quæ viuę, atque perfectæ fidei comites sunt. Quartum autem, hinc candidus lector cognoscet quidem, quanta sit diuinæ iustitiæ seueritas, & quàm rectè di-
Heb.10. cat Apostolus, terribile esse in manus Dei viuentis cadere.

Vt autem huius historiæ lectio sit Christiano lectori vtilior, eum admonitum volo, vt cùm tantis, tamq́ multis, & acerbis calamitatibus, quas hîc videbit, obstupuerit, diuinæ etiam iustitię seueritate in peccata obstupescat; neque solùm in illud, quod in morte Saluatoris commissum fuit, sed etiam
Heb. 6. in eos, qui (vt inquit Apostolus) quotidie cum suis peccatis crucifigunt, cùm sciant, in quem ipsi peccent. Illi enim miseri, & cæci, qui Saluatorem crucifi-
1.Cor. 2. xerunt, non eum cognoscebant. Nam (vt Apostolus inquit) si eum agnouissent, gloriæ Dominum non crucifixissent. Nos verò cùm illum cognoscamus, & adoremus, & illius triumphorum gloriam videamus, cumq́ illi tantæ curę fuerit inæstimabile nostrę Redemptionis beneficium, nunquam eum nouis peccatis crucifigere desinimus. Quamobrem nos quoque huius iustitiæ rigorem meritò timere debemus. Nam licet eum cruci non affigamus clauis, nostris tamen prauis actionibus crucifigimus, & illius Redemptionis fructũ nostræ malę vitę exemplo impedimus. Hi sunt fructus, qui ex hac lectione percipiendi sunt: sed nostræ fidei confirmatio est potior. Nam reipsa post prophetiarum testimonium, & miraculorum, maius huius veritatis argumentũ est, hęc tanta, tamq́ horribilis pœna, præsertim in populo à Deo electo, adiuto, & tantopere amato; & in primis huius pœnę reliquias ad hoc vsque tempus perdurare. Cùm tãta igitur sit huius lectionis vtilitas, nemini mirum videri debet, si hanc rem fusiùs pertractaui, quia hæc vna res me (scit Deus) ad scribendum impulit.

Vt hoc argumẽtum tractemus, à quo hæc quatuor bona manant, primùm illud statuẽdum est, quòd omnia aduersa, quę hominibus in terris eueniunt, non casu, aut fortuitò eueniant, sed à Dei prouidentia, qui omnia creata summa
Isa. 45. ma æquitate & iustitia gubernat, diriguntur, & ita per Isaiam inquit: *Ego Dominus, & non est alter: formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans*
Amos 3. *malum: ego Dominus faciens omnia hæc.* Et Propheta Amos sic inquit: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* Malum pœnæ intelligitur, non culpæ: huius enim Deus auctor non est. Et inquit, *in ciuitate*, vt mala ciuitatum communia, & regnorum complectatur, quòd hęc semper à peccatis proficiscuntur.

tur. At particularia, vt Tobiæ cæcitas, Iob calamitates, nõ propter peccata contigerunt, sed vt illorum virtus exerceretur, & alijs exemplo esset. In hanc sententiam in libro Iob legimus. Nihil in terris sine causa fieri, neq; dolorem ex terra oriri, id est, ab humanis rebus solis: quòd prima causa omniũ rerum principium est. Si quis multas ex his plagis, propter peccata immissis, videre cupit, legat cap. vigesimumoctauum Deuteronomij, & ibi videbit supplicia, quæ illi admirationem afferent. Hoc sit primum, quod statuendum est.

Secundum autem est, quòd cùm Deus sit ipsa æquitas, & iustitia, semper facit, vt pœna pro rata portione peccato cõmisso respondeat: ita vt pro magnis peccatis, magnas; & pro paruis, paruas pœnas sumat: illam legem, quã hominibus tulit, seruans, cùm iussit pœnam pro ratione peccati esse. Huius autem rei ex multis alijs exemplis duo habemus, cùm duo reges armata manu Hierusalem ingressi sunt. Alter fuit Sesac AEgypti rex, cui non permisit Deus, vt ciuitatem valde deuastaret. Nam (vt inquit textus) multi in illo regno boni aderant, neque religio multum corrupta erat. Alter fuit Nabuchodonosor Babyloniæ rex, tunc cùm diuinus cultus penitus sublatus erat, & cùm omnes abominationes, quę cum idololatria sunt, dominabantur. Eo enim tempore diuina iustitia, vt hic Rex aduersus illam ciuitatem veniret, ordinauit: & vt in illa nihil sanum erat, ita nihil integri in illa relinqueret, sed vt omnia excinderentur, & solo æquarentur. Et hac ratione culpę magnitudini pœna ęqualis fuit.

Deut 25.
2. Par. 12.
4. Reg 25

His duobus principijs statutis, iam agere incipiamus de magnis calamitatibus, quas ciuitas Hierusalem cum tota sua prouincia, & gente, post Saluatoris mortem passa est. Et vt meliùs hæc historia intelligatur, eam in tres diuidemus partes. In prima de calamitatibus, quę Hierusalem euersionem præcesserunt, agemus: in secunda, de illius euersione: in tertia, de ijs, quę postea consecuta sunt.

At calamitates, quę euenerunt tum ante Hierusalem euersionem, tum in ea, tum post eam, huiusmodi fuerunt, & ita incredibiles, vt nisi tantæ auctoritatis historicus esset, & testis oculatus, qui his omnibus interfuit, minimè fieri posset, vt crederentur. Hic historicus fuit Iosephus, natione & professione Iudæus, & omnium suæ ætatis eloquentissimus, & prudentissimus, & scripturarum peritissimus fuit, & in primis dux acerrimus: quippe qui cùm Galileę gubernator esset, ciuitatem Iotapatam contra omnes Romanorum vires spatio dierum 47. defendit: post cuius excisionem omnes alicuius momenti hòmines mortui sunt; is solus mira Dei prouidentia conseruatus fuit, vt hanc historiam conscriberet, quòd nemo maiori veritate, neque maiori eloquentia, neq; minori suspicione, quàm ipse, id facere posset. Quòd si auctor Christianus extitisset, facilè nonnulli suspicari potuissent, quòd pro Christi morte, & vindicta, vel nonnulla amplificasset, vel nonnulla effinxisset ex ijs, quæ ab illo conscripta essent. At is non erat. initio enim scripturæ se ipse patefacit his verbis: Ego Iosephus Matathiæ filius, Hebræus genere, sacerdos ex Hierosolymis; qui & initio cum Romanis conflixi, posteaqúe gestis, quia necessitas exegit, interfui.

Reperitur præterea, hunc virum fuisse non solùm inter suos celebrem, verùm etiam inter Romanos satis spectatum, quòd pro illius literarũ cognitione

tione illi Romæ statuā consecrarunt, iusseruntq́, vt illius scripturæ in publica bibliotheca ponerētur: quę quidē tum multę, tū magnę auctoritatis fuerunt.

Sed initio lectorem admonere opus erit, quòd si quis ab radice totam hāc rem scire voluerit, septem huius auctoris libros legat: hic enim nihil aliud tamen, quàm breuiter attingere, quod ille satis fusè pertractat, nullis verbis additis, vt ex fonte, de quo hæc manārunt, videre licet.

DE CALAMITATIBVS, QVAE ANTE HIERVSALEM euersionem contigerunt. Cap. XIIII.

CALAMITATES, quę Hierusalem euersionem præcesserunt, Pilati tempore, qui in Redemptoris morte iudex fuit, cœperunt. Voluit enim diuina iustitia, vt huius peccati pœna multùm retardaretur, sed statim inciperet, & paulatim illa Respublica in deteriora procederet. Hic autem Pilatus cùm inducturus esset aquas Hierusalem ex sacro ærario à trecentesimo stadio, id ęgerrimè populus tulit, & congregati per cœtus numerosos vsq; ad multa hominum millia, vociferationibus conabantur eum deterrere à proposito. Iudex verò cùm prævideret, quod futurum erat, milites sub populari habitu clàm armatos fustibus iussit reliquam multitudinem corona cingere, cumq́; illis signum daret, quotquot possent fustibus cæderent: & hoc modo milites occiderunt multos fustibus, & alij fugientes seipsos ita offendebant, vt conciderent multi, & miserè suffocarentur, & occiderent.

Post hanc calamitatem alia non minor consecuta est. Tiberio enim Imperatore mortuo, Caius successit, qui eò secundis nouæ dignitatis rebus insanię venit, vt Deus appellari voluerit, & suam statuam in omnibus Romani Imperij templis inter alios Deos collocari iusserit: cumq́; sciret à solis Iudæis non permissum fuisse, vt in eorum templo erigeretur, id ægrè ferens, Petronium misit, iussitq́ue, vt cum valido exercitu inuaderet Iudæā, & si id admitterent, statuam eius in templo Dei collocarent: quòd si recusarent, imperata facere cogeret. is assumpta administratione rerum Syriæ, dedit operam, vt Cęsaris mandata exequeretur, contractis auxilijs quātum poterat, & cum tribus Romanis legionibus. Elapsi sunt quinquaginta dies in huius ducis petitione, & populi resistentia, cùm tempus serendi esset: nihil tamen effectum est, nisi instare, & illi blasphemæ petitioni obsistere. Tandem post multas conclamationes, & contentiones, dixerunt Iudæi, se quotidie pro salute Cæsaris sacrificia offerre: quòd si suam statuam vellet in templo collocare, ipsos priùs, & vxores, & filios interficeret, quàm id illi permissuri essent. Petronius cognita Iudæorum voluntate, misericordia motus, non sine timore suæ vitæ amittendæ, vt alios incolumes præstaret, cum exercitu reuersus est. At Deus huic rei Caij morte remedium tulit, qui antequam rei euentum intelligeret, è vita discessit: cùm hic nouus Deus tres tantummodò annos imperasset.

Alia paulò pòst calamitas consecuta est, Imperatore Claudio, qui post Caium imperauit, quæ quidem ita se habuit; Cùm magnus gentium numerus Hierusalem venisset, vt Pascha celebrarent, cumq́; de more ibi milites permanerent, ne quis tumultus inter gentes fieret, impudens miles populo terga vertens turpiter sustulit vestes, & verba huic rei cōformia dixit. Quod cùm nonnulli

nulli iuuenes é populo vidiſſent, conſpirare cœperunt, & in milites lapides iacere: Præſes autem nomine Cumanus veritus, ne omnis ille populi impetus, & furor in ſuæ ipſius perſonæ damnum redundaret, in militum auxilium multos homines armatos miſit. Quod cùm populus videret, cœperunt eo impetu in diuerſas partes fugere, vt alij alios opprimentes, alijq; ſuper alios cadentes, decem millia mortui ſint: quorum nece dies feſtus in luctum conuerſus eſt: in qualibet enim domo ſuis mortuis lachrymæ, & ſuſpiria erant. Hanc eandem calamitatem Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria narrat.

Alia quoque calamitatum genera non defuerunt callidorum hominum malitia excitata, qui religionis nomine noua tentabant, & vulgus leue cum illis coniunctum, eum ad arma perduxerunt, illi perſuadendo fore, vt Deus libertatis ſignum daret. Et quoniam hoc erat tanquam defectionis ſeminarium, Iudæç Præſes nomine Felix, contra eos pedites, & equites miſit, quibus eos penitus diſſipauit. At maior fuit cuiuſdam AEgyptij Necromantis deceptio, qui ſe Prophetam dicebat: qui triginta millibus ſecum hominum collectis, & in arma pariter perductis, eo conſilio, vt in ciuitatem ingrederetur, & eam occuparet, à Romanis diſſipatus fuit, & qui eum ſequebantur, partim capti ſunt, partim profugerunt.

Neque hac tempeſtate defuerunt latrones, & fures, qui libertatis nomine per omnia loca irruebant, & diuitum, & potentium virorum domos diripiebant, & multis locis ignem admouebant, & totam Iudææ terram ad defectionem excitabant.

Poſt hęc autem alia defectio Cęſareę excitata eſt, cuiuſnā ſcilicet illa ciuitas eſſe deberet. Olim enim gentilium fuit, ſed Herodes eam reædificauerat. Hæc autem quęſtio eò proceſſit, vt ad arma tādem peruenirent: in quo multi fuerunt concurſus, & ex vtriſque multi occiſi fuerunt. At antea dictus Pręſes de ciuitate eiecit defectores, & multos occidit, qui parere noluerunt.

Et ne quod genus ſupplicij huic miſerę genti deeſſet, diuina iuſtitia permiſit, vt præſides, qui Reipublicę gubernacula tenere debebant, & in pace, & iuſtitia eam conſeruare, omnium crudeliſſimi tyranni, & maximi latrones eſſent Ex quibus vnus Albinus fuit; in quo nullum ſceleris genus defuit; omne enim ſuum ſtudium ad rapinas, ad deceptiones, ad tributorum impoſitiones conferebat, & iuſtitiam venalem habebat: ita vt is eſſet innocens, qui diues erat, & qui tenuis erat, is ſolus eſſet reus. Nonnulli autem potentiorum ex Hieruſalem, qui Reipub. ſtatum dimouere, & res nouas tentare ſtudebāt, cùm cognoſcerent hunc iudicem habere omnia venalia, eum pecunia corruperūt, vt ſi quando ipſi Reipublicę ſtatum dimouerent, diſſimularet ipſe, & quidquid vellent ipſi id facere permitteret. Qui hac opinione cum ijs, qui ſecum conſpirārunt, per ciuitatem ibant, & eorum res diripiebant, qui minus poſſent: illi autem, quorum bona direpta erant, tacebant, quòd nil poſſent: qui verò huiuſmodi mala non paſſi eſſent, illis numos dabant, qui maximo ſupplicio digni erant. Hęc omnia Præſes diſſimulabat, quòd nummi nebulas ob oculos offuderant, linguam mutam reddiderant, manus ligauerant, ne vel videret, vel loqueretur, vel quod debebat faceret.

Huic autem præſidi Geſtius Florus ſucceſſit, qui tātas congeſſit diuitias ex tyrannide, & ſceleribus, vt qui illum anteceſſit longè illo melior videretur, ſi

quando cum illo conferebatur. Ille enim clàm,& deceptione furabatur : at hic palàm,& id se facere gloriabatur : qui nullum genus latrocinij, aut crudelitatis in illam miseram gentem prętermisit. Cum pauperibus, & afflictis, crudelissimus; cum turpibus, & omnium turpitudinum plenis, turpissimus erat. Nemo enim vnquam fuit,qui magis veritatem falsitatibus impugnaret, neque qui plures artes ad multandum excogitaret. Huic siquidem viritim illatis dispendijs lucra quęrere exiguum visum est: sed totas simul despoliabat vrbes,& labes populis inferebat, tantùm non voce per totam regionem edicens,liberum esse omnibus latrocinari, dum ipse prædarum acciperet portionem. Ea tandem fuit illius auaritia,vt incolę suis terris relictis aliò commigrauerint.

Sed quoniam nimis longum esset sigillatim omnes tyrannides, iniustitias, deceptiones,furta,crudelitates, & cędes huius crudelissimi lanij enumerare, quem diuina iustitia in illa prouincia dominari permisit, illud vnum narrabo; cùm hic tyrannus intelligeret, quòd si apud Imperatorem furti esset accusatus, grauissimas pœnas daret, ad hoc perfugit,vt tot,ac tanta scelera perpetraret,tot iniurias populo inferret,tantum sanguinis innocentum hominum effunderet,& patriciorum,nulla præcedente culpa,vt populus tam multis iniurijs iratus ad defectionem à Romano imperio descenderet,existimans fore,vt hac ratione à se suę culpæ inuidiam & odiũ remoueret, persuadẽs iniurias à se illatas illius defectionis fuisse pœnas. Hac ratione diuina prouidentia (cui omnia seruiunt, licet nesciant,qui illi seruiunt) permisit, vt defectio Iudęorum à Romanis inciperet,quę in causa fuit, vt totum illud regnum excinderetur pro vindicanda Saluatoris morte,vt prophetatum fuit.

Ad has omnes iniurias,& crudelitates, bis in ciuitatem Hierusalem, quæ illius administrationi commissa erat,non vt pastor, sed vt lupus rapax cum militibus armatis ingressus est, vt quidquid in foro inuenirent, diriperent, licentiam dedit,& omnes interficerent,quibus obuiarent. Hac licentia habita, non contenti fuerunt milites eo, quod sibi concessum fuit : sed vlterius processerunt, in d[illegible] um, & potentium domos irruentes, illorum bona diripientes,& multos nobiles,qui priuilegio ciues Romani erant, captiuos facientes,eos a[illegible] Florum deduxerunt,qui neglecto priuilegio nõ solùm eos cædendos, sed bestiæ furore crucifigendos iussit. Et qui illo die cum vxoribus & pueris (nam vel infantibus non parcebant) interfecti sunt, sexcenti & triginta fuerunt.

Aliàs ingressus est non minùs crudeliter,quàm hoc tempore,maxima calliditate vtens,eo consilio,vt ciues ad tumultum excitaret, vt hoc nomine illius milites in illos irruerent:in hoc multi mortui sunt, alij cùm vellent hoc periculum effugere,tam celeriter per nonnullas angustas portas fugiebant,vt alij alios suffocarent, & interficerent, & ita dissiparentur, vt eorum propinqui cùm eos sepelire vellent,minimè dignoscerent.

Hę strages,& crudelitates,defectionis à Romanis initium fuerunt, neque huius solùm rei,sed etiã ciuilis belli,longè crudelioris & magis cruenti,quàm Romanorum ciuilia bella fuerunt. Iuuenes enim audaces, qui facilè rixas excitabant, fuerunt illi, qui primi arma contra Romanos ceperunt: populus autem,& nobiles viri, cùm cernerent periculum, in quo versaretur Respublica;

blica; quibuscunque rebus possent, his conspiratoribus resistebant, & ita inter vtrosque ciuilis conflictus excitatus est, qui per septem dies perdurauit: in quo ex vtraque parte multi mortui sunt, quorum numerus minimè narratur. Nonnulli autem milites Romani (qui populi partem tuebantur) cùm à seditiosis peterent, vt se sine læsione exire permitterent, hoc solenni sacramento concesserunt: at cùm egredi vellent, promissis non steterunt, & crudeliter eos interfecerunt, idq; Sabbatho, quo die etiam à bonis actionibus abstinere consueuerunt. Propter quod peccatum (inquit Iosephus) magis timenda erat diuina vindicta, quàm Romanorum bellum.

Conspiratione iam cœpta, deinde crudelitates crudelitatibus, latrocinia latrocinijs, mortes mortibus, incendia incendijs cumulata sunt, & tam multa calamitatum genera, vt, nisi historicus tanta esset auctoritate, qui hæc scribit, minimè fide digna viderentur: at non huiusmodi erunt ei, qui illorum causam cognouerit, quę indignissimę Saluatoris mortis vindicta fuit. Propter enim tam magnum, tamq; extra ordinem peccatum, minimè fieri poterat, quin extra ordinem etiam pœnis, & nunquā antea visis coerceretur. Eodem enim die (inquit Iosephus) & eadem hora, qua defectores fidem datam militibus Romanis fregerunt, die Sabbathi, Cæsareę tanta tempestas coorta est, tamq; crudelis in Iudæos, qui in illa ciuitate morabantur, vt ab illius vrbis ciuibus amplius, quàm viginti millia hominum ferro occisa fuerint, vt ciuitas Iudæis, qui in illa habitabant, vacua relicta fuerit. Cùm autem huius cædis ad Iudęæ ciuitates fama peruasit, magna hominum prouincialium multitudo conspirauit, & per totam Syrię prouinciam currens homines interficiebat, vicos incendebat, & terras omnes, & loca, quæcunque poterat. Ex quo Syriæ incolę in exercitum collecti, fortiter grassatoribus resistebant, interficientes, & illorum multos trucidantes, non solùm propter antiquum odium, quo Iudęorum nationem prosequebantur, verùm etiam, vt periculum, quod sibi ab illis imminebat, effugerent. Nullum enim aliud remedium suę saluti reperiebant, quàm se inuicem superare, & interficere, ne in illorum manus peruenirent: ita vt dies in sanguinis effusione consumeretur, & sequentis diei timor noctes occuparet.

Post hanc cladem ciuitatis Cæsareæ, alia ciuitatis Scythopolitarum consecuta est, qui artificio, & fraude fidem suam Iudæis dabant, & huius fidei securitate eos noctu dormientes aggrediebantur, ex quo tredecim millia hominum interfecerunt, & omnia illorum bona diripuerunt.

Post illud tempus cùm aliæ ciuitates Iudæos à Romanis defecisse viderēt, quotquot in illis habitarent, interficiebant. Ideo Ascalonitæ duo millia, & quingentos interfecerunt, & Ptolemaidis ciues duo millia; & Tyri habitatores multos trucidarunt, & plures ceperunt, & in carcerem detruserunt, quorum numerus scriptus non est: & hoc modo omnes gentilium ciuitates, vbi multi Iudæi habitarent, partim timore, partim odio in illos insurgebant, & quoquo modo poterant, damno afficiebant.

Harum omnium calamitatum maior fuit Alexandriæ calamitas, vbi multi Iudæi commorabantur in quadam ciuitatis parte à gentilibus separata. Quodam die, ita diuina iustitia permittente, quidā Alexandrinus surrexit exclamans, & inquiens Iudæos esse hostes; qui ad se conuersi contra Alexan-

drinos irruerunt. Ad quos accedens ciuitatis Præses, vt illorum tumultum comprimeret, & conciliaret, cùm nullam reperiret rationem, qua id facere posset, misit duas Romanorum militum legiones, cum alijs quinque millibus, qui de Libya venerant, illis iubens, vt pro virili interficerent, diriperent & incenderent Iudæorum domos. Qui ita eos trucidarunt, & tantam ex illis stragem fecerunt, vt quinque millia ex illis mortui inuenti sint, vt neque pueris, neque senibus parcerent, & omnes ferro trucidarentur, & ciuitas mortuorum sanguine redundaret.

Quid plura? Damasci quoque incolæ cùm Iudæorum seditiones viderent, & à Romanis defectionem, inter se omnes interficere decreuerunt, qui in illa ciuitate habitarent; idque secretò, ne id mulieres, quæ Iudaismo deditæ erant, nescirent: & eos cùm inermes aggrederentur, & improuiso impetu, & sine vllo suspitionis periculo, vna hora decem illorum millia iugularunt.

Isa 5. Hęc erant signa, quæ præcedebant, & tanquam maximorum malorum vigilia, quæ illis contingere debebant. Nam (vt inquit Isaias) *In his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.*

Ad has calamitates alia accessit. Cestius enim Gallus Syrię prouinciæ gubernator, (vbi Iudæa cecidit) Iudæorum tumultibus intellectis, maximum parauit exercitum, atque satis instructum, & ciuitatem Zabulon cepit, & tam direptionibus, & omnes domos, quæ satis pulchræ erant, incendijs dedit. Inde verò partem exercitus in Ioppen misit, & eam tam à parte terræ, quàm maris obsidendo facilè ceperunt. In qua milites omnes in illa habitantes trucidarunt, domos diripuerunt, & totam ciuitatem incendijs tradiderunt. mortuorum numerus fuit octo millium, & quadringentorum. Et eodem modo interfecerunt, diripuerunt, & incenderunt omnes alius ciuitatis Iudææ prope Samariam habitatores.

Hanc cædem in illis locis fecit Cestius Syriæ Procurator: at aliam non minorem fecit alius Romanus dux nomine Antonius, qui magnis præsidijs in ciuitate Ascalona morabatur, quem Iudæi semper antiquo odio prosecuti sunt. Propter hanc causam tumultuosi, qui iam hostiles terras percurrebant, & populabantur, magnum pararunt exercitum, vt hanc ciuitatem aggrederentur. At dux Antonius ita vigilauit, & ad defensionem ita peditibus & equitibus se instruxit, vt ex illis decem millia interficeret, & reliquos in fugam converteret. Neque tamen hoc vulnere Iudęorum animi fracti sunt. Iterum enim maiori exercitu reuersi sunt, & iterum ab eodem duce victi, & dissipati fuerunt, vt ex illis octo millia interfecerit, licet pauci numero Romani essent. Ministros enim iustitiæ Deus illos adhibebat, & illius populi victores.

Hę sunt calamitates, & infortunia, quę ordine statim post Saluatoris mortem consecutę sunt, ita cùm diuina iustitia statueret, vt statim post peccatum pœna consequeretur. Sequuntur hæ multò maiores post Vespasiani Imperatoris cum eius filio Tito aduentum, qui populi defectioni resistebat. Superiores enim fuerunt singularum ciuitatum præcipua damna; at illa quę consecuta sunt, totius regni fuerunt, omnium illius ciuitatum, & illius præcipuæ, quæ nobilissima ciuitas Hierusalem fuit.

DE

DE MAGNIS CALAMITATIBVS, QVAE POST VESPAsiani aduentum, in Galilææ, & Iudææ prouincijs subiugandis consecuta sunt. Cap. XV.

SI molestias,& afflictiones sigillatim, quas Iudæi post Romani exercitus aduentum in illam prouinciam passi sunt, narrare vellem, esset, quod confici minimè posset, aggredi; cùm id humanam eloquentiam, & omnium tragœdiarum, quæ vnquam in terris tristissimæ fuerunt, exempla facilè vincat. Hic enim Imperator, antequam Hierusalem obsidere inciperet, omnium illius prouinciæ ciuitatum potiri decreuit: & horum qualibet fuit per se calamitas satis magna; quò enim magis incolæ resistebant, eò maiores erant deinde cædes, direptiones, captiuitates,& incendia. Cùm autem meum propositum non sit historiam contexere, sed huius supplicij magnitudinem declarare, vt per illud (vti dixi) diuinæ iustitiæ seueritas cognoscatur, & peccati grauitas, propter quod inflictum fuit; nihil aliud nonnullis in locis faciam, quàm mortuorũ numerum attingere, & nonnulla præcipua infortunia, quæ in illis contigerunt.

Hic igitur Imperator cum valde magno, & forti exercitu venit: & primò Galilææ prouinciã aggredi decreuit, cuius Iosephus, huius historiæ scriptor, procurator erat. Prima autem ciuitas, quam cepit, fuit Gadara, de qua ablatis pueris reliquos omnes interfecit, nulla misericordia, nulliusq; ratione habita,& ciuitatem, cum omnibus vicis vicinis, incendijs dedit.

Inde Iotapatam ciuitatem valde munitam obsedit, quam idem Iosephus defendebat: post multos autem congressus, & aggressus, qui per 47. dies perdurarunt, tandem armorum vi ingressi sunt, vbi, præter fœminas & pueros, nulli ætati pepercerunt. Captiui tunc in ingressu mille & ducenti fuerunt, at mortui tum obsidionis tempore, tum cùm in ciuitatem ingressi sunt, ad quadraginta millia ascenderunt.

Dum hæc ciuitas obsideretur, Iapham quoque obsedit: in quam vbi vi ingressus fuit, nulli ætati, vel senum, vel iuuenum, præter fœminas & pueros, pepercit, quos captiuos perduxit; & mortui quindecim millia fuerunt,& captiui duo millia, CXXX. Et quia paulò post hanc cædem multi ex seditiosis ad Ioppen ciuitatem profugerunt, seq; in illa munierunt, iterum Romanus exercitus eam obsedit à maris & terræ partibus, cum illisq; vtrinque pugnauit,& ita eos dissipauit, vt non terra solùm, verùm etiam mare tum sanguine, tum cadaueribus redundaret; & multi fuerunt, qui ne in manus Romanorum peruenirent, sibi mortem consciuerunt. & hic mortuorum numerus non scribitur.

Inde autem ad aliam ciuitatem nomine Taricheam se transtulit, quam post multos conflictus, & pericula, quæ in obsidione adierunt, tandem vi cepit; & omnes senes, & debiles, qui in illa erant, occidendos iussit; sex verò millia iuuenum robustorum seruauit, quos Neroni Imperatori mitteret; & reliquos omnes, qui triginta millia, & quadringenti fuerunt, vendidit, & alios multos Regi Agrippæ (à quo defecerat ciuitas) dono dedit, vt his faceret quod vellet, at ille eos quoque vendidit.

est. Nihil huiusmodi considerarunt, maluerunt bellum, quàm pacem; periculum, quàm securitatem; angores, & amissiones, quàm quietem, & omnium suorum bonorum possessionem.

Quæ calamitates in hac obsidione contigerunt, scribit Iosephus in quatuor postremis de hoc bello libris. At ego hic nihil aliud faciam, quàm aliquam partem illarum attingere, & docere, quonam modo Deus fuerit illius belli primus dux, vti diximus.

Illud primùm sciendum est; Hierusalem eo tempore omnium totius orbis terrarum fuisse ciuitatem maximam, ditissimam, nobilissimam, & munitissimam, & pulcherrimis ædificijs ornatissimam. Penè quatuor millium passuum cum quingentis in circuitu erat; non vnico, sed tribus munitissimis muris circundata, cum propugnaculis, & turribus altissimis, & solidis: tertius verò murus, qui interius erat, noningentas turres habebat: in antiquiore muro ædificauit Herodes tres turres, in memoriam trium personarum, quas ipse summopere dilexit; cuiusdam magni illius amici, qui Hippicus dicebatur; & eius fratris, qui Phaselon dicebatur; & eius vxoris Mariamnes. sic & illæ turres vocabantur. Mira erat illarum altitudo; illarum enim vna nonaginta cubitis alta erat. At lapidum magnitudo, & pulchritudo, quibus erāt constructæ, admirabilior erat, qui de candidissimo marmore erant, & quilibet erat longus viginti cubitis, & latus decem, & altus quinque; & eo artificio simul erant lapides coniuncti, vt commissuræ minimè apparerent: & ijsdem lapidibus perpolitè elaboratis templum quoque constructum erat. Quamobrem discipuli Domino dixerunt, cùm in templo esset: *Magister, aspice quales*
Mar. 13. *lapides, & quales structuræ.* quod templum ita munitum erat, vt omnium ciuitatis castellorum esset munitissimum: at ita diuina prouidentia res disposuit, vt hoc templum latronum castellum fieret, qui populabantur diu, noctuque, & ciuitatis improbos habitatores interficiebant, & in illud se recipiebant, & tutos reddebant. Alia quidem multa de munitionibus, & prouisionibus, & cisternarum copia, ne illis belli tempore aqua deesset, huius ciuitatis referre possem. At hæc omisi, vt quàm vanæ sint tum vires, tum spes hominum, cum omnibus suis armis, & præsidijs, cùm ex altera parte peccata adsunt, ostenderem. Omnes enim hæ arces, & munimenta, quæ illi habebant, Dei brachio aranearum telæ sunt, vt Babylonia testatur, Roma, Carthago, & infelix Hierusalem.

Tandem ipse Imperator Titus, quando iam ciuitate deuicta, illius munimenta vidit, dixit; Deus Romanis auxilio fuit: quòd si aliter; quæ tormenta tam munitissima loca demoliri possent?

Modus euersionis huius ciuitatis non fuit minùs Deo dignus, quàm cætera omnia illius opera. Potiorem enim belli partem per ipsius ciues confecit. Ex quo Imperator Vespasianus in multos dies bellum distulit, cùm videret, quod incolæ in tres partes diuisi facerent, se inuicem quotidie dissipando, maioribusque damnis se afficiendo, quàm ipsi hostes postulauissent, licet crudelissimi essent. Quamobrem Imperator dixit, Deum pro Romanis bellum gerere, cùm ciuitatis incolæ id omne perficerent in se ipsos, quod ipsi aduersarij facere debebant.

Huius rei principium sic se habuit, nonnulli scelesti homines, seditiosi, &

cupidi

cupidi, cùm illis videretur fieri posse, vt hoc modo meliori cõditione essent, pro patria pugnam sibi sumpserunt, dicentes, se patriæ libertatis & eius honoris esse zelantes, & ob id Zelotæ dicebantur, tanquam si dicerentur homines, qui commune bonum zelantur. Hi per totam ciuitatem armati cateruatim percurrebant, & in nobiles, & diuites viros falsa testimonia conferebant, dicentes eos cum Romanis clam tractasse, vt eis ciuitatem traderent; & indicta causa eos occidebant, & eorum bona diripiebant, populo rudi persuadentes, se id facere, vt patriæ libertatis Zelotas, cùm illius essent euersores.

Eo tempore Ananus Pontificum æuo maximus, & ciuium amator, horũ sceleratorum hominum strages & crudelitates vbi vidit, sibi populum adiunxit, & contra Zelotas armauit, & eos in angustũ locum perduxit. Quidam nomine Ioannes, clàm se cum illis coniunxerat, homo quidem callidissimus, & perditissimis moribus, qui Zelotis suasit, vt Idumæos suos finitimos in auxilium sibi aduocarent, docerentq; Ananum Pontificem velle Metropolim Romanis prodere, & se in angustum perduxisse, quòd pro libertate pugnarẽt. Quod per duos callidissimos legatos nuntiatum fuit, quos ad id delegerunt. Idumæi, nulla causæ examinatione facta, facilè credentes viginti millia hominum collegerunt, & in suæ Metropolis auxilium venerunt. At diuina iustitia, quæ aduersus illum populum pugnabat, fecit, vt qua nocte Idumæi ad ciuitatem venerunt, maxima tempestas venti, aquæ, & frigoris excitaretur, quæ misero populo maximam calamitatem inferret. Ananus enim Pontifex cùm Zelotarum proditionem intelligeret, iussit, vt ciuitatis portæ clauderentur. Quod eò molestiùs tulerũt Idumæi, quò maiori molestia propter ortam tempestatem illam noctem transfigerunt, & quòd sibi ciuitatis portas claudi viderent, quæ sibi tanquam fratribus semper patebant. Nocte intempesta custodes, qui in portis dispositi erant, somno oppressi sunt. Tunc Zelotæ, qui minimè dormiebant, ad portas accurrerunt, & limis, & ferris, quas de templo deportarunt, illarum seras limarunt, nemine sentiente, cuius rei tempestatis sonitus in causa fuit. Hac ratione portis apertis, Idumæi vnà cum Zelotis ingressi sunt, & tanquam canes rabidi, in quoscunque incidebant, eos trucidabant. Clamores, vlulatus, gemitus, & voces huius noctis tum fœminarũ, tum virorum, quis enarrabit? cùm templum, quod esse solebat miserorum profugium, sanguine redũdaret? Vt cùm illuxit per vias octo millia & quingenti homines mortui reperti fuerint: deinde omniũ bonorũ direptio consecuta est. At in Pontificem Ananum, qui illis ciuitatis portas clauserat, & in alios sacerdotes, maximè excandescebant, quos quidem interfecerunt, & insepultos esse voluerunt, vt à suibus ederentur: cùm præsertim Iudæis tanta sepulturæ cura sit, vt etiam iudicio crucifixos, ad occasum Solis deponant atq; sepeliant. Horum autem tam nobilium virorum mortem, & præsertim huius venerandi Pontificis, (inquit Iosephus) ipsam virtutem deplorasse & luxisse, cùm vidisset quantum in se vitia potuissent.

Hac verò tanta cæde illa crudelia corda minimè contenta fuerunt, imò cùm superioris noctis strages sibi modica videretur, sequenti die ad maiorem se accinxerunt. Omnem enim plebis gentem interficiebant, & nobiles in carcerem detrudebant, si fortè dum illis mortẽ differrent, sibi cõiungi & sociari vellent: quòd si facere nollent, eos obtruncabant, vbi priùs crudeliter cæcidissent.

est. Nihil huiusmodi considerarunt, maluerunt bellum, quàm pacem; periculum, quàm securitatem; angores, & amissiones, quàm quietem, & omnium suorum bonorum possessionem.

Quæ calamitates in hac obsidione contigerunt, scribit Iosephus in quatuor postremis de hoc bello libris. At ego hic nihil aliud faciam, quàm aliquam partem illarum attingere, & docere, quonam modo Deus fuerit illius belli primus dux, vti diximus.

Illud primùm sciendum est; Hierusalem eo tempore omnium totius orbis terrarum fuisse ciuitatem maximam, ditissimam, nobilissimam, & munitissimam, & pulcherrimis ædificijs ornatissimam. Penè quatuor millia passuum cum quingentis in circuitu erat; non vnico, sed tribus munitissimis muris circundata, cum propugnaculis, & turribus altissimis, & solidis: tertius verò murus, qui interius erat, noningentas turres habebat: in antiquiori muro ædificauit Herodes tres turres, in memoriam trium personarum, quas ipse summopere dilexit; cuiusdam magni illius amici, qui Hippicus dicebatur; & eius fratris, qui Phaselon dicebatur; & eius vxoris Mariamnes. Sic & illæ turres vocabantur. Mira erat illarum altitudo; illarum enim vna nonaginta cubitis alta erat. At lapidum magnitudo, & pulchritudo, quibus erāt constructæ, admirabilior erat, qui de candidissimo marmore erant, & quilibet erat longus viginti cubitis, & latus decem, & altus quinque; & eo artificio simul erant lapides coniuncti, vt commissuræ minimè apparerent: & ipsis iam lapidibus perpolitè elaboratis templum quoque constructum erat. Quamobrem discipuli Domino dixerunt, cùm in templo esset: *Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ.* quod templum ita munitum erat, vt omnium ciuitatis castellorum esset munitissimum: at ita diuina prouidentia res disposuit, vt hoc templum latronum castellum fieret, qui populabantur diu, noctuque, & ciuitatis improbos habitatores interficiebant, & in illud se recipiebant, & tutos reddebant. Alia quidem multa de munitionibus, & prouisionibus, & cisternarum copia, ne illis belli tempore aqua deesset, huius ciuitatis referre possem. At hæc omisi, vt quàm vanæ sint tum vires, tum spes hominum, cum omnibus suis armis, & præsidijs, cùm ex altera parte peccata adsunt, ostenderem. Omnes enim hæ arces, & munimenta, quæ illi habebant, Dei brachio aranearum telæ sunt, vt Babylonia testatur, Roma, Carthago, & infelix Hierusalem.

Mat. 13.

Tandem ipse Imperator Titus, quando iam ciuitate deuicta, illius munimenta vidit, dixit; Deus Romanis auxilio fuit: quòd si aliter; quæ tormenta tam munitissima loca demoliri possent?

Modus euersionis huius ciuitatis non fuit minùs Deo dignus, quàm cætera omnia illius opera. Potiorem enim belli partem per ipsius ciues confecit. Ex quo Imperator Vespasianus in multos dies bellum distulit, cùm videret, quod incolæ in tres partes diuisi facerent, se inuicem quotidie dissipando, maioribusq́ damnis se afficiendo, quàm ipsi hostes postulauissent, licet crudelissimi essent. Quamobrem Imperator dixit, Deum pro Romanis bellum gerere, cùm ciuitatis incolæ id omne perficerent in se ipsos, quod ipsi aduersarij facere debebant.

Huius rei principium sic se habuit, nonnulli scelesti homines, seditiosi, & cupidi

cupidi,cùm illis videretur fieri posse,vt hoc modo meliori cõditione essent, pro patria pugnam sibi sumpserunt,dicentes,se patriæ libertatis & eius honoris esse zelantes, & ob id Zelotæ dicebantur, tanquam si dicerentur homines, qui commune bonum zelantur. Hi per totam ciuitatem armati cateruatim percurrebant, & in nobiles, & diuites viros falsa testimonia conferebant,dicentes eos cum Romanis clam tractasse, vt eis ciuitatem traderent; & indicta causa eos occidebant, & eorum bona diripiebant, populo rudi persuadentes, se id facere,vt patriæ libertatis Zelotas,cùm illius essent euersores.

Eo tempore Ananus Pontificum æuo maximus, & ciuium amator, horũ sceleratorum hominum strages & crudelitates vbi vidit, sibi populum adiunxit, & contra Zelotas armauit,& eos in angustũ locum perduxit. Quidam nomine Ioannes,clàm se cum illis coniunxerat,homo quidem callidissimus, & perditissimis moribus,qui Zelotis suasit,vt Idumæos suos finitimos in auxilium sibi aduocarent, docerentq; Ananum Pontificem velle Metropolim Romanis prodere, & se in angustum perduxisse,quòd pro libertate pugnarẽt. Quod per duos callidissimos legatos nuntiatum fuit, quos ad id delegerunt. Idumæi, nulla causæ examinatione facta, facilè credentes viginti millia hominum collegerunt,& in suæ Metropolis auxilium venerunt. At diuina iustitia,quæ aduersus illum populum pugnabat,fecit, vt qua nocte Idumæi ad ciuitatem venerunt, maxima tempestas venti, aquæ, & frigoris excitaretur, quæ misero populo maximam calamitatem inferret. Ananus enim Pontifex cùm Zelotarum proditionem intelligeret,iussit,vt ciuitatis portæ clauderentur. Quod eò molestiùs tulerũt Idumæi, quò maiori molestia propter ortam tempestatem illam noctem transigerunt, & quòd sibi ciuitatis portas claudi viderent, quæ sibi tanquam fratribus semper patebant. Nocte intempesta custodes, qui in portis dispositi erant, somno oppressi sunt. Tunc Zelotæ, qui minimè dormiebant,ad portas accurrerunt,& limis, & ferris, quas de templo deportarunt,illarum seras limarunt, nemine sentiente, cuius rei tempestatis sonitus in causa fuit.Hac ratione portis apertis, Idumæi vnà cum Zelotis ingressi sunt,& tanquam canes rabidi,in quoscunque incidebant, eos trucidabant. Clamores, vlulatus,gemitus,& voces huius noctis tum fœminarũ, tum virorum,quis enarrabit? cùm templum, quod esse solebat miserorum profugium,sanguine redũdaret? Vt cùm illuxit per vias octo millia & quingenti homines mortui reperti fuerint: deinde omniũ bonorũ direptio consecuta est. At in Pontificem Ananum, qui illis ciuitatis portas clauserat, & in alios sacerdotes,maximè excandescebant, quos quidem interfecerunt, & insepultos esse voluerunt,vt à suibus ederentur: cùm præsertim Iudæis tanta sepulturæ cura sit,vt etiam iudicio crucifixos,ad occasum Solis deponant atq; sepeliant. Horum autem tam nobilium virorum mortem,& præsertim huius venerandi Pontificis,(inquit Iosephus) ipsam virtutem deplorasse & luxisse, cùm vidisset quantum in se vitia potuissent.

Hac verò tanta cæde illa crudelia corda minimè contenta fuerunt, imò cùm superioris noctis strages sibi modica videretur,sequenti die ad maiorem se accinxerunt. Omnem enim plebis gentem interficiebant, & nobiles in carcerem detrudebant, si fortè dum illis mortẽ differrent,sibi cõiungi & sociari vellent: quòd si facere nollent,eos obtruncabant, vbi prius crudeliter cæci-

 dissent.

esse. Nihil huiusmodi considerarunt, maluerunt bellum, quàm pacem; periculum, quàm securitatem; angores, & amissiones, quàm quietem, & omnium suorum bonorum possessionem.

Quæ calamitates in hac obsidione contigerunt, scribit Iosephus in quatuor postremis de hoc bello libris. At ego hîc nihil aliud faciam, quàm aliquam partem illarum attingere, & docere, quonam modo Deus fuerit illius belli primus dux, vti diximus.

Illud primùm sciendum est; Hierusalem eo tempore omnium totius orbis terrarum fuisse ciuitatem maximam, ditissimam, nobilissimam, & munitissimam, & pulcherrimis ædificijs ornatissimam. Penè quatuor millia passuum cum quingentis in circuitu erat; non vnico, sed tribus munitissimis muris circundata, cum propugnaculis, & turribus altissimis, & solidis: tertius verò murus, qui interius erat, nongentas turres habebat: in antiquiore muro ædificauit Herodes tres turres, in memoriam trium personarum, quas ipse summopere dilexit; cuiusdam magni illius amici, qui Hippicus dicebatur; & eius fratris, qui Phaselon dicebatur; & eius vxoris Mariamnes. sic & illæ turres vocabantur. Mira erat illarum altitudo; illarum enim vna nonaginta cubitis alta erat. At lapidum magnitudo, & pulchritudo, quibus erat constructæ, admirabilior erat, qui de candidissimo marmore erant, & quilibet erat longus viginti cubitis, & latus decem, & altus quinque; & eo artificio simul erant lapides coniuncti, vt commissuræ minimè apparerent: & ijsdem lapidibus perpolitè elaboratis templum quoque constructum erat. Quamobrem discipuli Domino dixerunt, cùm in templo esset: *Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ.* quod templum ita munitum erat, vt omnium ciuitatis castellorum esset munitissimum: at ita diuina prouidentia res disposuit, vt hoc templum latronum castellum fieret, qui populabantur diu, noctuque, & ciuitatis improbos habitatores interficiebant, & in illud se recipiebant, & tutos reddebant. Alia quidem multa de munitionibus, & prouisionibus, & cisternarum copia, ne illis belli tempore aqua deesset, huius ciuitatis referre possem. At hæc omisi, vt quàm vanæ sint tum vires, tum spes hominum, cum omnibus suis armis, & præsidijs, cùm ex altera parte peccata adsunt, ostenderem. Omnes enim hæ arces, & munimenta, quæ illi habebant, Dei brachio aranearum telæ sunt, vt Babylonia testatur, Roma, Carthago, & infelix Hierusalem.

Mat. 13.

Tandem ipse Imperator Titus, quando iam ciuitate deuicta, illius munimenta vidit, dixit; Deus Romanis auxilio fuit: quòd si aliter; quæ tormenta tam munitissima loca demoliri possent?

Modus euersionis huius ciuitatis non fuit minùs Deo dignus, quàm cætera omnia illius opera. Potiorem enim belli partem per ipsius ciues confecit. Ex quo Imperator Vespasianus in multos dies bellum distulit, cùm videret, quod incolæ in tres partes diuisi facerent, se inuicem quotidie dissipando, maioribusque damnis se afficiendo, quàm ipsi hostes postulauissent, licet crudelissimi essent. Quamobrem Imperator dixit, Deum pro Romanis bellum gerere, cùm ciuitatis incolæ id omne perficerent in se ipsos, quod ipsi aduersarij facere debebant.

Huius rei principium sic se habuit, nonnulli scelesti homines, seditiosi, & cupidi

cupidi, cùm illis videretur fieri posse, vt hoc modo meliori conditione essent, pro patria pugnam sibi sumpserunt, dicentes, se patriæ libertatis & eius honoris esse zelantes, & ob id Zelotæ dicebantur, tanquam si dicerentur homines, qui commune bonum zelantur. Hi per totam ciuitatem armati cateruatim percurrebant, & in nobiles, & diuites viros falsa testimonia conferebant, dicentes eos cum Romanis clam tractasse, vt eis ciuitatem traderent; & indicta causa eos occidebant, & eorum bona diripiebant, populo rudi persuadentes, se id facere, vt patriæ libertatis Zelotas, cùm illius essent euersores.

Eo tempore Ananus Pontificum æuo maximus, & ciuium amator, horũ sceleratorum hominum strages & crudelitates vbi vidit, sibi populum adiunxit, & contra Zelotas armauit, & eos in angustũ locum perduxit. Quidam nomine Ioannes, clàm se cum illis coniunxerat, homo quidem calidissimus, & perditissimis moribus, qui Zelotis suasit, vt Idumæos suos finitimos in auxilium sibi aduocarent, docerentq; Ananum Pontificem velle Metropolim Romanis prodere, & se in angustum perduxisse, quòd pro libertate pugnarẽt. Quod per duos callidissimos legatos nuntiatum fuit, quos ad id delegerunt. Idumæi, nulla causæ examinatione facta, facilè credentes viginti millia hominum collegerunt, & in suæ Metropolis auxilium venerunt. At diuina iustitia, quæ aduersus illum populum pugnabat, fecit, vt qua nocte Idumæi ad ciuitatem venerunt, maxima tempestas venti, aquæ, & frigoris excitaretur, quæ misero populo maximam calamitatem inferret. Ananus enim Pontifex cùm Zelotarum proditionem intelligeret, iussit, vt ciuitatis portæ clauderentur. Quod eò molestiùs tulerũt Idumæi, quò maiori molestia propter ortam tempestatem illam noctem transfigerunt, & quòd sibi ciuitatis portas claudi viderent, quæ sibi tanquam fratribus semper patebant. Nocte intempesta custodes, qui in portis dispositi erant, somno oppressi sunt. Tunc Zelotæ, qui minimè dormiebant, ad portas accurrerunt, & limis, & ferris, quas de templo deportarunt, illarum seras limarunt, nemine sentiente, cuius rei tempestatis sonitus in causa fuit. Hac ratione portis apertis, Idumæi vnà cum Zelotis ingressi sunt, & tanquam canes rabidi, in quoscunque incidebant, eos trucidabant. Clamores, vlulatus, gemitus, & voces huius noctis tum fœminarũ, tum virorum, quis enarrabit? cùm templum, quod esse solebat miserorum profugium, sanguine redũdaret? Vt cùm illuxit per vias octo millia & quingenti homines mortui reperti fuerint: deinde omniũ bonorũ direptio consecuta est. At in Pontificem Ananum, qui illis ciuitatis portas clauserat, & in alios sacerdotes, maximè excandescebant, quos quidem interfecerunt, & insepultos esse voluerunt, vt à suibus ederentur: cùm præsertim Iudæis tanta sepulturæ cura sit, vt etiam iudicio crucifixos, ad occasum Solis deponant atq; sepeliant. Horum autem tam nobilium virorum mortem, & præsertim huius venerandi Pontificis, (inquit Iosephus) ipsam virtutem deplorasse & luxisse, cùm vidisset quantum in se vitia potuissent.

Hac verò tanta cæde illa crudelia corda minimè contenta fuerunt, imò cùm superioris noctis strages sibi modica videretur, sequenti die ad maiorem se accinxerunt. Omnem enim plebis gentem interficiebant, & nobiles in carcerem detrudebant, si fortè dum illis mortẽ differrent, sibi cõiungi & sociari vellent: quòd si facere nollent, eos obtruncabant, vbi priùs crudeliter cæci-

 dissent.

esse. Nihil huiusmodi considerarunt, maluerunt bellum, quàm pacem: periculum, quàm securitatem; angores, & amissiones, quàm quietem, & omnium suorum bonorum possessionem.

Quæ calamitates in hac obsidione contigerunt, scribit Iosephus in quatuor postremis de hoc bello libris. At ego hîc nihil aliud faciam, quàm aliquam partem illarum attingere, & docere, quonam modo Deus fuerit illius belli primus dux, vti diximus.

Illud primùm sciendum est; Hierusalem eo tempore omnium totius orbis terrarum fuisse ciuitatem maximam, ditissimam, nobilissimam, & munitissimam, & pulcherrimis ædificijs ornatissimam. Penè quatuor millia passuum cum quingentis in circuitu erat; non vnico, sed tribus munitissimis muris circundata, cum propugnaculis, & turribus altissimis, & solidis: tertius verò murus, qui interius erat, noningentas turres habebat: in antiquiore muro ædificauit Herodes tres turres, in memoriam trium personarum, quas ipse summopere dilexit; cuiusdam magni illius amici, qui Hippicus dicebatur; & eius fratris, qui Phaselon dicebatur; & eius vxoris Mariamnes. sic & illæ turres vocabantur. Mira erat illarum altitudo; illarum enim vna nonaginta cubitis alta erat. At lapidum magnitudo, & pulchritudo, quibus erāt constructæ, admirabilior erat, qui de candidissimo marmore erant, & quilibet erat longus viginti cubitis, & latus decem, & altus quinque; & eo artificio simul erant lapides coniuncti, vt commissuræ minimè apparerent: & ijsdem lapidibus perpolitè elaboratis templum quoque constructum erat. Quamobrem discipuli Domino dixerunt, cùm in templo esset: *Magister, aspice quales*
Mat. 13. *lapides, & quales structuræ.* quod templum ita munitum erat, vt omnium ciuitatis castellorum esset munitissimum: at ita diuina prouidentia res disposuit, vt hoc templum latronum castellum fieret, qui populabantur diu, noctuque, & ciuitatis improbos habitatores interficiebant, & in illud se recipiebant, & tutos reddebant. Alia quidem multa de munitionibus, & prouisionibus, & cisternarum copia, ne illis belli tempore aqua deesset, huius ciuitatis referre possem. At hæc omisi, vt quàm vanæ sint tum vires, tum spes hominum, cum omnibus suis armis, & præsidijs, cùm ex altera parte peccata adsunt, ostenderem. Omnes enim hæ arces, & munimenta, quæ illi habebant, Dei brachio aranearum telæ sunt, vt Babylonia testatur, Roma, Carthago, & infelix Hierusalem.

Tandem ipse Imperator Titus, quando iam ciuitate deuicta, illius munimenta vidit, dixit; Deus Romanis auxilio fuit: quòd si aliter; quæ tormenta tam munitissima loca demoliri possent?

Modus euersionis huius ciuitatis non fuit minùs Deo dignus, quàm cætera omnia illius opera. Potiorem enim belli partem per ipsius ciues confecit. Ex quo Imperator Vespasianus in multos dies bellum distulit, cùm videret, quod incolæ in tres partes diuisi facerent, se inuicem quotidie dissipando, maioribusq; damnis se afficiendo, quàm ipsi hostes postulauissent, licet crudelissimi essent. Quamobrem Imperator dixit, Deum pro Romanis bellum gerere, cùm ciuitatis incolæ id omne perficerent in se ipsos, quod ipsi aduersarij facere debebant.

Huius rei principium sic se habuit, nonnulli scelesti homines, seditiosi, &

cupidi

cupidi,cùm illis videretur fieri posse,vt hoc modo meliori cōditione essent, pro patria pugnam sibi sumpserunt,dicentes,se patriæ libertatis & eius honoris esse zelantes, & ob id Zelotæ dicebantur, tanquam si dicerentur homines, qui commune bonum zelantur. Hi per totam ciuitatem armati cateruatim percurrebant, & in nobiles, & diuites viros falsa testimonia conferebant,dicentes eos cum Romanis clam tractasse, vt eis ciuitatem traderent; & indicta causa eos occidebant, & eorum bona diripiebant, populo rudi persuadentes, se id facere,vt patriæ libertatis Zelotas,cùm illius essent euersores.

Eo tempore Ananus Pontificum æuo maximus, & ciuium amator, horũ sceleratorum hominum strages & crudelitates vbi vidit, sibi populum adiunxit, & contra Zelotas armauit,& eos in angustũ locum perduxit. Quidam nomine Ioannes,clàm se cum illis coniunxerat,homo quidem callidissimus, & perditissimis moribus,qui Zelotis suasit,vt Idumæos suos finitimos in auxilium sibi aduocarent, docerentq; Ananum Pontificem velle Metropolim Romanis prodere, & se in angustum perduxisse,quòd pro libertate pugnarēt. Quod per duos callidissimos legatos nuntiatum fuit, quos ad id delegerunt. Idumæi, nulla causæ examinatione facta, facilè credentes viginti millia hominum collegerunt,& in suæ Metropolis auxilium venerunt. At diuina iustitia,quæ aduersus illum populum pugnabat,fecit, vt qua nocte Idumæi ad ciuitatem venerunt, maxima tempestas venti, aquæ, & frigoris excitaretur, quæ misero populo maximam calamitatem inferret. Ananus enim Pontifex cùm Zelotarum proditionem intelligeret,iussit,vt ciuitatis portæ clauderentur. Quod eò molestiùs tulerũt Idumæi, quò maiori molestia propter ortam tempestatem illam noctem transigerunt, & quòd sibi ciuitatis portas claudi viderent, quæ sibi tanquam fratribus semper patebant. Nocte intempesta custodes, qui in portis dispositi erant, somno oppressi sunt. Tunc Zelotæ, qui minimè dormiebant,ad portas accurrerunt,& limis, & ferris, quas de templo deportarunt,illarum seras limarunt, nemine sentiente, cuius rei tempestatis sonitus in causa fuit.Hac ratione portis apertis, Idumæi vnà cum Zelotis ingressi sunt,& tanquam canes rabidi,in quoscunque incidebant, eos trucidabant. Clamores, vlulatus,gemitus,& voces huius noctis tum fœminarũ, tum virorum,quis enarrabit? cùm templum, quod esse solebat miserorum profugium,sanguine redũdaret? Vt cùm illuxit per vias octo millia & quingenti homines mortui reperti fuerint: deinde omniũ bonorũ direptio consecuta est. At in Pontificem Ananum, qui illis ciuitatis portas clauserat, & in alios sacerdotes,maximè excandescebant, quos quidem interfecerunt, & insepultos esse voluerunt,vt à suibus ederentur: cùm præsertim Iudæis tanta sepulturæ cura sit,vt etiam iudicio crucifixos,ad occasum Solis deponant atq; sepeliant. Horum autem tam nobilium virorum mortem,& præsertim huius venerandi Pontificis,(inquit Iosephus) ipsam virtutem deplorasse & luxisse, cùm vidisset quantum in se vitia potuissent.

Hac verò tanta cæde illa crudelia corda minimè contenta fuerunt, imò cùm superioris noctis strages sibi modica videretur,sequenti die ad maiorem se accinxerunt. Omnem enim plebis gentem interficiebant, & nobiles in carcerem detrudebant, si fortè dum illis mortē differrent,sibi cōiungi & sociari vellent: quòd si facere nollent,eos obtruncabant, vbi priùs crudeliter cæci-

 dissent.

drinos irruerunt. Ad quos accedens ciuitatis Præſes, vt illorum tumultum comprimeret, & conciliaret, cùm nullam reperiret rationem, qua id facere poſſet, miſit duas Romanorum militum legiones, cum alijs quinque millibus, qui de Libya venerant, illis iubens, vt pro virili interficerent, diriperent, & incenderent Iudæorum domos. Qui ita eos trucidarunt, & tantam ex illis ſtragem fecerunt, vt quinque millia ex illis mortui inuenti ſint, vt neque pueris, neque ſenibus parcerent, & omnes ferro trucidarentur, & ciuitas mortuorum ſanguine redundaret.

Quid plura? Damaſci quoque incolæ cùm Iudæorum ſeditiones viderent, & à Romanis defectionem, inter ſe omnes interficere decreuerunt, qui in illa ciuitate habitarent, idque ſecretò, ne id mulieres, quæ Iudaiſmo deditæ erant, ſcirent: & eos cùm inermes aggrederentur, & improuiſo impetu, & ſine vllius ſuſpitionis periculo, vna hora decem illorum millia iugularunt.

Hęc erant ſigna, quæ præcedebant, & tanquam maximorum malorum Iſa 5. vigilia, quæ illis contingere debebant. Nam (vt inquit Iſaias) *In his omnibus non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.*

Ad has calamitates alia acceſſit. Ceſtius enim Gallus Syrię prouinciæ gubernator, (vbi Iudæa cecidit) Iudæorum tumultibus intellectis, maximum parauit exercitum, atque ſatis inſtructum, & ciuitatem Zabulon cepit, & eam direptionibus, & omnes domos, quæ ſatis pulchræ erant, incendijs dedit. Inde verò partem exercitus in Ioppen miſit, & eam tam à parte terræ, quàm maris obſidendo facilè ceperunt. In qua milites omnes in illa habitantes trucidarunt, domos diripuerunt, & totam ciuitatem incendijs tradiderunt. mortuorum numerus fuit octo millium, & quadringentorum. Et eodem modo interfecerunt, diripuerunt, & incenderunt omnes alius ciuitatis Iudææ prope Samariam habitatores.

Hanc cædem in illis locis fecit Ceſtius Syriæ Procurator: at aliam non minorem fecit alius Romanus dux nomine Antonius, qui magnis præſidijs in ciuitate Aſcalona morabatur, quem Iudæi ſemper antiquo odio proſecuti ſunt. Propter hanc cauſam tumultuoſi, qui iam hoſtiles terras percurrebant, & populabantur, magnum pararunt exercitum, vt hanc ciuitatem aggrederentur. At dux Antonius ita vigilauit, & ad defenſionem ita peditibus & equitibus ſe inſtruxit, vt ex illis decem millia interficeret, & reliquos in fugam conuerteret. Neque tamen hoc vulnere Iudęorum animi fracti ſunt. Iterum enim maiori exercitu reuerſi ſunt, & iterum ab eodem duce victi, & diſſipati fuerunt, vt ex illis octo millia interfecerit, licet pauci numero Romani eſſent. Miniſtros enim iuſtitiæ Deus illos adhibebat, & illius populi victores.

Hę ſunt calamitates, & infortunia, quę ordine ſtatim poſt Saluatoris mortem conſecutę ſunt, ita cùm diuina iuſtitia ſtatueret, vt ſtatim poſt peccatum pœna conſequeretur. Sequuntur hæ multò maiores poſt Veſpaſiani Imperatoris cum eius filio Tito aduentum, qui populi defectioni reſiſtebat. Superiores enim fuerunt ſingularum ciuitatum præcipua damna; at illa quę conſecuta ſunt, totius regni fuerunt, omnium illius ciuitatum, & illius præcipuæ, quæ nobiliſſima ciuitas Hieruſalem fuit.

DE MAGNIS CALAMITATIBVS, QVAE POST VESPAsiani aduentum, in Galilaea, & Iudaea prouincijs subiugandis consecuta sunt. Cap. XV.

SI molestias,& afflictiones sigillatim, quas Iudæi post Romani exercitus aduentum in illam prouinciam passi sunt, narrare vellem, esset, quod confici minimè posset, aggredi; cùm id humanam eloquentiam, & omnium tragœdiarum, quæ vnquam in terris tristissimæ fuerunt, exempla facilè vincat. Hic enim Imperator, antequam Hierusalem obsidere inciperet, omnium illius prouinciæ ciuitatum potiri decreuit: & horum quælibet fuit per se calamitas satis magna; quò enim magis incolæ resistebant, eò maiores erant deinde cædes, direptiones, captiuitates,& incendia. Cùm autem meum propositum non sit historiam contexere, sed huius supplicij magnitudinem declarare, vt per illud (vti dixi) diuinæ iustitiæ seueritas cognoscatur, & peccati grauitas, propter quod inflictum fuit; nihil aliud nonnullis in locis faciam, quàm mortuorũ numerum attingere, & nonnulla præcipua infortunia, quæ in illis contigerunt.

Hic igitur Imperator cum valde magno, & forti exercitu venit: & primò Galilææ prouinciã aggredi decreuit, cuius Iosephus, huius historiæ scriptor, procurator erat. Prima autem ciuitas, quam cepit, fuit Gadara, de qua ablatis pueris reliquos omnes interfecit, nulla misericordia, nullius'q ratione habita,& ciuitatem, cum omnibus vicis vicinis, incendijs dedit.

Inde Iotapatam ciuitatem valde munitam obsedit, quam idem Iosephus defendebat: post multos autem congressus, & aggressus, qui per 47. dies perdurarunt, tandem armorum vi ingressi sunt, vbi, præter fœminas & pueros, nulli ætati pepercerunt. Captiui tunc in ingressu mille & ducenti fuerunt, at mortui tum obsidionis tempore, tum cùm in ciuitatem ingressi sunt, ad quadraginta millia ascenderunt.

Dum hæc ciuitas obsideretur, Iapham quoque obsedit: in quam vbi vi ingressus fuit, nulli ætati, vel senum, vel iuuenum, præter fœminas & pueros, pepercit, quos captiuos perduxit; & mortui quindecim millia fuerunt,& captiui duo millia, CXXX. Et quia paulò post hanc cædem multi ex seditiosis ad Ioppen ciuitatem profugerunt, seq; in illa munierunt, iterum Romanus exercitus eam obsedit à maris & terræ partibus, cum illis'q vtrinque pugnauit,& ita eos dissipauit, vt non terra solùm, verùm etiam mare tum sanguine, tum cadaueribus redundaret; & multi fuerunt, qui ne in manus Romanorum peruenirent, sibi mortem consciuerunt. & hîc mortuorum numerus non scribitur.

Inde autem ad aliam ciuitatem nomine Taricheam se transtulit, quam post multos conflictus, & pericula, quæ in obsidione adierunt, tandem vi cepit; & omnes senes, & debiles, qui in illa erant, occidendos iussit; sex verò millia iuuenum robustorum seruauit, quos Neroni Imperatori mitteret; & reliquos omnes, qui triginta millia, & quadringenti fuerunt, vendidit, & alios multos Regi Agrippæ (à quo defecerat ciuitas) dono dedit, vt his faceret quod vellet, at ille eos quoque vendidit.

Neque hic nouum calamitatis genus prætermittendum eſt, quod alijs accidit ex illorum numero, qui defecerant, qui in quoddã munitiſſimum oppidum ſe receperant; at loci munitio illis nihil profuit. Quamobrem vbi viderunt, omni adhibita diligentia, vt ſe defenderent, nullam ſalutis ſpem ſibi reliquam eſſe, cumq́ cognoſcerent, nullis Romanos parcere, decreuerunt in ſe hoſtis officio perfungi, & illorum armis tempus præripere: quo ita decreto, parentes filios complectebantur, & viri ſuas vxores, & in hoc poſtremo diſceſſu multam lachrymarum vim effundentes, in illorum corpora enſes figebant, & eos interficiebant, & ad hanc cædem decem ex robuſtiſſimis delegerunt: qui vbi cæteros occiderunt, ſibi quoque mortem conſciuerunt, & poſtremus qui fuit idem fecit, & ſe ipſe ſuper aliorum ſtruem proiecit. Duæ tantùm mulieres ex hac gente ſuperſtites fuerunt, quæ quadam felicitate profugerunt: & hæ Romanos de huius rei euentu certiores reddiderunt.

Quis fortaſſe ſciſcitabitur cur Imperatores Veſpaſianus, & illius filius Titus, cùm ambo optimi Imperatores eſſent, atque clementes, poſt victoriam tam crudeles in victos eſſent, vt eos trucidandos vellent; præſertim cùm Romani in victorijs crudeles non eſſent, vt cæteræ nationes barbaræ & immanes eſſe ſolent. Ad quod reſpondemus; quòd quemadmodum Deus Nabuchodonoſor inſtrumento vſus eſt, quo ſuum populum ob illorum grauia peccata puniret, & præſertim idololatriæ peccatum: ſic his Imperatoribus vſus eſt, vt aliud maius peccatum, Saluatoris ſcilicet mortem, vindicaret. In quo miram quandam rem pro argumento adducam, quæ his Imperatoribus in cuiuſdam ciuitatis nomine Gamalæ expugnatione contigit, in cuius expugnatione tum Romanus exercitus, tum Veſpaſianus Imperator in maximo periculo verſatus eſt. Nam vbi in ciuitatem ingreſſi fuerunt, illius defenſores in quoddam caſtellum ſe receperunt munitiſſimum, quod in alto monte multis rupibus ſeptum ſitum erat; quod Romani, vt caperent, cùm valde infeſtarent, tam multos lapides, & ſagittas demittebant in illos, vt maximum excidia re detrimentum caperent, contrà autem Romani nullum illis loci altitudine damnum inferre poterant. In hoc obſtinato conflictu (inquit Ioſephus) repentè diuina prouidentia, tam validus ventus, & turbo ortus fuit in obſeſſos, qui ſagittas, quas iaciebant, ita in latus deportabat, vt Romanos minimè ferire poſſent, at Romanorum ſagittas rectà in hoſtes, & maiori impetu deferebat. Hoc quoque miraculum fecit Deus pro religioſiſſimo Imperatore Theodoſio, cum tyranni exercitu confligente. Ex quo iure optimo exclamauit Claudianus Poeta, inquiens:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
AEolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſsica venti.

Hoc igitur miraculo declarauit Deus, ſe præcipuum fuiſſe Romanorum ducem, cùm ipſe ſuorum ventorum opera bellum gereret. Huius victoriæ concluſio fuit, quòd obſeſſi in ſeipſos crudeliores fuerunt, quàm obſidentes; hi enim quatuor millia hominum interfecerunt: at qui ſuperſtites fuerunt, ex illis rupibus ſe præcipitàrunt, (ne in Romanorum manus peruenirent) qui fuerunt quinque millia.

Poſt

Post hanc calamitatem, Gadaræ ciuitatis cõsecuta est, quæ se Vespasiano dedit: at omnes iuuenes, & viri robusti de ciuitate profugerunt, qui casu incidentes alio loco in aliorum, qui secum eiusdem generis erant, magnam manum, ex vtrisque vnicum exercitũ confecerunt, aduersus quos exercitus Romanus iuit per illam terram totam trucidando, depopulando, atque comburendo, & eos vsque ad Iordanum flumen persecuti sunt, quod quidẽ aquarum copia vadari nequibat. Quamobrem fugitiuos cõfligere cum hostibus necesse fuit: in quo conflictu tredecim millia hominum interfecta fuerũt ex ijs, qui fugiebant: & duo millia, & ducenti capti, alij multi se in flumen proiecerunt, & mortui sunt, & ita mortuorum numerus infinitus erat. Hæc calamitas superioribus maior fuit, non solùm propter magnam stragẽ, & cædẽ, quam in toto itinere, quà transibat exercitus, fecit, verùm etiam quòd fluminis aqua profluens cadauerum multitudine impediebatur, quo minùs currere posset: sic quoque se habebat Asphaltites lacus, qui cum illo finitimus est, qua cadauera percurrebant, & per alia flumina etiam deferebantur.

Quis igitur hæc legens, & idomne diuina prouidentia fieri intelligẽs, nõ stupescat, non exclamet: O Dei iustitia, ô Dei vindicta, ô Dei animaduersio. Quis vnquam flumina detenta, & capta vidit, flumina inquam magna, cadaueribus? Quàm iure dixit Apostolus, horribile esse in manum Dei viuentis cadere; & Dauid eum vltionis Deum vocasse propter seueritatem, qua in peccatores animaduertit. Heb. 10. Psal. 93.

Vt autem redeam ad rem, parta hac victoria, exercitus vlterius progressus est: omnia loca, & oppida quotquot inueniebat superans, vt omnis terra, quæ iuxta flumen Iordanem sita est, in Romanorum potestate relicta fuerit.

DE HIERVSALEM OBSIDIONE, ET DE ADuersitatibus, & discordijs, & fame, quæ in illa contigerunt. Cap. XVI.

CALAMITATIBVS, & cædibus expositis, quæ Hierusalem obsidionem præcesserũt, (quæ est prima nostræ diuisionis pars) nunc secundam prosequemur; quæ de alijs multò maioribus est, quæ in eiusdem ciuitatis obsidione, & expugnatione contigerunt.

Imperator igitur Titus (cui huius belli negotium commissum fuit, quòd illius pater longè aberat) potitus iam omnium Galilææ ciuitatum, vnà cum nonnullis alijs, in Hierusalem arma cõuertere decreuit, & hoc opus conficere, & illud obsidere, quod regni caput esset. Primùm omnibus incolis pacem, & veniam obtulit, vt & cæteris ciuitatibus, si vellent arma deponere. At cùm diuina iustitia iusti sanguinẽ vellet vindicare, & aliorũ suorũ seruorũ, qui Hierusalem occisi fuerãt, (vt fuit S. Stephanus, S. Iacobus maior, & minor, & S. Matthias) permisit, vt ita obcæcarentur, vt neque pacem illis fideliter oblatam acciperent; neque exercitus magnitudinem animaduerterẽt, quo erant obsessi; neque Romanorum prosperam fortunam, neque in armis præstantiam, qui iam vniuersum terrarum orbem debellarant, & numerosissimas nationes deuicerant; neq; animaduerterẽt iam omnes illius regni ciuitates expugnatas, direptas atque incensas, & mortuorum sepulturas effectas esse.

est. Nihil huiusmodi considerarunt, maluerunt bellum, quàm pacem; periculum, quàm securitatem; angores, & amissiones, quàm quietem, & omnium suorum bonorum possessionem.

Quæ calamitates in hac obsidione contigerunt, scribit Iosephus in quatuor postremis de hoc bello libris. At ego hic nihil aliud faciam, quàm aliquam partem illarum attingere, & docere, quonam modo Deus fuerit illius belli primus dux, vti diximus.

Illud primùm sciendum est; Hierusalem eo tempore omnium totius orbis terrarum fuisse ciuitatem maximam, ditissimam, nobilissimam, & munitissimam, & pulcherrimis ædificijs ornatissimam. Penè quatuor millia passuum cum quingentis in circuitu erat; non vnico, sed tribus munitissimis muris circundata, cum propugnaculis, & turribus altissimis, & solidis: tertius verò murus, qui interius erat, noningentas turres habebat: in antiquiore muro ædificauit Herodes tres turres, in memoriam trium personarum, quas ipse summopere dilexit; cuiusdam magni illius amici, qui Hippicus dicebatur; & eius fratris, qui Phaselon dicebatur; & eius vxoris Mariamnes. sic & illæ turres vocabantur. Mira erat illarum altitudo; illarum enim vna nonaginta cubitis alta erat. At lapidum magnitudo, & pulchritudo, quibus erat constructæ, admirabilior erat, qui de candidissimo marmore erant, & quilibet erat longus viginti cubitis, & latus decem, & altus quinque; & eo artificio simul erant lapides coniuncti, vt commissuræ minimè apparerent: & ijsdem lapidibus perpolitè elaboratis templum quoque constructum erat. Quamobrem discipuli Domino dixerunt, cùm in templo esset: *Magister, aspice quales* Mat. 13. *lapides, & quales structuræ.* quod templum ita munitum erat, vt omnium ciuitatis castellorum esset munitissimum: at ita diuina prouidentia res disposuit, vt hoc templum latronum castellum fieret, qui populabantur diu, noctuque, & ciuitatis improbos habitatores interficiebant, & in illud se recipiebant, & tutos reddebant. Alia quidem multa de munitionibus, & prouisionibus, & cisternarum copia, ne illis belli tempore aqua deesset, huius ciuitatis referre possem. At hæc omisi, vt quàm vanæ sint tum vires, tum spes hominum, cum omnibus suis armis, & præsidijs, cùm ex altera parte peccata adsunt, ostenderem. Omnes enim hæ arces, & munimenta, quæ illi habebant, Dei brachio aranearum telæ sunt, vt Babylonia testatur, Roma, Carthago, & infelix Hierusalem.

Tandem ipse Imperator Titus, quando iam ciuitate deuicta, illius munimenta vidit, dixit; Deus Romanis auxilio fuit: quòd si aliter; quæ tormenta tam munitissima loca demoliri possent?

Modus euersionis huius ciuitatis non fuit minus Deo dignus, quàm cætera omnia illius opera. Potiorem enim belli partem per ipsius ciues confecit. Ex quo Imperator Vespasianus in multos dies bellum distulit, cùm videret, quod incolæ in tres partes diuisi facerent, se inuicem quotidie dissipando, maioribusq; damnis se afficiendo, quàm ipsi hostes postulauissent, licet crudelissimi essent. Quamobrem Imperator dixit, Deum pro Romanis bellum gerere, cùm ciuitatis incolæ id omne perficerent in se ipsos, quod ipsi aduersarij facere debebant.

Huius rei principium sic se habuit, nonnulli scelesti homines, seditiosi, & cupidi

cupidi,cùm illis videretur fieri posse,vt hoc modo meliori cōditione essent, pro patria pugnam sibi sumpserunt,dicentes,se patriæ libertatis & eius honoris esse zelantes, & ob id Zelotæ dicebantur, tanquam si dicerentur homines, qui commune bonum zelantur. Hi per totam ciuitatem armati cateruatim percurrebant, & in nobiles,& diuites viros falsa testimonia conferebant,dicentes eos cum Romanis clam tractasse, vt eis ciuitatem traderent; & indicta causa eos occidebant, & eorum bona diripiebant, populo rudi persuadentes, se id facere,vt patriæ libertatis Zelotas,cùm illius essent euersores.

Eo tempore Ananus Pontificum æuo maximus, & ciuium amator, horū scelceratorum hominum strages & crudelitates vbi vidit, sibi populum adiunxit, & contra Zelotas armauit,& eos in angustū locum perduxit. Quidam nomine Ioannes,clàm se cum illis coniunxerat,homo quidem callidissimus, & perditissimis moribus,qui Zelotis suasit,vt Idumæos suos finitimos in auxilium sibi aduocarent, docerentq; Ananum Pontificem velle Metropolim Romanis prodere, & se in angustum perduxisse,quòd pro libertate pugnarēt. Quod per duos callidissimos legatos nuntiatum fuit, quos ad id delegerunt. Idumæi, nulla causæ examinatione facta, facilè credentes viginti millia hominum collegerunt,& in suæ Metropolis auxilium venerunt. At diuina iustitia,quæ aduersus illum populum pugnabat,fecit, vt qua nocte Idumæi ad ciuitatem venerunt, maxima tempestas venti, aquæ, & frigoris excitaretur, quæ misero populo maximam calamitatem inferret. Ananus enim Pontifex cùm Zelotarum proditionem intelligeret,iussit,vt ciuitatis portæ clauderentur. Quod eò molestiùs tulerūt Idumæi, quò maiori molestia propter ortam tempestatem illam noctem transigerunt, & quòd sibi ciuitatis portas claudi viderent, quæ sibi tanquam fratribus semper patebant. Nocte intempesta custodes, qui in portis dispositi erant, somno oppressi sunt. Tunc Zelotæ, qui minimè dormiebant,ad portas accurrerunt,& limis, & ferris, quas de templo deportarunt,illarum seras limarunt, nemine sentiente, cuius rei tempestatis sonitus in causa fuit. Hac ratione portis apertis, Idumæi vnà cum Zelotis ingressi sunt,& tanquam canes rabidi,in quoscunque incidebant, eos trucidabant. Clamores, vlulatus,gemitus,& voces huius noctis tum fœminarū, tum virorum,quis enarrabit? cùm templum, quod esse solebat miserorum profugium,sanguine redūdaret? Vt cùm illuxit per vias octo millia & quingenti homines mortui reperti fuerint: deinde omniū bonorū direptio consecuta est. At in Pontificem Ananum, qui illis ciuitatis portas clauserat, & in alios sacerdotes,maximè excandescebant, quos quidem interfecerunt, & insepultos esse voluerunt, vt à suibus ederentur: cùm præsertim Iudæis tanta sepulturæ cura sit,vt etiam iudicio crucifixos,ad occasum Solis deponant atq; sepeliant. Horum autem tam nobilium virorum mortem,& præsertim huius venerandi Pontificis,(inquit Iosephus) ipsam virtutem deplorasse & luxisse, cùm vidisset quantum in se vitia potuissent.

Hac verò tanta cæde illa crudelia corda minimè contenta fuerunt, imò cùm superioris noctis strages sibi modica videretur,sequenti die ad maiorem se accinxerunt. Omnem enim plebis gentem interficiebant, & nobiles in carcerem detrudebant, si fortè dum illis mortē differrent,sibi cōiungi & sociari vellent: quòd si facere nollent,eos obtruncabant, vbi priùs crudeliter cæcidissent.

diffent. Tantum ex hac re timorem, & metum conceperat populus, vt suorum propinquorum morte, non modò non lugere, sed ne suspirare quidem auderent. Nam cùm hostes id persentirent, ita viuos afficiebant, vt & mortuos affecerant. Erant nonnulli, qui noctu suorum cadauera aliquantulo terræ contegebant, alij audaciores id interdiu faciebant. Hæc calamitas tanta fuit, & ita sanguine redundauit, vt quodecim millia hominum interfecta fuerint. Hoc modo Idumæi iam cæde & latrocinijs satiati domum reuersi sunt.

At hic Ioannes, de quo paulò ante mentionem fecimus, non eo contentus erat, vt in Zelotis esset: ad maiora enim aspirabat, & sibi manum comparare studebat. Ex quo tum artificio, tum dexteritate omnes, quos potuit, perditos homines & scelestos sibi sociauit, quorum auxilio reipub. tyrannidem sibi comparare, quòd sine rege erat, sperabat. Nonnũquam cum Zelotis pugnabat, belli verò præmium erat infelix populus, & diuitum domus, quorum bona diripiebant, dicentes omnes illos pro Romanis esse, qui suam non tenerentur partem.

Eodem tempore extra ciuitatem alius tyrannus, nomine Simon, exortus est, qui congregatis profugis omnibus & seditiosis, quoscunque potuit, seruis libertatem pollicens, non exiguum exercitum sibi comparauit; quo extra vrbem latrocinabatur, interficiebat, & depopulabatur, quidquid poterat. Hoc modo, neque intus in ciuitate, neque foris, quidquam tutum erat: foris enim Simon depopulabatur, & interficiebat; & intus Zelotæ, & antè dictus Ioannes.

Et ne quod calamitatis genus miseræ ciuitati deesset, illius habitatores, cùm stragem & latrocinia viderent, quæ Ioannes faciebat, & se illi minimè resistere posse, aliud maius malum adinuenerunt, vt minori remedium afferrent. Nam, vt alterum tyrannum superarent, alterum susceperunt, ciuitatis portas Simoni aperientes, & eum ducem contra Ioannem deligentes. Hoc modo ciuitas in tres tyrannos diuisa erat: Zelotæ etenim Eleazarum sibi ducem suscipientes templi potiti, & omnium cibariorum & armorum, quæcunque ibi inuenerunt, domini effecti sunt, & templo pro arce munitissima vtebantur. Simon suorum opera vtebatur, & populi, qui eum acciuerat, & ducé delegerat. Ioannes quoque suas habebat cohortes, & pro viribus cum Zelotis pugnabat, qui (vt dixi) templum occupauerant, in illos maximum sagittarũ numerum, & hastarum iaciendo, quibus feriebant multos sacerdotes, qui ibi habitabant, & qui ad sacrificandum se illuc conferebant. Tam multi hoc modo è vita discedebant, vt sacratissimum templum (ab omnibus totius terrarũ nationibus cultum) violatum, & prophanatum esset, & sanguinis stagnum suorum ciuium effectum. Licet minus esset (inquit Iosephus) quod ò infelix ciuitas à Romanis passa esses, quàm quod à tuis passa es? qui profectò venient nunc ignis flammis ad tua scelera purganda. Non enim ampliùs es religionis locus, sed tuorum sepultura, & latronum oppidum.

Post hoc bellum aliud sequitur inter Simonem, & Ioannem; in quo si Ioannes vincebat, in eorum domos irruebat, qui Simonis partem sequebãtur, & omnia destruebat, (quarum domorum multæ frumenti, & aliarum rerum plenæ erant, quæ illis etiam dedissent, quod esset illis famis, quam ipsi in illa obsidione patiebantur, optimum remedium) quod illorum perditionis maximè

nimè causa fuit. Contrà verò si vincebat Simon, eodē modo in domos eorum, qui Ioannem sequebantur, irruebat, hoc modo belli neruum incidendo, & id omne faciendo, quod Romanus exercitus desiderare potuisset. Hoc modo hi duo tyranni inter se digladiabantur, quisque cupiditate regnandi adductus. Qui cùm in omnibus rebus essent sibi inuicē capitali odio affecti, in vna tantùm concordes erant, vt scilicet eos vita priuarent, qui vita digni essent. Cumq; tam multæ essent in populo gemituum, & lachrymarum causæ; nemo tamē palàm, vel gemere, vel lachrymas emittere audebat. adeò magnus erat timor horum tyrannorum crudelitate conceptus, vt silentes, in se & lachrymas, & questus comprimerent. Eò enim res perducta erat, vt neque viuorum ratio haberetur, neque sepeliendorum mortuorum cura. Quicunque verò se illorum aciei non iungebant, viuendi spem penitus abijciebant, scientes se statim esse morituros: seditiosi verò pedibus super cadauerum quasi lignorum strue fixis inuicem pugnabant; & ex illis, quos pessundabant, nouas vires suscipientes, semper maiora mala moliebantur, & nunquam cessabant omne genus scelerum in miseros exercere. Hactenus crudelissimum bellum inter eosdem ciues perdurauit.

Cùm in hoc statu ciuitas esset, Imperator Titus cum suo exercitu aduenit, vt id perficeret, quod cœperant ciues. Iam enim diuina iustitia postulabat, vt quo loco iniustissima Saluatoris mors perpetrata erat, eodem illius præcipua vindicta perficeretur; vtq; cum loco, & tempus concordaret, quod erat agni Paschæ. Ad hoc enim festum, quod extra Hierusalem celebrari minimè poterat, omnes vbique in Iudæa habitantes conuenerunt, tanquam mortis manu inuisibiliter tracti, quę eos congregabat, vt vnà suæ pœnæ sententiam acciperent: quorum numerum inquit Iosephus fuisse tricies centena millia. Et iusto Dei iudicio hoc tempus delectum fuit, vt cùm his Paschæ diebus manibus sanguine perfusis, & blasphemantibus vocibus suum Saluatorem damnassent, ijsdem tanta illorum multitudo esset tanquam in nassa congregata, vt ibi dignam suis peccatis pœnam darent.

Hic eos prætermitto, qui gladio, & alijs tormētorum generibus interfecti fuerunt; (nimis enim longum esset) terribilem tantummodò famem, quam passi sunt, vt idem historicus refert, narraturus sum. Ex quo legentes hæc facilè cernent, quàm fit hominibus abhorrendū contra Christi gloriam insurgere: & quàm grauibus pœnis crimen diuinæ Maiestatis lasæ coerceatur.

Crudelis fames (inquit Iosephus) diuitibus maximo angori, & solicitudini erat; qui æqualem existimabant esse calamitatem, vel in ciuitate permanere, vel mori. Qui enim in ciuitate permanebant suarum rerum cupiditate adducti, accusabantur, quòd fugere vellent, & propter hanc causam capite dānabantur. Famis autem necessitas sceleratorum hominum rabiem accendebat, & simul eorum famem, & crudelitatem adaugebat. Neq; in tabernis, neq; alijs publicis locis frumentum cernebatur: sed latrones in domos irruebant, & si quid tritici reperiebant, satis magno pretio suo domino constabat, qui capite damnabatur, quòd illud celasset. Quòd si non inueniebant, illos torquebāt, quòd illud satis probè abscondissent. Nihil enim aliud, ad probandum eos aliquid cibariorum absconditum habere, volebant, nisi videre, quòd adhuc viuerent; quod si nihil cibi habuissent, minimè fieri posset quin è vita cessissent.

Quos verò per vias fame confectos obuios habebant, prætermittebant, superuacaneum esse existimantes, vt in eos suo vterentur ense, qui paulò pòst fame perituri essent. Multi fuerunt, qui sua omnia pro tritici quadam mensura clàm dederunt, si multum id esset; quòd si parum, hordei: & in domorum penetralibus clausi illud comedebant. Nonnulli grana comedebant, non expectantes vt ex ijs panis fieret: alij quatenus tum necessitas, tum timor permitterent, illud coquebant. Nemo tamen expectabat dum mensa sterneretur; sed dum bulliret cibus, de igne remouebant: & suum ipsorum panem surripiebant non aliter ac si illum furati essent. Dignum quidem misericordia erat videre, quòd qui potentiores erant, quidquid inueniebant, id omne comedebant: pauperibus autem, & miseris nihil aliud restabat, quàm suspirare, & lachrymas effundere.

Et licet fames per se facilè omnes calamitates vincat, maius tamē malum, quod producat, est, quòd homines penitus impudentes facit. Quidquid enim annonæ vilitate turpe habetur, famis tempore turpe non habetur. Inde fiebat, vt mulieres sibi turpe non esse ducerent, de manibus suorum virorum cibum extorquere, neque filij de parentum manibus. Et (quod maiori misericordia dignum erat) matres ex ore suorum infantium eripiebant. cumque suos filios in suo complexu fame mori viderent, ab illorum dentibus tamen rapiebant, quidquid cibi reliquum esset. Neque tamen eo, quod tam miseris rationibus consequebantur, tutò frui poterant. Statim enim aliquis latronum ingrediebatur, qui cùm aliquod ostium clausum videret, existimabat ibi aliquem cibum adesse: & portis fractis maximo cum furore irruebat, & cibum (vt ita dicam) comesum ex illorum faucibus eripiebat. Senes cædebant, si quid cibi conditum habere existimarent: mulieres per capillos raptabant, si quid in gremio habere viderent, quod celare vellent. Nemo senum rationem ducebat, nemo in pueros misericordia afficiebatur. Imò pueros, quos à suo pane extrahebant, ita ex illo pendentes in murū illidebant. Quòd si quis citiùs cibum comederet, quàm latrones ei eriperent, crudeliùs torquebatur, quia in illos crudeles pœnas excogitabant. Orificia enim egestionis naturalia alij obturabant, alijs palos per eadem loca infigebant, (tremo quidē, dum huiusmodi tormentum narro) vt vel panem, vel aliquam paruam farinæ mensuram extorquerent. Hoc quidem fuisset tolerabilius, si ipsi scelerati fecissent id fame adducti; sed satiati id faciebant, & nihil aliud quærebant, quàm vel cibum conditum habere in posterum, vel vt ex suæ crudelitatis exercitatione illorum immanitas cresceret. Quòd si qui fortè per stationes hostium occultè transirent, vt herbas carperent, in illos irruebant, & quidquid secum ferrent, eripiebant. Et si illos rogarent, atque orarent, & Dei terribile nomen illis proponerent, vt saltem eius, quod suæ vitæ periculo inuenerant, partem relinquerent, non exaudiebantur: sed satis magnum beneficium in illos conferre se existimabant, si illos viuos reliquissent.

Et cùm minimè fieri posset, vt ciuitatem desererent, & nulla spes salutis illis reliqua esset, sic fames crescebat, vt integras domos, vicos, & tādem totam ciuitatē perderet. Vt & in domibus, & vijs innumera cadauera videres, & virorum, & fœminarum, & puerorum, & infelicium senum, magis fame, quàm senio confectorum. Iuuenes robustiores per vias vagabātur, atque per ciuta-

tis portas, vt animę, quæ torquerentur, & potiùs statuis, quàm hominibus similes erant, & singulo quoque gressu, vbi eos fames premeret, cadere videres. Mortuorum multitudo, & eorum infirmitas, qui superstites erant, amicorū, & propinquorum corpora sepultura afficere minimè permittebat: cùm cuique satis superque esset sua ipsius mala lugere: nonnulli fuerunt, qui cùm quoddam cadauer sepelirent, vnà cum illo in sepultura ceciderunt: alij cùm alia ad sepeliendum corpora efferrent, antequā ad sepulturam venirent, animā efflarunt. Neminē deplorabant mortuum; neque funera, vt solebant, efferebantur: omne enim tempus, & omnem curam in fame consumebant: neque illis vires reliquæ erant ad lugendum; siccitas enim fame contracta oculorum humorem exsiccauerat. Altum silentium ciuitatem plenamque mortuis nox comprehenderat.

Omnibus autem calamitatibus superior erat latronū immanitas, qui sibi fas esse arbitrabantur, sepulturas aperire, & cadauera spoliare, non tam cupiditate furandi, quod inuenirent, quàm animi causa, & mortuorum irrisione, & vt gladiorum aciem in cadauera experirentur. Nonnunquam in eos, qui iamiam expiraturi essent, enses experiebantur; quod nonnulli, qui eò peruenerant, satis sibi magnum beneficium esse putabant, & id supplices petebant, vt famis rabie liberarentur: ipsi verò maxima crudelitate adducti, animi causa alijs mortem inferebant, alijs postulantibus negabant. Multi ingentibus suspirijs, cùm morituri essent, ad templum oculos conuertebant, non tam suorum ipsorum dolore, quàm quòd suos persecutores impunè viuentes viderent. Initio decreuerant, vt ciuitatis impensis mortui sepelirentur, ne pestifero fœtore læderetur ciuitas: at vbi cadauera vincebant illos, qui in ciuitate erant, eos de muris in valles præcipitabant. Imperator autem Titus circa ciuitatem cùm deambularet, valles cadauerum plenas vidit, quæ fœtore vicina loca pestifera reddebant, & oculis ad cælum eleuatis plena voce inquit: Testor Deum, me non esse in causa, vt tanta clades fiat.

Quare illud mihi compertissimum est, quòd licet in ciues Romanorum arma cessassent, non tamen ciuitas incolumis permansisset. Vel enim terra dehiscente demersa esset, aut alterum diluuiū eam sustulisset, vel de cælo ignis sagittæ descendissent, & eam, vt Sodomā absumpsisset. Hęc Iosephus in libro quinto suę historię, & in sexto penè idem repetit, & quod sequitur adiungit.

Fame quidem impellebantur, vt ea comederent, quę vel animalia rationis expertia respuunt. Vt vel equorum lora, & suos baltheos, & suos calceos, & coria, quibus ostia intus contegebant, comedere fas esse ducerent: erant & qui siccas paleas, & boum stercora comederent, & quodcunque stercus reperiebatur, illius paruum pondus quatuor numis vendebatur. Cur autem in hac re moror, vt sigillatim huius oppressionis grauitatem enarrem, cùm vnum sit solum, quod eam satis apertè demōstrare possit? Eo enim tempore quiddam accidit, quod nunquam inter barbaras nationes auditū est, horribile quidem dictu, & auditu incredibile. Et libenter quidem tam horribilem historiam tacuissem, ne existimaret homo, qui res monstruosas enarret, nisi ad nostram vsque ętatem peruenissent, qui huic rei interfuerunt, & viri fide digni: neque meę patriæ vtile esse existimo calamitates tacere, quas re ipsa passa est.

De quodam casu cognitione digno cuiusdam fœminæ, quæ proprium filium comedit, deq; vltima omnium calamitatum Iudæorum, & vt Christus id prophetauerat.

MVlier quædam ex numero trans Iordanem habitantium incolarum, Maria nomine, Eleazari filia de vico Vetezobra, genere ac diuitijs nobilis, cum alia multitudine fugiens in Hierosolymam recepta, cum cæteris obsidebatur. Huius alia quidem bona tyranni diripuerunt, quæ ex transamnanis locis in oppidum comportauerat. Reliquias verò conditorum, & si alimenta reperissent, irrumpentes domum eius satellites, quotidie auferebant. Grauiter autem mulier indignabatur: proptereaquè sæpissimè raptoribus maledicens, & imprecans, eos contra se vehementiùs irritabat: cùm neque iratus, neque miserans, eam quisquã vellet interficere. Sed victum quidem parando alijs parabat: vndique autem adempta iam erat ei etiam rapiendi facultas, famesq; visceribus & medullis irrepserat. Plus verò quàm fames iracundia succendebat. Igitur vi animi ac necessitate impulsa, rebus aduersis contra naturam excitatur: raptoq; filio, quem lactentem habebat, Miserũ te, ait, infans, in bello & fame & seditione cui te seruauero? Apud Romanos etiam si vixeris seruiturus es: fames autem præuenit seruitutem: his verò seditiosi sæuiores sunt. Esto igitur mihi cibus, & seditiosis furia, & humanę vitæ fabula, quæ sola deest calamitatibus Iudæorum. Et hoc simul dicens, occidit filium, coctumq; medium comedit, adopertum verò reliquum seruauit. Ecce autem aderant seditiosi, & contaminatissimi nidoris odore capti, mortem ei statim, nisi quod parasset, ostenderet, minabantur. Illa verò bonam partem se reseruasse respondens, aperit filij reliquias. Illos autem confestim horror cepit atque dementia, visuq; ipso diriguerũt. At mulier: Et hic, inquit, est verè filius & facinus meum, comedite: nam & ego comedi. Nolo vt sitis, aut fœmina molliores, aut matre misericordiores. Quòd si vos pietatem colitis, & mea sacrificia repudiatis, ego quidem comedi, reliquũ eius me manebit. Post hoc illi quidem trementes exierũt, ad hoc solum timidi, vixq; hoc cibi matri cessere. Mox autem repleta est eo scelere tota ciuitas: & vnusquisq; ante oculos sibi cladem illam proponens, tanquam hoc ipse admisisset, horrebat. Ab omnibus autem quos fames vrgebat, properabatur ad mortem, & beati appellabantur, qui priùs, quàm id paterentur, interijssent. Hæc Iosephus.

Ad hoc facinus à nobis relatum antea Saluatoris dictum refertur, qui cùm
Mar. 13. Iudæis mala minaretur, quę illis impenderent, sic illis inquit: *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate vero vt hyeme non fiant. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus vsque nunc, neque fient.* Cùm autem dictus Historicus eorum summam colligit, qui in illa calamitate perierunt tum ferro, tum fame, inquit fuisse 1100000. Latrones deinde, & homicidę, qui per ciuitatem diripiebant, & interficiebant, se ipsi tandem interfecerunt. Nonnulli verò formosi iuuenes ac satis agiles conseruati sunt, vt in vinculis Romam pro gloria triumphi, atque pompa ducerentur: cæteri verò, qui plures quàm decem & septem annos nati erant, ad latomias in AEgypto perducti fuerunt. Alij verò in diuersas prouincias dispersi sunt,

sunt,alij vt ferro trucidarentur,alij vt feris crudelibus festis & ludis, qui suis dijs celebrabantur,exponerentur : pauciores quàm decem & septē annos nati, venditi fuerunt, vt in diuersis mundi regionibus perpetuo seruitio essent obligati,qui numero fuerunt ad 90000. Hæc quidem calamitas (licet nullum aliud argumentum adesset)satis erat,vt corda,quàm saxa duriora, emolliret. Mihi enim dicatur, num quis ex ijs qui nati sunt, postquam Deus mundum creauit ad hoc vsque tempus,audiuerit vnquam, aut legerit, in vnius ciuitatis obsidione,aut prælio,tantum mortuorum numerum fuisse,quantus in hac fuit? Neque inquam tantus, sed an aliquod præliorum ex omnibus, quæ in terris fuerunt, ad huius numeri dimidium peruenerit? Euoluant sæpe & sæpius,quęcunque historiæ fidelium, & infidelium, tum Latinorum, tum barbarorum conscriptę sunt,& mihi dicant num aliquis fuerit conflictus, cuius mortuorum numerus ad dimidium eorum ascenderit, qui in obsidione solùm Hierusalem mortui sunt. Neque hîc captiuorum numerum commemoro, neque mortuos, & captos in alijs regni ciuitatibus, neque miserabilem huius tam antiquę,& nobilis Reipub.exitum,quæ quidem nondum restituta est.

Quòd si mente & ratione præditis notum est, hanc horribilem calamitatem illius summi iudicis singulari dispensatione euenisse, quid aliud credendum est,nisi quòd omnium calamitatum maxima pro maximo quoque peccato contigerit?Quod autem aliud peccatum esse poterat,nisi filij Dei,& totius terrarum orbis Domini indignissima mors? Quis autem sic incredulus erit,qui huic rationi non cedat? Id omne secundo Imperij Vespasiani anno contigit, secundùm quod Saluator, cui omnia præsentia erant, prophetauit, cùm (vt Euangelista refert) videns ciuitatem Hierusalem, fleuit super illam, eius euersionem prędicendo. Luc. 19.

Ad has calamitates aliam idem Historicus refert,quæ illi iure optimo omnium,quæ in illa obsidione contigerunt,maxima videtur: nonnulli enim ex obsessis cùm decernerent ad Romanos propter ingentem ciuitatis famem se recipere,aurum,quod habebant,deglutiebant, vt deinde ventrem exonerando illud recuperarent,& eo ad viuendum vterentur.Id cùm rescissent milites Arabes,& Syrij, & nonnulli Romani, vnica nocte ventres duorum millium horum miserabilium aperuerunt,vt in intestinis aurum perquirerent, quod absconditum ferebant.Hoc autem cùm durum Imperatori videretur, & maximas proponeret illis pœnas, qui hoc agerent, neque tamen ob hanc caussam cessabant à tanto scelere,licet id secretò facerent,& sæpe nihil in illorum infelicium visceribus inueniebant. tantum potuit humana malitia, & pecuniæ cupiditas. Iam videatur,quàm verè dixerit Dominus,huius temporis calamitates,omnes pręteritas,& futuras facilè vincere. Quando enim vnquam tales crudelitates visę sunt vnà cum ijs,quæ iam narratæ sunt?

De prodigijs,& horribilibus visionibus,quæ Hierusalem euersionem nuntiarunt,antequam eueniret.

NON erit quidem à proposito nostro alienum,ad illa quæ dicta sunt, addere ea,in quibus diuina pietas,atque clementia,etiam in ipsos ingratos se ostendere voluit. Primùm post commissum peccatum quadra-

draginta annos eos expectauit, quibus omnes Apostoli, & in primis S. Iacobus propinquus Domini (qui Hierusalem Episcopus cõstitutus fuit) quotidie eos admonebat, vt eos ad pœnitentiam impelleret, si fortè tantam vim lachrymarum effundere possent, vt potentis iudicis iræ flammã extinguere possent. Qui tanta mora illis apertè significabat, quòd illorum salutem expetebat: non enim Deus tantum peccatoris mortem amat, quantum vt conuertatur, & viuat.

Ad hæc diuina clementia in eo insistebat, vt illorum cordium duritiem emolliret, prodigia illis, & nonnullarum rerum species in cælo ostendendo, & dextera manu ense digladiando, minando illis, atque ignoscendo. Cuius rei habemus relationem eiusdem Historici libro septimo, vbi sic scribit: Denique miserabilis populus illis quidem fallacibus, Deumq; calumniantibus, erat credulus. Certis verò prodigijs, & futuram solitudinem prænũtiantibus, neque attendebant animo, neque credebant: sed velut attoniti, nec aut oculos habentes, aut animas, edicta Dei dissimulauêre: modò cùm supra ciuitatem sidus stetit simile gladio, & per annũ perseuerauit cometes. Præterea vigesimo primo die mensis Artemisij, qui Maius est, visio quædam apparuit fidem excedens. Pro fabula fortasse quod dicturus sum haberetur, nisi qui viderunt superessent, & clades dignæ præsagijs secutæ fuissent. Namque ante Solis occasum visi sunt per inane ferrei currus totis regionibus, & armatæ acies eranantes nubila, & ciuitati circunfusæ. Festo autem die, quam Pentecosten vocant, nocte Sacerdotes intimũ templum more suo ad diuinas res celebrandas ingressi, primùm quidem motum, quendamq; strepitum senserunt: postea verò subitam vocem audiêre, quę diceret, Migremus hinc. Quod autem his horribilius fuit, Iesus quidam, filius Anani, plebeius & rusticus, quadriennio priùs, quàm bellum gereretur, in summa ciuitatis pace atque opulentia, cũ ad festum diem venisset, quo ategias in honorem Dei componi in templo ab hominibus mos est, repentè exclamare cœpit: Vox ab Oriente: Vox ab Occidente: Vox à quatuor ventis: Vox in Hierosolymam, & templum: Vox in maritos nouos, nouasq; nuptas: Vox in omnem hunc populum. Atque hæc interdiu noctuq; clamitans omnes ciuitatis vicos circuibat. Nonnulli autem virorum insignium, aduersum omen indignè ferentes, corripiunt hominem, multisq; verberibus afficiunt. Ille autem neque pro se, neque ad eos qui se multabant, secretò quidquam loquutus, eadem quę priùs vociferans perseuerabat. Magistratus autem rati, quod erat verum, magis diuinum esse hominis motum, ducunt eum ad Romanorum præfectum: vbi plagis vsque ad ossa laceratus, neque supplex cuiquam fuit, neque lachrymauit: sed vt poterat inclinans maximè flebiliter vocem ad singulos ictus respondebat: Vę væ Hierosolymis.

Vt autem reuertamur ad rem, tribus muris, quos diximus, funditus euersis, ciuitatis bonis direptis, captis, & interfectis omnibus, quos inuenerunt, iussit Imperator, vt omnes muri, & omnia ædificia illius, quę quidem admodum pulchra erant, solo æquarentur, vt (quemadmodum prophetauerat Sal-
Luc. 19. uator) in ea lapis supra lapidem non remanserit. Hic fuit infelix finis illius tam antiquę, & nobilis ciuitatis, in toto terrarum orbe cognitæ, & celebratæ: qui illi accidit post annum 2700. eius primæ ędificationis, quod per Regem

Mel-

Melchisedech factum fuit: & 1679. anno postquam iterum Rex Dauid eam fabricauit, atque nobilitauit. At neque illius antiquitas, neque amplitudo, & munitio, neque amplæ diuitiç, neque religionis gloria, satis fuerunt, quæ hostibus impedimento essent, quò minùs eo modo excinderetur, quo iam diximus.

Hoc fuit illorum prçmium, qui Christi regnum recusantes, dixerunt: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Cùm hic Rex, quem sibi cooptarunt, hanc illis retulerit gratiam. Ioan. 19.

De alijs calamitatibus, quas passa est, & hactenus patitur illa Iudæorum pars, quæ in sua incredulitate perseuerat.

EXpositis calamitatibus, quas in obsidione Hierusalem passa est, reliquum est, vt eas persequamur, quas post excidium passa est, & adhuc patitur illa populi pars, quç in suæ infidelitatis tenebris his quoque temporibus perseuerat, quæ est nostræ diuisionis, quam superiùs fecimus, tertia pars: Vt, cùm dicat Deus per Isaiam, quòd tribulationum molestiç intellectum aperiunt, fieri possit, vt hac ratione, qui oculis clausis sunt, eos adaperiant, cùm calamitatum quasi diluuium videant, quæ alijs calamitatibus etiam cumulabantur, & ordine illas consequebantur, quæ nunquam antea visç fuerunt, in se irrumpere. Isa. 28.

Præterea nobis sciendum est, Deum in omnibus suis rebus Deum esse: in omnibus inquam magnum, in omnibus admirabilem: magnum in præmijs, cùm pro filio, quem illi Patriarcha Abraham offerre voluit, tot illi filios pollicitus est, quot cæli stellç sunt; & magnum in pœnis, cùm pro peccato vnico mortali æternis peccantem coerceat pœnis, vt in Angelorum supplicio appareat, qui defecerunt. Altero suæ bonitatis amplitudinem, altero suç iustitiç seueritatem declarat: altero nos ad sui amorem impellit, altero ad timorem inducit, quç omniũ pretiosissimæ gẽmæ sunt. Hic ego hortor vnumquemque, qui in anima sua hos nobilissimos affectus excitare volet, vt Leuitici cap. 26. & Deuteronomij cap. 28. legat, & videbit ibi, quàm benignus & magnificus sit Deus in præmijs, quamq; terribilis & horribilis in pœnis, ex quo hos duos affectus magis cognoscere poterit. Ibi etiam Dei amorem cognoscet, quo in illos vtitur, qui illius diuinæ iustitiç verberibus non emendãtur, id est, nouas illis plagas cumulando, vt saltem postremis oculos adaperiant, quos primis aperire noluerunt. Quòd si in sua obstinatione perseuerarent, is quoque in supplicijs obstinatus perseueraret. Et ne quis existimet hoc meum esse inuentum, hîc verba ipsius Dei adscribã, quç in superiùs dicto cap. Leuitici scripta leguntur, vbi post primas minas in contumaces, quæ sunt morborum, famis, & persecutionum inimicorum, sic inquit: *Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, & conteram superbiam duritiæ vestræ.* Et ad has alias pœnas addendo statim iterum dicit: *Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras vsque in septuplum propter peccata vestra: inducamque super vos gladium vltorem fœderis mei.* Et post hçc verba alias nouas calamitates minitando, in eandem sententiam repetit, inquiens: *Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me: & ego inceda[m]* Leuit. 26

dam aduersus vos in furore contrario, & corripiã vos septem plagis propter peccata vestra, ita vt comedatis carnes filiorum vestrorum, & filiarum vestrarum. destruam excelsa vestra, & simulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, & abominabitur vos anima mea, in tantum vt vrbes vestras redigam in solitudinem, & deserta faciam sanctuaria vestra, nec recipiam vltrà odorem suauissimum. Disperdamq; terram vestram, & stupebunt super ea inimici vestri, cùm habitatores illius fuerint. vos autem dispergam in Gentes, & euaginabo post vos gladium, eritq; terra vestra deserta, & ciuitates vestræ dirutæ. Hæc omnia sunt Dei verba in dicto capite: quæ cùm dicta fuerint iam ante amplius quàm tria millia annorum, (ab illo Domino, cui omnia futura præsentia sunt) nunc ad vnguem adimpleta cernimus. Quod satis esse debebat, ad illorum oculos aperiendos, qui etiamnum in sua cæcitate perseuerant. De quibus postea fusiùs dicemus.

Hęc autẽ hoc loco adduxi, vt hęc Dei obstinatio intelligatur, in qua Deus versatur, cùm eos supplicijs afficit, quos hoc medicinæ genere vult curare; vt
Ezec.20. idem significauit, cum suo populo his verbis loquens: *Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos.* Secundùm autem consuetudinem Dei in hoc capite expositam, quemadmodum maxima vsus est misericordia cum ijs, qui ex hoc populo se conuerterunt, tantam illis gratiæ abundantiam tribuens, vt (quemadmodum in Tripartita historia inquit Sozomenus) vitæ illorum sanctissimorum AEgypti patrum auctores, & inuentores fuerint: sic in eos, qui suum Saluatorem cognoscere noluerunt, neque Prophetarum testimoniis, neque illa Hierusalem horribili ruina, suam iustitiam excitat, vulnera vulneribus, & calamitates calamitatibus cumulando. Quod nunc summatim expositurus sum, ne in his tristibus tragœdijs nimium temporis conteram.

Cùm vellet igitur Deus alia calamitate eos visitare, qui adhuc in sua incredulitate perseuerabãt, permisit, vt Iudęi, qui in AEgypto, Cyrene, & Alexandria morabantur, à Romano Imperio Traiano Imperatore deficerent, ex quo iterum dissipati, & ex illis innumerabiles interfecti fuerunt. Et quoniam neque hac calamitate se ad Deum conuerterunt, aliam maiorem illis inflixit. Nam cùm iterum ab ijsdem Romanis deficerẽt Imperatore Adriano, (à quodam magno seductore decepti, qui se magnam mundi lampadem esse dicebat) iterum ab hoc Imperatore deuicti fuerunt, & omnis illorum natio de Hierusalem in exilium eiecta fuit, & de tota illius ditione: & deinde in ea ciuitate nouus populus habitauit, & antiquum Hierusalem nomen amisit, & AElia Adria vocata fuit, nomine ab AElio Adriano sumpto, vt nominis mutatione mores quoque antiquos mutaret. In hoc bello, inquit Dion Coccejus, quinquaginta millia hominum interfecta sunt, sine reliqua multitudine inermi, & quinquaginta oppida satis munita euersa sunt, & noningenta & octogintaquinque loca, & villę, quæ habitabantur. Ita vt post vindemiam, quam Vespasianus fecit, Dei verbera reuersa sint, vt Traiano & Adriano Imperatoribus in vineis exquirerent, nunquid reliquum esset. Et cùm illi adhuc in sua cæcitate perseuerarent, horum calamitatum nulla ratione habita, Dei quoque flagellum in illos perseuerauit, vt illis minatus erat. Imperatore enim Valente Arriano hęretico, de ciuitate Diocęsarea egressi, maximum exerci-

cum

tum pararunt, & cum eo bellum gesserunt, & omnes finitimos depopulabantur. Contra quos venit Gallus Cæsar, qui tunc Antiochiæ versabatur, & eos deuicit, disperdidit, & illam ciuitatem deleuit.

Deinde seditio per Alexandrinos excitata est, vbi multi ex illis habitabãt. Quo tempore de ciuitate eiecti fuerunt, & illorum synagogæ euersę, & domus direptæ, & hac ratione in illa magna ciuitate solitudo facta est. Ex quo cernitur, nihil illos omnibus his temporibus aggressos esse, quod illis bene cesserit, cùm illis Deus pollicitus sit, quòd si illius legem seruarent, omnia, quæ tentarent, illis prosperè euentura.

Ad hanc calamitatem alia hoc modo accessit. Quidam Iudęus Cretensis deceptor se Moysem esse finxit, & de cęlo missum, vt per mare Iudæos illius insulæ habitatores abduceret, vt aliàs eos perduxit per mare rubrum sicco pede, cùm Ægypto egressi sunt. Qui illius verbis fidem præstantes, & illius promissis adducti, res operasq; suas negligebant, & sua bona deserebant, vt illum sequerentur. Tandem vbi dies status venit, deceptor præibat, & alij omnes eũ cum vxoribus, & filijs sequebantur. Quos perduxit ad quoddam altum, & pręceps saxum, quod mari imminebat, & illis iussit, vt tanquam pisces se in mare demergerent, & absque dubio fore, vt sine iactura traijcerent; quod ita factum est ab ijs, qui præcedebant, qui omnes se præcipites dederunt, & demersi mortui sunt: sed horum periculo alij cautiores effecti sunt, & vitam conseruarunt, & omnes suam reprehendebant stultitiam, quòd tam leuiter credidissent. Qui cùm vellent suum deceptorem interficere, eum apprehendere nequiuerunt, quòd statim euanuit. Quapropter multi suspicati sunt, aliquod falsum fuisse dæmonium humana figura indutum. Hoc fuit iustum Dei iudicium, vt prophetauit Saluator, cùm inquit: *Ego veni in nomine Patris mei & mihi non crediderunt: alij suo nomine venient, & credent eis.* Ioan. 5.

Neque existimet quisquam, quòd Dominus superioribus tantummodò temporibus eos visitauerit, qui in sua incredulitate iugiter perseuerarunt, vt infortunium, & calamitas (vt diximus) illis intellectum aperiret. Nam nostris quoque temporibus alias vidimus calamitates, quæ illis contigerunt. Non enim fuit leue vulnus illud, quod acceperunt, cùm catholicis nostris regibus Ferdinando & Isabella, nostram fidem suscipere noluerunt, & de Hispania ab illis in exilium eiecti fuerunt. In quo exilio multas passi sunt calamitates, tam in nauigatione ad alias nouas terras, quàm in mala tractatione, quam apud barbaras gentes experti sunt, inter quas versabantur, cùm hoc exilium vsque ad Orientem Solem perueniret.

Hoc autem loco Christiana charitas, & salutis animarum zelus, me admonet, vt multos falsò fidei nostrę Zelotas admoneam, qui cùm ijs malefaciunt, aut aliquo damno afficiunt, qui extra nostram fidem sunt, vt Mahometani sunt, vel Iudæi, vel Hæretici, vel Gentiles, se peccare non existimant. Maximè quidem falluntur ij: sunt enim, vt fideles, proximi isti quoque, vt ex illa Saluatoris parabola colligitur, quæ de pietate & auxilio Samaritani in vulneratum tractat. Et licet supponamus, Deum velle infidelem propter sua peccata pœnis afficere, & deligat ministros, per quos suã exequatur iram: tamen non minùs ij diuinæ iustitiæ executores peccant, ac si tales non essent. Luc. 10.

Rex in Babylonia Dei minister fuit in suo populo puniendo, & in suo tem-
Isa.10. plo propter gentis peccata delendo, (& sic eum vocat per Isaiam Deus virgam sui furoris, & suæ indignationis baculũ) at quòd ipse id non faciebat, vt Dei offensiones vindicaret, sed vt tyrannidem in terris exerceret, maximis calamitatibus, & verberibus, & amissione vitæ, ac illius tanti regni, punitus fuit. Quod Hieremias fusiùs in capite 50. & 51. narrat, (quæ capita eius prophetiæ maiora sunt) declarando omnem illam tam magnam calamitatem illi contingere, quòd Dei hæreditatem, & illius templum sanctum destruxisset. Isaias quoque prophetauit hoc tantum Babyloniæ flagellum his verbis :
Isa.13. *Omnis qui inuentus fuerit* (in Babylonia) *occidetur : & omnis qui superuenerit, cadet in gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, & vxores eorum violabuntur. Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: sed sagittis paruulos interficient, & lactentibus vteri non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum. Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham.*

Tandem tales fuerunt Babyloniæ plagæ, quòd cùm illas vidit Propheta Isaias in spiritu dixit: *Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet, & conteretur. Torsiones & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt.* Huiusmodi igitur sunt illorum pœnæ, qui proximis iniuriam inferunt, licet diuina iustitia illis vtatur, vt aliorum peccata castiget; vt nonnunquam ad
Libro 9. Confess. cap.8. id & dæmones adhibeat. Quapropter bene dicit S. Augustinus, nobis magis prodesse, qui in nos iniuriosi sunt, quàm qui adulantur : at tu Domine non illud respicis, quod per illos facis, sed illud, quod illorum mala voluntas facere vult.

Hoc ita fusiùs dixi, vt intelligatur, quòd licet Deus incredulorum, & infidelium calamitates, & oppressiones permittat, qui in suis erroribus perseuerant: non tamen minùs peccant illi, qui illos malè tractant, & molestia afficiunt, quàm qui suos proximos malè tractant, & affligunt: imò grauiùs peccant; scandalizant enim eos, & in causa sunt, vt pari odio, & legem & illius professores prosequantur. Hoc enim odium est præcipua causa, quæ illos in suo errore obstinatos continet. Ita vt illum diuisionis & odij murum, qui inter fideles & infideles erat, (quem Christus euertit, vt inter illos amicitiam
Ezec 36. Rom.2 conciliaret, & in suam Ecclesiam insereret) multi suis peruersis actionibus, & exemplis iterum fabricent: & ita Dei nomen (vt scriptura inquit) ab illis inter gentes blasphematur.

Ex dictis igitur illud colligitur, quòd modus in conuersione infidelium
1.Thes.2. seruandus est ille, quem Apostolus (singularis huius rei magister) se tunc tenuisse ostendit, cùm ad Thessalonicenses scribens, inquit : *Sed facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos: Ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras : quoniam charissimi nobis facti estis.* Hæc verba sunt maxima consideratione digna, quæque satis probè charitatis viscera declarant, qua hic diuinus Apostolus in illos affectus erat, qui paulò antè ad fidem se contulerant. At multò magis id declarant illa, quæ in Epistola ad Romanos scribit, quæ tum timorem, tum admiratio-

rationem afferunt ijs, qui illa legũt, vbi solenni iureiurando sic inquit: *Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniã tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabã enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnẽ, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Hactenus Apostolus, qui tanta molestia fratrum perditione afficiebatur, vt vellet gloria carere, quam à Christo expectabat, (licet non amore, & gratia) vt sui fratres illa fruerẽtur. Hac autẽ charitate, hoc zelo, his pietatis visceribus Apostoli mũdum cõuerterunt. Hoc iudicium habent illi, qui ex toto corde animarum salutem exoptant, & illarum perditione dolent, vt noster Pater S. Dominicus dolebat, de quo scribitur, quòd vt funale accensum, animarum, quæ peribant, zelo ardebat; & illius filia S. Catharina à Deo postulabat, vt inferni ostium se ipsa clauderet, vt nulla ex eius creaturis per illud ingrederetur. Rom. 9.

Vt autem reuertar ad rem, hæc omnia calamitatum genera, quæ patitur illa huius gentis pars, quæ etiamnum in hac cęcitate perseuerat, permittit Deus, vt hoc supplicium illis adaperiat intellectum, & illis ostendat à Deo esse desertos, & ita ad illum, & ad vnigenitum eius filium, & Dominum nostrum se conuertant.

DE VNIVERSALI EXILIO, QVOD ADHVC PATITVR *illa pars huius populi, quæ in sua infidelitate perseuerat.* Cap. XVIII.

OMISSIS autem ijs calamitatibus, quæ singularum terrarum, & ciuitatum fuerunt, operæ pretium erit de generali hoc exilio, & effusione, quam in hodiernum vsque diem illa populi pars patitur, quæ in sua incredulitate etiamnum perseuerat, agere. Et primùm illud in omnibus scripturis compertissimum est, quòd omnes publicæ, & generales terrarum orbis calamitates propter peccata contingunt, vt initio à nobis propositum fuit: & quo maiora peccata sunt, eò etiam maiora sunt verbera, & supplicia, quæ Deus pro illis mittit: & quò hæc supplicia sunt maiora, eò maiorum peccatorum argumenta, & indicia sunt; cùm diuina iustitia æquissima sit, & peccatis supplicij quantitatem adæquet. Iam igitur prudenter animaduertamus, quale sit hoc exilium, de quo loquimur. Si tempus eius spectamus, iam mille & quingenti anni elapsi sunt, ex quo incepit. Si locum spectamus, nullus locus certus est, vbi vniuersa gens versetur, & ex se reipublicæ statum efficiat; sed per totum terrarum orbem dispersi sunt, modò in AEthiopum terris, modò Turcarum, modò Paganorum, modò Christianorum commorantur. Si exilij huius qualitatem respicimus, videbimus quidem esse omnium hominum maximè laboriosos, oppressos, & infimos, cùm in illis adimpleatur illa Psalmi 68. prophetia, quæ de illis verba faciens, inquit: *Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurua.* Illud quidem mirum est, quòd cùm tam multæ sint differentiæ nationum, & sectarum in mundo, & tam inter se inimicæ, & in tam mul-

brabit tibi: & sub pennis eius sperabis. Scuto circundabit te veritas eius: & non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die. & inferiùs dixit: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Illud nobis significat, nullam futuram esse vim, nullum tantum periculum, quod tibi præiudicare, vel damnare possit. Tandem hũc Psalmum Deus concludit, inquiens: *Clamauit ad me iustus, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ad hæc addamus Psalmi 124. verba, in quo promittit Deus suis seruis eam securitatem, & firmitudinem, qualis montis Sion est, qui nunquam dimoueri poterit. Et subiungit, quòd idem Dominus suum populum circundabit, idq; non ad tempus, sed in secula seculorum.

Quòd si hæc gens, se Deo seruire, tantopere gloriatur, & illius legem seruare; cur hic Dominus illis opem non fert? cur non illis auxiliatur? cur hęc omnia promissa, & verba non adimplet? cur iam tam multos annos inter omnes totius terrarum orbis nationes malè tractatos, & dispersos esse permittit? Quomodo hæc tanta, tamq; antiqua calamitas cum illis Ecclesiastici verbis conueniunt: *Respicite filij nationes hominum: & scitote quia nullus sperauit in Domino, & cõfusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? Quoniam pius & misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Hæc omnia sunt Ecclesiastici verba. Addite ad hoc testimonium, quod Propheta Dauid de hac Dei paterna prouidentia reddit in Psalmo 120. vbi inter cætera sic ait: *Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te. Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Per diem Sol non vret te: neque Luna per noctẽ. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.*

Eccl. 2.

Si omnes alias auctoritates in hanc sententiam referre vellemus, plurimæ paginæ id capere nequirent. Vt autem quæcunque dicta sunt comprobentur, nolo alio vti argumento, nisi quæcunque fecerit Deus pro hoc populo, dum sub illius protectione versatus est. Quæ miracula fecit, vt illum populum de AEgypto erueret? Mare aperuit, quà transirent, in illo omnes illius persecutores demersit: ad eos de cælo Manna demisit, de petra illis aquam dedit; interdiu columna nubis, noctu ignis columna ducebat, locum ostendebat, vbi castrametarentur: fluminis Iordanis cursum continuit, aduersus omnes hostes pro eis pugnauit, & illos terræ promissionis dominos effecit. Tandem sic se habuit cum illis in toto illo itinere, vt Moyses dixerit, quòd Deus illos per illud iter perduxerit eadem cura, ac diligentia, qua pater paruulum filium perducit: Et idem Dominus illis dixit: *Vos ipsi vidistis quæ fecerim AEgyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Ex eo die quando vnquam Deus illis in eorum calamitatibus defuit? Quàm multos Prophetas sæpe illis mittebat, vt eos docerent, & supplicij admonerent, quo illos affecturus erat, nisi ad melius vitæ genus se transferrent?

Deut. 1.

Exod. 19.

At videamus iam quid de hac paterna Dei prouidentia, atque cura factum sit. Vbi illius misericordiæ sunt? Quomodo illius populi, quem sibi ex omnibus

bus orbis terrarum nationibus delegerat, oblitus est? Quid de miris victorijs, quas toties illis largiebatur aduersus hostes, à quibus opprimebantur, factum est? Quid de Prophetis, per quos eos admonebat, atque suam voluntatem declarabat? Quomodo illius sui testamenti oblitus est, toties repetiti, vbi inquit, quòd ipsi essent suus populus, & ipse foret illius Deus? & eum esse illius Deũ, est esse illis omnia, quæ ad illius salutem, & consolationem spectarent. Leuit. 26. 2. Cor. 6.

Quid est hoc? quænam mutatio hæc est? quæ destitutio tam multorum annorum, in quibus nihil superiorum fuit; sed calamitates calamitatibus cumulatæ, persecutiones persecutionibus, iniuriæ iniurijs, oppressiones oppressionibus, licet hæc gens (vt arbitratur ipsa) in tam multis calamitatibus, in fide, & legis suæ obseruatione perseueret? Vbi est prouidentia, & paterna cura, quam Deus de ijs habet, qui illi seruiunt? Vbi illius fidelitas? vbi bonitas? vbi veritas? vbi misericordia? vbi iustitia? fides in suum populum, qui tam multa patitur, vt illi maximopere fidelis sit? Verè si nulla hic alia culpa est grauior omnibus antiquis, necesse erit omnem diuinitatem cum omnibus his diuinis perfectionibus negare: omnes enim deficiunt, si, cùm non adsint maiora peccata, tanto Deus rigore vtitur.

Hæc fauorum & diuinorum auxiliorum promissa omnibus bonis communia sunt. Alia sunt, quæ magis præcipuè cum hoc populo verba faciunt, si diuina mandata seruauerint, quæ eidem populo declarauit Moyses in cap. 28. Deuteronomij his verbis: *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorẽ cunctis gentibus quæ versantur in terra. Venientqúe super te vniuersæ benedictiones istæ, & apprehendent te. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq́, iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens*, id est, in omnibus operibus, & vijs tuis. *Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris semper suprà, & non subter.* Ad hæc verba addamus ea, quæ idem Dei à secretis cap. 26. Leuitici inquit, vbi inter alia multa bona sic ait: *Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosq́, eritis populus meus.*

Hæc omnia sunt Dei verba, & promissa, de quorum veritate superiùs tractauimus; neque erat, quod de ea tractaremus, cùm tam certa sit, tamqúe infallibilis, vt idem Deus est. Quod cùm ita se habeat, fateor me stupescere, & summopere admirari, cùm videam, hæc verba non satis esse ad illam gentem illuminandam, quæ adhuc firma, & obstinata in suis tenebris perseuerat. Quot enim verba sunt in his diuinis promissis, tot contra illorum cœcitatem testimonia, & argumenta sunt. Nam si gloriantur diuinæ legis obseruatione;

brabit tibi: & sub pennis eius sperabis. Scuto circundabit te veritas eius: & non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die. & inferiùs dixit: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Illud nobis significat, nullam futuram esse vim, nullum tantum periculum, quod tibi præiudicare, vel damnare possit Tandem hũc Psalmum Deus concludit, inquiens: *Clamauit ad me iustus, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ad hæc addamus Psalmi 124. verba, in quo promittit Deus suis seruis eam securitatem, & firmitudinem, qualis montis Sion est, qui nunquam dimoueri poterit. Et subiungit, quòd idem Dominus suum populum circundabit, idq; non ad tempus, sed in secula seculorum.

Quòd si hæc gens, se Deo seruire, tantopere gloriatur, & illius legem seruare; cur hic Dominus illis opem non fert? cur non illis auxiliatur? cur hęc omnia promissa, & verba non adimplet? cur iam tam multos annos inter omnes totius terrarum orbis nationes malè tractatos, & dispersos esse permittit? Quomodo hæc tanta, tamq; antiqua calamitas cum illis Ecclesiastici ver-
Eccl. 2. bis conueniunt: *Respicite filij nationes hominum: & scitote quia nullus sperauit in Domino, & cõfusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? Quoniam pius & misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Hæc omnia sunt Ecclesiastici verba. Addite ad hoc testimonium, quod Propheta Dauid de hac Dei paterna prouidentia reddit in Psalmo 120. vbi inter cætera sic ait: *Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te. Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Per diem Sol non vret te: neque Luna per noctẽ. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.*

Si omnes alias auctoritates in hanc sententiam referre vellemus, plurimæ paginæ id capere nequirent. Vt autem quæcunque dicta sunt comprobentur, nolo alio vti argumento, nisi quæcunque fecerit Deus pro hoc populo, dum sub illius protectione versatus est. Quæ miracula fecit, vt illum populum de AEgypto erueret? Mare aperuit, quà transirent, in illo omnes illius persecutores demersit: ad eos de cælo Manna demisit, de petra illis aquam dedit; interdiu columna nubis, noctu ignis columna ducebat, locum ostendebat, vbi castrametarentur: fluminis Iordanis cursum continuit, aduersus omnes hostes pro eis pugnauit, & illos terræ promissionis dominos effecit. Tandem sic
Deut. 1. se habuit cum illis in toto illo itinere, vt Moyses dixerit, quòd Deus illos per illud iter perduxerit eadem cura, ac diligentia, qua pater paruulum filium
Exod. 19. perducit: Et idem Dominus illis dixit. *Vos ipsi vidistis quæ fecerim AEgyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Ex eo die quando vnquam Deus illis in eorum calamitatibus defuit? Quàm multos Prophetas sæpe illis mittebat, vt eos docerent, & supplicij admonerent, quo illos affecturus erat, nisi ad melius vitæ genus se transferrent?

At videamus iam quid de hac paterna Dei prouidentia, atque cura factum sit. Vbi illius misericordiæ sunt? Quomodo illius populi, quem sibi ex omni-

bus

bus orbis terrarum nationibus delegerat, oblitus est? Quid de miris victorijs, quas toties illis largiebatur aduersus hostes, à quibus opprimebantur, factum est? Quid de Prophetis, per quos eos admonebat, atque suam voluntatem declarabat? Quomodo illius sui testamenti oblitus est, toties repetiti, vbi inquit, quòd ipsi essent suus populus, & ipse foret illius Deus? & eum esse illius Deũ, est esse illis omnia, quæ ad illius salutem, & consolationem spectarent. Leuit.26. 2. Cor. 6.

Quid est hoc? quænam mutatio hæc est? quæ destitutio tam multorum annorum, in quibus nihil superiorum fuit; sed calamitates calamitatibus cumulatæ, persecutiones persecutionibus, iniuriæ iniurijs, oppressiones oppressionibus, licet hæc gens (vt arbitratur ipsa) in tam multis calamitatibus, in fide, & legis suæ obseruatione perseueret? Vbi est prouidentia, & paterna cura, quam Deus de ijs habet, qui illi seruiunt? Vbi illius fidelitas? vbi bonitas? vbi veritas? vbi misericordia? vbi iustitia? fides in suum populum, qui tam multa patitur, vt illi maximopere fidelis sit? Verè si nulla hîc alia culpa est grauior omnibus antiquis, necesse erit omnem diuinitatem cum omnibus his diuinis perfectionibus negare: omnes enim deficiunt, si, cùm non adsint maiora peccata, tanto Deus rigore vtitur.

Hæc fauorum & diuinorum auxiliorum promissa omnibus bonis communia sunt. Alia sunt, quæ magis præcipuè cum hoc populo verba faciunt, si diuina mandata seruauerint, quæ eidem populo declarauit Moyses in cap.28. Deuteronomij his verbis: *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorẽ cunctis gentibus quæ versantur in terra. Venientque super te vniuersæ benedictiones istæ, & apprehendent te. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq; iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens*, id est, in omnibus operibus, & vijs tuis. *Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris semper suprà, & non subter.* Ad hæc verba addamus ea, quæ idem Dei à secretis cap.26. Leuitici inquit, vbi inter alia multa bona sic ait: *Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosq; eritis populus meus.*

Hæc omnia sunt Dei verba, & promissa, de quorum veritate superiùs tractauimus; neque erat, quod de ea tractaremus, cùm tam certa sit, tamque infallibilis, vt idem Deus est. Quod cùm ita se habeat, fateor me stupescere, & summopere admirari, cùm videam, hæc verba non satis esse ad illam gentem illuminandam, quæ adhuc firma, & obstinata in suis tenebris perseuerat. Quot enim verba sunt in his diuinis promissis, tot contra illorum cœcitatem testimonia, & argumenta sunt. Nam si gloriantur diuinæ legis obseruatione;

brabit tibi: & sub pennis eius sperabis. Scuto circundabit te veritas eius: & non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die. & inferiùs dixit: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Illud nobis significat, nullam futuram esse vim, nullum tantum periculum, quod tibi præiudicare, vel damnare possit. Tandem hûc Psalmum Deus concludit, inquiens: *Clamauit ad me iustus, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ad hæc addamus Psalmi 124. verba, in quo promittit Deus suis seruis eam securitatem, & firmitudinem, qualis montis Sion est, qui nunquam dimoueri poterit. Et subiungit, quòd idem Dominus suum populum circundabit, idq; non ad tempus, sed in secula seculorum.

Quòd si hæc gens, se Deo seruire, tantopere gloriatur, & illius legem seruare; cur hic Dominus illis opem non fert? cur non illis auxiliatur? cur hęc omnia promissa, & verba non adimplet? cur iam tam multos annos inter omnes totius terrarum orbis nationes malè tractatos, & dispersos esse permittit? Quomodo hæc tanta, tamq; antiqua calamitas cum illis Ecclesiastici verbis conueniunt: *Respicite filij nationes hominum: & scitote quia nullus sperauit in Domino, & cōfusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? Quoniam pius & misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Hæc omnia sunt Ecclesiastici verba. Addite ad hoc testimonium, quod Propheta Dauid de hac Dei paterna prouidentia reddit in Psalmo 120. vbi inter cætera sic ait: *Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te. Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Per diem Sol non vret te: neque Luna per noctē. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.*

Eccl. 2.

Si omnes alias auctoritates in hanc sententiam referre vellemus, plurimæ paginæ id capere nequirent. Vt autem quæcunque dicta sunt comprobentur, nolo alio vti argumento, nisi quæcunque fecerit Deus pro hoc populo, dum sub illius protectione versatus est. Quæ miracula fecit, vt illum populum de Ægypto erueret? Mare aperuit, quà transirent, in illo omnes illius persecutores demersit: ad eos de cælo Manna demisit, de petra illis aquam dedit: interdiu columna nubis, noctu ignis columna ducebat, locum ostendebat, vbi castrametarentur: fluminis Iordanis cursum continuit, aduersus omnes hostes pro eis pugnauit, & illos terræ promissionis dominos effecit. Tandem sic se habuit cum illis in toto illo itinere, vt Moyses dixerit, quòd Deus illos per illud iter perduxerit eadem cura, ac diligentia, qua pater paruulum filium perducit: Et idem Dominus illis dixit: *Vosipsi vidistis quæ fecerim Ægyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Ex eo die quando vnquam Deus illis in eorum calamitatibus defuit? Quàm multos Prophetas sæpe illis mittebat, vt eos docerent, & supplicij admonerent, quo illos affecturus erat, nisi ad melius vitæ genus se transferrent?

Deut. 1.

Exod. 19.

At videamus iam quid de hac paterna Dei prouidentia, atque cura factum sit. Vbi illius misericordiæ sunt? Quomodo illius populi, quem sibi ex omnibus

bus orbis terrarum nationibus delegerat, oblitus est? Quid de miris victorijs, quas toties illis largiebatur aduersus hostes, à quibus opprimebantur, factum est? Quid de Prophetis, per quos eos admonebat, atque suam voluntatem declarabat? Quomodo illius sui testamenti oblitus est, toties repetiti, vbi inquit, quòd ipsi essent suus populus, & ipse foret illius Deus? & eum esse illius Deũ, est esse illis omnia, quæ ad illius salutem, & consolationem spectarent. Leuit. 26. 2. Cor. 6.

Quid est hoc? quænam mutatio hæc est? quæ destitutio tam multorum annorum, in quibus nihil superiorum fuit; sed calamitates calamitatibus cumulatæ, persecutiones persecutionibus, iniuriæ iniurijs, oppressiones oppressionibus, licet hæc gens (vt arbitratur ipsa) in tam multis calamitatibus, in fide, & legis suæ obseruatione perseueret? Vbi est prouidentia, & paterna cura, quam Deus de ijs habet, qui illi seruiunt? Vbi illius fidelitas? vbi bonitas? vbi veritas? vbi misericordia? vbi iustitia? fides in suum populum, qui tam multa patitur, vt illi maximopere fidelis sit? Verè si nulla hic alia culpa est grauior omnibus antiquis, necesse erit omnem diuinitatem cum omnibus his diuinis perfectionibus negare: omnes enim deficiunt, si, cùm non adsint maiora peccata, tanto Deus rigore vtitur.

Hæc fauorum & diuinorum auxiliorum promissa omnibus bonis communia sunt. Alia sunt, quæ magis præcipuè cum hoc populo verba faciunt, si diuina mandata seruauerint, quæ eidem populo declarauit Moyses in cap. 28. Deuteronomij his verbis: *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorẽ cunctis gentibus quæ versantur in terra. Venientque super te vniuersæ benedictiones istæ, & apprehendent te. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq; iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens*, id est, in omnibus operibus, & vijs tuis. *Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris semper suprà, & non subter.* Ad hæc verba addamus ea, quæ idem Dei à secretis cap. 26. Leuitici inquit, vbi inter alia multa bona sic ait: *Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosq; eritis populus meus.*

Hæc omnia sunt Dei verba, & promissa, de quorum veritate superiùs tractauimus; neque erat, quod de ea tractaremus, cùm tam certa sit, tamque infallibilis, vt idem Deus est. Quod cùm ita se habeat, fateor me stupescere, & summopere admirari, cùm videam, hæc verba non satis esse ad illam gentem illuminandam, quæ adhuc firma, & obstinata in suis tenebris perseuerat. Quot enim verba sunt in his diuinis promissis, tot contra illorum cœcitatem testimonia, & argumenta sunt. Nam si gloriantur diuinæ legis obseruatione;

Nnnn quo-

brabit tibi: & sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius: & non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die. & inferiùs dixit. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Illud nobis significat, nullam futuram esse vim, nullum tantum periculum, quod tibi præiudicare, vel damnare possit Tandem hũc Psalmum Deus concludit, inquiens: *Clamauit ad me iustus, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ad hæc addamus Psalmi 124. verba, in quo promittit Deus suis seruis eam securitatem, & firmitudinem, qualis montis Sion est, qui nunquam dimoueri poterit. Et subiungit, quòd idem Dominus suum populum circundabit, idq; non ad tempus, sed in secula seculorum.

Quòd si hæc gens, se Deo seruire, tantopere gloriatur, & illius legem seruare; cur hic Dominus illis opem non fert? cur non illis auxiliatur? cur hęc omnia promissa, & verba non adimplet? cur iam tam multos annos inter omnes totius terrarum orbis nationes malè tractatos, & dispersos esse permittit? Quomodo hæc tanta, tamq; antiqua calamitas cum illis Ecclesiastici verbis conueniunt: *Respicite filij nationes hominum: & scitote quia nullus sperauit in Domino, & cõfusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? Quoniam pius & misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Hæc omnia sunt Ecclesiastici verba. Addite ad hoc testimonium, quod Propheta Dauid de hac Dei paterna prouidentia reddit in Psalmo 120. vbi inter cætera sic ait: *Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te. Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Per diem Sol non vret te: neque Luna per noctē. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.*

Eccl. 2.

Si omnes alias auctoritates in hanc sententiam referre vellemus, plurimæ paginæ id capere nequirent. Vt autem quæcunque dicta sunt comprobentur, nolo alio vti argumento, nisi quæcunque fecerit Deus pro hoc populo, dum sub illius protectione versatus est. Quæ miracula fecit, vt illum populum de AEgypto erueret? Mare aperuit, quà transirent, in illo omnes illius persecutores demersit: ad eos de cælo Manna demisit, de petra illis aquam dedit: interdiu columna nubis, noctu ignis columna ducebat, locum ostendebat, vbi castrametarentur: fluminis Iordanis cursum continuit, aduersus omnes hostes pro eis pugnauit, & illos terræ promissionis dominos effecit. Tandem sic se habuit cum illis in toto illo itinere, vt Moyses dixerit, quòd Deus illos per illud iter perduxerit eadem cura, ac diligentia, qua pater paruulum filium perducit: Et idem Dominus illis dixit. *Vosipsi vidistis quæ fecerim AEgyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Ex eo die quando vnquam Deus illis in eorum calamitatibus defuit? Quàm multos Prophetas sæpe illis mittebat, vt eos docerent, & supplicij admonerent, quo illos affecturus erat, nisi ad melius vitæ genus se transferrent?

Deut. 1.

Exod. 19.

At videamus iam quid de hac paterna Dei prouidentia, atque cura factum sit. Vbi illius misericordiæ sunt? Quomodo illius populi, quem sibi ex omni-

bus orbis terrarum nationibus delegerat, oblitus est? Quid de miris victorijs, quas toties illis largiebatur aduersus hostes, à quibus opprimebantur, factum est? Quid de Prophetis, per quos eos admonebat, atque suam voluntatem declarabat? Quomodo illius sui testamenti oblitus est, toties repetiti, vbi inquit, quòd ipsi essent suus populus, & ipse foret illius Deus? & eum esse illius Deū, est esse illis omnia, quæ ad illius salutem, & consolationem spectarent. Leuit. 26. 2. Cor. 6.

Quid est hoc? quænam mutatio hæc est? quæ destitutio tam multorum annorum, in quibus nihil superiorum fuit; sed calamitates calamitatibus cumulatæ, persecutiones persecutionibus, iniuriæ iniurijs, oppressiones oppressionibus, licet hæc gens (vt arbitratur ipsa) in tam multis calamitatibus, in fide, & legis suæ obseruatione perseueret? Vbi est prouidentia, & paterna cura, quam Deus de ijs habet, qui illi seruiunt? Vbi illius fidelitas? vbi bonitas? vbi veritas? vbi misericordia? vbi iustitia? fides in suum populum, qui tam multa patitur, vt illi maximopere fidelis fit? Verè si nulla hic alia culpa est grauior omnibus antiquis, necesse erit omnem diuinitatem cum omnibus his diuinis perfectionibus negare: omnes enim deficiunt, si, cùm non adsint maiora peccata, tanto Deus rigore vtitur.

Hæc fauorum & diuinorum auxiliorum promissa omnibus bonis communia sunt. Alia sunt, quæ magis præcipuè cum hoc populo verba faciunt, si diuina mandata seruauerint, quæ eidem populo declarauit Moyses in cap. 28. Deuteronomij his verbis: *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorē cunctis gentibus quæ versantur in terra. Venientque super te vniuersæ benedictiones istæ, & apprehendent te. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq; iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens*, id est, in omnibus operibus, & vijs tuis. *Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Constituet te Dominum in caput, & non in caudam: & eris semper suprà, & non subter.* Ad hæc verba addamus ea, quæ idem Dei à secretis cap. 26. Leuitici inquit, vbi inter alia multa bona sic ait: *Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosq; eritis populus meus.*

Hæc omnia sunt Dei verba, & promissa, de quorum veritate superiùs tractauimus; neque erat, quod de ea tractaremus, cùm tam certa sit, tamque infallibilis, vt idem Deus est. Quod cùm ita se habeat, fateor me stupescere, & summopere admirari, cùm videam, hæc verba non satis esse ad illam gentem illuminandam, quæ adhuc firma, & obstinata in suis tenebris perseuerat. Quot enim verba sunt in his diuinis promissis, tot contra illorum cæcitatem testimonia, & argumenta sunt. Nam si gloriantur diuinæ legis obseruatione;

Rex in Babylonia Dei minister fuit in suo populo puniendo, & in suo templo propter gentis peccata delendo, (& sic eum vocat per Isaiam Deus virgam sui furoris, & suæ indignationis baculũ) at quòd ipse id non faciebat, vt Dei offensiones vindicaret, sed vt tyrannidem in terris exerceret, maximis calamitatibus, & verberibus, & amissione vitæ, ac illius tanti regni, punitus fuit. Quod Hieremias fusiùs in capite 50. & 51. narrat, (quæ capita eius prophetiæ maiora sunt) declarando omnem illam tam magnam calamitatem illi contingere, quòd Dei hæreditatem, & illius templum sanctum destruxisset. Isaias quoque prophetauit hoc tantum Babyloniæ flagellum his verbis: *Omnis qui inuentus fuerit* (in Babylonia) *occidetur: & omnis qui superuenerit, cadet in gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, & vxores eorum violabuntur. Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: sed sagittis paruulos interficient, & lactentibus viteri non miserebuntur. & super filios non parcet oculus eorum. Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham.*

Isa. 10.

Isa. 13.

Tandem tales fuerunt Babyloniæ plagæ, quòd cùm illas vidit Propheta Isaias in spiritu dixit: *Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominum contabescet, & conteretur. Torsiones & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt.* Huiusmodi igitur sunt illorum pœnæ, qui proximis iniuriam inferunt, licet diuina iustitia illis vtatur, vt aliorum peccata castiget; vt nonnunquam ad id & dæmones adhibeat. Quapropter bene dicit S. Augustinus, nobis magis prodesse, qui in nos iniuriosi sunt, quàm qui adulantur: at tu Domine non illud respicis, quod per illos facis, sed illud, quod illorum mala voluntas facere vult.

Libro 9. Confess. cap. 8.

Hoc ita fusiùs dixi, vt intelligatur, quòd licet Deus incredulorum, & infidelium calamitates, & oppressiones permittat, qui in suis erroribus perseuerant: non tamen minùs peccant illi, qui illos malè tractant, & molestia afficiunt, quàm qui suos proximos malè tractant, & affligunt: imò grauiùs peccant; scandalizant enim eos, & in causa sunt, vt pari odio, & legem & illius professores prosequantur. Hoc enim odium est præcipua causa, quæ illos in suo errore obstinatos continet. Ita vt illum diuisionis & odij murum, qui inter fideles & infideles erat, (quem Christus euertit, vt inter illos amicitiam conciliaret, & in suam Ecclesiam insereret) multi suis peruersis actionibus, & exemplis iterum fabricent: & ita Dei nomen (vt scriptura inquit) ab illis inter gentes blasphematur.

Ezec 36. Rom. 2

Ex dictis igitur illud colligitur, quòd modus in conuersione infidelium seruandus est ille, quem Apostolus (singularis huius rei magister) se tunc tenuisse ostendit, cùm ad Thessalonicenses scribens, inquit: *Sed facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos: Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis.* Hæc verba sunt maxima consideratione digna, quæque satis probè charitatis viscera declarant, qua hic diuinus Apostolus in illos affectus erat, qui paulò antè ad fidem se contulerant. At multò magis id declarant illa, quæ in Epistola ad Romanos scribit, quæ tum timorem, tum admiratio-

1. Thes. 2.

rationem afferunt ijs, qui illa legũt, vbi solenni iureiurando sic inquit: *Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniã tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabã enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnẽ, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Hactenus Apostolus, qui tanta molestia fratrum perditione afficiebatur, vt vellet gloria carere, quam à Christo expectabat, (licet non amore, & gratia) vt sui fratres illa fruerẽtur. Hac antẽ charitate, hoc zelo, his pietatis visceribus Apostoli mũdum cõuerterunt. Hoc iudicium habent illi, qui ex toto corde animarum salutem exoptant, & illarum perditione dolent, vt noster Pater S. Dominicus dolebat, de quo scribitur, quòd vt funale accensum, animarum, quæ peribant, zelo ardebat; & illius filia S. Catharina à Deo postulabat, vt inferni ostium se ipsa clauderet, vt nulla ex eius creaturis per illud ingrederetur. Rom. 9.

Vt autem reuertar ad rem, hæc omnia calamitatum genera, quæ patitur illa huius gentis pars, quæ etiamnum in hac cęcitate perseuerat, permittit Deus, vt hoc supplicium illis adaperiat intellectum, & illis ostendat à Deo esse desertos, & ita ad illum, & ad vnigenitum eius filium, & Dominum nostrum se conuertant.

DE VNIVERSALI EXILIO, QVOD ADHVC PATITVR *illa pars huius populi, quæ in sua infidelitate perseuerat.* Cap. XVIII.

OMISSIS autem ijs calamitatibus, quæ singularum terrarum, & ciuitatum fuerunt, operæ pretium erit de generali hoc exilio, & effusione, quam in hodiernum vsque diem illa populi pars patitur, quæ in sua incredulitate etiamnum perseuerat, agere. Et primùm illud in omnibus scripturis compertissimum est, quòd omnes publicæ, & generales terrarum orbis calamitates propter peccata contingunt, vt initio à nobis propositum fuit: & quo maiora peccata sunt, eò etiam maiora sunt verbera, & supplicia, quæ Deus pro illis mittit: & quò hæc supplicia sunt maiora, eò maiorum peccatorum argumenta, & indicia sunt; cùm diuina iustitia æquissima sit, & peccatis supplicij quantitatem adæquet. Iam igitur prudenter animaduertamus, quale sit hoc exilium, de quo loquimur. Si tempus eius spectamus, iam mille & quingenti anni elapsi sunt, ex quo incepit. Si locum spectamus, nullus locus certus est, vbi vniuersa gens versetur, & ex se reipublicæ statum efficiat; sed per totum terrarum orbem dispersi sunt, modò in AEthiopum terris, modò Turcarum, modò Paganorum, modò Christianorum commorantur. Si exilij huius qualitatem respicimus, videbimus quidem esse omnium hominum maximè laboriosos, oppressos, & infimos, cùm in illis adimpleatur illa Psalmi 68. prophetia, quæ de illis verba faciens, inquit: *Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurua.* Illud quidem mirum est, quòd cùm tam multæ sint differentiæ nationum, & sectarum in mundo, & tam inter se inimicæ, & in tam mul-

 tis

tis rebus discordes, tam in ijs, quæ ad religionem, quàm ad Reipub. administrationem pertinent, in vna sola conueniunt, hoc est, in contemnenda, malè tractanda, & affligenda hac misera gente. Vt Iudæi nomen, quod clarissimũ, & illustrissimum in terris fuit, (cùm in illo populo religio florebat) nunc contumeliarum nomen factum sit, vt nihil iniuriosius habeatur, quàm hominem hoc nomine appellari.

Cùm autem hoc exilium, & populi dissseminatio, sit tam contumeliosa, tamq́ antiqua, cumq́ omnibus superioribus calamitatibus narratis sit adiuncta, nonne æquũ erit inuestigare, cur ille iustissimus iudex (qui antiquis temporibus tam singularem huius populi curam habuit, nunc eum ita delirare permittat, & in omnibus totius terrarũ orbis nationibus affligi, idq́ non centum annos, vel ducentos, sed mille & quingentos? Quod si antiqua tempora respexerimus, inueniemus quidem, quòd hic populus nunquam se ex animo ad Deum conuertit, neque vnquam in suis calamitatibus eum inuocauit, quin illi auxilium tulerit, & liberauerit. Sæpe namque propter diuersa peccata (& præsertim propter idololatriæ peccatum) diuina sententia à Madianitis, Moabitis, Amonitis, & Philisthæis oppressus, & subiugatus fuit & illud pro comperto habebitur, nunquam in omnibus ijs calamitatibus se penitus ad Deum conuertisse, neque ex animo auxilium ab illo petijsse, quin à captiuitate liberati fuerint: cùm illis Deus vel Duces, vel Prophetas, vel Angelos dederit, qui
4.Reg.19 illis opitularentur. Et sic cùm ab Assyriorum Rege essent obsessi, Regis Ezechiæ precibus Angelum misit, qui vna nocte centum & octoginta millia hominum interfecit, & ita eos liberauit. Mitto quæ mirabilia auxilia Deus per illas nobiles, & sanctas mulieres, Esther, Iudith, & Debbora, & alias multas, quas enumerare longum esset, miserit.

Cùm huiusmodi sit igitur antiquus Dei mos in hunc populum, nunc scire velim, qui fieri potest, vt, cùm tam multas preces quotidie fundant, & legis ceremonias seruent, tam multos post annos non exaudiantur, & auxilium impetrent? An mutauit Deus tẽporis, & multis annis conditionem, aut naturam, quã habebat, cùm nunquã illis temporibus fuerit inuocatus, quin exoraretur? nunc autem toties vocatus non respondet? Quis talem blasphemiã
Num.23. effutiet? *Non est Deus* (inquit Balaam) *quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.* Imò tam est Dei proprium, immutabilem esse, vt ex ijs, quæ inter Deum, & illius creaturas intersunt, vnum hoc sit, nullam esse creaturam, neque in cælo, neque in terra, quin alicui mutationi, vel corporis, vel spiritus obnoxia sit: at in solo Deo æternitatis ratione esse non potest, quæ ita illius propria est, vt hæc vna ratio suaserit Aristoteli, mundum ab æterno fuisse, ne in Deo mutationem poneret, cùm illud alio tempore velit, quod noluerit alio. De quo errore nihil est, quòd hoc loco ex professo agamus. Cùm igitur hæc immutabilitas sit tam propria illius summæ æternitatis; mihi dicant, quæ sit causa, ob quam, cùm in tota sacra scriptura ne semel quidem reperiatur, quin Deus cùm ex animo inuocaretur, inuocantibus auxiliũ tulerit, nũc, cùm toties inuocetur, nullum cõsolationis genus, nullum auxilium illis mittit, qui eum inuocant, præsertim cùm suam legem, vt ipsi arbitrantur, obseruent? Quis huic petitioni respondere possit?

Multò minùs respondere poterunt sequenti. Postquam Moyses populo

magnas exposuit calamitates, quæ illis contingere debebant, nisi legem ob-
seruarent, hæc verba addidit: *Cùm venerit super te hæc maledictio, quam proposui* Deut. 30.
in conspectu tuo: & ductus pœnitudine cordis tui in vniuersis gentibus, in quas disperserit
te Dominus Deus tuus, & reuersus fueris ad eum, & obedieris eius imperijs, sicut ego hodie
præcipio tibi, cum filijs tuis, in toto corde tuo, & in tota anima tua: reducet te Dominus
Deus tuus de captiuitate tua, ac miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis po-
pulis, in quos te ante dispersit. Idem Azarias quoque prophetauit, qui (cùm Rex
Asa ex magna victoria reuerteretur, per Dei manũ contra Regem Æthiopiæ
parta) spiritus Dei plenus, sic inquit: *Audite me Asa, & omnis Iuda & Beniamin,*
Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, inuenietis: si autem dereli- 2.Par. 15.
queritis eum, derelinquet vos. Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, &
absque sacerdote doctore, & absque lege. Cumque reuersi fuerint in angustia sua, ad Do-
minum Deum Israel, & quæsierint eum, reperient eum. Hæc est Dei promissio, in
omnibus sanctis scripturis pro ijs confirmata, qui verè pœnitentiam agunt.
Quid autem hîc responderi potest? Nónne Deus ipsa veritas est? Nónne tam
longè abest, vt Dei verbum deficiat, quantum ab ipsa veritate abest fieri pos-
se, vt aliquando ipse Deus non sit? Nónne certum est, cælum & terram defi- Lucæ 21.
cere posse, at Dei verbum nunquam defuturũ? Quid aliud magis amplificant
Psalmi omnes, quã Dei veritatẽ? Propter hanc causam eum Dauid *Deum veri-* Psal. 30.
tatis vocat. Et vt illius certitudinem, & constantiam significet inquit, quòd eam Psal. 58.
habet in cælis fixã, & scriptam, qui incorruptibiles sunt; vt nobis significet, quòd
hæc veritas nunquam fallet. Hanc igitur veritatem diuinæ promissionis hîc
defendãt. Quòd si hæc gens, inquit, se verè ad Deũ esse conuersam, & illius legẽ
fideliter obseruare; qui fieri potest, vt illa infallibilis veritas huius promis-
sionis verba tot annis non adimpleat? Quis huic petitioni respõdere poterit?

Ad hæc illud addo, quod sequitur: Qui sanctas leget scripturas, inueniet,
quòd illud Dei maximè proprium est, legis obseruatoribus innumerabilia
bona promittere. Hoc nobis significant illa Psalmi verba: *Oculi Domini super*
iustos: & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala: vt per- Psal 33.
dat de terra memoriam eorum. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex
omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Iuxta est Dominus ijs qui tribulato sunt cor-
de: & humiles spiritu saluabit. Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus his libera-
bit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur. Hæc
omnia sunt Dei verba per hunc Prophetam prolata. Et in hanc sententiam
Psalmo 36. inter cætera bona, quæ iusto pollicetur, addit & hoc boni genus:
Cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponet manum suam. Quid autem
mollius, quid suauius hoc promitti potest? Et quoniam amicorum fidelium
maximè proprium est suis amicis aduersis rebus auxilium ferre, in his ver-
bis Propheta concludit Psalmum: *Salus autem iustorum à Domino: & protector*
eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus: & eruet eos à peccato-
ribus, & saluabit eos: quia sperauerunt in eo. Quid autem aliud continet Psal-
mus 90. qui incipit, *Qui habitat,* nisi bona iustorum in tempore tribulatio-
nis eorum? Quæ verba sunt illa, quæ bona pollicentur? *Scapulis suis obum-*
brabit

brabit tibi: & sub pennis eius sperabis. Scuto circundabit te veritas eius: & non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die. & inferiùs dixit: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Illud nobis significat, nullam futuram esse vim, nullum tantum periculum, quod tibi præiudicare, vel damnare possit. Tandem hũc Psalmum Deus concludit, inquiens: *Clamauit ad me iustus, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ad hæc addamus Psalmi 124. verba, in quo promittit Deus suis seruis eam securitatem, & firmitudinem, qualis montis Sion est, qui nunquam dimoueri poterit. Et subiungit, quòd idem Dominus suum populum circundabit, idq; non ad tempus, sed in secula seculorum.

Quòd si hæc gens, se Deo seruire, tantopere gloriatur, & illius legem seruare; cur hic Dominus illis opem non fert? cur non illis auxiliatur? cur hęc omnia promissa, & verba non adimplet? cur iam tam multos annos inter omnes totius terrarum orbis nationes malè tractatos, & dispersos esse permittit? Quomodo hæc tanta, tamq; antiqua calamitas cum illis Ecclesiastici verbis conueniunt: *Respicite filij nationes hominum: & scitote quia nullus sperauit in Domino, & cõfusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? Quoniam pius & misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Hæc omnia sunt Ecclesiastici verba. Addite ad hoc testimonium, quod Propheta Dauid de hac Dei paterna prouidentia reddit in Psalmo 120. vbi inter cætera sic ait: *Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te. Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Per diem Sol non vret te: neque Luna per noctẽ. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.*

Eccl. 2.

Si omnes alias auctoritates in hanc sententiam referre vellemus, plurimæ paginæ id capere nequirent. Vt autem quæcunque dicta sunt comprobentur, nolo alio vti argumento, nisi quæcunque fecerit Deus pro hoc populo, dum sub illius protectione versatus est. Quæ miracula fecit, vt illum populum de Ægypto erueret? Mare aperuit, quà transirent, in illo omnes illius persecutores demersit: ad eos de cælo Manna demisit, de petra illis aquam dedit; interdiu columna nubis, noctu ignis columna ducebat, locum ostendebat, vbi castrametarentur: fluminis Iordanis cursum continuit, aduersus omnes hostes pro eis pugnauit, & illos terræ promissionis dominos effecit. Tandem sic se habuit cum illis in toto illo itinere, vt Moyses dixerit, quòd Deus illos per illud iter perduxerit eadem cura, ac diligentia, qua pater paruulum filium perducit: Et idem Dominus illis dixit: *Vosipsi vidistis quæ fecerim Ægyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Ex eo die quando vnquam Deus illis in eorum calamitatibus defuit? Quàm multos Prophetas sæpe illis mittebat, vt eos docerent, & supplicij admonerent, quo illos affecturus erat, nisi ad melius vitæ genus se transferrent?

Deut. 1.

Exod. 19.

At videamus iam quid de hac paterna Dei prouidentia, atque cura factum sit. Vbi illius misericordiæ sunt? Quomodo illius populi, quem sibi ex omni-

bus orbis terrarum nationibus delegerat, oblitus est? Quid de miris victorijs, quas toties illis largiebatur aduersus hostes, à quibus opprimebantur, factum est? Quid de Prophetis, per quos eos admonebat, atque suam voluntatem declarabat? Quomodo illius sui testamenti oblitus est, toties repetiti, vbi inquit, quòd ipsi essent suus populus, & ipse foret illius Deus? & cum esse illius Deũ, est esse illis omnia, quæ ad illius salutem, & consolationem spectarent. Leuit. 26. 2. Cor. 6.

Quid est hoc? quænam mutatio hæc est? quæ destitutio tam multorum annorum, in quibus nihil superiorum fuit; sed calamitates calamitatibus cumulatæ, persecutiones persecutionibus, iniuriæ iniurijs, oppressiones oppressionibus, licet hæc gens (vt arbitratur ipsa) in tam multis calamitatibus, in fide, & legis suæ obseruatione perseueret? Vbi est prouidentia, & paterna cura, quam Deus de ijs habet, qui illi seruiunt? Vbi illius fidelitas? vbi bonitas? vbi veritas? vbi misericordia? vbi iustitia? fides in suum populum, qui tam multa patitur, vt illi maximopere fidelis sit? Verè si nulla hic alia culpa est grauior omnibus antiquis, necesse erit omnem diuinitatem cum omnibus his diuinis perfectionibus negare: omnes enim deficiunt, si, cùm non adsint maiora peccata, tanto Deus rigore vtitur.

Hæc fauorum & diuinorum auxiliorum promissa omnibus bonis communia sunt. Alia sunt, quæ magis præcipuè cum hoc populo verba faciunt, si diuina mandata seruauerint, quæ eidem populo declarauit Moyses in cap. 28. Deuteronomij his verbis: *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorẽ cunctis gentibus quæ versantur in terra. Venientq́ue super te vniuersa benedictiones istæ, & apprehendent te. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq́; iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens*, id est, in omnibus operibus, & vijs tuis. *Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Constituet te Dominum in caput, & non in caudam: & eris semper suprà, & non subter.* Ad hæc verba addamus ea, quæ idem Dei à secretis cap. 26. Leuitici inquit, vbi inter alia multa bona sic ait: *Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosq́; eritis populus meus.*

Hæc omnia sunt Dei verba, & promissa, de quorum veritate superiùs tractauimus; neque erat, quod de ea tractaremus, cùm tam certa sit, tamq́ue infallibilis, vt idem Deus est. Quod cùm ita se habeat, fateor me stupescere, & summopere admirari, cùm videam, hæc verba non satis esse ad illam gentem illuminandam, quæ adhuc firma, & obstinata in suis tenebris perseuerat. Quot enim verba sunt in his diuinis promissis, tot contra illorum cœcitatem testimonia, & argumenta sunt. Nam si gloriantur diuinæ legis obseruatione;

 quo-

quomodo nullum horum bonorum, huius legis obseruatoribus promissorum, præstat Deus? Omnia sigillatim enumerent, & intelligent non solum nullum horum ad illos pertinere, sed penitus contrarium, vt res ipsa demonstrat.

Hic inter cætera bona pollicetur Deus, fore hanc gentem omnibus, quæ in terris versantur, excelsiorem, & in sublimi semper, & nunquam in imo, & fore caput, & nunquam pedes. Iam videamus quantum absit, vt hæc gens huiusmodi sit, cùm nulla sit gens ex omnibus totius terrarum orbis nationibus afflictior, vt omnibus compertissimum est. Nónne hæc vna animaduersio satis esse deberet, quæ huic genti suum errorem ostenderet? Credo equidem, ex causis, ob quas Deus tam distinctè suæ legis obseruatoribus hæc tanta bona polliceretur, vnam fuisse, vt, cùm viderent hæc sibi deesse bona, se legem non seruare clarè intelligerent; ex quo & illud sequitur, non esse in Dei amore, & gratia; ne sua se ignorantia in tam aperta re excusare possent.

Quòd si vlteriùs processerimus, videbimus profectò, quòd vt Deus hæc bona ijs pollicetur, qui legem custodiunt, ita in antedictis capitibus maxima supplicia illis minatur, qui eam non seruauerint. At videamus num hæc supplicia illis conueniant, cùm iam viderimus ad eos bona nihil pertinere. Inter supplicia, quæ illis Deus minatur, vnum est illius populi per omnes gentes dispersio, & exilium; & sic idem Propheta inquit: *Disperget te Dominus in*
Deut. 28. *omnes populos à summitate terræ vsque ad terminos eius. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore: et erit vita tua quasi pendens ante te.* Hæc eadem plaga, & prophetia est in eodem cap. 26. Leuitici penè totidem verbis: vbi idem Dominus cum ijsdem loquens, sic inquit: *Vos autem dispergam in Gentes, et euaginabo post vos gladium. Et qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium. terrebit eos sonitus folij volantis, et ita fugient quasi gladium. nemo vestrum inimicis audebit resistere.* Hæc sunt Dei verba per suum Prophetam, quæ quidem mihi maximam admirationem afferũt, cùm videam iam tria millia annorum elapsa esse, ex quo hic magnus Propheta, & diuinorum consiliorum particeps, huius populi exilium, & hanc disseminationem, quã nunc cernimus, prophetauit, idq; tam apertis verbis, quàm si id suis oculis cerneret.

Hoc igitur modo nunc argumentemur: Si nulla bona, quæ Deus suæ legis obseruatoribus pollicetur, hic populus habet; & si verbera, & calamitates, quibus minatur, in illo ad vnguem esse cernimus: cui dubium esse poterit, eos legem non custodire; cùm nullum bonum in illis videatur, quæ Deus pollicitus est; sed contrà, exilia, timores, & afflictiones, quæ illis minatur, qui illam non custodiunt? Et quòd eam non custodiant, compertum est, cùm illum non recipiant Dominum, neque ei seruiant, cui iussit Deus per Moysen vt seruirent, cùm veniret, hac conditione, vt ipse sibi sumeret vindictam eorum, qui illi non parerent.

Quid huic argumento responderi potest? & quam excusationem apud illum iustissimum iudicem afferent, qui huiusmodi promissa ex altera parte legentes, & minas ex altera factas, & his duabus rebus cùm se conuictos cernant,

nant, tamen in sua obstinatione perseuerant? Cùm tantam cæcitatem admirari incipio, nullam aliam inuenio rationem, qua me ex ea liberare possim, quàm animaduertere, quò illa perueniat anima, quæ sit à Deo derelicta: vt in Pharaone videmus, qui cùm tot miracula cerneret, totq; plagas in se; tamen in sua obstinatione perseuerauit: & huiusmodi videntur illi esse, qui hæc omnia cernentes, tamen in sua incredulitate persistunt.

Vt hæc omnia confirmemus, quæ diximus, hîc adducam historiam, quæ vna per se diligenter cõsiderata sine dubio satis erit, quæ illorum oculos aperiat, qui hactenus in cæcitate degunt: Cùm Holofernes generalis Nabuchodonosor præfectus obsedit Betuliam, (vbi illa nobilissima Iudith morabatur) cùm videret, ipsam ciuitatem se ad resistendum parare, (cùm cæteræ quodammodo cum lætitia, illi propter ingentem timorem, quo illorũ corda obsessa erant, obuiam prodirent) hac resistentia admiratus, & iratus primos ex filijs Ammon, & Moab accersiuit, (qui illius gentis vicini, & finitimi erant) vt ab illis illius populi conditionem disceret, & vires, quibus fidebant, cùm ille solus eum placidè accipere nollet. Tum Achior filiorum Ammon princeps, habita facultate loquendi, protestans se veritatem dicturum esse in ijs, quæ diceret, omnem historiam, & originem illius populi narrauit, & omnia miracula, quæ Deus pro illo populo operatus erat, tam in plagis AEgypti, quàm cùm mare apertum est, vbi sicco pede transierunt, & omnis Pharaonis exercitus submersus est, qui illum sequebatur. Et narrauit præterea, vt illius Deus eum quadraginta annos in deserto cælesti prouisione, & cibo sustentauit: quodq; sui Dei fauore sine arcu, sine sagittis, sine armis totius Cananæorũ terræ potitus erat, quòd illorum Deus pro illis pugnabat: & dum in cultu Domini Dei sui perseuerarunt, rebus secundis, & omnium rerum copia vsi sunt. Quotiescunque autem præter ipsum Deum suum alterum coluerunt, dati sunt in prędam, & in gladium, & in opprobrium: quotiescunque autem eos à Dei sui cultu recessisse pœnituisset, seq; ad Deum conuertissent, ipse illum liberabat, & suæ patriæ restituebat. Nam & ante hos annos cùm recessissent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati sunt prælijs à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam: sed reuersi ad Dominum Deum suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & iterum hæc loca possident. Nũc ergo mi Domine, dicebat ille, vt quidem sentio perquiras, si est iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, & ascẽdemus ad illos, quòd illos nobis Deus tradet: si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ. Quàm autem vera fuerint hæc ab Achiore dicta, non solùm huius negotij euentus significauit; sed omnes, qui sacras legerunt historias, id omne verum esse, compertissimum habent. Iudith 5.

Sic & Dauide, & Salomone Regibus, cùm populus nullum alium Deum præter suum cognosceret, tam secundis rebus vsus est, & ita multiplicatus, vt eum cum arena maris scriptura comparet; & tanta fruebatur pace, vt quisque sub suo vmbraculo, & ficu pacificè, & tutò degeret. Eadẽ prospera fortuna, & pace, Asa, Iosaphat, & Ezechia regibus vsus est, pro quo Deus contra 3. Reg. 4.

4.Reg.19 Assyriorum Regem mirum in modum pugnauit, Angelum mittens, qui vna nocte centum & octoginta millia militum interfecit, vt paulò antè diximus, & ad hæc Rex ille paganus paucis pòst diebus suorum filiorum manibus occisus fuit.

His,& alijs huiusmodi rebus secundis vsus est hic populus, quo tempore in sui Dei fidelitate perseuerauit. Sed cùm ab eo deficiebat, statim à diuina iustitia in manus suorum inimicorum tradebatur: quorum nonnulli tantam in illos crudelitatem adhibebant, vt illorũ infantes in muros alliderent, & fœminas in vtero habentes ferro aperirent. Et vt quæ dicta sunt meliùs cõfirmentur, multis alijs exemplis omissis, solùm Ioam Regem Iudæorum in exemplum adducam; cui cùm regni optimates adularentur, licentiam illis dedit, vt idola adorarent,& illis immolarent. Ex quo nondum anno confecto Deus propter hoc peccatum in potestatem exercitus Syriæ eos tradidit, qui omnes regni primates interfecit,& multam prædam Damascum ad suum regem misit. Et scriptura inquit, quòd cùm exiguæ essent Syriæ copiæ, infinitam multitudinem illius populi Deus illis tradidit. Regi verò Ioæ multas intulerunt iniurias,& contumelijs affecerunt,& sic in suam terram reuersi sunt,& eum in multis angoribus, & in morbis reliquerunt. Ad hæc in eum sui insurrexerunt,& in suo lecto pugionibus interfecerunt, & in Hierusalem illius corpus sepelierunt,non autem in suorum Regum sepulchris,quòd vel in hac re de illo iustam vindictam Deus sumere voluit.

2.Par.24.

His autem,& alijs talibus exẽplis intelligemus, quàm propitius, & bonus esset Deus huic populo, quando fidelis erat; & contrà quàm seuerè, & duriter in illos animaduerteret,cùm ab illo recedebant,& ad idola se conferebãt. Quare illud colligere possumus, quòd vt vmbra corpus natura sequitur; sic res secundæ hunc populum sequebantur fidelem,& infidelem res aduersæ: vt ex secundis rebus populi bonam vitam,& ex aduersis malam colligere possimus. Nunc autem cùm huius populi calamitates cernamus, quas patitur, & tam multorum annorum exilium, & ab infidelibus, in quorum terris versantur, afflictiones,& extra ordinem tributa, quæ illis imponunt, & (quod magis est) illud ditissimum Iudææ regnum, & illam antiquam rempub. deletam,& ad nihilum redactam, & ciuitatem eum suo templo solo æquatam; quis tam cæcus erit, tamq́ animi perturbationibus affectus, qui Deum illis iratum esse non cernat? Quid autem aliud huius iræ causa esse potest, quàm peccata? quod autem peccatum, nisi Saluatoris passione, & morte, quod longè grauius est (vt postea dicemus) quàm totius mundi omnia peccata? Cùm enim Deus iustissimus sit iudex, peccatis supplicia æquat: cùm autem hoc sit maximum omnium,& maximè diuturnum supplicium, quod hic populus passus sit; necessariò sequitur, nullum esse, neque fuisse in illis, quod cum illo quod dictum est comparari possit.

Cùm hoc igitur sit huius veritatis certissimum argumentum, aliud quoque addam, quod non minorem vim habebit. Illud cùm verum sit, quòd de legis suæ obseruatoribus Deus singularem hanc curam habeat, multò maiorẽ illorũ gerit, qui propter eius obseruationem iniurias, persecutiones, & exilia patiuntur. Cùm enim hæc sit maior virtutis experientia,atq; perfectio, quemadmodum hîc homo in Deum fidelis est, sic Deus in hominem, præcipuam adhi-

adhibens misericordiam & prouidentiam in illos, quos sic afflictos sua causa cernit. Huius rei in Daniele exemplum habemus, qui in leonum lacũ missus fuit, quòd Babyloniç idola destruebat; qui in eodem loco à Deo mira ratione adiutus, & liberatus fuit. Nobis quoque in exemplum sunt tres iuuenes, qui cùm in caminum ignis proiecti essent, quòd Nabuchodonosor statuam nollent adorare, ibi Angelus eos comitabatur, & in medijs flammis Deo hymnos canebant. Susanna quoque testis est, quæ ne in peccatum incurreret, quod ipsa postulabatur, manifesto periculo vitam, & famam obtulit: quæ etiam mirificè ab eo Domino defensa est, cui vt pareret, patiebatur. Ita vt fidelissimus ille Dominus (quemadmodum in his exemplis patet) nunquam magis suis præsens sit, quàm cùm illos afflictos sua causa cernit. Hic enim mira quædam æmulatio inter Deum, & illius seruos intercedit; dum illi, vt tribulationis tempore Deo fideles sint; Deus, vt multò magis eodem tempore sit fidelis, conatur. Nam vt illa regalia, & nobilissima viscera patientur, hominem videre, qui adeò propensus est natura ad suas res diligendas, suam vitam, & quietem, hæc omnia negligere, id est, naturæ vires superare, ne suum Creatorem lędat; Creator verò, cùm hanc fidelitatem cernat, otiosus maneat, & auxilium extra ordinem illi, qui tam multa illius causa patitur, non ferat?

Dan. 6.
Dan. 3.
Dan. 13.

Cùm igitur hæc veritas tam certa sit, cumq; hic fidelissimus Dominus videat exilia, oppressiones, & curas, & persecutiones, quas hic suus populus patitur in omnibus totius terrarum orbis nationibus vt suæ legi obediat, si hęc obedientia illi grata esset, qui fieri posset, vt tam multis annis, nullum fauoris genus, aut leuaminis, aut subsidij illis, quos sic sua causa afflictos cernit, attulisset? Debéntne homines Deo in illius mandatis seruandis esse fideles, si in calamitatibus suis illis auxilium non mittat fideliter, atque consolationem? Malè cohæret id cum illa Ecclesiastici sententia, quę inquit: *Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis.* Vt si diceret: Ille fidelis est in ijs omnibus faciendis, quæ lex præcipit, & lex illi fidelis erit in ijs præstandis, quæ pollicetur. Quid huic rationi responderi potest?

Eccli 33.

Ad ea, quæ dicta sunt, aliud etiã multa consideratione dignum addam, & est tempus animaduertere, quo hęc gens calamitates pati cœperit. Huius rei initium fuit (vt in superioribus capitibus apertè demonstrauimus) statim post Saluatoris passionem, & mortem, vt compertissimum est. Quòd si ille erat is, quem esse Pharisæi existimabant atq; Pontifices, non solùm illius morte non afflictiones, & supplicia, sed summam laudem merebantur. Deus enim in lege iusserat, vt si quis propheta surgeret in populo, qui vera in ijs, quæ prophetabat, diceret, sed tamen populum ad Deos alienos colendos impelleret, eum statim interficerent. Pontifices autem & Pharisæi iudicio damnarunt hominem, non qui se prophetam faceret, sed hominem, quem ipsi dicebant, se Deum facere, & hoc nomine illi mortem postulabant, dicentes: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori: quia filium Dei se fecit.* Quòd si hæc accusatio vera esset, nullum sacrificium Deo hoc supplicio gratius offerre poterant; cùm nulla blasphemia maior esse possit, quàm homunculum Dei diuinitatẽ vsurpare, quę nulli communicari potest: Quod neque Lucifer damnatorum princeps facere tentauit.

Deut. 13.
Ioan. 19.

Hoc igitur opus non solùm supplicium non merebatur, sed maximum præmium. Nam quam comparationem cum hoc habere potest illud, quod
Num. 25. fecit Phinees tunc, cùm Dei zelo motus vnum ex filijs Israel pugione interfecit, quòd eum peccare viderat cum quadã Madianitarum fœmina? Ille enim turpis homo perturbatione solùm motus hoc scelere se obstrinxit: Christus autem (vt ipsi inquiunt) consilio, & voluntate determinata ad diuinitatem se erexit, cùm se Dei filium vocaret. Quòd si hic Phinees zelus Deo tam gratus fuit, vt propter hanc causam sacerdotij perpetuitatem illi concesserit, & (quod magis est) populo pepercerit, qui publicè eum offenderat, Phogor idolum adorando; quantò maius præmium merita erat hæc gens, cùm de illo vindictam sumpsisset, qui cùm non esset, se tamen Deum esse dicebat? Hoc profectò zelo (vt ipsi inquiunt) merebantur, vt licet multa peccata commisissent, hoc officio omnia illis condonarentur; & Deus nouis bonis eos cumularet. At videamus, quàm hoc negotium contrà sese habeat. Ex quo enim tempore se hoc peccato contaminârunt, statim illi persecutionibus, angoribus, cædibus, direptionibus, incendijs, oppressionibus, vituperijs (vt antea diximus) cumulati sunt, vt tandem ad peiora semper declinando ad suæ Reipub. & regni amissionem peruenerint. Quod quidem regnum tam magnum erat primi Herodis temporibus, vt post illius mortem in quatuor regna distributum fuerit. Vt qui erant illis temporibus tam multarum ciuitatum, & regnorum domini, nunc ne pinnam quidem in toto terrarum orbe possideant: & illa gens, quę (vt inquit Moyses) omnium erat illustrior, & nobilior, (propter Dei cognitionem, & legem ab eo datam) nunc (vbicunque sit) est omnium subiectissima. Cęci igitur oculi, & miseri hæc non videbunt? Huius tantę mutationis causam non inquirent? Quî non vident, quàm multi anni elapsi sunt, ex quo Deus ita illorum oblitus est?

Quomodo autem cum hac obliuione conuenit illa Dei promissio per Isa-
Isa. 49. iam: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego* (inquit Deus) *non obliuiscar tui. Ecce, in manibus meis descripsi te.* Nónne hoc verbum Dei est? nónne tam verũ est sicut ipsa veritas? Quid autem de hac veritate factum est? vbi huius verbi adimpletio est? vbi est Dei memoria, exemplo omnium maximi amoris amplificata, qui matris in paruulum infantem est? Quid de eiusdem Domini memoria dicam, qui non mi-
Ierem. 31. nùs teneris verbis inquit: *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius.* Hæc autem memoria vbi est? hæc pietas vbi? vbi hic Dei amor, vt patris in filium, & primogenitum filium, (vt ipse per Oseam dixit) & iuuenem delicatum? quid? vbi illa paterna prouidentia,
Zach. 2. quę dicebat: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei?* O cæci, ô tenebrarum
Psal. 68. principe decepti, ô illi maledictioni obstricti, quæ inquit: *Obscurentur ocu-*
Deut. 28 *li eorum ne videant.* & illa, *Percutiet te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non diriges vias tuas.*

Quisnam huius prophetię perfectionem non cernit? Quę meridiana lux est tam clara, vt hæc veritas his Dei verbis testata? Hoc tamen ita claro meri-

die

die huius lucis splendorem non cernunt. Hæc consideratio tantam vim habet ad nostram fidem confirmandam, vt licet cæteræ omnes deessent, quas hactenus narrauimus, hæc vna satis esset, quæ omnem intellectum non obstinatum conuinceret.

In quam sententiam hic narraturus sum, quod paucis ante diebus accidit. Cùm huius regni legatus ad Tridentinum concilium esset, & illinc cùm Venetias se conferret, in itinere quendam inuenit iuuenem genere Hebræum, qui ad nostram fidem se conuerterat, quem secum duxit. Vbi verò in hoc Lusitaniæ regnũ peruenit, ab eo sciscitanti, quid ad illam mutationem illum impulisset, mihi respondit; Calamitates, & oppressiones, quas post Saluatoris mortem illius populus semper passus est. Nam (dicebat ille) sic argumẽtatus sum: Hic Dominus crucifixus vel erat Dei filius, vel non: Si Dei filius erat, æquum erat illum adorare, eiq; credere: si autem non erat, & ille se Dei filium faciebat, non solùm non peccarunt, qui eum occiderunt, imò Deo omnium gratissimam rem fecerunt, cùm illum morte afficerent, qui Deo diuinitatem & gloriam eripere audebat. Hoc igitur cùm ita se habeat, tam multa genera annorum, & calamitatum consecuta sunt, vt in omnibus præteritis generationibus ad hoc vsque tempus perdurent; & in primis paucis pòst diebus illã tam antiquam rempublicam ita fuisse derelictã, & ad nihilum redactam, vt nondum restituta sit Cùm igitur tum Idololatriæ peccatum in illis nõ esset; quod peccatum esse poterat, tam longo, tamq; graui supplicio dignum, nisi Christi mors? Hæc vna ratio tantum potuit, vt hic homo cæcitatem, in qua versabatur, cognosceret, & oculos ad lucem aperiret. Quid autẽ fecisset, si omnes prophetias, quas hactenus adduximus, collegisset?

Ad has omnes animaduersiones postremam adiungam, cui multò minùs responderi poterit, quàm superioribus omnibus. In quo operæ pretium erit, vt tempus exilij Babyloniæ cum tempore huius, quod adhuc durat, comparemus, & peccata, quæ hoc exilium merita sunt. Primùm autem nobis compertissimum est omnium scripturarum testimonio, quòd præcipuum peccatum, propter quod illud primum exilium euenit, fuit idololatria, cui tam propensus ille populus fuit, vt Hieremias eum comparet cum onagri Ierem 2. ardore (quod animal luxuriosissimum est) quo fœminam quærit, quo tempore amore laborat: vnde venatores, cùm tam auidè currat, & extra se, & sui appetitus furore tam cæcus, ei laqueos intendere, atque capere solent. Hoc autem peccatum tam frequens in illo populo esse solebat, vt (quemadmodum idem Propheta testatur) in omni angulo, in omni alto monte, & sub qualibet opaca arbore sua ædificassent altaria, vt idolis immolarent. Illud quoque huius peccati malitiam adauget, quòd cùm Deus à se decem tribus Israel eiecisset, & illis libellum repudij dedisset propter hoc idem peccatum, ex alijs periculum non fecit Iudæ tribus, imò in eodem scelere perseuerauit.

Secundum autem peccatum, quod huius tanquam frater erat, fuit (horribile dictu) quòd his idolis abominandis suos filios, & filias immolarunt. Hac autem re quid inhumanius, quid crudelius, quid abominandum magis, magisq; contra omnem naturæ legem fieri poterat, cùm vel ipsæ bestiæ feræ pro filiorum vita, suam vitam omnibus periculis obiiciant?

Vbi

Vbi igitur hęc duo tam grauia peccata erant, quod sceleris genus ibi de-
Osee 4. esse poterat? Hęc refert Osea Propheta his verbis: *Audite verbum Domini filij Israel, quia iudicium Domino cum habitatoribus terra: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Hæc per Ose-
Amos 9. am. At per Amos inquit: *Auaritia in capite omnium, & à primo ad vltimum omnes illi se tradiderunt, & à propheta, vsque ad sacerdotem omnes deceptiones parabant.* Tanta erat eo tempore bonorum inopia, vt Deus per Ieremiam dixerit:
Ierem. 5. *Circuite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium & quærentem fidem: & propitius ero ei.* Idem Propheta consulit, ne frater fratri, nec propinquus propinquo fidat, quòd omnes infideles erant, & omnes insidias inuicem moliebantur. Quapropter Propheta afflictus, cùm tanta videret mala, dicebat: Quis me hinc aliò transferet in desertum locum, atque solitudinem, vt ab hoc populo fugiam? omnes enim adulteri sunt, & peruersorum hominum exercitus. Per Ezechielem cap. 5. eos accusat Dominus, inquiens eò vitæ corruptionis peruenisse, vt omnes gentilium nationes, quæ apud illos erant, vitijs facilè superarent: & hanc sententiam sæpius eodem loco repetit.

Sed breuitatis causa enumerabo hîc illius populi vitia, vt hic Propheta cap. vigesimosecundo iussu Dei his verbis fecit: *Fili hominis, nónne iudicas ciuitatem sanguinum? & ostendes ei omnes abominationes suas, & dices, Hæc dicit Dominus Deus, Ciuitas effundens sanguinem in medio sui, vt veniat tempus eius: & quæ fecit idola contra semetipsam, vt pollueretur. In sanguine tuo, qui à te effusus est, deliquisti: & in idolis tuis, quæ fecisti polluta es. Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te, ad effundendum sanguinem. Patrem & matrem contumelijs affecerunt in te, aduenam calumniati sunt in medio tui, pupillam & viduam contristauerunt apud te: Sanctuaria mea spreuistis, & sabbatha mea polluistis. Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem, & super montes comederunt in te, scelus operati sunt in medio tui. Verecundiora patris discooperuerunt in te, immunditiam menstruatæ humiliauerunt in te. Et vnusquisque in vxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefariè, frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te. Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem: vsuram, & superabundantiam accepisti, & auarè proximos tuos calumniabaris.* Hactenus sunt Prophetæ verba. Quænam scelera in his non comprehenduntur? quò poterat vlteriùs progredi humanæ vitæ corruptio? Vlteriùs tamen progreditur. Idem enim Propheta cap. 16 testatur Deum inquiens, quòd neque in Sodoma, neque in illius finitimis tam multa scelera inuenta sunt, quàm multa in suo populo fuerunt. Quibus verbis idem testimonium confirmat, quod idem Dominus inquit per Ieremiam his ver-
Thren. 4 bis: *Maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento.* Neque enim illud nefandum vitium defuit, quo hęc scelerata ci-
3. Reg. 15. uitas euulsa, & solo æquata fuit. Propter hanc causam Rex Asa laudatur, quòd de suo regno hoc scelus in exilium eiecit: & multò magis sanctissimus Rex Io-
4. Reg. 23. sias, qui paulò ante Babyloniæ captiuitatem fuit: qui cùm regnare inciperet, hoc vitium tam frequēs inter homines peruersos inuenit, vt cum sancto templo

plo effœminatorum lustra essent coniũcta; quę quidem sanctus ille Rex euertit,& hoc scelere ciuitatem depurgauit.

Ex dictis clarè apparet,eo tempore peccata ad summũ peruenisse:& quòd non erat æquum, vt diuina iustitia (vbi eos toties admonuerat, & minatus erat, per suos Prophetas eos ad pœnitentiam vocando,& nollent se à peccatis abstinere)meritum supplicium dissimularet.Et ob id in illos suum flagellum misit,qui fuit Nabuchodonosor Babylonię Rex,qui illud regnum destruxit,& populum captiuum in Babyloniam perduxit,& hęc captiuitas septuaginta perdurauit annos ; quo tempore elapso, in patriam restituti sunt. Quo quidem tempore exulibus Prophetę non defuerunt, qui eos admonerent,& in captiuitate docerent, vt fuit Ezechiel, & Daniel, & illi tres sancti adolescentes, quos in caminum ignis proijciendos iussit Nabuchodonosor.

Cùm autem hęc captiuitas & exilium non amplius quàm septuaginta annos perdurauerit,cùm tanta,& tam multa fuerint peccata, quæ illud merita sunt; hoc autem, in quo nunc sunt,ampliùs quàm mille & quingentos perduret annos; necessariò fatendum est (supposita ęquitate, & diuina iustitia) huius exilij causam eò maiorẽ quàm illius,quò est hoc supplicium illo grauius.Quæ enim peccata illa fuerunt? Idololatria,quod peccatum illo tempore fuit maius ? Minimè verò. Post enim illam captiuitatem tantum aberant ab hoc peccato,vt nõ solùm nollent Imperatoris Caij statuam in templo collocare,sed nec in publicis vrbis locis Tiberij imaginem: in quam rem omnes se mortẽ obire potiùs profitebantur,quàm hoc admittere, vt suprà diximus. Quod autem aliud peccatũ faciunt?Suos filios,vt antea,Dijs sacrificant? Neq; hoc quidem.Dei leges,& illarum cæremonias frangunt?Imò sic se Deo fideles esse arbitrantur, vt per totũ terrarum orbem ire dispersi patiantur, & omnium persecutionibus affici, vt illam custodiant. An in ea negligentia versantur,vt Deum non inuocent,& ab eo auxilium non petant? Imò satis multum temporis in suis synagogis ad preces conterunt, hactenus tamen non exaudiuntur.

Quid igitur hîc dicemus ? Alterutrum affirmandum est, aut aliqua nota Dei iustitię,bonitati,veritati,& fidelitati(vt diximus)inurenda est,cùm in illam gentem misericordiam non exhibeat,quæ illius causa tam afflicta sit ; quod quidem dicere maxima blasphemia est: vel fatendum est, cùm hic nullum ex illis antiquis peccatis adsit,& grauissimis, aliquod aliud esse tantò illis maius,quantò huius pœna est illorum pœna maior.

Quod autem hoc esse potest peccatum, nisi illud,quod in morte iniustissima filij Dei commissum fuit? In hoc enim peccato omnia turpia, & scelera concurrerunt,quæ humanus intellectus capere potest,& hęc omnia in supremo malitiæ gradu.In hoc enim primùm incredulitatis peccatum adfuit: noluerunt enim ei Domino fidem præstare, vt tam multæ prophetię, & miracula,qualia antea nunquam facta fuerunt, cuiusnam essent,tam apertum testimonium afferebant.Hoc fuit omnium maximum sacrilegium : non enim fuit vasa sacra polluere,vel Dei templum ex materia violare,sed illud viuum templum sacrę humanitatis,Spiritus sancti virtute formatum, (vbi non vmbris,& figuris,sed re ipsa,& veritate tota diuinitas versabatur, in vnica per-

fona cum humanitate coniuncta) quod ipsi crudelissimè tractarunt, & sanguine polluerunt. Fuit prçterea quoddam parricidij genus, cùm patrem communem
Act. 17. vita priuarint, & omnium rerū Creatorem, per quem viuimus, mouemur, & sumus. Fuit etiam ingrati animi peccatum maius, quàm cogitatione comprehendi possit; cùm maximum omnium diuinorum beneficiorum depulerint, quæ fuit filij Dei visitatio, & aduentus, vt illis remedium afferret. Fuit etiam inobedientia, & rebellio contra Dei imperium, & mandatum, qui iusserat per Moysen, vt cùm hic Dominus in mundum veniret, ei obtemperaretur, quòd si quis id non faceret, se fore illius vltorem. Fuit etiam malitiæ peccatum, quòd cùm id scirent, se obcæcare voluerunt, mira-
Ioan. 11. cula, quæ Saluator faciebat, fatentes cùm dixerunt: *Quid facimus, quia hic homo*
Matt. 28. *multa signa facit?* Et cùm sepulchri custodibus pecuniam dederunt, vt resurrectionis miraculum negarent. Fuit maior vilipensio, & vituperium in diuinam maiestatem, quàm mente concipi possit; cùm in morte innocentis tam multa coniunxerint genera ignominiæ, infamiæ, colaphorum, verberum, spinarum, vestium irrisionis, latronum societatem, & in primis Barrabam fuisse cum illo comparatum. Tandem si omnia odij, inuidiæ, crudelitatis, & inhumanitatis peccata, quæ in terris commissa sunt, (non solùm in homines, verùm etiam in eundem Deum) vnà iuncta essent, non huius facti sceleri se æquare possent, quod fuit vero Dei filio, & omnium rerum creatarum Domino, cruentas manus afferre. Quod autem aliud peccatum committi poterat, quod huiusmodi supplicium, & exilium, & tam multorum annorum mereretur, nisi hoc; cùm omnia antiqua, quæ grauissima erant, solùm septuaginta captiuitatis annis expiata fuerint? Quid huic interrogationi responderi potest?

Si ad hoc responderent, quòd iusti etiam sæpe tribulati sunt in hac vita; ego id confitebor: at illorum tribulatio breui finitur, & post illam multa bona consequuntur, vt in calamitatibus Iob, Tobiæ, Ioseph, Dauidis, & multorum aliorum apparet, quod in hoc exilio non videmus.

Quòd si dicerent, Deum etiam permisisse, vt nostri Martyres innumerabilia tormentorum genera, & exilia paterentur, inde mirum non esse, & eos eadem pati. Respondemus, Martyres innumerabiles gratias in medijs tormentis à Deo accepisse. Feras bestias sçpe mansuetas reddebat, ignis flammas extinguebat, per Angelos suos in carceribus eos visitabat, illorum vulnera curabat, & sanabat, & per illorum manus multa miracula operabatur. Et (quod magis est) hæ persecutiones paulò plus quàm ducentos annos perdurarunt, quibus elapsis, mira fide perseuerantes, atq; constantia, de omnibus mūdi, & inferni viribus victoriā deportarunt, & apud homines omniū maximum beneficium collocarunt, quod fuit, idolorum templa & altaria radicitus conuellere, idololatriç blasphemiam de mundo in exilium eijcere, & veri Dei, & omnium creaturarum rerum Domini, cognitionem plantare. At ipsi iam ante mille & quingentos annos hoc exilium patiuntur, sine vlla consolatione, sine miraculis, sine prophetijs, sine Repub. sine sacrificij loco, & sine manifestis de cælo gratijs. Quæ igitur erit huius calamitatis cum illis Martyrum calamitatibus comparatio?

Quòd si dicerent, propter peccata, quibus quotidie inuoluuntur dum suam

am legem ad vnguem non seruant, neque illius cęremonias, Deum permittere, vt ab alijs nationibus sic malè tractentur: ad id respondetur, quòd sine controuersia maiora erant peccata, quę ante Babyloniæ captiuitatem committebantur; (vt compertissimum est) qui fieri igitur potest, vt iustissimus iudex multò minora peccata longè grauioribus pœnis coerceat?

Iam igitur ipsi mihi dicant, quodnam peccatum hoc tantum est, quod tam magno supplicio dignum sit? ad omnes has interrogationes respondeant; omnibus his rationibus satisfaciant, nobisq; dicant, quodnam hoc peccatum sit?

Non desunt nonnulli, qui cùm se his rationibus conuictos intelligant, & calamitatum, quas patiuntur, multitudine, ad id descendunt, vt dicant, id contingere propter peccatum, quod in exitu de AEgypto perpetrarunt, cùm vitulum adorarunt. Quàm iure optimo dixit Sapiens: *Occasionem quærit, qui vult recedere ab amico.* Quę absurdior responsio hac dari potest? Primum enim Moyses multos concitauit tumultus in populo propter illud peccatum. Deinde scriptura inquit, quòd Deus in populum propter illud peccatum animaduertit. Quòd si dicerent, Deum minatum esse die vltionis quoque hoc peccatum esse puniendum; non dicitur in scriptura dies vltionis, nisi dies vniuersalis iudicij, quo illi propter hanc culpam punientur, qui illius tunc pœnitentiam non egerunt. Præterea quoddam genus nugationis est, dicere propter illud peccatum nunc in tantis calamitatibus versari. Quoties Iudæ tribus, non vitulos, sed dęmones capitales Dei inimicos, qui in idolis versabantur, adorauit? neque adoratione contenti, illis immolabant suos filios, & filias, & comburebant? Cur igitur ob illud peccatum nunc patiuntur hoc exilium, cùm alia similia, & magis cum idololatria coniuncta filiorum cædes commiserint? Omnes hæ rationes apertè declarant, quòd illi, qui hoc inquiunt, hos ramusculos corripiunt, non alia de causa, nisi vt aliquid habeant quod dicant ijs, qui eos tam aperto argumento conuincere volunt. Qui die ratiocinationis causa laborabunt, quòd ipsi tam leuibus rationibus se decipi permiserunt. Quamobrem omnes peruolitent scripturas, & omnes angulos & latebras perquirant, quas possunt, & inuenient profectò nullum peccatum dignum tali exilio, & omnibus calamitatibus, quas hactenus recitauimus, nisi illud solum, quod dictum est, quod longè omnibus totius mundi idololatrijs maius est.

Exod. 32.
Prou. 18.

DE TEMPORE SALVATORIS ADVENTVS, QVO HAEC *mira opera incipienda erant, quæ antea narrauimus.*

Cap. XIX.

CVM verum sit, totius nostræ salutis principium, & fundamentum esse Christi cognitionem; omnibus his prophetijs diuina prouidentia non contenta, neque signis, quę hactenus narrauimus, vt eum cognosceremus, cùm veniret; sed tempus quoque tanquam digito demonstrare voluit, quo venturus esset, ne cui ignorantiæ velum reliquum esset, vel aliqua excusatio, si eum non cognosceret. Quare maximè animaduertendum est, quòd

quòd licet omnes prophetię sint tanquam duces, quæ nos ad Christi cognitionem perducunt: clariores tamen, & expressiores, & quę nullam admittunt excusationem, illæ sunt, quę prędicunt certum tempus, & annos,
Gene. 15. quibus id fieri debet. Hac ratione Deus Patriarchæ Abraham declarauit, *quòd illius semen in AEgypto afflictum erit quadringentis annis, quodque egredientur*
Isa. 7. *cum magna substantia.* Et per Isaiam annuntiari voluit, *quòd inde ad sexaginta & quinque annos populus decem tribuum Israel finiretur.* Et ita eo tempore ille popu-
4. Reg. 17 lus destructus, & captiuus in alienas terras per Assyriorum regem perductus fuit.

At in Saluatoris cognitione, cùm multò pluris esset, apertiora etiam signa temporis nobis tradere voluit. Inter quæ primum, & notissimum est, antiquissima Patriarchę Iacob Prophetia, qui cùm moriturus esset, & Iudæ suo
Gen. 49. filio benediceret, inquit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*, id est, Messias, vt Chaldæa interpretatio vertit. Hoc sceptrum, & imperium, scimus per Iosephum, & per omnes antiquas historias, defuisse, quo tempore Saluator natus est,
Matth. 2. cùm Herodes regnabat, (qui Idumęus genere erat) qui huius noui regis fama audita, timens ne ob hanc causam regnum amitteret, Innocentes interfecit, vt vnà illum (quemadmodum antea dictum est) inter illos occideret. Ex eo autem tempore nullus ampliùs fuit Rex, neque de tribu Iudæ, neque de stirpe Dauid: imò Imperator Vespasianus omnes, qui erant ex illa tribu, interficiendos curauit, vt vel defectionis, vel conspirationis, omnem occasionem tolleret. Hoc cùm ita se habeat, & hoc Dei verbum infallibile sit, atque veritas; quis num Saluator venerit dubitare potest, cùm illud Dauid sceptrũ iam sublatum penitus sit, nisi qui id blasphemando dixerit, & Dei verbi veritatem negauerit?

Secundum huius temporis signum, est Aggęi Prophetia, qui vbi diligenter annum, mensem, & diem scripsit, quo hanc pronuntiauit prophetiam,
Aggæ. 2. hæc addidit verba: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Iesu fili Iosedec. Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ.* Hæc sunt Dei verba per Prophetam: in quibus rationem adducit, cur hoc templum primo esset gloriosius; non ratione operum ædificationis, (nulla enim erat inter hęc comparatio) sed quòd mundi Saluator in illud ingrederetur, & sua pręsentia multò illustrius redderet, quàm illud fuit vnà cum omnibus Salomonis diuitijs: vt & Bethlehem sua natiuitate prę omnibus alijs innumerabilibus locis totius Iudææ regni illustriorẽ reddidit. Necessariò igitur concludendũ est, quòd cùm illud templũ esset erectum, ad illud Saluator venit, quòd sua præsentia quàm Salomonis templum gloriosius efficere debebat. Nunc autẽ cùm illud templum iam dirutum & radicitus euulsum sit, tot millibus annorum antè, iam Saluatorem venisse, necessariò sequitur. Vbi maximè animaduertendum est; quòd Dei voluntas erat, vt illa Respub. integra esset, cùm Saluator veniret:

re: & manifestum est, quòd perfectus Reipub. status est ille, in quo Regnum, & Sacerdotium inest; illud, vt populus gubernetur; hoc, vt Deus colatur, & placetur. Et sic Iacob prophetia de regno, Aggæi de sacerdotio loquitur. At vtrumque apertissimis verbis Hieremias coniunxit: quibus Deus sic noui regni Christi perpetuitatem prædicit, vt sacerdotij, post illius aduentum, sic inquiens: *Non deerit homo ex stirpe Dauid, qui regnet in throno eius, neque Leuita, neque sacerdotes ministri mei.* Et paulò post: *Hæc dicit Dominus, Si pactum meum inter diem, & noctem, & leges cæli, & terræ non posui: ne illius filius sedeat in throno eius, & Sacerdotes, & Leuitæ ministri mei.* Hæc Propheta. in quibus verbis Deus perpetuitatem regni & sacerdotij Dauid firmiori comparatione, quàm fieri possit, pollicetur. inquit enim quòd vt mundo dies, & nox deesse non potest, sic neque fieri potest, vt Rex de stirpe Dauid, aut sacerdotium desit. Sed omnes Hebræorum Rabini mihi ad hanc prophetiam respondeant. Cur si regnum Christi filij Dauid, qui in Christiano populo regnat, & semper regnabit, & nouæ legis sacerdotium, (quod est secundùm ordinem Melchisedech, qui Leuitico successit) negant, quomodo hoc Dei promissum tam firmum saluare poterũt; cùm hoc nouo regno omisso, & sacerdotio, inter illos neque vestigium, neque fumũ, vel huius, vel illius tot millibus annorum videamus: præsertim cùm templum, extra quod sacrificia offerre non licebat, iam solo æquatum, & conuulsum sit? Quis autem intellectus tam cæcus erit, quin hac prophetia illuminetur, atque conuincatur? Iere. 33

Addo ad id illam clarissimam, & solennem prophetiam, in qua Regni perpetuitatem semini Dauid firmissimis verbis, sicut superiora sunt, pollicetur. Nam vbi initio Psalmi 88. Dei omnipotentis promissi veritatem, cui quidem nihil fieri non potest, celebrauit; illud pollicetur, quòd solus Deus polliceri & præstare poterat. Cùm enim iam omnia terrarum regna, & monarchiæ ad suum finem peruenissent, nouum pollicetur regnum, & perpetuam successionem, nouamq; Monarchiam, quæ vsque ad nouissimum diem perduratura est; cui neque peccata, neque potentiæ, neque humanæ vires impedimento esse poterunt, & sic hæc verba in eo Psalmo protulit: *Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.* Et paulò infrà: *Et ego primogenitum ponam illum: excelsum præ regibus terræ. In æternum seruabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in seculum seculi semen eius: & thronum eius sicut dies cæli. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint: Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Neque prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar: semen eius in æternum manebit. Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum: & testis in cælo fidelis.* Hæc sunt Psalmi verba. Nunc ab omnibus humanis intellectibus peto: Si Tullius & Demosthenes, (qui dicendi magistri fuerunt) vellent perpetuum regnum polliceri, quod cum mundo duraret,

quibus alijs verbis sæpius repetitis, quibus similitudinibus firmioribus id polliceri possent: cùm præterea ad id Deus addiderit iusiurandum, solo testimonio sui verbi non contentus? Cùm autem hoc promissum tam certum sit, tam exaggeratū, & sic fundatum; nunc ab ijs quæro, qui in sua incredulitate tam obstinati sunt, huius promissi effectum, quod regni perpetuitas seminis Dauid est. Nam si Christi filij Dauid regnum negant, qui in domo veri Iacob, & Israel regnat, (id est, fidelium populo) quibus rationibus huius promissi veritatem tueri poterunt?

Cùm autem his firmis rationibus se vrgeri sentiant, quæ in sancta scriptura suam vim habent, ad nugas se conferunt, quas in huiusmodi angustijs allegare solent: & respondent, se ad montes Caspios suum Regem habere, qui ex semine Dauid est. Hoc est eos imitari, qui causa laborant, qui mortuos testes producunt. Quis enim scit ea, quæ ad montes Caspios fiunt? Quis hoc vidit? quis scripsit? Quam habent auctoritatem hæc verba? Quid aliud illis faciendum est, qui lucem fugiunt, nisi in tenebras se recipere? & huiusmodi fabulas, & historias sine vllo fundamento, aut veritatis ratione fingere, vt hoc pacto eos decipiant, qui decipi volunt? Itaque in quascunque figuras volunt se transforment, & omnes effugiendi rationes exquirant, quascunque possunt, nisi spiritualе Christi Dauid filij regnum admittant, eis fatendum est, hoc Dei verbum & promissum, toties repetitum & celebratum, fallere. Quæ intolerabilis blasphemia est.

De Danielis prophetia, quæ apertiùs Saluatoris aduentus tempus edocet.

INTER omnes Prophetarū prophetias, quæ copiosiùs & distinctiùs illud exponit, quod ad Christi mysterium spectat, est Danielis Prophetia cap. 9. ill. us prophetiarum. Vbi Saluator de hac re præcipuam mentionem facit, vt per eam aduentus sui tempus intelligatur: & ita
Matt. 24. per S. Matthæum inquit: *Cùm videritis abominationē desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat.)* Hic Propheta maximam præparationem adhibuit, vt hanc reuelationem acciperet. Vbi enim intellexit septuaginta annorum tempus elapsum esse, quod Hieremias propheta-
Iere 25. uerat, post quos Hierusalem ciuitas restauranda erat, & populi captiuitas restituenda, ieiunijs, cinere & sacco, ad fundendas pro ea preces se disposuit. Id est, saccum induit, in capite cinerem posuit in humilitatis signum, cùm profiteretur, hominem puluerem, atque cinerem esse. Cùm autem se ipse ieiunio & abstinētia pararet, deuotissimâ, & satis longam orationem fecit, (quam breuitatis causa hic non ascribo) in qua sua, & populi peccata confitendo, fatetur etiam iustissimo Dei iudicio in exilium fuisse eiectum, afflictum, & captiuum in terras infidelium perductum; sed quòd nūc illius misericordiam allegans, petit, vt populus suæ patriæ restituatur, templum reparetur, in quo illius maiestas coli deberet.

Cumque hic Propheta in hac oratione perseueraret, *Ecce vir,* inquit ille, *Gabriel quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitq́;: Daniel, nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni vt*

indi-

indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreuiata sunt super populum tuum & super vrbem sanctam tuam, vt consumetur prauaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia: & vngatur Sanctus sanctorum. Scito ergo & animaduerte: ab exitu sermonis vt iterum ædificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Hæc sunt prophetiæ verba, quarum interpretatio infrà est.

In qua primùm illud animaduertendum est, quòd Propheta verba facit de tempore Saluatoris aduentus, nō solùm quòd expressè eum nominat sanctum sanctorum, (qui illius proprius titulus est) sed etiā, quòd de operibus mentionem facit, quæ in terris facturus erat, quod erat peccatum euertere, & iustitiam restituere, visiones & prophetias adimplere, quæ de illo tractabant: & inquit, quòd post septuaginta hebdomadas futurum erat, vt illius aduentus mysterium concluderetur. Vnde sciendum est, quòd hoc nomine hebdomadum in sancta scriptura nonnunquam dierum, nonnunquam annorum hebdomadæ, quæ septē annos continent, intelligūtur, vt in cap. 25. Leuitici apparet; neque in tota scriptura sacra aliud hebdomadum genus reperitur, nisi hæc duo, dierum, atque annorum: & septuaginta annorū hebdomades, ad quadringentos & nonaginta annos ascendunt, post quos inquit passurum esse Christum.

Cùm autem se conuictos esse cernant, qui cæci sunt, hac prophetia, quæ Saluatorem iam venisse, & passum esse testatur, eò confugiunt, vt per has hebdomadas, non illum annorum numerum, sed alium, quem sibi ex suo capite fingūt, sine rationibus, & sine scripturæ auctoritate, intelligi dicāt. Quòd autem per has hebdomadas dictus annorū numerus intelligatur, ea ratione probatur, quæ quidem est luce clarior, quā & in prima huius scripturæ parte adduximus. Duo enim hic significat Propheta, quæ post hos annos facienda erant, peccatum Christi mortis, & supplicium, quod pro illo dabitur, quod est ciuitatis & sanctuarij euersio, quam vsque ad finem duraturā inquit. Nobis autem manifesta est hæc punitio, quæ paulò post hunc annorum numerum fuit: necessariò igitur sequitur, quòd intra hunc annorum numerum peccatū cōmissum est, per quod illa punitio consecuta est, cùm ante consequi minimè deberet. Hæc veritatis demonstratio ita aperta est, vt intellectus conuincat, linguas mutas reddat, cùm, quid respondeant, non inueniant. Nam si Propheta Christi mortē tantùm tractasset, hinc humana malitia, & incredulitas ansam arripuisset interpretandarum harū hebdomadū, vt sibi videretur. At cùm Propheta hoc tempore, & culpam, & pœnam significet; & cùm apertè cernatur hoc tempore pœna, consequitur, iam culpam esse commissam, ob quam hæc pœna data fuerit; iamq; Christi aduētus, sacræ passionis, & mortis mysterium esse adimpletum. Iam omnes in vnum conueniant intellectus, & videant quid huic tam apertæ demonstrationi responderi possit. Nam licet

cet nulla alia, nisi hæc reperiretur prophetia, vt tam multas citauimus, hæc vna satis esset, quæ omnes conuinceret intellectus, & ad huius veritatis cognitionem eos adduceret, quæ quidem veritas omnium potissima est, cùm ex illa nostra salus omnino pendeat.

Sed non satis visum est Prophetæ hoc tempus nobis significare, nisi præcipua declararet, quæ Saluator (vt scriptum in prophetijs erat) in terris operaturus erat. Primùm enim dicit, quòd illius aduentu peccatum finem consequi debebat; quia suo passionis sacrificio pro peccatis omnibus ipse satisfacturus erat, & maximè pro originali peccato, in quo concepti sumus omnes. Inquit deinde, æternam iustitiam, (quæ vera sanctitas est) quæ obtinetur per gratiam, in terras ducendam esse, quam hic Dominus nobis meritus est, quæ nostræ sanctitatis, & iustitiæ causa meritoria est. Et de hac in Psalmo 71. scribitur, qui totus de Christo tractat: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* id est, semper, quod illud est, quod superius iustitiam æternam appellauit. Tertio autem loco inquit fore, vt in illius aduentu visiones & prophetiæ adimpleantur: quòd omnes prophetiæ de hoc mysterio maximè tractant, & illæ omnes in illius aduentu adimpletę sunt.

Statim subdit, quòd post has septuaginta hebdomadas occidetur Christus: quod contra illorum opinionem est, qui in suo errore obstinati Christum moriturũ esse negant. Quod huic Danielis loco, & Esaiæ in cap.53. quod totum de Saluatoris passione tractat, vti vidimus, apertè repugnat. Et Daniel statim subdit inquiens, non fore illius populũ, qui eum negaturus est, & tum

Ioan.19. eum negauit, cùm Pilato dixit: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Addit deinde peccati horribilem pœnam, inquiens fore, vt exercitus, & dux, qui venturus est, ciuitatem & sanctuarium destruat, cuius finis erit euersio, & ruina, quæ vsq; ad finem perdurabit.

Cùm autem multa in hac prophetia sint, quæ ad Christi mysterium pertinent, præcipuè eò cōducit, vt tempus declaretur, quo hæ septuaginta hebdomades annorum, quæ quadringentos & nonaginta annos continent, adimpletæ fuerunt. Quos nonnulli numerare incipiunt statim post prophetiam, qua Hieremias hãc restitutionem prophetauit: alij quo tempore Cyrus Persarum rex eos dimisit. At hoc parum ad rem facit: quòd quomodocũque hoc tempus elapsum sit, iam ter hic annorum numerus adimpletus est.

In quo mira Spiritus sancti prouidentia cernitur, & desiderium, quo tenebatur, vt Saluatorem, cùm veniret, cognosceremus, quòd non contentus alijs duobus signis, quæ antea posuimus de tempore huius aduentus, particulatim ad annos peruenit, & enumerauit, post quos passurus erat. Quòd autem sic se habeat, apertè cernitur; quòd hoc tempore Saluator passus est, post cuius mortem Iudæorum populi calamitas consecuta est, ciuitatis & templi euersio, & sacrificiorum sublatio, quòd templo deleto, vbi tantummodò sacrificare licebat, vnà cum illo sacrificia sublata fuerunt.

Vt autem, quæcunque in hoc quarto libro dicta sunt, colligamus, tria hic reperiuntur, quæ ita Saluatoris aduentus veritatem testantur, quòd illorum quodlibet intellectum conuincit, & homines attonitos reddit, cùm vident, homines tam cæcos reperiri, qui in tam clara luce, hanc veritatem non cernant. Prima, & potissima est, illorũ quinque facinorũ, quæ declarauimus, perfectio,

festio, hoc est, idololatriæ sublatio, veri Dei cognitio, & Imperij Romani fidei Christi subiugatio, innumerabilium Sanctorum, qui post Saluatoris aduentum fuerunt, vitæ puritas, eorum pœna & exilium, qui illi mortem procurarunt. Quæ facinora (vt Prophetæ testantur) in Christi aduentũ dilata erant: cùm autem hæc iam apertè perfecta cernamus, illorum auctorem iam venisse necessariò consequitur; neque solùm omnia simul allegata, verùm etiã quodlibet per se id apertissimè probat.

Cùm autem ad id secundum additur, quod est temporis circunstantia, quo mysterium hoc perficiendum erat, vt Danielis prophetia docet vnà cum reliquis, hoc si rectè animaduertatur, tantam habet vim, vt humanos intellectus stupidos reddat. Proprium enim est miraculorum, eam perturbationẽ in animum inducere, quæ stupor dicitur, quæ est quędam animi defectio, & sensuum suspensio, cùm in magnitudine admirationis tanquam absorpti sint, cùm rem supernaturalem, qualia miracula sunt, cernant. Hoc igitur cùm ita se habeat; cur animaduersio Prophetię Danielis eundem affectum in animis nostris non parit? Cæteris enim præcipuis omissis, quæ hic prædicit, quod maius miraculum, quàm mortalem hominem, vt nos sumus, dicere fore, vt elapsis 490. annis illa nobilissima Hierusalem ciuitas, & illud solennissimum, & omnium nobilissimum templum, euerteretur, & solitudo fieret? Et præterea addere, hanc euersionem vsque in finem perduraturam, idqúe ad vnguem, vt prophetatum erat, perfectum videre? Nam vbi nunc illa celebris ciuitas est? vbi illud magnificentissimum templum est? Adéstne vllum illius vestigium, vel fumus? Præterito autem relicto, quod per omnes historias nobis patet; quid de eo dicemus, quod oculis notum est, quod est etiamnum hãc euersionem & ruinam perdurare? Cętera enim miracula cum tempore labuntur; at hoc perpetuum est, & hac tempestate cernitur, & semper; & ita iniqui iudices, & rerum æstimatores sumus, quòd stupidi non fiamus, cùm tam euidens miraculum videmus, & consideramus diuinitatis radium, qui in illius Prophetæ pectore erat tunc, cùm tam multis ante annis prophetauit, quod nunc prędicto tempore perfectum cernimus.

Cùm idem Propheta Nabuchodonosor Regi Babyloniæ somniũ reuelauit, quod ipse oblitus erat, ita hoc miraculo stupefactus est, vt licet tantus monarcha esset, se ad Prophetæ pedes abiecerit, diuinum spiritum adorans, atque venerans, quem in eo esse cognoscebat, & ita ei, tanquam Deo, thus & sacrificium offerendum iussit. Hæc autem Daniel prophetia éstne minor, quàm Regij somnij reuelatio? Equidem fateor, quòd si Daniel nunc viueret, & hanc prophetiam ego legerem, vt ille Rex ad illius pedes me abijcerem: neque minùs hoc miraculo nunc stupesco, ac si præsens ea viderem. Quòd si obscuris verbis id Propheta diceret, aut metaphoricis, quę aliquam explanationẽ postularent, non tantam admirationem parerent; sed verbis tam proprijs, tam apertis, & manifestis hoc dicit, vt nullam dubitationem sui sensus relinquat. Quamobrem fateor etiam, quòd si ego gentilis essem, & huius prophetiæ perfectionem viderem, id satis esset, quod me ad fidem conuerteret. Quod cùm ita se habeat, quid illis faciendum esset, qui huius scripturæ veritatem confitentur, & perfectum esse, quod illa prędixit, cernunt? Quàm potens est ille malignus spiritus, qui in tanta luce nubes & tenebras offundere potest?

Ad hanc autem secundam miram rem, (quæ temporis circunstantia est) aliam maiorem addere volo, quæ est loci circunstantia, vnde illi egressuri erant, qui mundi idololatriam subuertere, & homines ad Dei Iacob cognitionem perducere debebant. Apertissimis autem Prophetarũ prophetijs (quas suprà allegauimus, & hîc repetiuimus) nobis compertum est, quòd ex Sion, & Hierusalem illi egredi debebant, qui hoc miraculum perfecturi erant. Et ita
Isa 2. Isaias inquit: *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles: & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent, Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Hæc sunt Isaiæ verba, quæ apertè hęc duo, quæ hîc traduntur, declarant, id est, gentium conuersionem, & locum vnde hęc noua mundi lux exire debebat. Idem prophetauit Micheas, cap. 4. quodqúe magis est, iisdem Isaiæ verbis, quippe qui eiusdem spiritus particeps erat. Dauid autem in Psalmo 109. Patrem inducit æternum, sic cum filio suo loquentem: *Sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ* (id est, illius regni sceptrum) *emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorũ tuorum.* Hi inimici erant Gentiles: qui igne, & sanguine Christi nomen, & scholam persecuti sunt, vt sua idola tuerentur: qui tamen deinde eadem idola euerterunt, & incenderunt, & Christum adorarunt. Et hac ratione in medio eorum dominatus est, qui capitales illius inimici fuerunt, iam fideles serui, & amici facti.

Vt autem reuertar ad rem: Quis ignorat post Saluatoris passionem illius discipulos de ciuitate Hierusalem egressos esse, qui primi huius tam magni operis operatores, & artifices fuerunt? Quòd si huius operis miraculum, vt te conuincat, satis non est, ô cor incredulum, quî non satis erit quasi digito tibi demonstrare, vnde illius artifices egressuri erant, & hoc ita perfectum esse videre? Quòd si æquum est (vt diximus) vt Danielis prophetiæ adimpletio nos stupefactos reddat, quantò magis idem hæc facere debet? Illud enim erat prędicere tempus, quo illa nobilis ciuitas, & regnum excindendum erat: at hoc fuit locum significare, vnde nouæ legis prædicatores, & idololatriæ euersores, quæ tunc in terris dominabatur, & ab omnibus suis principibus igni & sanguine defendebatur, egressuri erant. Et bellum, quo Hierusalem cum sua prouincia euersa fuit, vix per annum perdurauit; at hoc amplius quàm ducentos perdurauit annos.

Cùm hoc igitur ita se habeat, si illa Danielis prophetia ita potens erat ad omnes humanos intellectus conuincendos; quid de hac dicemus, quæ absque controuersia longè maior est? Quæ à tam infirmis prædicatoribus, & cum aduersarijs tam potentibus, minimè fieri poterat vt sine potenti Dei brachio adimpleretur? Quid autem hîc deest, nisi cælum & terram Dei gloriæ in testes vocare, & incredulorum obstinationis, cùm tot signa eis dederit ad hanc veritatem cognoscendam: illi autem quasi ex professo videntur oculos claudere, ne lucem meridie clariorem videant. Nunc autẽ animaduertens, quòd non vna prophetia, sed tam multæ simul Saluatoris aduentum testantur, confiteor, quod sæpe ingemisco, cùm magnam cæcitatem cerno, in qua hæc gens

versa-

versatur, quæ quidem in suo errore, in tam clari luminis medio, tam obstinatè perseuerat. Affectionis tam obscuram nubem, quæ illorum oculis obducta est, disijciant, & illum Dominum, qui luminũ pater est, & neque personarum, neque generis acceptator est, cum humilitate inuocent; & ille oculos eis adaperiet, vt aliorum multorum aperuit, qui ei fideliter seruiunt, adorant, & confitentur.

PERORATIO, ET SVMMA EORVM OMNIVM, QVAE dicta sunt. Cap. XX.

IN huius disputationis fine operæpretium erit in omnia prædicta philosophari. Et primùm admoneo omnes eos, qui huius doctrinæ luce indigent, vt in primis considerent, quanti sit salutis negotium, quæ vel in cælis sempiterna gloria, vel in inferno sempiterna pœna est; cum quo negotio si cætera, tam quæ in cælis, quàm quæ in terris sunt, comparaueris, pro nihilo hæc omnia habenda sunt. Deinde, quòd qui, vt ad optatum veritatis portum perueniat, contendit, ab anima omnes inimicos, & impedimenta illius remouere, & procul extrudere debet: quæ sunt odia, iræ, inuidiæ, & aliæ animi perturbationes, quæ tanquam densissimæ tenebræ intellectus lucem obscurant: cùm videamus omnes, quàm sibi inuicem ratio, & animi perturbationes aduersentur, & fieri non posse, vt vnà in eodem subiecto reperiantur. Eodem modo superbiam & præsumptionem à se amouere debent, & humilitatem induere; cùm illud verum sit, (vt Ecclesiasticus inquit) quòd vbi est humilitas, Prou. 11. ibi & sapientia sit: & diuus Augustinus inquit, quòd si semel, bis, aut millies quis ab eo sciscitaretur, quænam esset consequẽdæ sapientiæ recta via, responderet, Humilitas.

Debet præterea homo à se illam peruersissimam Alcorani Mahometanorum sententiam, vbi eis imperatum est, ne suam legem argumentis, sed armis examinent, depellere; quod est hominem beluarum similem reddere, (quæ quidem omnia vi faciunt) & eum pretiosiore dono, quod illi Deus dederit, rationis scilicet lumine, priuare: quæ quidem nihil aliud est, quàm diuinæ lucis radius, in nostras animas deriuatus, ad vitam nostram regendam, atque gubernandam. Et qui hac luce nititur, ei vanum est dicere; Mahometanus, aut Iudæus fuit pater meus, & meus auus: talis igitur & ego esse volo. Nam si hæc esset certa veritatis regula, omnes sectæ, & omnes hæreses, quæ in mundo sunt, veræ essent; & singuli illas sequentes idem dicerent: sed id fieri non potest. recta enim ad veritatem via vna est: sed vt ab ea declinetur, infinitæ sunt. Hac ratione quicunq; dicunt, In qua secta meus pater mortuus est, & ego mori volo; illi quidem falluntur, cùm in mundo vnus sit Deus, vna fides, vna religio, qua homines eum venerentur.

Vt autem de hac veritate tractare incipiamus, hic summatim colligemus omnia, quæ hactenus à nobis exposita sunt. Et omissis prophetijs, quæ particulatim Christi personæ conditiones, & qualitates complectuntur, (quas initio proposuimus, vt sunt stirps, ex qua descensurus erat, & locus, in quo nasciturus erat; vitæ genus, doctrina, & mors quã perpessurus erat, & miracula

quę facere debebat, & cætera huiusmodi) actiones respiciamus hominibus notas, quas (vt Prophetę inquiunt) hic Dominus cùm veniret, facere debebat.

Primum igitur opus, quod illi seruabatur, fuit, Idololatriã, quę in mundo regnabat, in exilium eijcere. Hoc fuit brachio Dei facinus dignum, beneficiumq; omnium maximum, cùm illum (vti diximus) à tanta, & tam vniuersali peste liberauerit. Hoc opus multis iam ante annis perfectũ cernimus. Eum igitur, qui id facere deberet, venisse, cui dubium esse poterit?

Secundum facinus erat, perficere, vt Gentiles, Iudaici populi hostes, suis falsis idolis relictis, verum Abrahæ Deum adorarent. Hoc autem non solùm inter Christianos adimpletum cernimus, sed etiam inter Barbaros & Turcas, (vt ipsi fatētur, & protestantur:) quis igitur dubitare poterit, quin is, qui operaturus erat id, venerit, cùm id perfectum iam esse apertè cernamus?

Ad hæc accedit, Romam, & Romanum Imperium fidei subiugasse, (vt in Daniele illa statua, quam vidit Nabuchodonosor, nobis ante oculos ponit) quod Constãtino Imperatore adimpletum cernimus, vti superiùs expositum est. Sequitur igitur, eum venisse, qui hanc gloriam, & tantum triumphũ consecuturus erat. Quia autem hoc Romanum Imperium quodammodo defijt, vel mutatum est, sequitur, quòd qui hunc Christi triumphum non confitetur, ei fatendum sit, minimè fieri posse, vt adimpleatur. Quæ magna blasphemia est, cùm Deum promissis non stare dicat.

Aliud facinus in huius Domini aduentum dilatum erat, quòd ex gentilibus, qui tanquam leones erant, & lupi, & serpentes, & feræ bestiæ, multi surrecturi erant, qui, vt fieri potest, vitæ Angelorum puritatem imitarentur. Quòd non solùm in multis Monachorum millibus adimpletum cernimus, qui & in solitudinibus, & alibi vitam sanctissimã viuebant; & in multis purissimarum Virginum choris, & cœnobijs, quæ vbique florebant; sed etiam in multis Martyrum millibus milliũ, qui vbiq; terrarũ omnibus tormentorũ generibus afflicti, & interfecti fuerunt, qui nisi (vti diximus) supra firmã virtutis & veritatis petram fundati essent, quî fracti non essent animo & victi, cùm tantam tormentorum tempestatem in se irruere cernerent? Cur autem his temporibus sanctitas neque ita dilatata sit, neque ita disseminata, neque ita floreat, vt illa ætate aurea, (id est, in primitiua Ecclesia, quando Christi sanguis erat recens, & Apostolorum doctrina, & miracula, & illi summi Apostolici viri) infrà in vltimo nostrorum Dialogorum tractabimus. At hoc adimpletum esse constat illa gloriosissima ætate, quam dicimus, vt omnes Ecclesiasticæ historiæ, per grauissimos & sanctissimos viros conscriptæ, testantur, & tandem ipsa gentilium scripta de Christianorum innocentia illius temporis, & de illorũ mira constantia in fidei confessione, & de infinita Martyrum multitudine, qui propter illã patiebantur, tractant, vt in literis apparet, quas Plinius ille minor ad Imperatorem Traianũ dedit, & in alijs gentiliũ scriptis. Hoc igitur cùm ita se habeat, illum venisse certissimum est, qui in gentilium cordibus tantam mutationem operaturus erat, qui in omnium vitiorum fimo, quæ idololatria secum trahit, inuoluti, & penitus immersi erant.

Ad hoc opus additur illa notabilis circunstantia, quam antea declarauimus, locus scilicet, vnde egressuri erant ministri, per quos idololatriam de mundo tollere debebat, & hanc nostram fidem, & religionẽ plantare, id est, de ciuitate

ciuitate Hierusalem, vt prophetiæ à nobis allegatæ testantur. Hoc iam adimpletū cernimus, cùm ex illa ciuitate profecti sint Christi Apostoli, & ita tum illi, tum discipuli, & illorum successores, muniti armis fidei, & eiusdem Spiritus sancti, cum omni hominum genere, & cum omnibus mundi, & inferni viribus pugnârunt, & tandem his tantis rebus gestis victoriam deportârunt. Hæc loci circunstantia tantam habet vim ad huius mysterij veritatem comprobandam, vt nullum humanis intellectibus dubitandi locum relinquat. Tam multis enim antè annis hæc tria tanta facinora prophetare, & quasi digito ciuitatem monstrare, vnde profecturi erant illi, qui ea perficere debebãt, & id perfectum, vt in litera est, videre, quis nisi Deus id perficere potuit? Tanta facinora perfecta, & tam multis antè annis prædicta, eos venisse, qui ea perficere debebant, apertissimè testantur.

Ad hæc omnia, alia signa addo, quę nobis Spiritus sanctus dare voluit, vt facere non possemus, quin Saluatoris aduentum cognosceremus. Primùm enim nobis per Aggæi prophetiam compertissimum est, quòd cùm Saluator Aggæ 2.
veniret, secundum templum ingressurus erat, cuius fabricatio tum perficiebatur, quodq́ue propter hunc eius ingressum futurum esset longè gloriosius, quàm primum templum à Salomone ędificatum. Hoc autem templum iam ante amplius quàm mille quingentos annos dirutum, & solo ęquatum est. Hoc igitur cùm ita se habeat, vel necessariò concedendum est, Saluatorem venisse antequam hoc templum excinderetur, vel omnium maxima blasphemia confitenda est, verbum scilicet Dei fefellisse, vel falsum sui aduentus signum dedisse.

Nobis præterea notum est per illam antiquam Patriarchę Iacob prophetiam, Messiam venturum esse antequam sceptrum de stirpe Iudæ finiretur. Gen. 49.
Hoc iam penitus perfectum cernimus, ex quo tempore Herodes de Idumæorum stirpe regnauit: sequitur igitur iam venisse Saluatorem.

Præterea illud scimus, Deum Dauidi solenni iureiurando pollicitum esse, Psal. 88.
illius regnum futurum vt Solem, & Lunam in cælo. Per Hieremiam autem pollicetur, quòd quemadmodum minimè fieri potest, vt in cælo dierum & Iere. 33.
noctium ordo desit, sic minimè fieri posset, vt in terris desint sacerdotes, qui eum honorent, & Reges de semine Dauid. Sed si res ita se habet, & spiritale Christi filij Dauid Regnum, & illius nouum sacerdotium secũdùm ordinem Melchisedech non admittimus; qua ratione harum duarum apertissimarum prophetiarum veritatem tueri poterimus, tam magnis Solis & Lunæ, dierum & noctium amplificationibus, & similitudinibus testatam? Cùm autem hanc veritatem tueri nequeamus, nisi Christi nostri Saluatoris regnum, & sacerdotium confitendo, illud sequitur, eum nostrum esse Regem, nostrumq́ue Sacerdotem, eumq́ue iam venisse.

Ad omnia hæc signa, & Prophetias, aliam addo horribiliorem, & certiorem de Saluatoris aduentu, & illorum punitione, qui mortem illi procurarunt, quę est Hierusalem, & sancti templi euersio, quę vsque in finem perduratura erat, vt apertè proprijs verbis, & distinctè Daniel prophetauit, vt su- Dan. 9.
prà recitauimus. Hoc ab Imperatoribus Tito & Vespasiano perfectum cernimus, qui Hierusalem exciderunt; & hac tempestate id cernimus, cùm neque illa ciuitas, neque illud templum, neque illa Respublica adhuc restituta sit, &

ita illa euersio (vt Daniel inquit) vsq; in finem perdurat. Cùm autem hoc tam apertè adimpletum cernamus, non solùm venisse Saluatorem, sed etiam passum esse, sequitur. Huius tantæ pœnæ historiam in tres diuisimus partes.

In prima tractatum est de calamitate, quam populus à Pilato vsq; ad Hierusalem obsidionem passus est, præsertim in expugnatione Galilææ prouinciæ, & aliarum multarum ciuitatum, quę Galilææ finitimæ sunt: vbi tantus fuit mortuorum, & captiuorum numerus, quantum antea diximus, & ipsæ ciuitates direptæ, & dirutæ, & solo æquatæ fuerunt.

In secunda parte immensos retulimus angores, tumultus, & calamitates, quæ in Hierusalem obsidione contigerunt: vbi tanta fuerunt scelera, tantus mortuorum numerus, vt ne à mundi creatione quidem vsque ad diluuium, neque post diluuium vsque ad tempora nostra, fuerit hominum cædes non solùm, quæ huic equalis fuerit, sed nec quę ad illius dimidium perueniret. Nam, vt refert Iosephus, fame & ferro vndecies centena millia hominũ perierunt. Sed si de illis loquimur, qui captiui fuerunt, quando tantus captiuorũ numerus repertus est vnquam, & tam crudeliter tractati, cùm eos ducerent, vt feris eos exponerent, & lacerarentur, & inter se pugnantes in Romanis ludis occiderentur? Quando post hominum memoriam miseri captiui ita ad hominũ iucunditatem adhibiti sunt? Quando huiusmodi fames audita est, vt quæ in illa obsidione fuit, cùm homines baltheos, & equorum lora, & calceos, & paleas, & boum stercora comederent? Quando tanta crudelitas audita fuit, quanta tunc, cùm homines aperiebantur, vt in illorum intestinis aurum abditum perquirerent? Quando Romani victores ciuitates, & prouincias, quas vt tributarias efficerent, capiebant, & quarum tributis vti volebant, magis dissiparunt? Nam si dirutæ, & sine habitatoribus relinquebantur, quem fructum ex illis capere poterant? Propter hanc causam Pompeius, qui paulò antè Iudææ prouinciam ceperat, victoria contentus, & eam imperio Romano adiunxisse, habitatam, & integram, vt antè, eam reliquit. Ex dictis igitur reliquum est, nullam ex omnibus calamitatibus, quę vnquã in terris fuerunt, nec multas etiam simul iunctas, cum hac conferri posse. Hoc autẽ supplicium cùm omnium maximum & horribilissimum fuerit, cui dubium erit, id pro maximo omniũ peccato contigisse, quod Saluatoris mors fuit: cùm præsertim idem Saluator quadraginta annis antè id multis lachrymis prophetasset, vti superiùs diximus?

In tertia huius animaduersionis parte calamitates posuimus, quæ post illud excidium consecutæ sunt, & vniuersale exilium, quod illa huius populi pars, quę in suo errore perseuerat, patitur. Vbi etiã clarissima illorũ deceptionis argumenta inueniemus. Nequibũt enim quęstionibus, & rationibus, quas hic adduximus, respondere. Sin aliter, mihi dicant, cur Deus, qui superioribus temporibus tam multa illis tribuit bona, nunc eos ita dereliquerit? cur tunc, quoties se ad illum conuertebant, eis auxilium afferebat, & liberabat: & nunc, licet continuò eum inuocent, eis non opitulatur? Si (vt inquit Propheta) Deus apud illos est, qui eum inuocant, si eum ex corde inuocant; & si semper illorum voluntatem faciet, qui eum timent; cur istorum voluntati non satisfacit, neq; illorum clamores, aut preces exaudit? Quòd si idem Propheta inquit, quòd Deus illis iustitiam facit, qui persecutiones, & iniurias patiun-

Psal. 144.

Psal. 145.

tiuntur; cur hîc eam non facit propter tam multas iniurias, quas hęc gens patitur? Quòd si (vt illa sancta Iudith inquit) Deus domui Israel suam misericordiam pollicitus est; cur nunc hanc misericordiam oblitus est? Si dixit, quòd cùm se oppressos, & ab hominibus afflictos propter sua peccata viderent, & ad eum se conuerterent, fore, vt eos liberaret; cur eos non liberat, cùm sint ad illum conuersi? Quòd si huic populo pollicetur, quòd si illius mandata seruauerint, se omnium gentium illam excelsiorem esse facturum, & illam semper fore caput, non autem pedes; cur hanc gentem tam multis antè annis omnium subiectissimam esse patitur? Vbi sunt illę tam magnæ gratiæ, & prouidentia qua Deus erga omnes alios suos fideles seruos vtitur? Vbi illa misericordia, & gratia, quam illis tribulationis tempore promittit? Cur illis non auxiliatur, quos tam multas iniurias, opprobria, & exilia pati, vt illius legem seruent, & illi fideles sint, cernit? Quænam est hæc obliuio? quę destitutio? cur dormit ille Dominus, de quo scriptum est. *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel?* Cur huic Domino clausi sunt oculi, ne tam multas calamitates cernat, & aures obturatæ, ne tantos clamores exaudiat? clausa viscera, ne tantarum afflictionum misericordia moueatur? Iudith 8. Deut. 30. Deut. 28. Leuit. 26. Psal. 120.

Ad hæc omnia ab illis peto, vt oculos adaperiant, & afflictionum, quas nunc patiuntur, quas nemo negare potest, Prophetias animaduertant. Vnum est flagellum, vt antea allegauimus, quo propter peccata Deus ab initio vsque ad vltimos terminos per omnes nationes eos dispergeret, atque disseminaret. Quis autem tam cæcus erit, qui id in illis perfectum esse non cernat? Aliáne reperitur gens, quæ magis dispersa sit, magisq; omnes per gẽtes vagetur, quàm hæc? Quis hoc negabit? Deut. 4. & 28. Leuit. 26.

In his pariter capitibus Deus minatur, fore, vt illis det cor ita timidum, vt arboris folium, quod mouetur, timeant. Id tam verum est, vt Iudęi nomen, quod aliàs clarissimũ fuit in terris, nunc abiecti, & timidi nomen effectu sit, & quem huiusmodi esse cernunt, eum hoc nomine vocant. Neque id euenit, quòd homines sanctas scripturas legerint, quę hoc minantur; sed quòd ipsa experientia, sic se rem habere, eos docuit.

Illam quoque maledictionem animaduertant, quam ipsi sibi contraxerunt, tũc cùm Pilatus sibi manus lauans dixit, se ab illius sanguine innocentem esse, responderunt: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* & videbunt, quòd ex hac sententia, quam in se pronuntiarunt, ad hoc vsque tempus (incipientes ab ipsius Pilati calamitatibus) semper multa aduersa aduersis cumulata, & exilia exilijs, & miserias miserijs passi sunt. In quo videtur Deus hanc sententiam, quam ipsi in se protulerunt, confirmasse: hancque non solùm executionem fuisse, sed prophetiam, quam nostris oculis adimpletam cernimus. Matt. 27.

Ad hanc aliam addam prophetiam, quæ statum, in quo nunc versatur huius gentis pars, tanta claritate & euidentia declarat, quòd hæc vna, sine aliarum auctoritatum multitudine, & sanctarum scripturarum testimonijs, satis est, quę omnes humanos intellectus conuincat. Vnde illud animaduertendum est, quòd cùm vellet Deus statum, in quo suus populus futurus erat, nisi Saluatorem reciperet, (id est, neque Deo, neque Idolis, vt antea fecerat,

Oseæ 3. cerat, seruiret) Prophetæ Oseæ iussit, vt fœminam amaret à quodam amico satis amatam, attamen adulteram: vt hoc matrimonij genere ante filios Israel ponat amorem, quo in illos (ait) affectus sum; ipsi tamen, vt adultera fœmina, in alienos Deos oculos suos conuertunt. Ego, inquit Propheta, illud feci, quod mihi iussit Dominus, *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei. Et dixi ad eam, Dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: sed & ego expectabo te.* Hoc est illius similitudo, quod Deus repræsentare volebat.

Paulò pòst subdit Propheta illud quod hoc matrimonij genus significabat, inquiens: *Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim. & post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum: & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius nouissimo dierum.* Hæc sunt Dei verba per suum Prophetam: quæ non poterunt non afferre admirationem considerātibus, quomodo hic Propheta duo millia annorum antè statum descripsit, in quo nunc cernimus hunc populum, tam apertis verbis, vt si nunc illum suis oculis cerneret. Quis autem non videt post Hierusalem, & illius regni euersionem, vt in litera est, euenire, cùm neque regem, neque principem, neque sacrificia, nec altare, nec sacerdotales vestes, neque idola habent? Et hîc maximè animaduertendū est, quòd Propheta de illa fœmina inquit; *Non fornicaberis, neque eris viro.* Toto enim hoc tempore is populus fornicatus non est idolis adorandis, (vt antea faciebat) neque cum suo marito est, qui Deus est, cùm in illius neque amore, neque gratia sit: in qua non est, quòd suum regem Dauid, id est, nostrum Saluatorem recipere noluit, quem iussit ille vt reciperent, & ei parerent, ne in suam iram, & supplicium inciderent.

Huius igitur tam longi tractatus peroratio ea sit, quòd si perfectio huius apertissimæ, & antiquę prophetię omnes intellectus non conuincit, licet gentiles sint, & non satis est ad illorum oculos aperiendos, qui hactenus cæci sunt; nescio quid satis esse possit, quidq; dici, nisi quòd principis tenebrarum magna potentia est, magna est corruptæ voluntatis malitia, magna est huius cæcitatis calamitas. Quod (vti diximus) non prætermisit silentio Propheta, cùm
Psal. 69. inquit: *Oculi eorum obscurentur, ne videant.* Illud quidem compertissimū est, quòd cùm oportebit rationem reddere apud illum iustissimum iudicem, hęc incredulitas nullam habebit excusationem: ibi enim excusatio esse non potest, vbi iusta ignorationis causa non est.

Neque velim quis existimet his solis prophetijs nostræ fidei veritatem, & Saluatoris aduentum probari, & illorum errorem conuinci, qui illi aduersarij sunt; multæ enim aliæ, præter hanc, probationes adsunt, & præsertim Sibyllarum testimonium, & Talmuth falsitates & dementiæ, de quibus postea dicemus.

DE IIS, QVAE SIBYLLAE DE CHRISTI SALuatoris nostri mysterio prophetarunt. *Cap. XXI.*

QVAM

VAM perfecta ſit prouidentia, quam Deus de omnibus rebus habet, quaſcunque creauit, non ſolùm apertè cernitur in cura, quæ illi magnarum rerum eſt, ſed etiam minimarum, vt ſunt formicæ, culices, aranei, apes, & cætera huiuſmodi parua animalia, quibus omnia inſtrumenta, & propenſiones ad ſui cõſeruationem tribuit. Quòd ſi illi ſummo Patri tantæ curæ tam parua ſunt animalia; quantæ homines erunt, propter quos hunc vniuerſum mundum creauit, moderatur ac regit? Cùm autem multa illa ſint, quibus indiget homo, omnium maxima Religio, & diuinus cultus eſt, cuius fundamentum, & initium (vt inquit Apoſtolus) Chriſti Saluatoris noſtri cognitio eſt. 1. Cor. 3.

At ne homines in huius tam neceſſariæ veritatis cognitione deciperentur, nunquam diuina prouidentia ab initio mundi ceſſauit, quin Prophetas ſanctiſſimos homines mitteret, qui huius Domini aduentum nuntiarent, nobisqúe apertiſſima ſigna, quibus illum cognoſceremus, cùm veniret, traderent, vt in hoc toto libro tractauimus. Sed quoniam hanc veritatem adimpleri ex altera parte neceſſarium eſt, ex altera tam arduum, atque difficile, (cùm ineffabile Incarnationis filij Dei myſterium credendum ſit) non contentus eo fuit hic Dominus, vt Iudæorum populus (in quo ipſe naſciturus erat) tam multos haberet Prophetas, qui illius aduentum nuntiarent; ſed etiam voluit, vt inter Gentiles adeſſent Vates, quæ idem prędicerent, quod & ipſi; cùm propter vtriuſque populi ſalutem veniret.

Hæ Sibyllæ fuerũt, virgines omnes, & (vt S. Hieronymus aduerſus Iouinianũ ſcribit) in præmium virginitatis illarum hic idẽ ſpiritus illis traditus fuit.

De his Sibyllis, quæ ante Saluatoris aduentum fuerunt, penè omnes auctores, qui inter Gentiles ſunt, tum Græci, tum Latini ſcribunt, & omnes vna voce illis maximam auctoritatem tribuunt, & propheticum ſpiritum habuiſſe fatentur, & maximè Plato in Dialogo, qui Mænon inſcribitur, qui ad id credendũ adductus fuit, quòd multa eſſe perfecta vidit, vt ipſæ prophetarant.

Has Sibyllas inquit Mar. Varro, in rerum diuinarum libris, fuiſſe decem: Sibyllam Perſicam, Libycam, Delphicam, Cumæam, Erythręam, (quę, vt Lactantius inquit, omnium maximè celebris fuit) Samiam, Cumanam, Helleſpõtiacam, Phrygiam, & Tyburtinam. Et hęc nomina à ciuitatibus, in quibus vel natæ ſunt, vel vixerunt, vel prophetarunt, appellatę fuerunt: & de omnibus ijs inquit hic auctor, quòd ſuis Græcis verſibus vnum Deum prædicant, & tanti illarum auctoritas à Romanis fiebat, vt (quemadmodum ille refert) Senatus auctoritate tres ex primarijs legati ad Erythræ ciuitatem (ex qua Sibylla Erythræa dicta fuit) miſſi fuerint, qui inde mille huius Sibyllę verſus deportarunt: & hi verſus cum alijs diligenter, & ſecretò in ipſius Senatus poteſtate aſſeruabantur.

Hę Sibyllæ cùm multis ante Saluatoris aduentum annis fuerint, apertiſſimis verbis illius Natiuitatem, Miracula, ſacram Paſſionem, & Reſurrectionẽ, & illius aduentum ad Iudicium, prophetarunt: quod quidem legentibus maximam admirationem affert.

Et ne quis diceret hoc eſſe Chriſtianorum inuentum ad ſuam religionem confirmandam, diuina prouidentia voluit, vt Virgilius Poeta gentilis, qui ſuas Eclogas ſcripſit antequam Chriſtiani in terris eſſent, in illarum vna Sibyllę

Cumq; prophetias scriberet, in quibus summatim id continetur quod Isaias, & alij Prophetæ de Christo prædixerunt. Ibi enim inquit fore, vt de cælo nouus descenderet Dominus, noua ratione generatus, quiq; ex Virgine nasceretur, & mundum renouaret, & ei auream ętatem restitueret: quoniam per eum in mũdo gens aurea surgeret, id est, noui homines, virtutis & honestatis amatores, atque sectatores.

Vbi etiam inquit fore, vt serpentes occidant, leones, & beluæ feræ ita mansuefiant, vt cum ouibus, & vaccis sine timore versentur: hoc idem est cum illo, quod ijsdem ferorum animalium, & domesticorum nominibus prophetauit Isaias, nobis significans, quòd per huius Domini gratiam, & doctrinam, qui de cælo descendebat, homines feri, & superbi, crudeles, & venenosi vt serpentes, debebant mutare feritatem suam in ouium innocentiam, & mansuetudinem, & cum humilibus, & mansuetis hominibus se iungere, & vnum corpus efficere. Et hæc est summa illorũ omnium, quæ vna voce Prophetæ cantant, atque prædicant, quod omne in his Sibyllę versibus continetur.

Vbi animaduertendum est, quòd Constantinus ille Magnus Imperator, cùm hos versus legit, stupefactus redditus est, cùm videret puellam tam apertè Christi mysterium prophetasse; quo quidem magis in fidei veritate confirmatus est, illud præterea addens, minimè fieri posse, vt quis diceret, Christianos has Sibyllę prophetias commentos esse, vt suam fidem confirmaret, cùm Virgilius hæc verba scripserit antè, quàm vlli reperirentur Christiani. Christiani enim esse cœperunt post Saluatoris passionem, qui Tiberio Imperatore passus est, qui Octauiano successit, & Octauiano Imperatore Virgilius scripsit: & veritas illius, quòd hæc Sibylla prophetauit, omnium aliarum testimonia, & prophetias veras reddit.

Eędem prophetarunt quoque quidquid Saluator in sacra sua Passione passus est, vt Lactantius Firmianus diuersis in locis suarum Institutionum refert, quæ omnia S. Augustinus in lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 23. collegit, vbi Sibylla (quænam esset minimè declarans) sic inquit: Suis sceleratis manibus colaphos illi infringent, suo sordido ore in illum venenosam saliuam conspuent, ille simpliciter suum tergum verberibus dabit, colaphos accipiens tacebit, ne quis illum cognoscat, & spineis coronis coronabitur, & pro cibo dabitur ei fel, & in siti acetum ei datum est, huiusmodi mensam parabunt ei, cùm eum hospitio acceperint: & tu gens inanis, tuum Deum non cognouisti, & templi velum discindetur, in medio die fiet tenebrosa nox, quę per tres durabit horas, & morte morietur, & tres dies somnum suum dormiet, & tunc resurget à mortuis, & ad lucem redibit, resuscitatus ille primus resurrectionis initium ostendens.

Hæc omnia mysteria Spiritus sanctus prophetare voluit per harũ virginũ ora tam multos ante annos, vt ille Dominus, qui pro Iudęorũ & Gentiliũ salute veniebat, in vtrisque populis testimonia suorũ operũ haberet. Huiusmodi enim nouitas, & miracula nullã fidẽ in terris inuenissent, nisi tam apertorum testimoniorum, & antiquorum multitudine confirmata essent.

Neque Sibyllę secundum filij Dei ad iudicandum mundum aduentum tacuerunt. Quod Sibylla Erythræa prophetauit in quibusdam versibus, quorum summa hęc est:

Futuri

Futuri iudicij vnum signum erit, terram sanguinem sudare; & de cælo Regem in carne ad iudicandum mundum venire, qui in omnia secula regnabit. Et tam increduli, quàm fideles in mundi fine Deum in sublimi videbunt à Sanctis comitatum. Et animæ vnà cum suis corporibus interierunt vt iudicentur. Homines à se idola detrudent, omnesque suas diuitias abijcient. Ignis inflammabit terras, mare, cælum, & obscuri inferni portas, & Sanctorum corpora ad huius vitę lucem reuertetur, & æternus ignis improborum corpora torquebit. Quisq; peccata, quæ clàm commisit, palàm confitebitur: & Deus cordium secreta reuelabit. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Sol obscurabitur, & stellæ, atque Luna. Tunc montes plani fient, & valles exaltabuntur, & tota terra plana erit. Nihil inter homines magnum, nihil altum erit. Omnia cessabũt: terra de cælo fulminibus peribit; fontes, & flumina igni arescent. Et tuba tristem tonitrum de cælo emittet, hominum peccata, & illorum molestiarum miserias deplorans. Terra dehiscet, & inferni regiones aperientur. Et omnes mundi reges ad hoc iudicium adducentur, & de cælo super fontes ignis, & magnum sulphuris flumen cadet.

Hoc omne suis versibus illa Sibylla inquit. Vbi maximè animaduertendũ est, quòd Marcus Tullius (qui etiam ante Christum Saluatorem nostrum fuit) in eo libro, quem de Diuinatione conscripsit, de his Sibyllis verba facit, & de illis inquit, quòd si primæ illarũ versuum literę colligantur, quo ordine scriptę sunt, aliquid significant. Quã diligentiam si in versibus Græcis huius prophetiæ adhibebimus, inueniemus quidem ex illis hęc verba constare: IESVS CHRISTVS FILIVS DEI, SALVATOR. Non conueniebat quidem, vt vel minori apparatu, vel paucioribus testimonijs, & demonstrationibus tam mira res esset testata, atque celebrata, vt erat rerum creatarum omnium Dominum in terras descendere, & in cruce mortem pati. Quia si statim hæc lux in mundum venisset, illius splendoris magnitudine obcęcati essent. Propter hanc causam voluit hic Dominus, vt paulatim homines se præpararent ad illam accipiendam, cùm veniret, cùm viderent tam multis antè annis esse nunciatam. Cùm autem has virgines, quę tam antiquę, & omnibus superioribus ætatibus celebres fuerunt, cum nostris sanctis scripturis concordare cernimus, nostræ Religionis veritas confirmatur, vt tam hoc, quàm reliquum omne ad nostræ fidei tam multis modis confirmatę confessionem conducat. Quamobrem post Prophetarum testimonia, eas hic addere, & hoc loco primo huius libri tractatui finem imponere volui.

Et quoniam aduersæ partis testimonium multum valet, non erit à nostro proposito alienum, ad Sibyllarum testimonium, & Iosephi testimonium addere, qui fuit quidem clarissimus historicus, natione& professione Hebræus, qui in libro 18. Antiquitatum, cùm de ijs tractaret, quę tempore Tiberij Imperatoris contigerunt, quo quidem Saluator noster passus est, hęc verba inquit: Eodem tempore fuit Iesus vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabiliũ operum patrator, & doctor eorum qui libenter vera suscipiunt: plurimosq; tam de Iudæis, quàm de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat: quẽ accusatũ à nostræ gentis principibus, Pilatus cùm addixisset cruci, nihilominus non destiterũt eum diligere qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die viuus, ita vt diuinitus de eo vates hoc & alia

multa miranda prędixerunt, & vsque in hodiernum Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.

Hæc sunt Iosephi verba, quæ quidem legentibus maximā admirationem afferunt. Non est quidem nouum diuinam prouidentiam disposuisse, vt idem auctor, qui Hierusalem, & illius regni euersionem narrauit, tam illustre testimonium de Christi persona perhiberet, ad id adductus mirandis illius actionibus, & tā publicis miraculis, quàm priuatis, & notis, quę Saluator fecit, dum cum hominibus conuersatus est.

PRIMI TRACTATVS FINIS.

TRACTATVS SECVNDVS HVIVS QVARTI LIBRI, IN QVO PER modum dialogi omnibus obiectionibus respondetur, quæ de Messiæ mysterio fieri possunt.

DIALOGVS PRIMVS, IN QVO PER mundi conuersionem, à Prophetis testatam, Saluatoris aduentus probatur.

VT HOC nostræ Redemptionis mysterium, de quo hactenus locuti sumus, apertè declaretur, atque demonstretur, operæ pretium erit nonnullis quęstionibus, quæ de illo fieri possunt, satisfacere. Quare visum est mihi maximè conducere, vt hic Catechumenum nuper à Moysis lege ad Euangelij gratiam conuersum inducamus, qui proponat quæstiones, quę de hac re fieri solent, & vnà cum eo sacræ Theologiæ Magistrum, illis quæstionibus respondentem. Sic autem Catechumenus incipit:

CAT. Legi, Præceptor, eos tractatus, quos de Christi mysterio scripsisti: in quibus, quidquid ad hoc mysterium pertinet, tam apertè exponis, vt nullum dubitandi locum reliqueris. Et quoniam ille Dominus, qui omnes homines vult fieri saluos, & ad agnitionem veritatis venire, mille habet vias, (1.Tim.2.) quibus eos ad se alliciat, atque trahat, voluit ipse his libris meum contingere cor, & meos aperire oculos, vt, quàm cæcus, & deceptus hactenus fuerim, intelligerem. Quamobrem ei immortales gratias ago, agamq́; semper infinitas. Et quoniam spero breui fore, vt sanctum baptismum suscipiam, de huius mysterij fide adhuc perfectiùs instrui vellem.

MAG. Rectè facis mi frater: sic enim Saluator suis discipulis mandauit, cùm eos in vniuersum mundum ad prædicandum misit, vt priùs gentes docerent, deinde baptizarent. Vellem autem scire, quænam illa sint, quæ meliùs intelligere cupis.

CAT. Sunt hæc communia, in quæ offendunt illi, qui tam cæci, vt ego vixi,

vixi,vitam degunt; hoc est,mors Christi,eius diuinitas atque humanitas,sanctissimæ Trinitatis, & sanctissimi Sacramenti mysterium; & ritus,ac cæremonias cessasse,& sacrificia,quæ lex iubet.

MAG. Vt his quæstionibus plenè satisfaciam, longa tractatione opus esset:hoc enim argumentum valde copiosum est. Tamen, vt huius scripturæ breuitas fert, Dei auxilio fore spero,vt ita omnibus his quęstionibus respondeam,vt tu,cui Deus fidei lumen impertiuit,facilè acquiescas; credere enim magna ex parte eò spectat, vt intelligat.Sed antequam singulis tuis quæstionibus respondeam, omnibus vniuersim respondebo. Quamobrem tibi sciendum est, quòd tam hę quęstiones, quàm cæterę omnes, ab vna veritate pendent, ab ea scilicet,vt nostrum Saluatorem esse Regem Messiam, in lege promissum certò sciatur. Nam si is est ille, nobis à Deo mandatum est, maximis cum minis & pœnis, vt credamus quidquid ille dixerit. Sic enim inquit per Moysem: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturq́, ad eos omnia quæ præcepero illi. qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam,* inquit Deus. Cùm igitur hoc ita se habeat, omnes quæstiones & omnia dubia remouentur, cùm ipsius Domini ore declaratum sit, quidquid de ijs omnibus, quæ proposuisti, tenendum sit.Quamobrem in hoc articulo nobis maximè insistendum est, cùm hic sit cæterorum summa confirmatio. Deut. 18.

Et licet ad id sit satis,superq́ue, quod in hoc tractatu adduximus, eandem materiam iterum repetere decreui, & exemplo illustrare, quod quidem sit tanquam summa omnium,quæ hactenus diximus; in qua Christum nostrum Saluatorē esse Messiam in lege promissum apertissimè intelligas: cùm ex hac veritate (vti diximus) omnium harum quæstionum, quas proposuisti, solutio pendeat. Ad id autem recordare illud promissum, quo Deus Patriarchæ Abrahæ Chananæorum terram,in qua versabatur, pollicitus est.Cùm autem Gene. 12. ab eo peteret,quonam modo scire posset, quod Deus pollicebatur; iussit, vt 13. nonnullorum animalium sacrificium offerret, & tandem ei dixit: *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subijcient eos seruituti,& affligent quadringentis annis. Veruntamen gentem,cui seruituri sunt ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia,* id est, valde multiplicati, & Gene 15. fecundis rebus vtentes. Hæc fuit Dei prophetia quadringentis annis ante exitum de AEgypto prolata, in qua hæc omnia particularia prædicta sunt; illius populi peregrinatio,oppressio, exitus de AEgypto, promissionis terræ acquisitio,& in primis annorum numerus, quibus hæc peregrinatio duratura erat. Nunc autem scire velim,si quis ex illis,qui viuebant cùm hic populus de AEgypto profectus Chananæorum terram expugnauit,hanc prophetiam legeret, & illam adimpletam cerneret, quid diceret? quid sentiret?

CAT. Facere nō posset,quin maximè admiraretur, & cognosceret, quòd idem Deus illic aderat: cùm nemo præter illum id prædicere posset tam multis ante annis,quod futurum erat; nec tam magnum perficere opus, vt erat, gentem captiuam, subditam,& inermem,Pharaonis arma,& potentiam euadere,& Chananæorum terram expugnare, vbi gens satis fortis erat, multiq; gigantes erant, & ciuitates altissimis muris circundatæ; vt vtraque res hic

concurrere deberet, Dei sapientia, atque potentia; altera ad prophetandum, altera ad perficiendum.

MAG. Id igitur vt ad rem nostram accommodemus, hæc duo in mundi conuersione acciderunt. Quare si illic Dei potentiam, & sapientiam interfuisse confitemur, multò magis in hoc opere fatendum est: Et quoniam res nouæ multò magis corda mouent, quàm quæ quotidie cernuntur, licet magnæ sint, hîc exemplum effingere volo huic rei satis accommodatum, vt ex alterius conditionibus & alterius conditiones intelligamus. Quare summopere peto, vt id me explicantem æquo animo audire velis. Nam licet nunc ab ipsa re alienum esse videatur, tandem tamen ex eo non paruam vtilitatem percipies.

Illud igitur nunc fingamus, quòd cùm Deus quadringentis ante annis Patriarchæ Abrahæ reuelauerit quidquid suo semini contingere debebat, Prophetæ cuidam etiã reuelaret fore, vt in terra Setubal nasceretur homo de Mirandæ genere, quod ibi est, eumq; futurum sanctissimum, & maximum prædicatorem, qui in omnia Lusitaniæ loca ad prædicandum iturus esset, & præsertim in Olysippi ciuitatem, sequente eum vt Prophetam, & sanctissimum virum, maxima gentium copia, quocunque iret, & prædicaret; qui multos discipulos delecturus esset, qui eum comitarentur, & illius doctrinam audirent. Sed quoniam ipse vitia acriter reprehensurus erat, & præsertim eorum, qui rebus sacris inseruirent, ij partim inuidia illius gloriæ, partim illius doctrinæ odio, quæ illorũ vulnera detegebat, adducti, falsis criminibus ei mortem molirentur, & tandem ita deberent cum iudicibus secularibus facere, vt eum morte, & crucis morte damnarent. Et adderet præterea hæc prophetia, quòd propter hoc peccatum Lusitaniæ regnum delendum erat, & Lusitani per totum terrarum orbem dispersi ituri erant, & malè tractati, & omnibus nationibus subditi. Post hoc autem diceret futurum esse, vt huius Domini discipuli paulò post illius mortem de ciuitate Olysippi egrederentur, & in Africam, & Constantinopolim, & in omnes & Turcæ, & Persarum regis ciuitates se reciperent ad prædicandum Euangelium: quodq; paucis pòst annis, post multas persecutiones, & contradictiones tum Barbarorum, tum Turcarum, tandem tantum ipsi possent, vt illis Christi fidem ita persuaderent, vt ijdem suo errore cognito sua templa euerterent, & Alcorani libros comburerent, & cognoscerent suum Mahometum falsum fuisse prophetam, & deceptorem, & illius ossa caperent, & illius tibiæ os in puluerem conuerterent, & in fimi tumulos proijcerent, & in illorum templorum locis Ecclesias solennissimas ædificarent, & in illis figuram sanctæ Crucis collocarent, & in sacrarijs sacrum altaris Sacramentum, quod vnà cum sanctissimæ Trinitatis mysterio summa veneratione colerent: quodq; ex his barbaris nationibus (qui antequam fidem acciperent, erant voluptatibus deditissimi) multi homines surgerent perpetuæ virginitatis obseruatores, & vitæ puritate Angelis similes, & multa cœnobia ab ijs habitarentur religiosissima. Ex ijs etiam fore alios, qui in eremo & solitudine sanctissimam vitam degerent, vel herbarum radices, vel solum panem & salem edentes. Sic etiã, quòd multæ fœminæ ex Mahometana secta, vbi fidẽ suscipereñt, perpetuæ virginitatis votum facerent, & vbique terrarum ex illis multa cœnobia essent. Et adderet præterea eadem pro-

prophetia, id esse futurum quadringentis annis pòst, vbi hæc prophetia conscripta esset.

Nunc autem peto frater mi, si hoc ad vnguem perfectum esse scires, quod antea prædictum non ignorares, videresq; ex altera parte totum Lusitaniæ regnum esse euersum, & Olysippum solo æquatam, & Lusitanos omnes dispersos, & malè in omnibus nationibus affectos, & ita, vt ne pinnam quidem ciuitatis possideant: ex altera verò perspiceres totam Mahometanorum sectam ad nostram fidem esse conuersam; videresq; illius Domini crucifixi discipulos hac ciuitate egressos, qui pauperes piscatores erãt, & rudes, hoc opus perfecisse, quid diceres? quid iudicares? quid sentires?

CAT. Qui hoc adimpletum videret, facere quidem minimè posset, quin stupesceret, & quasi à seipso digrederetur, cùm rem tam admirandam cerneret, & fateretur, hic potens Dei brachiũ interfuisse. Nemo enim præter illum tam admirabile opus tam debilibus instrumentis perficere posset; neque prophetare singulatim de his omnibus rebus, & circunstantijs, tam multis antè annis: cùm sit compertissimum ad Deum vnum spectare futurorum prædictionem.

MAG. Huiusmodi exemplo huius nostri mysterij veritatem profectò intelliges. Omnia enim præcipua, omnesq; circunstantiæ, quas hic collegimus, diuersis in locis dicuntur à Prophetis, vbi de Saluatore verba faciunt: id est, de loco vbi nasciturus erat, de illius genere, de doctrina, de morte Crucis, & de omnibus, quę in passione contigerunt; de gentium conuersione, quę per eius discipulos facienda erat; de loco, vnde discipuli profecturi erant; de tempore, quo id conficiendum erat, vnà cum reliquis omnibus, quæ in hoc libro narrauimus.

Quòd si in superiori exemplo, apertissimè Deum operatum esse, fateris, tam propter facinoris magnitudinem, quàm propter illius prophetiã; quãtò magis in hoc facinore id nobis fatendũ est? Ibi enim vna tantùm aderat prophetia; sed hic summus intercessit omnium Prophetarum cõsensus, vnà cum Sibyllarum consensu. Ad hæc opus hoc multò erat factu difficilius, quàm barbarorum conuersio, atque Turcarum, qui omnes sunt quædam mundi pars: at hoc erat de toto terrarum orbe idololatriã, quæ tunc in illo dominabatur, in exiliũ eijcere. Præterea non tam difficilè erat Mahometanos, vt gentiles conuertere: Mahometani enim nobis in eo assentiũtur, vt Christo, & eius sanctissimæ matri, & S. Ioanni Baptistæ, & Sanctis magnas laudes demus; & ipsi vnum Deum colunt, illius prouidentiam vnà cum animæ immortalitate, & bonorum, ac malorum pœna, & gloria, licet non rectè, fatentur. Gentiles verò nulla in re nobis assentiuntur, imò Christi nomen detestabantur, ac persequebantur, cùm amentis esse arbitrarentur, Deum mortuum, & crucifixum prædicare. Ad hęc omnia, quod hoc opus pręstantius, & Deo dignius esse declarat, est, quòd Mahometani non persequuntur Christianos, qui in suis terris inhabitant, solo Christiani nomine, imò concedunt illis in sua lege vt viuant: Gentiles (ò sancte Deus) quibus modis, quibus tormentorum generibus, & crudelitatum nunquam antea visis, ne excogitatis quidem, Christianos solo Christiani nomine persequebantur, licet nullum aliud crimen in illis cernerent. Trucidabant, assabant, membra loco suo dimouebant, 2 Cor.

bant, præcipitabant, comburebant, arabant, illarum carnem ferreis instrumentis scalpebant, inter vngues manuum & pedum,& carnem,arundines infigebant, equorum caudis alligatos raptabant, leonibus, & alijs feris bestijs exponebant. Quid? nullo numero possunt comprehendi crudelitates ab illis excogitatæ, vt eos à sua fide dimouerent:attamen tam gloriosi victores in hoc tam duro certamine extiterūt,vt propter hanc causam innumerabiles homines ita fidem, quam antè oppugnauerūt,complecterentur, vt quibus tormentis alios afficiebant, iisdem & ipsi pro fide affici vellent.

Quid autem admirabilius,& potenti Dei brachio dignius? Quòd si te mouebat illa conuersio, quam fingebamus barbarorum, & Turcarum, & fatebare minimè fieri posse, vt illud opus sine Deo perficeretur: quantò magis hoc te mouere debet, & efficere, vt hic Dei virtutem, & potentiam cognoscas, in quo multò maiora concurrerunt? Cùm autem omnes Prophetæ testati sint, hoc opus in Messiæ tempus dilatum esse, hocq; ab illius discipulis perfectum esse,cum quo cætera signa,& prophetiæ,quas allegauimus,consentiunt; eumverum Messiam à Deo promissum esse, neque alium expectandū, consequitur.

Ad id etiam addas velim persecutiones, quas ille populus post Saluatoris mortem passus est, vt fusiùs antea narrauimus, vbi & calamitates vidisti,quę à Pilato,& ab omnibus Iudææ Præsidibus, qui ei successerunt, paulò pòst illi contigerunt. Vidisti euersionem,& cædem,& captiuitatem omnium terrarū prouinciæ Galilææ, & omnium finitimarū. Vidisti Hierusalem præterea obsidionem,& horribilem famem,quam in illa passi sunt, mortuorum, & captiuorum incredibilem multitudinem. Vidisti ciuitatem solo æquatam, vt
Luc.19. prophetauit Saluator, atque deplorauit. Respice illud potentissimum, & antiquissimum regnum dirutum,& ad nihilum redactum,& ita,vt neque pinna ex illo reliqua sit. Vides præterea exiliū (quod Deus minatus erat) per omnes totius orbis terrarum nationes. Vides illam prophetiam Oseæ iam esse adim-
Ose.3. pletam,fore scilicet, vt sine rege, sine principe, sine altari, sine sacrificio, sine vestimentis sacerdotalibus,& sine idolis filij Israel permanerent.

Et ad hæc omnia mala vides hanc gentem tam laboriosam,tam afflictam, & omnibus mundi nationibus subditam. At vbi nunc sunt illa magnifica Dei
Deut. 28. promissa (quæ antea adduximus) ijs,qui Dei legem seruauerint? *Benedictus eris in omnibus vijs tuis. Benedictus eris ingrediens & egrediens*, cum reliquis omnibus. Vbi illud quod inquit: *Constituet te Dominus in caput,& non in caudā, & eris semper supra,& non subter?* O pauperrima gens, atque miserabilis, quis tibi oculos claudere, & intellectum obtenebrare potuit,& voluntatem indurare, ne tam
Isa. 28. aperta exaudias, atque cernas? Cùm autem dicat Deus, afflictiones intellectus oculos aperire; quænam est illa sordis duritie, quòd omnibus his iniurijs circunuentum,atque tam multis calamitatibus non mansuefit, neque suum errorem sentit, aut intelligit? Sin contrà; mihi dicant, cur ille iustissimus iudex permisit tam horribilem, tamq; diuturnam punitionem in hoc populo olim ita à Deo dilecto, quiq; tantæ curę erat, præsertim cùm in tam multis afflictionibus adhuc in legis obseruantia perseueret? Hęc autem animaduersio cùm tanta, tamque extra ordinem sit,& sit multò antè prædicta,vnà cum reli-
quarum

quarum omnium superiorum prophetiarum perfectione, sic apertè Saluatoris dignitatem, & aduentum testantur, vt neque meridiana lux sit hac re illustrior.

Ex quo tibi licet videre, frater mi, quantũ debeas Deo, qui te ex tam densissimis tenebris eripuit, & oculos adaperuit, vt hanc tantam veritatem cognosceres, à qua omnis nostra salus pendet.

CAT. Huic Domino tantas, quantas possum, gratias ago, quòd mihi eam tribuerit lucem, quæ ita omnes animæ meæ sinus penetrauit, vt nullum dubium, nullus scrupulus in hoc mysterio mihi reliquus sit, ex quo meus spiritus huiusmodi pace, & gaudio fruitur, vt verbis explicare non possim.

DE MENDACIIS, FALSITATIBVS, ET INEPTIIS Talmud. Cap. XXII.

MAGISTER:



EX ijs, quæ hactenus tractauimus, vidisti, quàm incredulorum cæcitas sacrarum scripturarum testimonijs sit conuicta. Quid autem, si præter sacras scripturas, alia inueniemus argumenta tam aperta, quàm quæ ex illis petuntur?

CAT. Qui fieri potest? Estne quid Dei verbo certius, & fidei lumine, quod in illo nititur?

MAG. Sic se res habet, vt dicis: velim tamen recorderis, quòd, quemadmodum fidei lumen, Dei est, sic etiam est rationis lumen, quod ille in animabus nostris impressit, qua dicitur homo ad imaginem & similitudinem Dei fuisse creatus. Et licet hoc naturale lumen certitudine earum rerum, quas testatur, non sit æquale lumini supernaturali: in eo tamen, quod intelligit, euidentiam habet, quæ fidei minimè competit. Fides enim est tanquam ædificij fundamentum, quod minimè cernitur: hæc autem euidentia nostros intellectus satis lætos, & quietos reddit. Hoc igitur naturali lumine, quis mentis & rationis compos illorum cæcitatem cernet, qui sui Talmud mendacijs, & ineptijs tanquam sacræ scripturæ fidem præstant.

Quamobrem tibi sciendum est, quòd tempore Benedicti XIII. Papæ quidam eiusdem Pontificis celeberrimus Medicus, & in omni Hebræorũ doctrina peritissimus, ad nostram sanctam fidem conuersus est, & illi nomen impositum fuit Hieronymus de Sancta fide. Cùm autẽ sanctissimus Pontifex animas illuminare desideraret, & de tenebris errorum eruere, huic suo Medico iussit, vt librum conscriberet, in quo scripturarum testimonio Messiam venisse, & eum nostrum esse Saluatorem ostenderet. Id fecit Medicus maxima cum diligentia, neque id solùm, sed etiam alium conscripsit librum summi Põtificis iussu, in quo multas falsitates, vanitates, & fabulas Talmud librorũ refert. Quos libros Reuerendissimus Archiepiscopus Goæ felicis recordationis ex lingua Latina in Lusitanam paucis ante annis vertit, vt animæ illius prouinciæ, quæ in errore, & cæcitate versabantur, illorum lumine & doctrina sanarentur. Et hi duo libri hac lingua impressi in hominum manibus extant. Ex hoc autem secundo libro, qui Talmud falsitates refert, excipere decreui aliquid, vt illorum cæcitas, qui illis fidem præstant, facilè cernatur.

Talmud autem, quod doctrina interpretatur, Hebræorum Rabini qua-

 drin-

dringentis annis post Redemptoris passionem composuerunt, hanc inquiunt ipsi esse aliam legem, quæ verbis Moysi tradita fuit: cumq; alia sine ratione confingant, sic & hæc fingunt, quæ neque auctoritate, neque ratione confirmant. Hæc scriptura nostra Biblia decem partibus superat, præter glossas antiquas, & recentes in illam conscriptas, quæ multæ sunt. Et illius Talmud inuentores, vt meliùs fundarent, & affirmarent suos ordines, & errores, diuersis in locis iusserunt, vt quæcunque ipsi decreuerint, tantã vim haberet, quàm quæ à Deo in lege Moysi mandata sunt: præterea pœna capitis eum dãnant, qui aliquam negaret rem ex eis, quæ ab illis conscriptæ sunt, quam pœnam illis non imponunt, qui verbis legis Dei contradicunt.

Sed antequam huius libri falsitates narrare incipiam, Christianum lectorem admonitum volo, nullum esse in mundo scelus, quod ab anima à Deo derelicta credi non possit, præsertim si est aduersaria, & inimica Christo nostro Saluatori: qui est lux, & porta, & ad veritatem via, sine quo sine via est homo, sine luce, & sine veritate, & ita in mille vitæ discrimina & præcipitia incurrat necesse est. Illud præterea addo, quòd ex omnibus perturbationibus, & appetitibus carnis cùm ille sit furiosior, qui generationi inseruit, (qui sine diuinæ gratiæ auxilio superari minimè potest) inde fit vt homines huius gratiæ vacui in turpissimas, & abominandas turpitudines delabantur.

Hæc eò dixi, quòd ille Talmud liber (vt ab hominibus à Dei spiritu, & eius gratia longè absentibus compositus) tam turpia continet, vt ea narrare non audeam, ne castas aures tam turpibus rebus offendam, licet maximè eò conducant, vt huius libri falsitas, & abominatio dignoscatur. Et ne videatur incredibile, quod hic dicitur, qualibet in re hic auctor, & librum, & caput, & illius principium allegat, ne quid ipse fingere videatur. Et licet hic legat res quidem inanissimas, & ridiculas, ab eo petò, vt risum contineat, & lachrymas paret, vt illius gentis cæcitatem deploret, quæ huiusmodi rebus tanquam à Deo dictis credat.

Vt autem ab eo incipiamus, quod ad Dei cognitionem pertinet; qui Talmud conscripserunt, & sequuntur, tanto in errore versantur, vt à Deo nonnunquam potentiam, nonnunquam sapientiam, aliâs veritatem, aliâs sanctitatem, & iustitiam detrahant.

Et ita in quodam illius libro, qui Berachot dicitur, cap. primo, noctem in tres diuidunt partes, & in illarum qualibet dicunt Deum tanquam leonem rugire, dicendo: Heu qui meam domum deleui, & meum templũ combussi, & filios meos in gentibus captiuos feci. Et in eodem capite inquit Iosephus Rabi: Aliâs in quandam domum euersam ad adorandum ingressus sum, & egrediẽs in Eliam incidi. Qui me salutauit, inquiẽs: Pax tibi Rabi. Ei respondi; Pax sit tibi Rabi Domine. Et ille inquit: Fili, quam vocem in hac diruta domo audiuisti? Ego respondi: Audiui vocem clamantem tãquam columbę, & dicentem: Heu, qui meam domum euerti, & meum templum combussi. Elias mihi respondit: Fili mi, non solùm id dicit per horam, sed per totum diem. Et in hora qua Israel Synagogam ingreditur, & orationi respondent, Deus suũ caput depilat, & inquit: Beatus ille Rex est, qui sic à suis filijs in suis domibus gloria afficitur: Sed veh patri, qui suos filios captiuos fecit, & veh filijs, qui captiui, & à sui patris mensa remoti fuerunt. Hæc sunt dicti capitis verba.

Videant

Videant nunc omnes, quàm magna blasphemia hæc sit, quæ Deo manus ligat, ei potentiam detrahit, & eum fato subijcit.

Sic etiam, quemadmodum ei potentiam detrahunt, sapientia eum spoliant, & inanissima tribuunt: & ita in libro, quem dicunt Hauoda Saza, in cap. 1. cùm interrogant quibusnam in rebus Deus sit occupatus, respondent, quòd primis tribus diei horis legi studet; & tribus sequentibus sedet, vt pueros doceat, qui tenera ætate mortui sunt; alijs tribus in eo se cõtinet, vt vniuersum mundum iudicet; tribus verò vltimis ludit, animum laxat, & ridet cum serpente, qui Leuiathan dicitur. Hoc in die: interrogati; Quid in nocte? respondent: Sedens super Cherub maximè velocem, 18. millia mundos, quos creauit, visitat. Hoc post mundi creationem: antè vero quàm eum crearet, mundorũ creationi, & euersioni operam dabat. Iam quàm multæ ineptiæ, & nugæ sint in his verbis, animaduertatur. Inquiunt etiã in capite 1. lib. Berac, quòd post templi euersionem, in toto terrarum orbe, quatuor tantùm cubitorum spatium Deo reliquum fuit, in quo Halac studeret, quæ Talmud lectio est: & ita inquiunt, quòd primis tribus diei horis sedet, vt Talmud studeat. Iam quantæ dementiæ sint hæc, quisque facilè videre potest.

Sic illum veritate priuant; quia in Baua Meciha, cap. quod incipit Meca Haboet, inquit Rabi Ismael: Magnum est pax, cùm mendacia dixerit Deus, vt Abraham Sarræ reconciliaret.

Hic nihil deerat, nisi in Deo peccatum ponere, neque per eos prætermittitur, quin illi peccatum tribuatur, vt inquiunt in Hulin, capite quod incipit Elloc terefot, in illa Genesis verba, vbi dicitur, Deum duo magna luminaria creasse. In hæc enim verba maiores proferunt ineptias, quàm quis excogitare posset. Inquit enim Rabi Simeon, quòd creationis hora Luna & Sol æquales erant, & Luna coram Deo stetit, eique dixit; Domine bonum est, vt duo reges vna corona vtantur? Propter hanc causam iussit Deus, vt Lunæ lumen imminueretur. Tunc illa hac iniuria valde commota inquit: Domine quoniam dixi, quod æquum erat, me imminuisti? Tunc Deus, vt eam leniret, & ei satisfaceret, inquit: Id ne molestè feras; quia Sol non nisi interdiu apparebit, & tu interdiu, & noctu. At hæc neque hac re contenta fuit, imò dixit; Domine, candela ante Solem, quid prodest? Tunc dixit Deus: Faciam, vt meus populus Israel suas rationes in tuis mensibus efficiant. Neque hoc fuit Luna contenta, quoad Deus se errasse dixit, & Moysi iussit, vt cuiuscunque Lunę sine bouem, vel caprum sacrificaret, vt hoc peccatum Deo condonaretur. Et hoc probat per cap. 28. Num. vbi Deus iubet, vt hoc animal propter peccata immoletur. Nunc autem considerent qui rationis participes sunt, num sit fletu dignum, videre adesse gentes, quæ capitis pœna mendacia tam prodigiosa credere tenentur.

Sic etiam in Baua Batraa cap. quod incipit Hamor, inquiunt, quòd Raba filius Rabhanæ, per quandam viam proficiscebatur, & quidam agaso ei dixit; Ostende mihi montem Sinai. Ego cum illo iui, & ibi vocem audiui dicentem: O me perditum, heu, qui iuraui, quis me absoluet? Vbi verò ad suam scholam reuersus fuit, id suis præceptoribus narrauit; qui eum reprehenderunt dicentes: Qua hora hanc vocem audiuisti, tibi dicendum erat; Domine ego te ab hoc iureiurando absoluo. Et glossa Rabi Salomon inquit, quòd

hoc iusiurandum, cuius absolutionem Deus petebat, erat Israel captiuitas. Hácne dementia quid maius reperiri potest?

Sunt præterea Talmudistæ tam dementes, vt glossas legi Dei contrarias inuenire audeant. In Canhedrin enim cap. quod Arba miot incipit, in illa Leuitici verba cap.20. quæ dicunt: *Ne dederis de semine tuo idolo Moloch*; exponũt ipsi, quòd in hoc textu inquit, Ne dederis de semine tuo, intelligitur, quòd homo non peccat, nisi cùm vnum solum filiũ huic idolo dat; quòd si omnes, non peccat. Filios consecrare, erat idoli sacerdotibus eos tradere, & ipsi ante idolum eos igni tradebant: quod autem textus inquit, *Ne dederis*, intelligitur non esse peccatũ, nisi cùm pater suum filium sacerdoti Moloch tradit, vt illum sacrificet: sed si idem pater eum sacrificat, non peccat. Quòd verò inquit, *de semine tuo*; sic ipsi interpretantur, quòd si homo eidem idolo, vel suum patrem, vel fratrem, vel seipsum immolat, non peccat.

In eodem etiam libro, & cap. inquiunt: Qui idola vel amore, vel timore colit, non peccat: & Rabi Salomon exponit, quòd amore, intelligitur, cùm quis dominus eum rogat, vt illud adoret; & timore, cùm illi minatur, nisi illud adoret. Quis autem non videt, hoc esse omni sanctæ scripturæ contradicere? Num.25 Filij enim Israel Madianitarum fœminarum amore idolum Phogor adorârunt, & propter hoc peccatum vigintiquatuor millia hominum interficienda iussit Moyses: & Deus eum misit, vt omnes populi Principes suspendio necaret, quòd huic peccato non aduersati fuerunt. Et ad hæc omnia, nisi summus sacerdos Phinees Deum placasset, dixit idem Deus, quòd hunc populum propter hoc peccatum penitus de medio sustulisset. Et licet hoc in lib. Num. cap.25. scriptum sit; hi tamen homines blasphemi elata fronte contraria dicunt, atque ipse Deus iudicauit.

Sic etiam non verentur sacræ scripturæ contradicere, quę casti Iosephi Gene.39. castam fidelitatem laudat, cùm suę dominæ improbitati assentiri noluerit. At ipsi in Halin capitulo, quod incipit Colhabacar, inquiunt, quòd Iosephus in suæ dominæ cubiculum ingressus fuit eo cõsilio, vt cum illa peccaret, sed Angelum Gabrielem venisse, qui eum castrauit, & ita ad illud peccatum ineptus factus fuit. Hęc glossa præterquã quòd fabulosa est, & inepta, manifestè sanctæ scripturę contradicit.

His ineptijs Talmudistæ non contenti, de se ipsis gloriantur. Et ita in libro Cora cap.3. scriptum est, quòd quidam doctor Rabi Simeon dictus filius Ioæ dicebat: Ego tam dignus, & tam iustus sum, vt si ego vellem mea bonitate omnes homines in nouissimo die, qui ex quo tempore natus sum ego vsque in hodiernũ diem nati sunt in terris, salui essent. Quòd si Alasar filius meus mecum esset, à iudicio liberare possemus omnes, qui ab initio mundi hactenus nati sunt. Quòd si Ionatan filius Husiel nobiscum esset, vniuersum hominum genus à mundi creatione vsq; in finem liberare possemus. Consideretur iam, nũ possibile sit, quòd is qui hoc dicebat, sic hoc credebat, & an vnus ex ijs, qui in xenodochio, & domo amẽtium ligati sunt, plus dixisset? Talmudistæ autẽ volunt, vt miserabilis gens has ineptias credere teneatur, cùm dicant, quòd quicunq; aliquẽ Talmud sapientũ irridet, vel de illorum fama detrahit, in infernum damnetur. Hę minę rudem gentem, & superstitiosam perterrefaciũt, vt tam monstrosa mendacia credat, & quę ne pueri quidẽ dicerent, cùm apud focum aniles fabulas narrant.

Neque

Neque hac re contenti sunt, vt ita Deum blasphement, leges quoq; ferunt peruersas, & humanitati iustitiæ aduersantes. Et sic inquit Rabi Moyses AEgyptius in libro Sopu cap. 5. quòd ille, qui suo patri, aut matri maledixerit, nullius peccati reus est, nisi cum maledictione aliquod proprium Dei nomen nominauerit. Neque solùm licētiam dat, vt carnalibus patribus maledicatur contra mandatum Dei in lege, quæ inquit, Qui maledixerit, vel patri, vel matri, morte moriatur: verùm etiam licentiam concedit, vt Deo maledicatur: iuxta illud, quod in Canhedrin dicitur capite, quod incipit Arba miot, vbi inquit, quòd qui Deo maledixerit, non in culpa est, nisi cùm proprium Dei nomen exponit, quod est Semha mephoras. Quòd si cùm maledicit, aliud ex eius nominibus nominaret, quæ sunt Adonai, Eloin, Sabaoth, quę interpretantur, Deus, Iustus, Deus exercituum, culpa obstrictus non est. Hoc autē quid magis iustitiæ, & sanctę scripturæ, & omni rationi aduersatur?

Præterea vt impunè occidāt homines licentiam concedunt, & ita in Canhedrin legitur, cap. quod incipit Ellu, quòd si quis sui socij manus & pedes ligaret, & propter hanc causam fame periret, qui eum ligauerit, à morte liber erit. Quòd si eum ad Solem, vel ad frigus ligauerit, & mortuus fuerit, mortis reus erit. Quòd si eum ligauerit, & leoni exposuerit, à morte liber erit. Quòd si eum muscis exposuerit, mortis reus erit. Quòd si eum in puteum demittit, qui scalas habeat, & alius eas remoueat, qui eum deiecit in puteum, liber erit. Item si homines decem aduersus vnum hominem cum decem fustibus essent, & eum occiderent, omnes liberi sunt.

Item dicit Rabi Moyses AEgyptius in libro Suprin, in lectionibus Canhedrin cap. 9. quòd si quis reus apud iudices accusaretur, & omnes vna voce capite damnarent, eum à morte fore liberum: quòd necesse est, vt iudices inter se discordent, & illorum pars damnet, & pars absoluat, & id exequendum esse, quod maior pars statuit.

In libro etiam Hulin inquiūt, quòd si Petrus aduersus Martinum falsum dixerit testimonium, quo Martinus capite damnetur, si ante mortem falsitas probatur, morietur accusator: quòd si post mortem fuerit probata, accusator manebit liber. Hæc esse instituta legibus diuinis, & humanis repugnātia quis non videt?

Quis igitur erit tam ab omni humanitate alienus, qui hoc legens ex altera parte non stupescat, ex altera non fleat, cùm tot animas pœna capitis obligatas videat, nisi hæc omnia crediderint, quę tam iniusta, fabulosa, & abominanda sunt? O diuina iustitia, ô Dei flagellum, qui tantam cæcitatem propter peccata permittit.

Vt autem reuertar ad rem. Quid tibi videtur frater mi, qui fieri poterat, vt tam horribilibus rebus, tamq; non solùm sanctæ scripturæ, verùm etiam omni rationis lumini contrarijs, qua prędites nos creauit Deus, fidem præstares? At fortè quis verecundia affectus, quòd hęc crediderit, dicturus est, nihil tale in Talmud esse. Hoc minimè dici potest; quia auctor, qui scripsit hęc, satis diligens fuit, cùm librum, capitulum, & illius initium allegauerit, idq; eiusdem linguæ verbis. Præterea Romę scripsit, & Papę iussu, (vbi Synagogæ sunt, & illius sectę Rabini) neque fieri potest, vt quis ita demens sit, tamq; impudens, qui scriberet ea, quæ coram Papa, & purpuratis patribus apertè re-

prehendi possent. Itaque in illarum rerum veritate, quę expositæ sunt, nullus est dubitandi locus.

CAT. Nunc quidem, cùm Deus mihi oculos aperuerit, vt veritatis lucem cernam, apertiùs falsitatē, & deceptionem, in qua vixi, cognosco. Nam quemadmodum illi, qui in obscuro, & sordido carcere diutiùs commorati sunt, illius fœtorem non percipiunt, quòd in illo assueti sint; sed qui ab aere puro, & sincero veniunt, statim illum fœtorem sentiunt: sic ego in his fabulis, & nugis credendis assuetus, illarum falsitatem minimè cernebam. Nunc autem veritatis luce nugarum falsitatem apertiùs cerno, & rubore afficior, & mei ipsius hæc credidisse me pudet.

Accedit ad hæc, in illis natum, & altum esse, & hæc cum lacte suxisse, & ab omnibus meis maioribus per manus vsque in hodiernum diem mihi tradita, & id captiuum, & cæcum in hac deceptione me continebat.

Ad hęc accessit auctoritas, & excellentia sacrarum scripturarum, quas nos accepimus, & vnà cum hac tam certa veritate nostri Rabini harum nugarum venenum nobis bibendum tradiderunt: vt sceleratus Mahometus fecit, qui cùm dignitatem, & gloriam Christi celebret, magnum Christianorum numerum suæ sectæ adiunxit.

Nobis etiam maximum detrimentum afferunt nonnulli Christiani, qui nos aspernantur, & malè tractant, qui ad veri cognitionem beneficijs, bonisq; exemplis nos perducere deberent. Propter hanc causam efficiunt, vt alia iactura iacturam compensemus: & quòd ab hominibus abhorremus, inde fit, vt à religione, quam ipsi profitentur, simus alieni. Quamobrem, si nunc ille
Rom. 9. resurgeret, qui cupiebat fieri à Christo anathema, vt suos fratres saluos face-
2. Cor. 11. ret, quàm diceret iure, quod scripsit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Sanctus Apostolus non ita homines conuertebat; sed se ipsum mille modis præbens, & omnia omnibus hominibus se faciens, vt omnes saluos faceret; peccatores non negligens, sed illorum peccata deplorans.

DIALOGVS SECVNDVS, IN QVO de Christi diuinitate agitur.

CATECHVMENVS.

LICET Dei bonitate in fide sim valde firmus, atque constans, & pro illa paratus (si Deus id mihi mãdaret) ad mortem: tamen quòd hæc fidei lux satis formosa est, & maximam pacem, & gaudium parit, hic proponam omnia, in quæ hæc cæca gens offendit, vt veritatis lumen non accipiat; vt est filij Dei mors, diuinitas, sanctissimæ Trinitatis mysterium, sanctissimum altaris Sacramentum; cæremoniarum, & sacrificiorum legis Moysis ablatio, Iudæi populi neglectio, & gentilium delectus, & alia huiusmodi.

MAG. Hæc, quę attigisti, maximam nostræ Theologiæ partem (vti dixi) complectuntur, & longum tractatum postulant; at ego ea breuitate, quam hic liber postulat, vt omnibus oppositionibus respondeam, conabor; licet his

his omnibus (vt dictum est antea) satis est iudicium, & doctrina Saluatoris, cui vt crederemus, nobis Deus iussit.

Vt autem ad primam tuarum petitionum descendam, quæ est de Christi diuinitate; compertum'est, quòd in nouo Testamento illud, quod quæris, satis apertum est, & in veteri quoque manifestum est. Sed Hebræorum Rabini sibi ante oculos velum obtenderunt, quod Apostolus inquit, ne rem tam manifestam cernant. 2. Cor. 3.

Ad id allego primùm illam quæstionem, quam Saluator Pharisæis proposuit, cùm ab ijs petijt, cuius filius esset Messias, Responderunt, Dauid. Ad id Matt. 22. subiunxit Saluator: *Quomodo igitur Dauid in spiritu* (id est, à spiritu sancto motus, & edoctus) *vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris me-* Psal. 109. *is, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?* Ad id respondere nescierunt, sed ita confusi fuerunt, vt ex eo tempore nemo interrogationibus illum tentare auderet. Illud autem in causa fuit, quòd ei respondere nescierunt, quia Christi diuinitatis mysterium non intelligebant, qui secundùm humanam naturam est Dauid filius, & secundùm diuinitatem est illius Dominus. Quod etiam confirmatur verbo, quod illi dixit, *Sede à dextris meis.* Quæ enim creatura creata est, vel creanda in cælo, vel in terra, cui hæc tanta dignitas conueniat, vt est ad dextram Dei sedere, nisi quis Deo æqualis esset? *Quis* (inquit Dauid) *in nubibus æquabitur Domino si-* Psal. 88. *milis erit Deo in filijs Dei?* qui sunt Angeli, & Sancti. Si ex Seraphin præstantiorem cum Deo comparauerimus, infinitis gradibus erit illo inferior. Quòd si idem Deus creaturam millies, quàm summam ex Seraphin præstantioré crearet, esset pariter in eodem loco. Nam creaturæ perfectio, licet altissima sit, limitata tamen est, & finita; sed Creatoris perfectio est infinita; & inter finitum, & infinitum nulla proportio est. Ex quo illud sequitur, vt illi par esset, id est, ad dexteram Dei Patris vt esset assumptus, minimè fieri posse, nisi qui Deus est. Hoc etiam præterea declaratur in eo, quod subiungitur à Patre cum Filio loquente, & dicente; *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Vbi duas terminatas personas cernimus, aliam generantem, aliam generatam: quod autem inquit, *ante Luciferum,* significat ante mundi creationem, capiendo partem pro toto. Cùm autem dicit, eum *ex vtero* generasse, significat ex eadem Patris substantia fuisse generatum. Et illud verbum, ex vtero, significat, non per adoptionem esse filium, neque quòd illius gratiæ sit particeps, sed quòd illi suam eandem substantiam communicauit. Cùm enim diuina natura simplicissima sit, nec partitionem, nec diuisionem patitur, propter hanc causam se totam filio communicat, in quo est eadem essentia, quę in Patre est. Quamobrem hęc duo verba, *Sedere ad dextram Dei Patris, & ex illius vtero fuisse generatum*; nulli Dei filio adoptiuo, sed soli naturali conueniunt.

Cum hoc testimonio aliud non minùs illustre adest, in quo Dauid in secundo Psalmo incipit admirari persecutiones, quas in Deum, & Christum eius molituri erant; addens fore, vt cęlorum Dominus eos irrideret, ostendens reipsa, quàm inania sint illorum consilia, qui Christi regnum euertere conarentur. Hac autem sententia finita, Christus ipse contra peruersam horum opinionem suę regiæ dignitatis gloriam, vnà cum diuinitatis gloria, his verbis

verbis proponit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius: prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

In hac autem prophetia duę Christi naturę apertissimè declarantur. Cùm enim dicit, quòd eum Regem constituebat in monte sancto suo, & iubet, vt petat; humana natura declaratur, quę in tempore creata fuit, quod petere & regnare in monte Sion Christo conuenit, quatenus homini: cùm autem Deus dicit, *Filius meus es tu: ego hodie genui te*; diuinam naturam declarat, quę ab æterno fuit, his verbis significata, *hodie genui te*. in æternitate enim nihil aliud est, quàm hodie, cùm ei sint omnia præsentia, sine præterito, atque futuro. Quare illud verbum, *hodie genui te*; ad nullum Angelorum pertinet, quòd neque ipsi à Deo generati fuerunt, sed creati; neque in hoc *Hodie* creati fuerunt, quod in æternitate est, sed in tempore determinato, id est, cùm mundus creatus fuit. Quamobrem hæc verba vnigenito filio solùm ab æterno generato, non alij conueniunt.

Legas etiam diligenter Psalmum 44. qui totus de Messia tractat, & de illius regno, de illius pulchritudine, de illius potentia, de illius virtutibus, & de Regina, quæ est Ecclesia illius sponsa, & de spiritualibus filijs, qui ex illa nascituri erant; & inuenies, quòd eum bis in illo Psalmo Dominum vocat. Nam primùm eum rege Messia loquens de excellentia, & perpetuitate illius regni, inquit: *Sedes tua Deus in seculum seculi: virga directionis virga regni tui.* Et statim paulò infrà, de Regina huius summi Regis sponsa loquens, inquit: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* Deinde sermonem suum ad Reginam conuertens inquit: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Quibus verbis apertè illius diuinitatem fatetur.

Isaias etiam cap. 9. cùm de hoc Domino loqueretur, illius humanitatem, & diuinitatem his verbis declarat: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.* Hęc sunt Isaię verba. Quod autem testimonium de diuinitate, & humanitate Saluatoris apertius afferri potest? Cùm enim eum paruulum vocat, illius humanitatem ostendit; cùm in Deum paruuli nomen minimè cadere possit. Sed ne hoc nomine deciperemur, statim illius magnitudinis nomina subdit, quorum vnum est Deus, quo apertè sine tropis, aut figuris, illius diuinitatem testatur. Quare illud maximè animaduertendum est, quòd Septuaginta interpretes, qui Biblia ex Hebræa lingua Ptolemęi Ægypti regis rogatu in Græcam verterunt, (qui quidem licet gentilis esset, vnum tamen Deum adorabat) cùm viderent fore, vt rex hoc loco offenderetur, cùm videret alium Deum adesse præter eum, quem ipse adorabat, hoc mysterium contexerunt, & pro omnibus illis nominibus vnum tantummodò posuerunt, quod consiliarius est; eum nuntium magni consilij vocantes, quod est, ac si dixissent, Dei nuntius ad nos missus, vt nobis magnum consilium daret, id est, vt nos salutis viam doceret. Quod non fecissent,

sent, nisi intellexissent, quòd hic apertè huius Domini diuinitas declarabatur.

Idem Propheta hoc pariter nomen ei tribuit in illa illustri prophetia, in qua dicit, quòd *Virgo concipiet & pariet filium, & Emmanuel vocabitur, (quod est interpretatum Nobiscum Deus)* & illi subdens, quòd hic filius *Butyrum & mel comedet*, vt pueri faciunt, illius humanitatem declarat: cùm autem eum vocet *Emmanuel* (id est Nobiscum Deus) illius diuinitatem declarat. Et hoc nomen satis concordat, vt nonnulli interpretantur, cum alia eiusdem Prophetæ prophetia, vbi loquens de Saluatore inquit, quòd illi nomen nouum imponent, quod Deus nominaturus est. Quod autem erit hoc nomen nouum? Nomen enim Iesus, quod Saluatori impositum fuit in circuncisione, non est nomen nouum, cùm multi ante illum hoc nomen habuerint. Quomodo igitur hoc Dei verbum, & promissum adimplebitur? Quod nouum nomen futurum est nunquam antea visum, nunquam in terris auditum? Nullum certè aliud esse potest, quàm Deum, & hominem vnà vocari: quod hactenus in terris visum non est. Isa. 7. Matth. 1. Isa. 62.

Hoc autem loco lectorem admonitum volo, multùm inter se differre Rabinos Hebræos, qui scripturam ante Saluatoris aduentum interpretati sunt, & qui post illum consecuti sunt. Hi enim cùm ante oculos affectionis velum habeant, quod rationem cæcam reddit, scripturas adulterant, vt illorũ damnata intentio postulat. At illi, qui antè scripserunt, cùm ab hac animi perturbatione liberi essent, non habebant hanc detorquendarum illarum occasionem, & sic sanctas scripturas interpretati sunt, vt illæ significant. Eò hæc dicuntur, quòd vnus ex his antiquis, cùm hoc nomen exponeret Emmanuel, quod hîc allegauimus, sic inquit: Quia Messias futurus erat Deus, & homo, propter hanc causam Emmanuel vocatus fuit, quod Nobiscum Deus, interpretatur, id est, in nostro corpore, & in nostra carne, vt Iob testatus est, cùm inquit: In carne mea videbo Deum. Addit præterea, quòd Deus se vocat admirabilem consiliarium, quia mirabile detexit consilium, vt animas saluas faceret, quæ Adæ peccato damnatæ fuerunt: quæ nullo modo saluę esse poterant, nisi Rex Messias mortem pateretur, multis doloribus refertã, multisq; tormentis. Hic doctor Hebræus est, qui cùm in oculis suis glaucoma, aut lippitudinem non haberet, quæ ipsi nunc habent, in sanctarum scripturarum fonte nudam veritatem perspiciebat. Iob 19.

Hieremias etiam cap. 23. hanc eandem diuinitatem testatur his verbis: *Ecce, dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Et paulò infrà addit: *Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Vbi pro illo nomine, Dominus, in Hebræo est tetragrammaton, quod Deo soli tribuitur.

Idem testatur Propheta Baruch cap. 3. in quo vbi declarauit, Deum esse Creatorem, & rerum omnium Dominum, statim hæc verba subdit: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Quibus autem apertioribus verbis duæ naturę, diuina, & humana, quàm his, explicari poterant? Quàm bene hinc dictum antea no-

 men

men Emmanuel,quod est Nobiscum Deus,declaratur?

Neque Michææ testimonium minùs illustre est, quod antè allegauimus, quod ita inquit: *Tu Bethlehem Ephrata,paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.* Pro quibus verbis Chaldæa versio apertior est, cùm habeat, *Ex te exiet Messias.* Addit præterea Propheta, *& egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* In quibus verbis apertè huius Domini duas natiuitates ostendit,alteram in tempore,in Bethlehem;aliam ante omne tempus, quod est vsque à diebus æternitatis,quod solius Dei proprium est.

Mich. 5.

Alia sunt loca in sancta scriptura, quibus nostri Saluatoris diuinitas, & gloria, alia magis noua ratione nobis ostenditur. Inter quæ numeratur illud iusiurandum, quod Patriarcha Abraham exegit à famulo, qui illius filio Isaac vxorem vt quæreret, proficiscebatur. Cui dixit, *Pone manum tuam subter femur meum: vt adiurem te per Dominum, Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: &c.* Quod iurisiurandi genus hoc est? Homines cùm iurant solenniter in iudicio per sancta Euangelia, vel per Crucem, super illa manum ponunt, & super illam, & ita iurant. At cùm sanctus Patriarcha iubeat, vt manum sub coxam ponat, & suscipere iusiurandum per Dominum cæli & terræ, significabatur, quòd cæli & terræ Dominus ex illa coxa nasciturus erat,quod apertè ei reuelatum fuit,cùm Deus ei iurauit, fore,vt ex illo filius nasceretur, à quo omnes gentes benedicerentur. Quòd si vir sanctus hoc in animo non habebat, cur iussit sub coxam manum ponere,vt per Dominum cęli & terrę iuraret; nisi quòd ex se illum Dominum nasciturum certò sciebat? Hoc igitur cum omnibus dictis Saluatoris diuinitatem,qui verus cæli & terræ Dominus est, nobis testatur.

Gen. 24.

Neque Salomon ignorauit hoc mysterium,quod nobis exposuit, cùm in cap.30.suorum Prouerbiorum,de Sapientia loquitur, quę vnà cum Deo omnia creauit,maxima verborum magnificentia, qua & idem declarauit, cùm vbi dixit,quòd Deus cum illa morabatur, & per eam loquebatur, hæc verba subdit: *Quis ascendit in cælum,atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terræ? quod nomen est eius,& quod nomen filij eius, si nosti?* Vide quo verborum splendore, atque maiestate hanc veritatem manifestauit, quod est filium habere, qui omnia creauit,qui vnus cùm esset in cęlo in terram descendit propter nostram salutem:addendo autem illud verbum, *si nosti*, nobis significauit, quàm esset illud mysterium profundum,atque secretum.

Neque hoc mysterium Ecclesiasticum fugit, cùm in sua oratione inquit: *Inuocaui Dominum Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ.* Quibus in verbis apertè nomen Patris,& Filij Dei ponit,cùm inquit, *Inuocaui Dominum Patrem Domini mei.*

Eccli 51.

Illud quidem mihi compertissimum est, quòd Hebræorum Rabini, his auctoritatibus conuicti,multas inquirunt rationes,vt hanc tam apertam veritatem effugiant. Quamobrem nonnunquam scripturam detorquent, ex alia re in aliam rem sensum transferentes, vt cap. 53. Isaiæ faciunt, quod de passione tractat,hoc ad calamitates,quas populus Israel in sua captiuitate patitur,

titur, accommodantes. Nonnunquam suorum Bibliorum textum adulterant, atque corrumpunt, non animaduertentes, quòd Septuaginta interpretum versio, & Chaldæa (cui ipsi multam fidem præstant) illis aduersatur. Nonnunquam cùm se vrgeri sentiunt, nugas, & fabulas confingunt, vt se ipsi defendant. Quamobrem illarum vnam hic referam. Nam in illa auctoritate Michææ Prophetæ, quam suprà adduximus, (in qua inquit, quòd, Christus in Bethlehem natus est, & egressus eius erit vsque à diebus æternitatis; quibus in verbis, sicut vidimus, præter Christi temporalem natiuitatem in Bethlehem, alia quoque natiuitas significatur, in qua ab æterno suo Patre nascitur) cùm se hoc testimonio tam aperto de Saluatoris diuinitate vrgeri sentiunt, fabulam quandam confingunt, dicentes, quòd septem creata fuerunt ante mundi creationem, id est, lex, pœnitentia, infernus, sanctuarij domus, gloriæ thronus, æternus paradisus, & Messiæ nomen: hac fabula Michææ auctoritati respondent dicentes, quòd ille egressus in æternitatis diebus, de Messiæ nomine intelligitur, quòd est vna ex illis septem rebus, quæ ante mundi creationem creatę fuerunt. Quòd autem hoc dictum fabulosum sit, & inane, clara ratio demonstrat. Tunc enim lex esse non poterat, nisi in aliquo intellectu: hic autem Dei intellectus esse non poterat, quòd in eo res creata esse non potest; neque in intellectu hominis, aut Angeli, quòd ante mundi creationem neque homo, neque Angelus aderat. Eadem ratio valet etiam de nomine Messiæ. In quo prçter infidelitatem, illorum doctorum ruditas, & ignorantia cernitur, cùm minimè perspiciant se verba rationi contraria dicere. Quamobrem tempus in eo consumere nolo, vt illorum nugas infirmem: præsertim cùm tecum verba faciam, qui luce, quam Deus tibi dedit, nudam veritatem perspicias. Mich.5.

Quòd si præter Prophetarũ dicta vis & Gentilium testimonia, legas librũ primum Augustini Eugubini, in eo inuenies, quòd multi grauissimi Philosophi, vt fuit Mercurius Trismegistus, Plato, Plotinus, Macrobius, Porphyrius, & Proclus, qui vel per traditionem, vel per reuelationem, vt Sibyllę, eandem filij Dei æternam generationem testantur, idq; tam apertis verbis, vt legentibus admirationem afferãt. Et ita ijsdem nominibus eum vocant, quibus & nos, quæ sunt; Dei filius, æterna Sapientia, Patris Verbum & Mens, quod significat intellectum, vel rationem, vel sapientiam Porphyrius autem, nostræ religioni inimicus, Platonis sententiam de hoc mysterio refert nostræ fidei satis congruentem. Primùm enim inquit, quòd à summo bono mens nascitur, qui filius Dei est, idq; ea ratione, vt nullus mortalis eam intelligere possit. Quodq; hæc mens à se ipsa essentiam habet, vt Deus omnipotens: quodq; hæc eadem est sedes, origo, fons, principium, & omnium rerum regnum. Itemqùe, quòd est prima pulchritudo, & omnium pulchritudinum origo, illarum typus, & speculum, quodqùe per eam omnia, quę fecit, pulchra, & bona sunt. Addit præterea, quòd hęc mens ante omnia secula ab æterno generata fuit. Id omne ex Platonis sententia, ab eodem Philosopho relata, colligitur. Sed inter omnes Philosophos, antiquior, qui Mercurius Trismegistus fuit, tam apertè loquitur de hac diuina generatione, vt legentibus terrorem incutiat. Qui cùm suum filium doceret, sic inquit: Fili, Verbum Creatoris æternum est, per se mouet, non patitur augmentum, neque diminutionem,

 immu-

immutabile est, incorruptibile, concors, stabile, vnum in seipso. Quænam maiores laudes his diuino Verbo dari possunt? In quę verba inquit Eugubinus, quòd nunquam satis admirabatur, & stupebat, cùm videret quod antiqua philosophia de Dei filio testaretur, quodqúe magna cum lætitia mundi Redemptori gratias agebat, quòd per Euangelij prędicationem diuinitatis cognitione mundum repleuit, quam tam pauci antiquis temporibus cognoscebant, illud perficiens, quod antè per Isaiam prædictum fuit, qui inquit fore, vt terra Dei cognitione repleatur, vt cùm mare crescit, & littora præterfluit. Isa. 11.

Isa. 65. Quòd si cum his testimonijs rationes etiam velis, illa verba recordare, quæ inquit Deus per Isaiam: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus?* Si quæcunque in hoc inferiori mundo sunt animaduerteris, quę aliquo modo viuunt, inuenies profectò, ea, cùm ad suę naturę perfectionem perueniunt, sibi similia generare. Omnes arbores, omnes herbæ, & vniuersim plantæ omnes, vbi creuerunt, & ad perfectionem peruenerunt, statim semina ferunt, ex quibus aliæ ipsis similes nascuntur, tanquam patris filię, quod generationis genus est. Sic etiam omnia animalia in terris degentia, omnes maris pisces, omnes aeris volucres sibi similes generant: Leo leonem, equus equum generat, & eodem modo cętera omnia: De homine verò nihil est, quod dubitemus. Hoc autem tam est omnium creaturarum proprium, vt Aristoteles dixerit, naturalissimum esse in omnibus vitam habentibus sibi similia generare. Cùm igitur sit hæc perfectio naturalis omnium vitam habentium, illis à suo auctore, & naturæ Creatore tradita; non erat rationi consentaneum, vt, qui infinitè perfectus est, perfectione careret, quam suis creaturis dedit. Itaque eum suum vnigenitum filium, Saluatorem nostrum, generasse confitemur, & credimus.

Ad hanc, aliam diuinam addimus rationem, quam in superiori tractatu allegauimus, quæ tum ad Incarnationis mysterium, de quo ibi tractauimus, tum sanctissimæ Trinitatis, de quo mysterio nunc tractaturi sumus, maximè conducit. Quamobrem illam celeberrimam S. Dionysij sententiam supponere debes, quam toties in his libris allegauimus, quòd boni natura est, esse sui communicatiuũ, vt in Sole cernitur, qui tam benignè suam lucem omnibus huius mundi creaturis communicat: & vt etiam in multis religiosis, & sanctis hominibus perspicitur, qui vsque ad extremas mundi partes proficiscuntur, maris & terrę pericula adeunt, vt infidelibus eam lucem & bonitatem, quę sibi à Deo tradita est, communicent. Vnde existimas proficisci tantam librorum infinitatem à pijs & sanctis hominibus conscriptorum, nisi ab hoc principio, quod est desiderium communicandæ doctrinę, & sanctitatis, quæ in illis erat, non pręsentibus solùm, sed etiam futuris seculis? Cùm autem hęc sit boni natura, & proprium, illud sequitur, vt quò res ad præstantius genus bonitatis accedit, eò magis sui ipsius communicatiua sit. Cùm autem verum sit, quòd noster immensus Deus sit infinitè, & summè bonus, illud sequitur, vt sui ipsius summè communicatiuus sit, diuitiarum scilicet, bonitatis, & diuinitatis, quam in se habet: hęc enim est summa, & perfecta communicatio, qualis summæ bonitati conuenit. Et licet suis creaturis omnia bona communicauerit, & præsertim hominibus, & Angelis, quæ ipsi habent; tamen quid-

quid

quid communicauit, & quidquid communicare potest, penè nihil est, si cum illa summa suæ diuinitatis communicatione conferatur. Quæcunque enim communicauit, bona sunt ad tempus, finita, & limitibus contenta. At illa diuina substantia bonum infinitum est, & à finito ad infinitum nulla proportio est, aut comparatio. Hæc ratio valde potens est, vt Christi nostri Saluatoris diuinitatis mysterium, & sanctissimæ Trinitatis, intelligatur.

Ab hac enim summi boni proprietate & natura emanat, vt Pater suam essentiam Filio communicet: & Pater, & Filius, qui eandem habent voluntatem, cùm se inuicem infinitè ament, tertiam producunt personam, quæ Spiritus sanctus est, cui quidem suam diuinitatem, & essentiam, (vt infrà dicemus) communicant.

CAT. Satis probè Saluatoris diuinitatem exposuisti, atque confirmasti, tam apertis testimonijs Prophetarum, Philosophorum, Sibyllarum, & tandem hac postrema ratione in boni natura, & conditione fundata. Quare nihil amplius, quod dubitem, mihi reliquum est.

DIALOGVS TERTIVS, DE SANCTISSIMÆ Trinitatis mysterio.

CATECHVMENVS.

CVM hactenus me docueris, quidquid mihi credendum sit, atque intelligendum de Saluatoris diuinitatis articulo; reliquum est, vt de sanctissimæ Trinitatis ineffabili mysterio tractes: in cuius fidem infideles offendere solent, tanquam in rem, quæ humanæ rationis facultatem superat. Quare tum pro mea maiori consolatione, tum vt eos in viam deducas, qui aberrant, illud mihi tradas velim, quod de hoc mysterio credendum est.

MAG. Vt hanc materiam tractem, necesse est priùs veniam à Deo petere, vt in hoc sanctuarium ingredi possim; & lumen etiam, vt illud cernam, quod super omnes creatas res collocatum est; & præterea debitam reuerentiam, & moderationem, vt de tanto mysterio verba faciam, quod potiùs adorandum, quàm inuestigandum est. Quamobrem inquit Tullius, periculosum esse de Deo loqui, licet verum dicamus, nisi id dixerimus eo timore, & reuerentia, quæ tantam maiestatem decet. Et idem alio loco inquit, quòd de hac re pauca dicenda sunt, & ea cum timore, & reuerentia. Quod congruit cum eo, Rom 12.
quod Apostolus nos docet, cùm inquit, ne velimus altum sapere, sed sapere Eccli 7.
ad sobrietatem, & in hoc nos debere modum, & temperamentum seruare. Et Salomon periculum nobis declarat, quod in eo est, qui temperamento non vtitur, cùm inquit: *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est* Prou. 25.
maiestatis, opprimetur à gloria. Nihil est dulcius ei, cui animæ palatum purum est, quàm infinitam illam pulchritudinem contemplari; at qui huius cognitionis terminos excedere vult, & sua ratione inuestigare, quod nequit consequi, illius diuini splendoris magnitudine ne fiat cæcus verendum est, vt ille cæcus fieret, qui obstinatè Solem aduersum intueretur. Quamobrem quemadmodum

Digitized by Google

Exod. 19. modũ cùm Deus vellet cum Moyse in monte Sinai sermonem habere, ei iussit, vt quosdam terminos figeret, ad quos vsque populus perueniret, neque excederet capitis pœna; sic homo scire debet, ad quam vsq; partem cognitionis Dei peruenire possit, neque vlterius inuestigare. Quem terminum nobis Eccle- Eccli. 3. siasticus declarat his verbis: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curio-* Homil. 4 super Matth. *sus. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.* Quod nobis S. Chrysostomus suadet, cùm Christi temporalem generationem cum æterna comparat, hoc modo: Si nequimus intelligere (inquit ille) quomodo humanum corpus in vtero matris formetur, quomodo intelligemus, qua ratione Spiritus sanctus Saluatoris corpus in Virginis visceribus formauit? Eos igitur pudeat, & confundantur, qui impudenti curiositate illam æternam filij Dei generationem inuestigare volunt. Quòd si nostrum ingenium id intelligere non potest, quæ dementia erit existimare fieri posse, vt illam æternam generationem quis intellectu assequatur, & verbis explicet? Quare necesse est, vt homo fidei simplicitate sit contentus, neque inquirat, quod Deus abditum & secretũ esse voluit. Hæc igitur frater mi illa modestia est, qua nobis hæc via ingredienda est.

Sed quoniam tenemur credere explicitè, & distinctè omnes fidei articulos, (quorum hic primus est) hoc loco de eo nobis tractandum est: sed ea modestia, & reuerentia, qua diximus, agemus. Quare (huius mysterij subtilitatibus Theologicis relictis) de tribus sermonem habere mihi visum est. Primum est loca colligere sacræ scripturæ, quę de eo loquuntur. Secũdum, viam tradere, qua hoc mysterium nobis discendum est, ne quid materiale, & diuina Maiestate indignum discamus. Tertium est, (omissis rationibus, quibus nonnulli doctores vtuntur, tanquam huius mysterij fidei fundamentis) ostendere, quòd contra hanc veritatem non est sufficiens argumentum, id nostram rationem assequi non posse; quòd mysterium nimis altum est, & humana ratio nimis terrestris, & demissa, vt res tam altas assequi possit.

Quod autem ad primum attinet, illud sciendum est, quòd hunc articulum fidei de sanctissima Trinitate fuit necesse fusiùs in nouo testamento declarari, quàm in veteri, propter incarnationis mysterium, in quo confitemur Dei filium esse incarnatum, & conceptum in Virginis visceribus Spiritus sancti virtute. Quod quidem minimè intelligi poterat, nisi hoc trium diuinarum personarum sacramentum intelligatur. In veteri verò id opus nõ erat, & imminebat periculum, ne illa gens rudis, cùm huius mysterij altitudinem ignoraret, crederet multos esse Deos, & ita idololatriæ occasionem inde sumeret, cui quidem ille populus propensissimus erat.

In nouo autem testamento hic nostræ fidei articulus multis declaratur 1. Ioan. 5. locis. Et ita S. Ioannes inquit: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. & hi tres vnum sunt.* Saluator autem in vniuersum mundum cùm mitteret discipulos ad prædicandum Euangelium, sic illis inquit: Matt. 28 *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Omitto multas alias auctoritates; & hæ sufficiunt. Et quoniam (vt superiùs allegauimus) nobis mandatum est, id omne credere, quod nobis Messias diceret, & ille hoc sacramentum nobis reuelauit, id satis est, vt illud credamus.

Sed ne in veteri quidem testamento desunt auctoritates, quæ ita hoc mysterium nobis declarant, vt veri sapientes,& sancti illius temporis illud intelligerent, at gens rudis,& inanis id non assequeretur. Ex præcipuis autem locis, quæ in eo reperiuntur, est cap. 48. Isaiæ: vbi idem Deus, qui in toto hoc capite loquitur, sic inquit: *Accedite ad me,& audite hæc: non à principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius.* Quibus in verbis primùm animaduertenda est attentio, quam ad id petit, quod dicturus est, tanquam ad rem magna attentione dignam, inquiens, *Accedite ad me, & audite hæc.* Sequitur statim, *non à principio in abscondito locutus sum.* Omnes tam Hebræi, quàm Catholici interpretes, in hoc primo Dei sermone legem, quam Deus in monte Sion populo dedit, dum illum de AEgypto educebat, intelligunt: hic enim fuit primus sermo, quem Deus cum populo habuit, omnibus filijs Israel Dei vocem audientibus. Quamobrem valde perterriti huius vocis sono Moysi dixerunt: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Post hæc autem verba statim subdit: *ex tempore antequam fieret, ibi eram.* Hæc sunt verba Dei, quæ subdit, vt declaret quòd erat ante hoc tempus, & quòd ibi quoque præsens erat, cùm hęc lex data fuit. Et statim subiungit, *& nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius.* At quis misit? Ille scilicet, qui præsens fuit cùm legem dedit, qui filius Dei erat, qui est ante omne tempus; qui cum Patre disponit & ordinat omnia: & hunc inquit missum in mundum à Domino, & spiritu eius, vbi illa lex scripturæ data fuit, vt nouam legem gratiæ daret. Vbi tres diuinas personas cernimus expressas, duas scilicet, Patrem, & Spiritum sanctum, tertiam, qui filius Dei est, qui vnà cum Patre, & Spiritu sancto illam primam legem dedit. In quibus verbis (vt dico) sanctissimæ Trinitatis mysterium expressum habemus.

Exo. 20.
Deut. 5.
Isa. 48.

Cùm autem Hebræorum Rabini hoc textu se conuictos cernãt, ad sua solita artificia perfugiunt, vt veritatem fugiant. Itaque Rabi Salomon (qui inter illos celeberrimus est, & magis in scripturis detorquendis est audax, atque in fabulis confingendis) vt hunc locum effugiat, more solito nugas annectit, inquiens, quòd illa verba, *Ibi eram, & Dominus Deus misit me, & spiritus eius*; non sunt filij Dei verba, sed eiusdem Prophetæ Isaiæ, qui ad prophetandum à Deo missus fuit. Et interrogatus, quomodo ibi affuerit Isaias, qui annos 676. natus est, postquam lex in illo monte data fuit: Respondet, quòd tam Isaias, quàm omnes alij Prophetæ eo tempore interfuerunt, cùm lex data fuit, quodque ibi suas prophetias acceperunt, vt tandem eas populo prædicarent, quo tẽpore Deus illis iuberet. Ita quod iuxta hanc Glossam tunc Prophetæ viuebant, & statim mortui sunt, & deinde resurrexerunt, cùm suas prophetias prædicarũt. Hoc autem quid magis absurdum, magisque à ratione alienum? Hi sunt exitus, quos illi exquirunt, vt lucem effugiant. Quòd si dicerent, Prophetarum animas tum creatas esse, & ita interfuisse cùm lex data fuit, quodque eas multis post annis in illorũ corpora Deus infudit, postquam organizata fuerunt, vt fides nostra testatur, in Cõcilijs declarata; hoc omni repugnat rationi, & Philosophiæ, quæ docet, quòd primùm corpus formatur, & organizatur in vtero matris, & deinde Deus creat animam, & in corpus infundit: & sic ille fecit, cùm hominem creauit; quia primùm de terra corpus formauit, deinde Genes. 2.

in id

in id spiritum vitæ infudit. Et præter hæc omnia, cur debebat Deus, cùm legem dedit, spiritum prophetiæ infundere, cùm magis consentaneum sit, & ordinatum, tunc illum infundere, cùm peccatorum occasione oblata eos ad prædicandum contra ea mitteret? Quare hæc glossa, cùm nulla ratione nitatur, ipsa per se corruit: quod enim fine rationis fundamento dicitur, corruat necesse est.

Ad hanc auctoritatem aliæ accedunt, vt est illa è Psalmo 32. quæ inquit: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et idem diuinus
Genes. 1. spiritus dicitur initio mundi ferri super aquas, vt creationis rerum virtus, & actio significetur. In hanc sententiam, Magister Sententiarum illud primum verbum Genesis allegat, vbi inquit: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Quia pro hoc verbo, *Deus*, in lingua Hebræa est ELOIM, quod significat DEI, in plurali numero, cùm in singulari dicatur ELOA. Quod quidem admiratione dignum est. Sed cùm totius nostræ fidei fundamentum sit sanctissimæ Trinitatis cognitio, voluit diuina sapientia, vt primum sanctæ scripturæ verbum tacitè significaret, in illa simplicissima, & altissima substantia personarum distinctionem adesse: & ita intelligeretur creationis opus his omnibus esse commune. Quod etiam in illo præstantissimo formationis hominis ope-
Genes. 1. re perspicitur, cùm dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Vbi in illo verbo, *Faciamus*, & *nostram*, significatur plures personas esse, quæ hanc nobilem creaturam, cui quidem omnium aliarum primus gradus dabatur, fabricant. Hæc quantum ad testimonia ex veteri Testamento satis sint.

Sequitur, vt nunc secundã tractemus rem, quam proposuimus, rationem scilicet, qua hoc diuinum mysterium nobis intelligendum sit. Sciẽdum igitur est, quòd in Deo Domino nostro multa sunt, cùm simplicissima substantia sit, quæ nos scire in hac vita minimè possumus. Nam vt hic illum per seipsum non cognoscimus, sed in illius operibus, ex quibus vnum est huius mundi fabricatio, per hoc opus nequimus plus de illo cognoscere, quàm illud nobis ob oculos ponit, quod est magnitudo sapientiæ, qua illud descripsit; potentiæ, qua illud creauit; bonitatis, qua omnibus creaturis ea parauit, quæ ad illorum conseruationem, & multiplicationem essent necessaria. Quòd autem hæc opera creata omnem illius magnitudinem non declarant, inde fit, vt ex illis plura nesciamus, quàm quæ illa nobis declarant: queadmodum si quædam imago nobis perfectè elaborata ostenderetur, per illam quidem illius ingenium, & artificium, qui eam pinxit, cognosceremus; sed illius conditiones, & cæteras artes, quas tenet, cum reliquis, quæ in eo sunt, quòd illa pictura id nõ declarat, minimè cognosceremus. Ex ijs igitur, quæ de Deo nescimus, vnũ est sanctissimæ Trinitatis mysterium, id est, quòd in illa simplicissima substantia personarum distinctio est, quæ sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quæ personæ licet tres sint, vnus tamen Deus est, quòd vna in illis omnibus natura, & essentia est. Hoc est Dei proprium, & naturale, in quo ab omnibus rationalibus creaturis, & intellectualibus, quæ sunt homines, & Angeli, differt. In illis enim vbi est vna substantia, vna etiam sola persona est: sed in illa altissima natura hoc præcipuum est, & præstans, quòd cùm vna sit essentia, personæ tres sunt.

Hæc

Hæc autem personarũ distinctio cum vnitate essentiæ (quod sanctissimæ Trinitatis mysterium est) rerum creatarum ministerio minimè intelligitur: sed Dei misericordiæ placuit hoc magnum secretum nobis in gratiæ lege reuelare,(in qua illius gratiæ mercedes, & beneficia benigniora, & copiosiora sunt) vt incarnationis mysterium (vti iam diximus) apertiùs intelligeremus.

Fundamentũ autem,quod catholica fides habet, vt tres confiteatur personas,cùm in his tribus vna tantùm sit essentia,& substantia,est in sacris scripturis inuenire,quòd Pater est Deus,Filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus, non tamen tres Dij sunt,sed vnus solus Deus.Tres enim Deos esse omnino impossibile est. Nam si tres Dij sunt,id aliqua differentia, quę in illis sit, eueniat, necesse est: at id minimè fieri potest, nisi in alio sit aliqua perfectio, quæ in alio non sit; & is,cui hæc perfectio deesset,Deus esse non potest, cùm Deus infinitè perfectus sit,& omnes perfectiones in eo esse debeant, quæ excogitari possint. Deus enim (vt omnes confitentur) est ens tam magnum, tamq; perfectum,vt nihil maius,aut melius excogitari possit. Ex quo illud colligitur, minimè fieri posse, vt multi reperiantur Dij,sed vnus solus Deus.Et licet tres sint diuinę personæ,& illarum quælibet sit verus Deus: non tamen tres Dij sunt,sed vnus Deus,quòd vna in illis tribus (vti diximus) diuinitas sit.

Et licet nõnulli doctores,& præsertim Richardus de sancto Victore, in libro, quem de hoc mysterio scripsit,multas adducat rationes,& cõuenientias, vt rationes cum fide copulet: ego tamen hic non eò tendo, vt intellectum rationibus conuincam,sed vt illum sua ruditate humilem reddam,ne speret fieri posse,vt sui intellectus infirmitate tam profundam abyssum tutò ingrediatur, quod nobis quidem illud Ezechielis Prophetæ mysteriosum flumen ostendit, cuius vna pars ita profunda erat, vt quis eam tranare non posset. Vt tamen hic aliquam consolationem capias, breui tibi declarare volo illud, quod maiorem habet vim, vt hoc mysterium credamus.

Quare illud tibi in memoriam reuocandum est,quod sæpius tractauimus, Deum scilicet infinitè bonum esse; cumq; sit infinitè bonus, debet etiam esse infinitè cõmunicatiuus: nam cùm sit (iuxta S.Dionysij doctrinam,ab omnibus tantopere celebratam)boni natura alijs communicatiua, vbi infinitam ponimus bonitatem, ibi infinitam communicationem ponere debemus; & hoc stare non potest,nisi Deus suam diuinitatem & essentiam communicet. Quidquid enim omnibus cæli Angelis, & omnibus huius mundi creaturis communicauit, id omne limitibus continetur, & finitũ est, & penè nihil est, si cum illius diuinitate,& essentia compareturs,& ita infinitæ Dei bonitati perfectè non respondet. Ex hoc autem tam firmo fundamento diuinarum personarum processionem concludimus. Pater enim æternus suo amantissimo Filio suam ipsius diuinitatem communicat, & essentiam; & Pater vnà cum Filio eam Spiritui sancto cõmunicant. Et hoc modo non facimus Deum solitarium, nec auarum,nec sterilem, quod à Deo alienissimum est, vt ipse per Isaiam dixit: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam?* Itaque hoc modo Dei bonitatem celebramus,sterilitatem,& solitudinem excludimus. Cùm Isa.9. enim nulli alij essent nisi homines,& Angeli cum cæteris inferioribus creaturis, ita solus ipse esset, vt Adã cum omnibus bestijs, nisi creasset Euam, quæ cum illo eiusdem speciei erat, atque naturę:nam quod ad perfectionem spe-

ctat, magis Angeli & homines à Deo distant, quàm bestiæ ab Adam.

Vt autem ad hoc mysterium declarandum reuertamur, illud primùm te admonitum volo, quòd cùm hæc verba audimus, Filium, Patrem, generationem, ne quid materiale intelligamus: erit cõsentaneum præmonere, in omni hac diuinarum personarum processione nihil corporale esse. Cùm enim Deus spiritus sit purissimus sine alterius rei compositione, aut mixtura, (Deus enim nihil aliud est, quàm Deus) in hoc tali spiritu nihil aliud est, quàm intellectus, & voluntas. Et ita id omne, quod in hoc mundo operatus est, intellectu, & voluntate fecit: & suo diuino intellectu hunc tantum, tamque formosum mundum descripsit; & sua voluntate eum creare voluit, & eodem temporis puncto creatus fuit. Et hoc illud est, quod regius Propheta in Psalmo 135. his verbis celebrat, cùm inquit: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternũ misericordia eius. Qui facit mirabilia magna solus. Qui fecit cælos in intellectu. Qui firmauit terram super aquas. Qui fecit luminaria magna, Solem in potestatem diei, Lunam & stellas in potestatem noctis.* Hæc omnia operatus est ille solùm suo intellectu, & voluntate. Intellectu enim mirabilem ordinem cælorum disposuit, & ordinauit, quem cæli in suis motibus seruant, vt temporum diuersitatem efficiant, & terra suos fructus ferat: omnipotentia verò, & suæ voluntatis imperio ex non esse ad esse hæc omnia egressa sunt. Cùm autem cæli tam magna corpora sint, non ea tamen pluris emit Creator, quàm intelligendo, & volendo. Idem de omnibus alijs rebus dicimus, quas creauit. Voluit hũc mundum ab animalibus, piscibus, & volucribus habitari, & infinitis arborũ speciebus, & herbarum, & plantarum; & in tota hac fabrica nihil aliud fuit,
Psal. 148. quàm illud, quod Psalmus inquit: *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.*

Quemadmodum autem credimus, quòd Deus solo intellectu, & voluntate hæc omnia operatur; sic etiam in hac processione diuinarum personarũ intellectum solum, & voluntatem interuenire credendum est. Itaque Pater æternus suo diuino intellectu Filij personam generat, & producit, cui quidem suam ipsius naturam, & substantiam communicat. Pater verò & Filius cùm se inuicem voluntate infinitè ament, Spiritus sancti personam produ-
1. Ioã. 4. cunt, qui essentialiter amor est, iuxta illud S. Ioannis, qui inquit: *Deus charitas est,* & amor, *& qui manet in charitate, in Deo manet.* Et sic in hoc mysterio duas tãtùm emanationes ponimus: alteram ratione intellectus, à qua Filius procedit; alteram ratione voluntatis, à qua Spiritus sanctus procedit. Hac ratione confitemur, & adoramus tres personas, & vnam solam naturam & substantiam, quæ his tribus communis est. In quo videbis, quid intersit inter hoc diuinissimum mysterium, & sanctæ filij Dei incarnationis mysterium. Hic enim distinctionem trium substantiarum in vna sola Christi persona vnitarum cernimus, carnem, animam, & diuinum Verbum: at ibi contrà in vna substantia tres diuinas personas adoramus, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Ibi substantiæ tres sunt, & vna persona; hic substantia vna est, & personæ tres. Et in vtroque illius summæ maiestatis altitudo splendet, quæ omnium hominum intellectuum capacitatem facilè superat.

CAT. Cùm hæc tam alta sint, vellem quidem aliquam similitudinem ex

corpo-

corporeis rebus desumptam videre, quæ sub sensum cadunt, vt meliùs illa intelligam. Sunt enim homines tam rudes, & corporis sensibus tam alligati, vt (quemadmodum dicunt) non nisi nostræ villæ librum legere sciamus.

M A G. Fieri non potest, vt in omnibus creatis rebus quidquã inueniamus, quod nobis perfectè illud ante oculos ponat, quod in Creatore est. Cùm enim creaturæ à Creatore infinitè distent, in his similitudo reperiri non potest, quæ penitus, quod in eo est, nobis repræsentet. Doctores tamen vt ex aliqua parte nostram infirmitatem adiuuarent, huius mysterij nonnullas similitudines, licet valde imperfectas, excogitârunt.

Ex quibus vna de homine est, cùm se ipse intelligit, & amat. In quo pro exemplo sumatur homo sapientia cæteris hominibus antecedens, (vt Salomon fuit) cui Deus tantam donauit sapientiam, & prouidentiam, & sic animatum fecit, vt eum scriptura cum arena maris compareret. Hic autem homo se ipse consideret vnà cum his præstantijs, quas à Deo accepit; hęc dum in animo suo euoluit, ipse in suo intellectu alium intelligibilem Salomonem producit, qui est conceptus, & quædam quasi imago, quæ id omne, quod in Salomone est, repræsentat. Cùm autem hæc perfectio ita repræsentata sit tam excellens, statim rei tam dignæ, quæ ametur, amor consequitur. In hac autem intelligentia tria sunt, vnum Salomon est, qui suam perfectionem intelligit; secundum est conceptus, quem in suo intellectu ex illo format; tertium amor est, qui ab hac cognitione proficiscitur. Idem confitemur in hac altissima diuinarum personarum emanatione. Multæ tamen inter hæc duo sunt differentiæ, & præsertim hę, quòd in homine hic conceptus, & amor sui ipsius accidentia sunt: at in Deo non sunt accidentia, sed substantia, neque alia, sed quę eiusdem Dei substantia est. Neque quisque moueatur pro eo, quod hic dicimus, id est, quòd æternus Pater se ipse intelligẽs Filij personam generet, & producat: cùm quotidie aliquid huic simile in singulis rebus cernamus: quod illud est, si quis se ipse in aliquo speculo intuetur, illã producit imaginem, quæ perfectè suam ipsius figuram refert. Quid mirum est igitur, si ille summus Pater, (cuius virtus, & potentia infinita est) cùm se ipse intuetur in se ipso sui Filij imaginẽ producit? Nisi quòd differentia in eo consistit, quòd illa speculi imago accidens est; hæc persona subsistens est, quæ ex se suam essentiam habet. Sed in eo etiam comparatio bona est, quòd si semper aliquis intueretur se in speculo, semper illam figuram produceret: itaq; quoniam semper Pater suam diuinã essentiam intuetur, semper Filij personam producit. Etiam Dei proprium est, suam semper essentiam, & pulchritudinem contemplari, vt Aristoteles dicat nihil esse proportionatum, & adæquatum diuino intellectui, nisi suæ diuinitatis gloriam & essentiam; quodq́ue contra illius altissimæ substantiæ dignitatem faceret, si ad aliud intelligendum descenderet, quàm se ipsum. Quod S. Thomas interpretatur, sic inquiens, quòd non ob id, non intelligit, & cognoscit omnia inferiora; quia in sua ipsius essentia tanquam in vniuersali speculo, & purissimo, eas omnes cernit.

3. Reg. 4.

Aliam similitudinem animæ nostræ, & eius potentiarũ, quæ sunt memoria, intellectus, & voluntas, ponunt. Memoria (in qua omnium sententiarum repositorium est) Patrem referunt, in quo sunt omnes diuinitatis diuitiæ; intellectu Filium, qui, vti diximus, à Patris intellectu producitur; & voluntate

(quæ potentia est, qua diligimus)Spiritum sanctũ, qui à Patris,& Filij voluntate procedit. Et hæ tres animæ potentiæ non tres animæ sunt,sed vna sola.

Hic etiam aliud commune exemplum à Sole desumptum adducitur, qui ex corporeis creaturis præstantissimus est: & ita multis in rebus sui Creatoris similis est, vt superius diximus. In Sole autem tria videmus, eundem Solem, & lucem, quæ ab illo nascitur,& calorem, qui ab vtroque procedit. Quare Heb.1. Apostolus Dei filium Patris splendorem vocat: Sapiens autem illum vocat Sap 7 æternæ lucis albedinem,& maiestatis Dei speculum sine macula. Vbi etiam animaduertendum est, quòd vt Sol semper lucem producit,& vtrumque calorem: sic æternus Pater lucẽ æternam Filij producit, & ambo vnà Spiritum sanctum. Et quemadmodum si Sol æternus esset, lux etiam æterna esset, quæ ab illo emanaret, & calor ab vtroque: sic quoniam Pater ab æterno est, sic Filius,& Spiritus sanctus ab æterno sunt. Vt hîc neque primus, neque vltimus sit, sed omnes diuinæ personæ vnam eandem æternitatem complectuntur. Hæc comparatio desumpta est ab hac præstantissima creatura: in veritate tamen deficit, quia tam lux, quàm calor accidentia sunt, quæ per se suum esse non habent; sed diuinæ personæ suum esse proprium,& perfectum habent.

CAT. Huius diuini mysterij explanatione mihi magnopere satisfactum esse fateor: cùm enim expressè id credere debeam, quod mihi credendum est, intelligo; ne illius ignoratione alium in anima mea conceptum formem ab eo diuersum, quem in me esse oportet. Sed vt magis hanc rem intelligam, has obiectiones proponere volo, quas gens incredula obijcere potest: quæ cùm non soleat credere, nisi ea, quæ his similia sunt, quæ quotidie contrectat, nihil, nisi quod in illis cernit, admittere vult. Et quoniam in rationalibus creaturis, vbi vna est substantia, ibi vna tantùm persona est, durum illis videtur, quod in hoc mysterio cõfitemur; tres scilicet esse personas,& vnam solam esse substantiam.

Cicero lib. 1 de Natura Deorũ. MAG Satis probè Tullius hanc humanorum intellectuum conditionem intellexit. Propter hanc causam cùm de Dei præstantia tractaret, videretque homines velle Deum per ea, quæ cernebant sensibus, metiri, cumque intelligeret, quanto in errore versarentur, inquit; difficile esse hominem à sensuum consuetudine separare, (vt superiùs diximus) cùm necesse sit, vt Deum cognoscamus, hic in terris quidquid cernitur relinquere, & intellectum ad altissimam substantiam contemplandam erigere, quæ ab illo infinitè distat.

Quare vt ad id respondeam, quod dicis, non solùm ratio huius mysterij veritati non aduersatur, sed pro illa est. Nam (vt dictum est) cùm Creator à creaturis infinitè distet, in eo res longè ab omnibus diuersas esse, necesse est, ex ijs autem hæc vna est. Illud sit in exemplum, sit aliquis Rex, in quo multas cernimus præcipuas,& proprias præstantias, quæ in suis subditis non sunt, vt est regia corona, sceptrum, summa iurisdictio, & imperium in toto suo regno, & alia, quæ ad illum solum, & ad nullum alium pertinent. Quòd si in Rege propria,& præcipua reperiuntur, quę in suis subditis non sunt, cùm & illi homines sint, vt ille; quantò conuenientius erit in Deo præcipua esse, quæ in creaturis non sint, cùm ille Creator sit, & ipsæ res creatæ, & inter se infinitè distẽt? Quod cùm ita se habeat, quę dementia est, velle diuina cum humanis, vel cum omni alia re creata comparare? Et quia in his, vbi vna substantia est, ibi

quo-

quoque vna est persona, velle, vt idem in illa altissima substantia fit? O intolerabilem eorum delirationem, qui ex seipsis Deum metiri volunt? Si illius esse, est infinitum, immensum, incomprehensibile: quod (vt diximus) infinitè distat ab omni creata re; quid mirum in eo quid reperiri, quod in nulla creata re cernatur? Illius gloriæ singularitas, & infinita distantia à nostra natura, id postulat: & cùm illi placuerit nobis sui vnigeniti filij verbis suã præstantiam reuelare, & hoc contradictionem non implicet, consentaneũ quidem est, vt nostrum intellectum captiuemus, & ante hanc supremam maiestatem illum humilem reddamus, & hoc diuinum sacramẽtum veneremur, & adoremus, gloriemurq; Deum habere tam altum, qui infinito interuallo nostræ essentiæ, & intelligentiæ facultatem antecedat.

Hoc igitur cùm ita se habeat, qui tam vastum mare nauigare vult, & hæreticorum periculis se liberare, ad duo oculos conuertere debet, ad summum illius altissimæ substantiæ, & ad nostri intellectus humilitatem. Talis ille est, qui à nullo hominum intellectu comprehendi potest: & is est, quem Dauid in Psalmo 17. significauit, cùm inquit, quòd Deus tabernaculum, in quo morabatur, nubibus circundedit. In quibus verbis significat illam diuinã substantiam tam altam esse, & tam super omnes intellectus creatos esse, vt fieri non possit, vt quis sua ipsius virtute ad illam intelligendã perueniat. Propter hanc causam Isaias illos duos Seraphin, quos vidit ad Dei latus stare illius laudes Isa. 6.
celebrantes, vultum, & pedes Dei contegere dixit; vt nobis significaret, eos non eam habere vim, qua illius æternitatis immensitatem, quæ neque principium, neque finem habet, comprehendere possint.

Quare minimè mirandum homini est, si ad tam altam rem intelligẽdam peruenire non potest, quòd tam alta est, vt qui visum terminis conclusum, & curtum habet, eum amittat, si illam suspicere vult. Præclarè S. Gregorius inquit, quòd qui in diuinis rebus rationem nõ inuenit, is in sua ipsius paruitate & ruditate rationes inueniet, cur in eo rationes non inueniat. Quare Salomon nobis consulit, sic inquiens: *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendũ sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu super terram.* Eccles. 5.
Quibus in verbis significare vult Dei altitudinem, & hominis humilitatem, qui tantùm à rerum diuinarum cognitione abest, quantum cæli à terra distant, imò multò plus. Quamobrem non debet tam inanis creatura, quæq; toties decipitur, temere de diuinis rebus statuere. Hominis cognitio tam curta est, tamq; angustis finibus conclusa, vt Philosophi dixerint, quòd eorũ, quæ scimus, maior pars, est minor illorũ, quæ nescimus. Id est, quòd quidquid illud est, ad quod humani intellectus acies peruenire potest, satis parua pars est, si cum eo conferatur, quod ignorat. Et ratio in promptu est: quòd intellectus noster in huius corporis carcere inclusus, nihil intelligere potest, quod à sensibus corporeis sibi non sit relatum, & per illud, quod ab ijs percipi potest. Quamobrem ad spiritalium rerum cognitionem, quę longè pręstantiores sunt, peruenire nõ potest, nisi quibusdam coniecturis, & ratiocinationibus. Et hinc nata est illa tam celebris Aristotelis sententia, quæ inquit, quòd ita noster intellectus se habet ad res naturę altissimas, & clarissimas, vt noctuæ oculi ad Solem: & inde fit, quòd cùm sit Deus omnium rerum maximè intelligibilis propter suę essentiæ perfectionem, & stabilitatem, etiam ille est, quem minùs intelligimus,

Digitized by Google

Quamobrem satis probè quidam Philosophus dixit, quòd quemadmodum nihil est magis, quàm Sol, visibile, & nihil quod minùs cerni possit, (quòd illius radiorum splendor nostrum visum obstringit) sic nihil est, quod ex Deo sit magis intelligibile, & nihil, quod minùs intelligatur propter suæ essentiæ altitudinem. In hanc sententiam facit illud, quod inquit Tullius in libris de Natura Deorum: vbi scribit, quòd interrogatus quidam Philosophus nomine Simonides à Hierone Siciliæ rege, quid esset Deus; spatium vnius diei postulauit Simonides ad respondendum. Hoc elapso tempore, responsum petijt: qui iterum duorum dierum spatium postulauit. Et cùm semper spatium temporis ad cogitandum duplicaret, hoc Rex admiratus est, & interrogatus ab eo Philosophus cur id faceret; respondit, quòd quò magis de Deo cogitabat, eò de illo cognitionem difficiliorem inueniebat.

Huius autem difficultatis ratio est, quòd (vt diximus) noster intellectus cognoscere non potest, nisi ea, quæ per sensuum corporis portam ingrediuntur, & ob id non potest intelligere, nisi per rerum corporearum imagines, quæ in animam nostram ingrediuntur. Cùm autem Deus, vt Deus, corpus non habeat, (quòd purissimus spiritus est) nulla imago est, quę illius essentiam nobis referre queat, & ob id intelligi minimè potest. Propter hanc eandem causam neque Angeli essentia intelligi potest, quòd & is spiritus est, & ita nulla est imago, quæ eam nostro intellectui referre possit. Quid præterea dicam? Quòd hactenus nullus Philosophus nostrarum animarum essentiam intelligere potuit, cuius virtute viuimus, mouemur, & sensibus vtimur, & omnia disponimus, & ordinamus: & cùm omnes illius perturbationes experiamur, illius essentiam, & substantiam non intelligimus, quòd & ipsa, vt Angelus, spiritus est. Quòd si hoc, quod manibus contrectamus, non assequimur; quæ dementia est, sperare fieri posse, vt assequamur altissimam illius spiritalissimę substantię rationem, & credamus in illa non esse, quæ infirmitas nostra comprehendere non potest?

Quid ego dicam Deum intellectu comprehendere, cùm verum sit, quòd maiorem partem operum illius perfectè non intelligimus. Quamobrem Salomon dixit: *Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.* Quis enim scire poterit, quomodo ex tam simplici materia tanta membrorum varietas proficiscatur, & ossium tam perfectè inuicem commissorum, & tanta membrorum differentia, & sensuum suis functionibus accommodatorum? Quòdq; eiusdem materię pars indurescat in ossa, & neruos, & pars mollis in carnem, & venas? Cùm autem hic Sapiens non esset hoc exēplo contentus, hæc verba subdit: *Et intellexi quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt sub Sole: & quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minùs inueniat: etiam si dixerit se nosse, non poterit reperire.* Hoc inquit Salomon propter nostri intellectus imperfectionem, qui perfectus esse non potest: cùm (vt inquiunt Philosophi) rerum species, & essentiæ à nobis minimè intelligantur. Quòd si hæc, quę sub sensum cadunt, & quotidie prę manibus habemus, non intelligimus; quomodo speramus illorum Creatorem comprehendere posse, cuius esse infinitè est super omnia eleuatum?

Eccles 11.

Eccles 8

Quid

Quid autem inquam Dei opera, qui vix hominum opera intelligimus? Si pannus fericus alicui ostenderetur, qui nunquam illum vidisset, & ab eo peteretur, quomodo illud tam pulchrum opus ex spuma tantuli vermis confici possit, quid responderet? Quòd si pulchrũ aliquod vitreum vas opere vermiculato elaboratum ostenderetur, & ab eo peteretur, quomodo illud opus, ex herba, & arena, confici possit, idq; solo sufflatu, nisi fornacem vbi hæc fiunt vidisset, quid diceret? Quòd si omnium sapientissimus homo interrogaretur, quomodo apes mel conficiant, & ceram, & vasa, vbi mel conseruant, quid mihi respondeat, ignorabit. Quomodo igitur homunculus tam ignorans, qui non potest assequi rationem, qua tam paruum animal operatur, poterit supra omnes ascendere cælos, & sua ratione illud altissimum, & supremum esse assequi?

Quid autem hic aliud reliquum est, nisi cum illo Sapiente dicere: *Et difficile æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit?* Sap 9.

Quidquid hactenus dictum est, eò spectat, vt nostrum cor humile reddamus, & ne dicamus id fieri non posse, quod non intelligimus; cùm tam multa sint multò minora, quæ in manibus ferimus, quę non intelligimus. Imò contendo, quòd illud quod infideles pro impedimẽto habent ad hanc veritatem credendam, est vna ex potissimis causis, cur illa credi debeat. Nam quid magis est rationi consentaneum, quàm altissimè de eo sentire, qui altissimus est, & altius, & melius esse ei tribuere, quàm noster intellectus capere possit? Vbi de illo altissima consecuti erimus, credamus infinita alia esse, quæ nequeamus intelligere. Paruus enim ille Deus esset, quem debilis noster intellectus complecti posset: itaq; Deus non esset, quia Deus esse non potest, nisi infinitus sit; & quod infinitũ est, incõprehensibile esse, compertissimum est. Quare non posse nos huius mysterij altitudinem comprehẽdere, signũ est, illud Dei esse, quod cùm sit infinitus (vt diximus) necessariò incomprehensibile esse debet.

Hæc dixi, frater mi, ita fusiùs, quòd in hac tam sublimi sanctissimę Trinitatis materia mihi videtur (vt antea dictum est) illud quod præcipuè tractandum est, esset hominem humiliare, & illi suam ignorantiam aperire: ne ipse suis lippis oculis Solem aduersum intueretur, id est, ne suo terrestri intellectu hoc mysterium inuestigaret: cùm nobis non iusserit, vt id intelligeremus, sed vt crederemus.

CAT. Maximam quidem cepi consolationẽ ex ijs, quæ dicta sunt, & nunc video iure quidem optimo S. Gregorium dixisse (vt allegasti) quòd qui in diuinis rebus rationes non inuenit, in sua ipsius paruitate, & humilitate eas inueniet. Sed iam tempus est, quo ab altissimo sanctissimę Trinitatis, & filij Dei diuinitatis mysterio, ad sacratissimæ eiusdem humanitatis mysteriũ descendamus. Cùm enim hactenus illud tractauerimus, quod ad interius sanctuarium (quod diuinitas est, quæ in illa sancta humanitate inclusa erat) pertinet, tractandum est illud, quod ad exterius sanctuarium, quę sacra illius humanitas est, quæ extrinsecus apparet, spectat. Infideles enim (quorum oculos tenebrarum princeps cęcos effecit, ne Christi gloriæ splendorem viderent) in illius sacra humanitate, & paupertate, & vitæ asperitate, & mortis vituperio aberrarunt. Et quoniam iam cœpi intelligere, quanta gloria sub ea sit, quæ turpitudo

Digitized by Google

pitudo videtur, vellem vt tuo commodo mihi ostenderes, quanta conuenientia, & gloria in his tribus rebus sit.

MAG. Hoc cùm à me petas, maximum mihi onus imponis, quia hoc mysterium tam profundum est, & tantæ maiestatis, vt neque Angelorum linguis pro dignitate explicari possit. Et nisi adesset illa obligatio, qua tenentur homines redempti, vt huius beneficij memoriam semper cõseruent, summa quidem esset temeritas mortali lingua de eo verba facere velle.

Nunc autem breui verba facturus sum de ijs rebus, quæ ad informandum te pertinent. Et licet de hac re fusiùs agatur in quarta huius libri parte: ita tamen res copiosa est, & locuples, vt licet de ea pluries sermo habeatur, semper tamen aliquid nouum adsit, quod dicatur, & eadem meliùs alio quàm alio loco dicuntur. Sed quoniam habes, quod mente agites ex ijs, quę dicta sunt, reliqua in crastinum diem differemus.

DIALOGVS QVARTVS, DE CHRISTI Saluatoris nostri humanitate.

CATECHVMENVS.

VOLO, Præceptor mi, ab ea re primùm incipere, quę naturæ ordine priùs tractanda est; quomodo scilicet fieri queat, vt Christus Saluator noster, Deus & homo vnà sit.

MAG. Illud quidem optimè scis, omnia fieri posse à Deo præter ea, quę contradictionem implicant, vt est esse & non esse: id autem cùm non implicet contradictionem, minimè nobis de Dei potentia ambigendum est. Quòd si confitemur duo tam inter se distantia in vno subiecto copulasse, vt est anima, (quę spiritalis substantia est, vt & Angeli sunt) cum re tam materiali, vt est humanum corpus; non valde mirandum est, quòd duas coniunxerit naturas in vno eodem supposito, diuinam, & humanam. Et quemadmodum anima, & corpus non duo sunt homines, sed vnus solùm; sic diuina natura, & humana, in vna persona coniunctæ, sunt vnus Christus.

Huius rei satis accommodatum exemplum habemus in arbore insita, vbi alter ramus alterius generis est: & licet sint hi rami diuersi generis, non tamen duas arbores esse dicimus, sed vnam solùm; quòd vnam radicem habet, & vnum truncum, quo sustentatur. Sic igitur licet Christus Saluator noster duas naturas habeat, diuinam, & humanam: nõ tamen duo Christi sunt, sed vnus; quòd diuina persona vna est, quæ ambas naturas sustentat.

CAT. Hæc ratio de Dei omnipotentia, & hoc exemplum, quod licet ex materiali re sit desumptum, nobis tamen rudibus huius mysterij rationem bene declarat, mihi penitus satisfecit. Nunc autem vellem inciperes agere de gloria, quę in hac tam humili figura humanitatis Christi inest.

MAG. In hac re volo tibi in memoriam illa Saluatoris verba reducere, quæ S. Ioannis Baptistæ discipulis dixit: *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* Beatus scilicet ille, qui meę humanitatis humilitatem videns, & paupertatem, & vitæ asperitatem, & mortis vituperium, diuinitatis tamen gloriam

Matt. 11.

riam

riam, quę hac humanitate contegitur, non ignorat. Hæc fuerunt infidelibus scandalo, & impedimento, quo minùs Saluatorem cognoscerent, & acciperent; cùm hæc infima, & illa suprema maiestate indigna viderentur. Et ne quæ illorum te commoueant, tibi exponã, quomodo in illorum singulis non solùm nullum vituperium, sed maxima gloria fit: & vbi intellectus noster in huius veritatis cognitione satis confirmatus erit, statim de eo agemus, quod nostram voluntatem ad huius Domini amorem, & huius mysterij admirationem impellit.

Vt autem ab harũ trium rerum prima incipiamus, illud scias velim, quòd Dei filium nostrę humanitati coniungi, non solùm non fuit illius maiestate indignum, sed illi maximæ glorię fuit. Vt autem id intelligatur, recordare, quòd superioribus nostris sermonibus sanctarum scripturarum auctoritate Christi nostri Saluatoris humanitatem probaui, ostendens, duas in eo natiuitates Prophetas ponere; alteram ab æterno, in qua nascitur à Patre; alteram temporalem, in qua nascitur à matre: & propter hanc causam illum Deum, & hominem esse confitemur; Deum ab æterno, & hominem in tempore.

Nunc autem à te peto, cùm placuerit Deo, secum in vna & eadem persona sacram humanitatem tam stricto vinculo & nodo coniungere, vt Deus homo fit, & homo Deus: quę diuitiæ, & gratiæ illi dandæ essent, cùm ad sublimiorem, & maiorem dignitatem, & gloriam fit eleuata ex ijs, quas Dei omnipotentia dare potest?

CAT. Consentaneum quidem erat, vt omnes gratiæ, & præstantiæ, quæ in illius diuinis thesauris erant, & omnis gloria, quam hominum, & Angelorum intellectus capere potest, humanitati ad hunc altissimum gradum perductę communicarentur.

MAG. Satis probè dicis. Dei enim consuetudo est, cùm aliquem ad aliquam dignitatem, & munus assumit, ei tribuere omnia, quibus illud perfectè administrare possit. Contrà enim qui dicit, in Dei actionibus defectum ponit. Hoc modo cùm Prophetas elegit, vt sui populi peccata coarguerent, eos sanctissimos fecit, & à peccatis liberos. Propter hanc causam Hieremiam in vtero matris nõdum natum sanctificauit. Et ad Esaiam Seraphinum misit, qui ei labra pruna de Dei altari desumpta depurgauit. Illis fortitudinem tribuit, ne mortem timerent, neq; illorum offensionem, quorum vitia reprehendebant. Et ita ex illis vnus dixit: *Repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio & virtute. vt annuntiem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum.* In nouo autem testamento, quas Apostolis tribuit gratias, vt Euangelium prędicarent, & fidem in mundo fundarent? Quid admirabilius, quàm visibili forma Spiritum sanctum descẽdere, & illis linguas dare, vt omni orbis terrarum lingua illud prædicarent? Quare hic est vniuersalis Dei mos, cuius opera perfecta sunt, vt ille inquit.

Ierem. 1. Isa. 6. Mich. 3.

Vt autem reuertar ad rem: Cùm Deus hanc sacram humanitatem delegerit ob illud quod dictum est, manifestum est, quòd ei tribuere debebat omnia, quę ad tantam dignitatem requirebantur. Si quis Rex puellam obscuro loco natam duceret in vxorem, (vt magnus rex Assuerus fecit) illud compertum est, quòd vnà cum Reginæ titulo, cætera ei tribueret, quæ ad regiam dignitatem pertinerent. Cùm autem Dei filius illam sanctam humanitatem vxorem duxerit, & arctiori vinculo & nodo, quàm homines coniugio Hester 2.

copulari; ei conueniebat, vt eam maximè extolleret, & omnibus diuitijs, & gratijs, quæ ad id necessariæ sunt, cumularet. Quare dicimus tam multas fuisse diuitias, & thesauros, & potentias, tam multa dona, gratias, & tantam pulchritudinem, quę à summo Rege huic sponsæ data fuit, vt si ex altera parte omnem Angelorum, Cherubin, & Seraphin, & tandem omnium rerum à Deo in cælo, & terra creatarum pulchritudinem poneremus, & ex altera hanc solam sacram humanitatem, hîc sine controuersia maiores diuitias, maiores gratias, maiorem dignitatem, & pręstantiorem pulchritudinem, quàm in reliquis omnibus inueniremus. Imò dico, quòd omnes hæ gratiæ, & pulchritudines coram hac sacra humanitate non magis elucerent, quàm stellę præsente Sole lucere solent. Quod cùm ita se habeat, non solùm non fuit illi dedecus, sed maxima gloria, cum nostra humanitate coniungi, licet sua natura tam infima esset. In hoc enim suæ potentię magnitudinem ostendit, cùm id gratia tantum extolleret, quod natura tam infimum erat. Quod in
Psal. 92 spiritu ille sanctus Rex & Propheta vidit, cùm inquit: *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute.* Et id omne necessariò cōsequitur, vbi Regis Messię diuinitas fundata, & probata est, vt antè fecimus.

Ad hęc illud addendum est, quòd si hic Dominus suam ipsius essentiam amisisset, dum sibi nostram humanitatem induit, aut aliquid noui adeptus esset, quod ipse non haberet, vel aliqua ratione id facere cogeretur, quod fecit, hîc aliquam vituperij notam inurere possemus. At nihil horum dici potest; quòd cùm se fecit, quod non erat, non desijt esse, quod erat; cùm minimè fieri possit, vt Deus definat esse Deus. Neque quidquam noui adeptus est; cùm in illam altissimam, & simplicissimam substantiam accidens cadere non possit: neque fecit vi, quod fecit, cùm ille summus Dominus non habeat, quod illi vim inferre possit. Sed ille solis suę misericordiæ visceribus, & bonitate hunc nostrum habitum inducere voluit propter inæstimabiles fructus, & vtilitates, quę nobis ex hoc mysterio contigerunt, vt superiùs expositum est.

Hoc breuiter hîc dictum sit: sed superiùs hanc materiam fusiùs tractauimus, per totam Saluatoris vitā procedentes, & in illa tota declarantes, quàm illa humilitas, & humanitas, quam sibi propter nos homines assumpsit, fuerit gloria plena, & vndique circundata.

CAT. Nullus quidem intellectus est, quin tam aperta huius veritatis ratione conuincatur. Hebræorum Rabini, qui olim me docuerunt, vel vt veriùs dicam deceperunt, licet Messiæ diuinitatem negarent, tamen illius dignitatem magnam, & admirabilem esse confitebantur. Et ita illa verba, quæ De-
Isa. 52. us per Isaiam dixit, *Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde.* ipsi interpretantur hoc modo; Exaltabitur magis quàm Abraham, & magis quàm Moyses eleuabitur, & magis quàm Angeli erit sublimis. Quòd si illi miseri oculos aperirent, & Saluatoris diuinitatem cognoscerent, tā apertè in scripturis confirmatam, facilè, quæcunque hîc narrasti, crederent. Illud autem scire cupio, quinam fructus ex hoc tanto opere cōsecuti sunt; quòd Deum fieri hominem, non leuibus de rebus, sed magnis esse debebat.

MAG. Qui cæli stellas enumeraret, is fructus narrare poterit, qui ex hac re pro-

profecti sunt, de quibus superiùs aliquid diximus. Vnum tam[illegible]m expositurus sum. Vnde sciẽdum est, quòd nostræ Christianæ relig[illegible]ostręfelicitatis summa, in charitate consistit, quod est nostrum spiritu[illegible]m Deo per amorē coniungere, & vnum cum illo fieri. Hoc duas magnas habebat difficultates: altera erat illius purissimæ, & altissimę substantię altitudo super omne creatũ infinitè eleuata: altera nostræ naturæ ruditas, tam his exterioribus sensibus subiecta, vt nihil intelligere possit, nisi quod per illos ingreditur, & vix quid amare potest, nisi illud quod per illos cognoscit. Cùm igitur tanta sit plerunque hominum ruditas, vt difficilè ad spiritum tam altum, tamq; à suo distantem, diligẽdum se accommodare possent, (amor enim sic animos coniungit, vt ex duobus vnus fiat) illa infinita bonitas, & sapientia huic remedium parauit hominis captui inseruiens, & illius naturam induendo, suę gloriæ splendorem nostræ carnis velo contexit: quo (vt inquit S. Bernardus) homo crasso & rudi ingenio, qui nisi carnem amare non potest, in illa sacratissima humanitate, humanitatem & carnem inueniret; & in omnibus illius operibus maximos amoris stimulos, & incitamenta reperiret. Hoc illud remedium est, quo Medici vti solent in illos ęgrotos, qui salubres cibos fastidiunt. Tunc enim vtiles cibos cum gratioribus gustui miscere solent. Hoc autem intento efficiunt, vt ęgrotus id, quod ei opus est, comedat. Cùm autem existimẽ, te intelligere, quid faciat hoc exemplum ad id, quod tractamus, propter hanc causam tu ipse id iudices velim.

Aliud quoque exemplum tibi adducere volo, quod mihi magnam consolationem affert, quotiescunque illud in animo euoluo. Suetonius Tranquillus, & Cornelius Tacitus inter alias Neronis crudelitates, vnam horribilem narrãt: inquiunt, quòd in publicis ludis iubebatur, vt in sanctos Martyres canes excitarentur, vt eos laniarent. Cùm autem canes eos non contingerent, eo consilio vtebatur crudelissimus tyrannus, vt Sanctorum corpora nuda beluarum corijs induerentur, vt canibus ad venandũ assuetis excitaretur animus, & maiori impetu eos aggrederentur. Quid dicemus hic frater? quid iure sentiemus? Longè magis pius est Creator noster, quàm Nero crudelis fuit; magis sapiens in excogitando consilio, quo nobis benefaciat, quàm ille tyrannus, vt malefaciat. Quòd si ille huiusmodi inuenta excogitauit, vt canum furorem, & rabiem in homines excitaret; multò magis illi immensæ bonitati conueniebat excogitare aliud, vt ad Dei amorem corda hominum accenderet. Et quoniam illi sua magna ruditate nequibant Deum purum, & carne spoliatum amare, eadem carne fuit vestitus, vt ij, qui aliud quàm carnem amare nescirent, tanta in illo amoris inuitamenta reperirent, quot gressus in terris fecit pro illis hac eadem carne indutus. Huius autem rei fructum in pijs animabus cernimus, quę tanquam apes in omnibus floribus mysteriorum vitæ, & mortis Saluatoris, à præsepio vsque ad crucis mortem insidentes, inde suauissimę deuotionis mel colligunt, à quo vitę pastum accipiunt, & in dies magis in illius Domini amore augentur, qui talia pro illis operatus est.

Hæc sunt illa inuenta, quæ iubet Isaias vt mundo prædicentur, cùm inquit: *Notas facite in populis adinuentiones eius:* (quas Deus pro vestra salute excogitauit) *mementote quoniam excelsum est nomen eius.* Vt si diceret: Huiusmodi bonitati, & misericordiæ, qualis illius est, huiusmodi opera, & inuenta conueniebant, Isa. 12.

niebant. Quare frater mi, cùm hoc nomen IESVM audieris, (quod hominis nomen est) non hominem solùm mente & cogitatione debes cōplecti, sed Deum infinitè amabilem, nostra humanitate indutum, cum illaq; coniunctum, vt ita eum faciliùs cognosceremus, amaremus, & imitaremur; quæ tria sunt, in quibus nostræ felicitatis summa consistit. Propter hanc causam cùm hoc gloriosum nomen audies, cùm caput, tum magis animam, & cor deuotè inclinabis.

Ex multis autem fructibus, qui ex sanctę incarnationis mysterio proueniunt, hic vnus est.

CAT. Deus tibi tribuat, Præceptor mi, huius inuentionis meritum præmium, quam & tu excogitasti, vt filij Dei incarnationis beneficium mihi explanares. Cum ea enim dedisti mihi amantes oculos, quibus in posterū hunc Dominum prospicere sciam: sed quoniam dignitatem, & gloriam sacræ humanitatis declarasti, nūc declares velim, quomodo in huius Domini paupertate, vitæ asperitate, & humilitate, alia magna gloria inclusa sit. Sed quoniam hodie mihi mente illud bene agitandum est, quod dixisti, ob id hanc rem in crastinum diem differemus.

DIALOGVS QVINTVS, IN QVO DE paupertate, & humilitate, in qua Saluator noster in terris vixit, agitur.

CATECHVMENVS.

TIBI quidem compertissimum est, Preceptor mi, quàm animabus bene affectis cibus verbi Dei suauis sit. Quod satis probè sanctus ille Rex experiebatur, quando dicebat: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo* Propter hāc causam spero fore, vt meæ importunę petitiones tibi molestæ non sint, vt tanta mysteria penitus intelligam. Et vt fur domesticus possum dicere, quòd ex ijs rebus, quibus hęc cæca gens offenditur, est paupertas, asperitas vitæ, & humilitas, in qua Saluator in mundum venit. Ipsi enim Messiam Salomone ditiorem, Iulio Cęsare, vel ipso Alexandro Magno potentiorem, & victorijs ornatiorem, quiq; eos pariter magnos dominos, & potentes efficeret, expectabant. Cùm autē omnia contrà se habere in Saluatoris vita viderent, quæ tam aspera, tam pauper, & humilis fuit; offenduntur, & scandalum, quod non ignoras, patiuntur.

Psal. 118.

M A G. Quantum interest, frater mi, inter iudicium hominum spiritualium, & carnalium: quàm iure dixit Apostolus, quòd homo animalis non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.

1. Cor. 2.

Hoc dico, quòd licet Christus formosissimus sit in omnibus suis actionibus, non minùs talis in hac est, quæ oculis carnis obscura, & deformis videtur. Formosum inquam, quòd vera pulchritudo in spiritalibus rebus est proportio, & conuenientia, quam inter se habent, & inter fines, & media quæ faciunt ad fines, ad quos ordinata sunt, quod ex ijs, quæ dicturus sum, facilè cernes.

Illud autem in hac re tibi sciendum est, q; prima radix, & primus omnium peccatorum, quæ in mundo committuntur, fons, est sui ipsius inordinatus amor. Hic enim ille est, (vt inquit S. Augustinus) qui Babyloniæ ciuitatē ædificauit, quæ est filiorum confusionis, & perditionis cœtus. Ex hoc enim improbo amore alij tres oriuntur amores, qui omnium malorum, quæ in terris sunt, causa sunt, inordinatus scilicet amor honoris, diuitiarum, & voluptatum. Quàm multa genera malorum, quanta bella, quàm multa exilia, discordias, odia, inuidias in terris genuit hic honoris amor, cùm à recta via declinat? Quid autem de extrema diuitiarum cupiditate dicam, quam Apostolus inquit omnium malorum esse radicem? Et quid de appetitu voluptatū dicam? Quàm multas iniurias, & adulteria, & incōmoda, & immensas impensas efficit? Cur sigillatim hæc enumero mala, cùm omnem vitiorū turbam, & omnia insenta peccatorum, ac scelerum peruersorum hominum, ab his tribus pestiferis radicibus oriri scias? Hoc igitur cùm ita sit, cùm ad illud maximè Saluatoris consilium spectaret, vt de mundo peccata in exilium eijceret, (vt omnis scriptura testatur) quid illi faciendum erat, nisi horum omnium malorum radicem, suæ ipsius personæ exemplo, & auctoritate cōuellere? Propter hanc igitur causam paupertatem delegit, vt de mundo cupiditatem depelleret; humilitatem, vt nostram superbiam confunderet; vitam asperam, & laboriosam, vt nostrorum commodorum, & voluptatum importunitatem damnaret. Quod aliud consilium, quod vitæ genus ad hunc finem melius excogitari poterat? 1. Tim. 6.

At vlteriùs res progreditur: quia nō solùm id ad hos tres improbos amores extinguendos, & ad omnium peccatorum radices extirpandas, conducit, sed etiam vt ad omnium virtutum fastigium peruenire possimus, & hac ratione felicitatem, & beatitudinem assequamur, quæ in hac vita obtineri minimè potest. Illud enim manifestum est, quòd nostræ felicitatis centrū, vbi perfectè anima nostra conquiescit, Deus est. Illud etiam compertum est, quòd ea, quæ sunt illi impedimento, quo minùs illuc peruenire possit, sunt affectuum huius vitæ catenæ, id est, hi tres improbi amores, quos diximus, qui eam captiuam detinent, neque ad altum ascendere permittunt, (vbi illius felicitas est) quòd semper eam retrahunt, & in terram deprimūt. Sed si illa liberam ab hisce perturbationibus se videret, nihil esset, quod eam detineret, & illi impedimento esset, quo minùs ascenderet.

Quemadmodum enim lapidi suspenso si ea remoueres, quæ ibi illū continent, statim per se caderet, & ad imum descenderet, qui illius naturalis locus est; sic etiam (cùm Deus sit, vt diximus, nostrārum animarum centrum, & vltimus finis, quæ affectuum, & rerum terrestrium curarum captiuæ sunt) his remotis, statim anima vt spiritalis substantia, ad Dei imaginem facta, ad illum, tanquam ad suum centrum, & vltimum finem properaret, in quo perfecta, & vera quies, integra'q; pax reperitur: licet nemo id sine diuinæ gratiæ auxilio facere possit. Hoc igitur ita se habente, quod aliud vitæ genus ille Dominus eligere debebat, qui ad homines sanctificandos, & beatos efficiendos veniebat, nisi hāc, quam diximus, pauperem vitam, humilem, & laboriosam; vt in illa perfectionis, & veræ felicitatis amatores viderent, quòd per hanc angustam viam ambulare debent, per quam Saluator ambulauit, humilitatem

tem amando, paupertaté desiderando,& molestias complectendo,sine quibus ad perfectionis fastigiū nemo peruenire potest? ita vt hę tres virtutes, præterquam quòd sunt vitiorū eradicatio, sunt etiā tres firmissimæ columnæ, super quas tota virtutum fabricatio collocatur. In quo miserorum errorem cernes, qui Messiam expectant diui.iarum plenum,& voluptatum, vt Salomon fuit, & propter hanc causam in Christum pauperem,& humilem, & laboriosum credere no'ūt.Ego verò contrà dico,quòd si non venisset ita,illi non crederent; quòd non eo modo venisset, quo decebat, vt ad finem conduceret,quem sibi proposuit; quod erat,cùm sua doctrina sanctitatis,& felicitatis viam,tum magis exemplo tradere: quæ felicitas est,quam prædiximus.In quo cernitur, quàm illi cæci sint, qui contraria credunt,cùm dignitatem,& præstātiam spiritalium bonorum ignorent,& bonorum temporaliū specie nutriri sperent.

Hic de Christi Domini nostri paupertate præcipuè agitur.

SED quia superius de Saluatoris humilitate egimus,hîc de eiusdem paupertate,& sanctissimæ vitæ asperitate aliquantulum loqui constitui. Et quod hîc dicere possum, est confiteri, quòd mihi lachrymæ mouentur,cùm tantam video ruditatem, vt est corporum Saluatorem expectare,& datorem bonorum temporalium, cùm hæc tam vilia sint, vt bonorum nomine vix digna sint: & spiritalia bona negligere, quæ diuina bona sunt,& eò corporis bonis præstantiora, quò est anima corpore nobilior. In hoc autem illud video,quod Philosophi inquiunt,omnes suam felicitatem, suo desiderio metiri. Et ita infirmus bonam valetudinem felicitatem existimat, ambitiosus honorem, Dux victoriam, auarus pecuniam. Ex hoc autem affectu tam inordinato efficitur,vt is nullum alium Deum esse existimet,nisi pecuniam,neque Saluatorem expetat,nisi,vt illi hanc sitim extinguat,& nummis impleat.Quid aliud est aurum,vel argentū,(nisi in bonorū manus perueniat) nisi venenū,& multorum peccatorum materies? Nónne id Poeta gentilis, & valde profanus, intellexit? cùm dixerit, Iamq; nocens ferrū, ferroq; nocentius aurum,Prodierat. Et addit præterea, quòd metalli cupiditate, ad penetralia terræ peruenerunt,diuitias quærentes, quas natura occultauit,vt inferorum vmbras,quæ (ipse inquit) sunt omnium malorum esca,& nutrimentum. Quòd autem id verum sit, cernitur in detrimētis, quæ omnes Resp.ceperunt, ad quas ipsæ peruenerunt. Lacedæmoniorum Respub. satis celebris fuit, cum qua Ionathas summus sacerdos se sociauit, vt cum illa (vt
1.Mac. 11. in Machabæorum libro scribitur) se tueretur, quę cùm diu in Græcia floruerit,tam pacis, quàm belli artibus,tandem cecidit,vbi eò peruenerunt ciues,vt diuitias magni facerent.Quid autem de Romana Repub.dicam,quæ tam diu toti terrarū orbi dominata est? Nónne omnes historiæ scribunt,quòd secūdæ res,& diuitiarum copia Romam omnia vitia attulit? Nónne inquit Titus Liuius eò scelerum Romanos peruenisse, vt neque ipsi sua ipsorum vitia ferre possent,neq; illorum remediū? Nónne scribit Salustius idē in proœmio suæ historiæ de Catilinæ coniuratione? Satyricus autem Poeta, vbi in Satyra sexta abominandas turpitudines vitiorum Romanorum retulit, quærit, vnde tam monstrosa vitia emanarunt; & concludit tandem,nullum vitiorū genus Romæ defuisse, vbi pristina paupertas desijt. Quod maius argumētum quærimus,

rimus, vt diuitiarum periculum cernamus, quàm hoc? Vt nos bonis tam periculosis repleret, debebat in mundum Messias venire? Ad felicitatem autem, quæ hîc in terris haberi potest, inquit Aristoteles, mediocris horum bonorum possessio magis conducit, quàm ingens copia. Quod & Salomon confirmat, cum Deo his verbis loquens: *Duo rogaui te, ne deneges mihi antequã moriar. Vanitatem, & verba mendacia fac longè à me. Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria.* Prou 30. Hoc igitur cùm ita se habeat, debebátne venire Christus, vt illud daret, quod Spiritus sanctus huius tam magni sapientis ore, tanquã periculosum repellit? Confiteor diuitias ad bonum & malũ esse indifferentes: sed cùm homines plerunque sint ad malũ propensiores, quàm ad bonum, inde fit, vt diuitiæ illis sint multorũ malorum causæ, præsertim superbiæ, arrogantiæ, ambitionis, sui ipsius æstimationis, alterius vilipensionis, Dei obliuionis, fidendi magis sibi, quàm Deo; maiorũ deliciarũ, & cõmoditatũ suæ carnis, inhumanitatis in miseros, cùm calamitates non sint experti, vt illi, (de quibus inquit Propheta) *qui bibebant vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Amos 6. Quis autem verba inueniret, quibus crudelitates, proditiones, furta, & fratrum, & parentum offensiones, & mortes, quæ à pecuniæ cupiditate proficiscuntur, enumerari possent? Vnde celebris poeta Virgilius iure optimo clamauit, dicens: Auri sacra fames, quid non mortalia pectora cogis? Et hanc famẽ sacrã vocat, vt doceat, hominibus ab ea declinandum esse, sicut sacra cõtingere verentur. Ecclesiasticus autem, quibus in periculis versentur diuitijs affluentes, his verbis declarat: *Beatus homo qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus inuentus est. Qui potuit transgredi, & non est transgressus: & facere mala, & non fecit.* Eccli. 31. Hæc verba docent, quæ pericula secum diuitiæ trahãt. Vnde multi Philosophi, sine fidei lumine, damna, & impedimenta, quæ cum diuitijs coniuncta sunt, intellexerunt, & ob id eas aspernati sunt. Nostrorum autem Philosophorum nullum exemplum adduco; quòd manifestum est, quòd sancti viri omnes mundi diuitias priùs renũtiabant vnà cum omnibus illarum curis, quæ illas necessariò consequuntur, vt hoc onere liberi faciliùs omnes suas curas, & cogitationes in Deum conferrent. Quod ita est illis necessarium, qui ad perfectionem aspirant, vt dixerit Saluator: *Omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Luc. 14. Quod ita verum est, vt (quemadmodùm scribit Philo nobilissimus Hebræorum auctor, de quo hic sæpe mentionem fecimus) illius nationis fideles, qui crediderant, & sanctissimam vitam agebant apud Alexandriam, primùm omnes diuitias à se remouerent, & bona, quæ ad tempus sunt, vt vnà solicitudines, & curas illorum procùl amouerent, vt his laqueis & compedibus liberi, liberiùs suis cogitationibus, & desiderijs in sublime euolare possent. Idem fecerunt fideles eiusdẽ gentis, qui in Hierusalem crediderant; qui omnes suas possessiones vendebant, & illorum pretium ad discipulorum pedes ponebant, vt pauperibus distribuerent. Actor. 4. Quamobrem, quàm alieni erant hi omnes à Messiæ desiderio, vt eos diuites faceret, cùm ipsi se sua sponte omnium diuitiarum possessione spoliarent, vt penitus ad perfectionis studium se conferrent?

Cui

Quis igitur non videbit (hoc saltem exemplo) quanta sit illorum cæcitas, qui Messiam terrestrem, & temporalem sperant? Quænam bona illa sunt, quę tanquam impedimenta, & onera, quo minùs vitæ perfectionem assequi possimus, despicienda sunt? Quod autem est illorum hominum iudicium, qui Messiæ aduentum expectant, & expetunt, vt huiusmodi impedimentis, & molestijs eos impleat? Quomodo Deus à mundi initio, & per omnes sequentes ætates per tam multos Prophetas cepit hunc Saluatorem promittere, idq; tanto verborum splendore, tanta gratiarum, & mercedum celebratione, quas mundo is tributurus erat, mõtes, colles, arbores, & flumina, & maria, & tandem omnes creaturas inuocãdo, (vt in Psalmo 97. videre licet) vt omnes gauderent, & Deo laudes canerent, & huius noui Regis aduentu plauderent; si illius aduentus ad id solum erat, vt nos illis bonis impleret, quæ cum vita desinunt, & sæpe eandem vitam corrumpunt? Quid opus erat tam multis verbis & promissis, in tam parua re? Quòd si confitemur Messiam fuisse verum Dei filium, cur tam alta persona de cælo in terras, humana carne indutus, propter rem tam parui momenti descendere debebat?

O gens cæca, & miserabilis, quæ nulla alia bona æstimat, nisi illa, quę oculis carnis videntur. Quòd si hic tantus Dominus veniebat ad efficiendũ mundum diuitem, & illius terminos producendos; quæ diuitiæ gratiæ bonis, & gloriæ maiores sunt, vt illis nos bonos efficiat in vita præsenti, & his in futura beatos?

Hæc igitur sunt huiusmodi Saluatore digna bona, & huiusmodi sponsoris liberalitate digna, & illis magnificis verbis & promissionibus, quibus prædicata, & prædicta fuerunt. Quare nõ in minori versantur errore illi, qui temporalem Messiam expectant, quàm Mahometani, qui ad Paradisum voluptatibus corporis refertum aspirant. Propter hanc causam non minùs Hebræorum Messiam, quàm Mahometanorum Paradisum, cùm vtrunque tam vile sit, respuere, & contemnere debemus.

Præter ea, quæ dicta sunt, qui temporalem Messiam expectant, qui magna potentia, & armorum viribus mundum expugnaturus sit, sic illum offendũt, vt sine multo timore, & verecundia id referre non possim. Hi enim (quod ad se) hunc maximum Dominum falsi prophetæ Mahometi similem faciunt. Hic enim peruersus homo in suo Alcorano cap. ensis, inquit, se missum esse à Deo ad illam legem promulgandam per totum terrarum orbem, non miraculis, & rationibus, sed armis. Vbi apparet, quòd qui Messiam temporalem expectant, & belligerantem, hunc Dominum huius scelerati hominis, & humani sanguinis effusoris, similem faciunt. Et hoc modo vltimum versum Psalmi 109. exponunt, qui inquit: *De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput.* Quòd scilicet tanta esset hominum cædes, qui in illius prælijs caderent, vt riui humano currerent sanguine, & ex his torrẽtibus biberẽt: significantes quãtam animi voluptatem perciperet, cùm tam multum sanguinem effusum videret. O Messias sanguinolentus, & lanius: ô homo omni humanitate, quæ tam humanæ naturæ propria est, destitutus. Gentilium historici duo magna prodigia narrãt, quæ in terris fuerunt: alterũ fuit crudelis Annibal, qui cùm fossam humani sanguinis plenam videret, quem ipse in prælio effuderat, tantam inde cepit voluptatem, vt diceret: O pulchrũ spectaculum. Alterum

fuit

fuit Valesius Asiæ Proconsul, qui cùm vno die quadringentos iugulandos iussisset, dixit: O rem regiam. Nunc autem scire velim non modò ab hominibus, verùm etiam ab insensibilibus rebus, quid turpius, quid crudelius illi Domino tribui possit, quem Isaias Agnum vocat, & Daniel sanctorum Sanctum? Quid magis à vera sanctitate alienum, quàm tanta crudelitas? cùm scriptura dicat sanctorum proprium esse, vel beluarum misereri? Isa. 53. Prou. 12.

Quàm est veri Messiæ maior gloria, plenum misericordiæ potiùs ad salutem, quàm irę ad hominum perniciem venire? Quare credimus & confitemur, primum huius Domini aduentum misericordiæ esse plenum, vt peccatores redimat: vt secundus erit iustitiæ plenus, vt rebelles puniat. Quod declarauit Dominus non solùm tam multis misericordiæ operibus, quæ fecit, dum in terris versatus est, curandis omnibus infirmis, dæmoniacis sanandis, & præsertim cùm per Samariam transiret, vbi neque illum accipere, neque necessaria ad victum præbere voluerunt. Quare discipuli ægrè ferentes, dixerunt: *Domine vis dicamus, vt ignis de cælo descendat, & illos* tam inhumanos *consumat?* Quibus mansuetissimus Agnus respondit: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Lucæ 9.

CAT. Huius veritatis rationibus sic sum adductus, ad ea, quæ dixisti, credenda, vt de meipso mirer, quomodo fieri potuerit, vt eo tẽpore crediderim res tam illius Regis bonitati, & sanctitati contrarias. Scire autẽ peruelim, vnde ille tam manifestus error processerit, quòd cùm spiritualia bona sint longè omnibus alijs præstantiora, & diuiniora, Messiam bellicosum expectent, & qui eos his bonis ad tempus diuites reddat, quæ & bonis, & malis sunt communia, quæq; plerunque sunt causa illorum malorum, quæ hìc numerasti. Quod & Ecclesiasticus sensit, qui dixit: *Fili, ne in multis sint actus tui; & si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Et id dicit, non quòd diuitiæ natura sua secum peccatum coniunctum habeant; sed quòd sæpe quidem illæ peccati materies, & occasiones sunt. Quamobrem inquit Apostolus, quòd qui cupiebant diuites euadere, in tentationes cadebant, inque inimici laqueos, qui homines ad mortem & perditionem perducerent, cùm omnium malorum cupiditas radix sit. Eccli. 11. 1. Tim. 6.

MAG. Iam initio dixi, quòd cùm homines sint valde propensi bonis (si bona dici possunt) sensibus subiectis, & alia præstantiora non sint experti, quæ sunt spiritalia, & diuina, tanti hæc faciunt. Et quia numi sunt media, vt hæc bona consequantur, quoniam (vt Sapiens inquit) omnia numis obediunt; inde fit, vt homines ita numis dediti sint, vt eos tanquam Deos colãt. Vnde auaritiam dixit Apostolus simulachrorum esse seruitutem. Colos. 3.

Hic error etiam ex eo proficiscitur, quòd sanctæ scripturę peruersè intelliguntur: quia in illis duo Saluatoris aduentus nuntiantur in mundum; alter magna cum gloria, cùm ad iudicandum mundum venerit; alter magna cum humilitate, qui fuit, cùm ad illum redimendum venit. Sed homines carnales ita scripturas detorquent, vt quod ad secundum pertinet aduentum, primo tribuant; & propter hanc causam tanquam terrarum Monarcham, Messiam expectant.

Errandi etiam occasionem ex Prophetarum sermonibus capiunt, qui vt plurimum ex rebus corporeis spiritalium rerum præstantiam exponunt,

vt rerum, quas videmus, dignitate & præstantia, earum dignitatem & præstantiam, quas non videmus, cognoscere possimus. Quod in Prophetarum scriptis passim cernitur. Propter hanc causam cùm velint ipsi gratię diuitias, & inæstimabiles thesauros ostẽdere, quos hominibus Dominus daturus erat, & illius Ecclesiæ altitudinem, & pulchritudinem, & illius ducum, & militum fortitudinem, (qui sancti Martyres fuerunt, qui eam defenderunt) & gloriam qua de mundi principibus, & Monarchis triumphaturus erat, idolis deijciendis, & pessundandis, nunquam quiescendo, quoad regiũ sanctæ Crucis vexillum super illorum altaria collocarent, & ad hæc omnia tenebrarum principis depulsionem, qui in toto terrarum orbe dominabatur: cùm hæc omnia prophetizant, similitudinibus magnarum rerum ea vestiunt, vt hac ratione, harum rerum maiestatem, & amplitudinem cognoscamus.

Psal. 44. Hoc pacto Dauid, cum hoc Domino loquens, inquit: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè.* Vbi pro gladio sui spiritus virtus, & fortitudo intelligitur, qua hic Rex mundum expugnauit. Et de eodem gladio loquitur
Isa. 27. Isaias inquiens: *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum qui in mari est.* His autem tam illustribus metaphoris Christi victoriam aduersus diabolum huius mundi principem Propheta declarat, qui ab illo foras eiectus fuit. Et vt amplius huius potentiæ magnitudinẽ declararet, ad eundem Regem Propheta suum sermonem conuertit, inquiens: *Consurge, con-*
Isa. 51. *surge, induere fortitudinem brachium Domini consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus seculorum, nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?*

Quàm magnum fuerit hoc prælium, & quàm hæc victoria admirabilis, non reperiuntur verba, quibus id explicari possit. Manifestũ enim est, quòd ab initio mundi vsque adhuc nullum vnquam fuit prælium magis cruentũ, maiori contentione, maiori obstinatione, & vbi plus Martyrum sanguis est fusus, quàm in hoc: quia licet Antichristi persecutio sit futura valde magna;
Matt. 24. tamen (vt Saluator inquit) parũ duratura est; & vnus solus Antichristus futurus est: at hæc decem Antichristorum fuit (id est, decem Imperatorũ Romanorum Christi inimicorum, & persecutorum, per decem cornua significatorum, quæ S. Ioannes vidit in illius cruenti serpentis capite) qui tum igne, tũ sanguine, & sexcentis tormentorum generibus, amplius quàm 200. annos Ecclesiam persecuti sunt; & tandem Rex noster, & dux ex omnibus ijs prælijs victoriam deportauit, omnia templa dæmoniorum & altaria deijciens, & sibi Romanum Imperium subijciens, Constantino illo Magno Imperatore, qui summa veneratione Christum adorauit, & verum Deum, & Dominum confessus est, & illius templa, & sacerdotes maxima humilitate, & deuotione honorauit. Cùm autem Prophetæ Spiritus sancti pleni horum præliorum magnitudinem viderent, & huius tanti triumphi gloriam, & potentiam, his metaphoris belli, ducum, victoriarum, de Christi, & illius Euangelij inimicis, & persecutionibus loquebantur; nulla enim alia inueniebant illustriora verba, quibus dignè tantas res significarent: licet satis probè scirent, hæc verba non satis esse, quibus tantæ res exponerentur, omniaque mundi certamina tanquam culicum morsus erant, si cum his conferantur.

Ex his

Ex his igitur verbis,& alijs huiusmodi(quibus Prophetæ noui Regis potentiam,& victoriam aduersus omnem inferni, & mundi potentiam, qui Euangelio aduersati sunt, celebrant) homines occasionem sumpserunt credendi, fore,vt Rex Messias esset Rex potentissimus, vt illi Imperatores, de quibus antea diximus. Sed his omnibus rationibus præstat Zachariæ prophetia, qui cap.9 apertè inquit fore,vt hic nouus Rex nō sit,vt alij reges prophani huius mundi,neq; triumphalibus curribus ducendus sit:sed fore, vt sit pauper,& in suum regnum super asina cum eius pullo ingrediatur. Et ne existimaremus,eum fore non potentem,quòd pauper esset, subdit præterea, illius potētiam fore à mari ad mare,& à fluminibus vsque ad terminos terræ.Quare cùm tam apertum huius Prophetæ testimoniū habeamus, nullus est disputandi locus, sed illorum cæcitatis deplorandæ, quæ à tam aperto testimonio non conuincitur. Hoc Zachariæ testimonium lumen est, quod nobis Spiritus sanctus parauit, vt omnes metaphoras, & similitudines corporalium rerum, intelligamus, quibus Prophetæ nobis declarant magnitudinem horum operum, quæ in terris Saluator facturus erat. Nam posito hoc, quòd futurus esset pauper,(vt apertè hic Propheta testatur) nulla ratio est,qua illius regnū corporaliter,sed spiritualiter intelligamus. Quòd si aliter, videamus quando in Psalmo 44 (qui totus de hoc nouo Rege loquitur) inquit: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato,circundata varietate.* quis dixerit hoc ad literam intelligi, vt scilicet verba sonant? sed ex hoc ornatu corporali virtutum spiritalium ornamenta intelligit,quibus Ecclesia(quam hîc reginam vocat) huius summi regis, & Domini oculis grata est. Quod explicare non desinit Spiritus sanctus,cùm paulò inferiùs se ipse explicet,inquiens: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus,in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Quibus in verbis apertè significat, quòd hic de corporis ornatu non loquitur,sed de spiritali, quo anima interius adornata est, & charitate munita, (quæ per aurum intelligitur) & varijs coloribus,id est,omnium virtutum varietate. Hæc satis, vt veri Messiæ conditiones intelligantur.

CAT. Nihil est amplius, quod in hoc articulo dubitem. Sed quoniam sui ipsius,& corporis sui commodorum amatores, non minùs offenduntur vitæ Christi asperitate, quàm paupertate; de hac quoque tractes vellem, ne quid mundi prudentiæ sit reliquum,in quo offendatur.

DIALOGVS SEXTVS, IN QVO DE Christi Saluatoris vitæ asperitate, & laboribus agitur.

MAGISTER.

IN tertia huius scripturæ parte de hac re fusiùs tractatur. Sed vt tibi morem geram, & quod cupis tibi tradam, hîc etiam aliquid de hac re dicturus sum. Materia enim tam fœcunda est, vt licet sæpe tractetur, aliquid tamen noui quod dicatur semper reliquum sit. Vt autem hoc intelligatur, tanquam fundamento, illa regula & communi Philosophorum sententia vtemur; quòd, mediorum conuenientia, ex propor-

Digitized by Google

tione, quam cum fine, ad quem ordinantur, habent, intelligitur. Finium autem, ad quos Saluator in mundum venit, præcipuus fuit, vt homines sanctificaret, & vt in mundo plantaret (vt inquit Apostolus) populum Deo acceptum, qui bona opera sequeretur, id est, omnium virtutum & sanctitatis amator esset.
Tit. 2.

Hæc autem virtus, quæ in statu innocentiæ (in quo humana natura munda, & pura fuit) facilis erat, & suauis, vbi illa corrupta fuit, & acetosa propter peccatum, & multis difficultatibus obnoxia facta est. Hoc illis compertũ erit, qui communem humani generis morbum, qui nobis propter peccatum obtigit, intellexerint. Qui ita ad omnes tam carnis, quàm animæ partes peruasit, vt nihil sanum in illa reliquerit. Id autem satis apertè nobis ostẽdit ille sanctus Iob in fimi cumulo sedens, quem diabolus ita à pedis planta vsque ad caput vulnerauit, vt nihil sanum in illo esset. Talis autem remansit infelix homo propter peccatum, in quo nihil à corruptione liberum fuit. Vis hoc videre? Singulos hominis sensus consideremus, & singulas illius partes, & in appetitibus, & propensionibus, quas habent, & morbos videbis, quibus laborant. Oculi ea videre cupiunt, quæ sæpe illis mortem afferunt. Aures res voluptuosas, & inanes, & historias de aliorum gestis audire expetunt; sed cùm honestas, & graues audiunt, molestia afficiuntur. Lingua vult loqui, & proferre quidquid in corde abundat, & disrumperetur nonnunquam, nisi quidquid scit effutiret: contrà verò illi molestissimum est silentium, & verba habenis continere. Quid de palato dicam? quàm est suauibus, & pretiosis cibis amicum? Caro verò vestem mollem, pulchram, & pretiosam tantummodò vult; huiusmodi vult lectum, & domum, & cætera omnia:
Iob 1.

Iam corpus missum faciamus, & ad animam accedamus. Imaginatio (quę est vna ex illius potentijs) est vt terra, quæ coli potest. Hâc enim dicunt summa voluptate affici, cùm ei quidquid vult ferre permittitur, carduos scilicet, & spinas; & labore opprimi dicitur, cùm ferre cogitur triticum, aut aliud huiusmodi. Idem etiam in suo genere in nostra imaginatione est. Hic morbus est in inferiori nostræ animæ parte. Pars verò superior, quæ tota spiritalis est, (in qua intellectus est, & voluntas) quid tibi esse videtur? Animaduerte mortalium deceptiones, in hæresum infinitate, & sectarum Philosophorum diuersitate, quæ inter se contrariæ sunt, & videbis, quàm cæcus intellectus noster remanserit in veritatis cognitione, vt Philosophorum sectæ fuerint, qui dixerint Veritatem in puteo esse demersam, & neminem eam inde extrahere posse, licet & in hoc fallerentur, vt in reliquis. Cuiusmodi autem erit voluntas, quæ talem ducem sequitur? Quid à cæco alium cæcũ ducente speratur, nisi vt ambo in foueam cadant?

Appetitus autẽ sensitiuus (qui residet in corde) magis, quàm cæteræ animæ partes percussus est, & malè affectus. Ibi enim sui ipsius amor inest, qui cùm à recta via declinat, est omnium malorum initium. Ex eo nascitur inordinatus honoris, & diuitiarum, & voluptatum amor, vnà cum cæteris animi perturbationibus, quæ cum eo sunt, vt est ira, odium, inuidia, timor, audacia, diffidentia, & cætera huiusmodi; quæ cùm inordinata sunt, crudeles tyranni, qui nos opprimunt, catenæ, quæ nos ligant, carnifices, qui nos torquent, fiũt. Nostrarum animarum pacem perturbant, nostras consciẽtias affligunt, nos da

cælo in terram deturbant, spiritales exercitationes insuaues reddunt, nostram cogitationem à Deo alienant, nostræ salutis curę impedimento sunt, & sæpe efficiunt, vt tanquam Deum, honorem, pecuniam, ventrem colamus, cùm inordinato harum rerum amore nostrũ Saluatorem offendere non dubitamus.

Cùm igitur sint tam multi animę nostrę morbi, tanta contradictio, & repulsa, quam in nobis virtus habet; quidnam erit vita perfecta, quæ contra omnem hunc inimicorum exercitum pugnare debet acriter, neque permittere, vt eum suis voluptatibus, & appetitibus victoriam deportent? quid erit, nisi perpetua militia, (vt inquit Iob) bellum magis, quàm ciuile, perpetua spiritus cum carne pugna, crux, & generalis omnium appetituum, & sensuũ mortificatio, cuiusmodi illorum est, de quibus Apostolus inquit: Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Quod, inquit S. Bernardus, est martyrij genus mollius, quàm quod ense nostra membra ferit; molestius autem, quòd per totam vitam durat. Iob 7. Galat. 5.

Cùm igitur tam multæ sint contradictiones, quas virtutis perfectio in nobis habet, & carnis propensiones tantum possint, & sui ipsius amor vnà cum omnibus perturbationibus, quę ab illo proficiscuntur; quanta industria, quanta diligentia, quanta fortitudo opus erit, vt his inimicis repugnemus, & hos tam furiosos affectus & effrenos domare possimus? Hæc cura est, in qua sancti viri inuigilabãt, & insudabant. Quod non tacuit Ecclesiasticus, cùm dixit: *Vigilia honestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius aufert somnum.* Propter hanc causam Sancti viriliter à se omnem negligentiam & inertiam depellebant, & se fortitudine, & diligentia muniebant, vt his familiaribus, & domesticis inimicis aduersarentur. Eccli 31.

Hoc Salomon perfectissimè intellexit, & vidit, quòd quemadmodum in humanis rebus negotia pereunt negligentia; & labore, & diligentia conseruantur: sic & in perfectionis via, inertia, & desidia omnia concidunt; contrà verò vigilantia, & labore improbo, omnia parantur. Sic autem ille inquit: *Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat.* Quam sententiam penè in omnibus suorum Prouerbiorum capitibus repetit, licet diuersis verbis: quippe quæ ad nostram vitam vtilissima sit. Prou. 10.

Et quoniam non solùm tanti sapientis auctoritas, sed etiam ratio idem declarat, illud recordare, proprium esse virtutis, difficultatem annexam habere. Ex quo qui sibi virtutem comparandam censet, (præsertim si vult in ea consummatus esse) debet se quadam generali fortitudine roborare, vt hanc difficultatem superet, qua qui caret (vt desides, & molles carent) ij virtutem desperent necesse est. Hoc enim muro circũdata est, & qui eam assequi vult, murum priùs diruat opus est. Hoc satis probè Philosophi intellexerunt, & ita dixerunt: Virtutem posuêre Dei sudore parandam. Vera enim, & Christiana virtus re ipsa Dei donum est: sed vult Deus, vt homo de suo laborem, & fortitudinem ad illam comparandam impendat.

Hoc autem fortitudinis genus vbi inuenitur? Quis illã adipiscetur? Idem Salomon, qui toties nos ad illam hortatur, inquit: *Mulierem fortem quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus pretium eius.* Quod autem pretium hoc est? Hic est Dei amor, & propter eundem Deum laboris amor. Qui enim eò peruenit, laboris timore à virtute nõ abhorrebit. Hoc pretium Christus Dominus noster Prou. 31.

ster illi declarauit, qui Euangelicam perfectionem tantopere prosecutus est, id est, S. Francisco, inquiens. Francisce, amara suauia existima; te neglige, si me cognoscere vis. Hoc autem pretium vbi inuenietur? quis in felle mel inueniet? suauitatem in amaritudine? quietem in labore? solamen in afflictione? cùm nostræ carnis natura huic rei aduersetur, & omnis suiipsius amoris vis, quæ plenis velis laborem fugit, & otium sectatur? Qui huc peruenit, post se naturam relinquit, iam eam pessundat, iam supra se eleuatus est, iam magis quàm homo est, cùm in se Deum habeat, cuius virtute aduersus hominem præualet.

Vt autem quæ dicta sunt ad nostrum propositum conuertamus, illud affirmo, quòd si Dei filius in mundum veniebat, vt virtutis, & vitæ Euangelicæ perfectionem in eo plantaret, & hæc est (vt inquit S. Bernardus) diuturnum
Lucæ 9. martyrium, & (vt idem Saluator inquit) vniuersalis sui ipsius abnegatio, & omnibus carnis appetitibus repugnantia, & sensibus omnibus, (vt hic expositum est) quo modo se gerere debebat ille, qui in terras veniebat, vt sui ipsius exemplo, & doctrina hoc vitæ genus plantaret, nisi laboribus comitatus, & tam multis persecutionibus, & doloribus, quàm multos in vita, & morte passus est, obnoxius? Viuere debebat vt alter Salomon, cantoribus & cantricibus circundatus, qui ad id veniebat, vt doceret nos, negligendas esse diuitias, delitias, inanes honores, & vt honestorum laborum studiosos efficeret? Quare si veniebat, vt esset Dux, præfectus, & exemplum Sanctorum omnium, speculum & archetypus omnium virtutum, (ex quo homines suas exscriberent) qua ratione alia illi veniendum erat, quàm venit? Propter hãc causam duobus di-
Lucæ 24. scipulis Emaus petentibus sic ille inquit: *O stulti, & tardicorde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Tanquam si diceret; Si pati, & studiosorum laborum amor, est ad suam gloriam aditus, quo modo ei viuendum, & moriendum erat, qui veniebat, vt nobis in hoc itinere opem ferret, nisi laboribus perpetiẽdis & complectendis? Sin aliter, huius Domini mandatum quam in me vim habuisset, si ille in delitijs & gaudijs vitam ducens, vt ego in laboribus versarer, mihi iussisset? De Iulio Cæsare omnium Imperatorum præstantissimo scribitur, nunquã suis militibus dixisse, Ite; sed, Eamus: neque, Laborate; sed, Laboremus. Quòd si boni Ducis id proprium est, quantò magis illius summi Ducis esse debet, qui nobis de cęlo venit, vt cum carne, & Dæmonio pugnaret?

CAT. Quanta est, Pręceptor mi, veritatis vis; quis nulla perturbatione impeditus erit mentis & rationis compos, quin cernat, quàm deceat id, quamque idoneum fuerit ad id, quod sibi proposuit Saluator? Huiusmodi enim exemplo, huiusmodi Duce, & Imperatore, vt fuit vnigenitus Dei filius, qui præcedit, quis eum non sequetur? quis desidia capietur? quis non conabitur id pro suæ animę salute, quod hic Dominus non pro sua, sed pro aliorũ salute fecit?

DIALOGVS SEPTIMVS, IN QVO DEclaratur, in Saluatoris morte non solùm non vituperium, sed maximam gloriam fuisse.

MAGI-

MAGISTER.



VM in Saluatoris humilitate, paupertate, & vitæ asperitate non solùm non vituperium, sed maximam gloriam, & ad suum finẽ conuenientiam fuisse, ostenderimus; nunc idem in illius sacra passione videamus, quod illud est, in quo maximè infideles offenduntur.

In quo pro fundamento capiemus, illud quod omnes confitentur, quodqúe infrà fusiùs declaratum est; id est, quòd dignitatem, aut indignitatem violentæ mortis non ex pœna, sed ex causa iudicemus. Quòd si causa in culpa est, (vt scelus est, propter quod punitur reus) illius vituperium duplex est, tam ob pœnam, quàm ob causam: sin causa laudabilis est, (vt eius, qui pro fide, pro castitate, pro fidelitate, aut pro alia huiusmodi causa mortem oppetit) in hoc mortis genere non solùm nullum dedecus est, sed quò mors crudelior, & turpior est, eò maiori laude, & gloria digna est. Sic inquit Plato, quòd qui pro patria suam vitam profundunt, non homines, sed heroes, id est, diuini homines habendi sunt.

Hoc igitur cùm ita se habeat, ab Isaia Propheta, quæ fuerit Saluatoris mortis causa, petamus; qui & multis verbis vnã sententiam respõdebit, inquiens: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum* Isa. 53. *quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostra super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit: posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Hîc cernis tam multis verbis Christi mortis causam expressam, non illius peccata, sed nostra scelera fuisse, qui tanquam oues perditę errabamus. Sed de illo statim subdit: *Eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.* Ex hac autem tam apertà prophetia huius Domini mortis causa colligitur. Mortuus est non pro sua patria solùm, sed pro vniuerso mundo, id est, pro omni humano genere, de paradiso in exilium eiecto, & morte damnato. Mortuus est pro salute, & redemptione omnium filiorum Adæ, si ipsi in suam vtilitatem remedium conuertere voluerint, quod iam ipse illis parauit. Mortuus est, vt suæ mortis sacrificio pro omnibus omnium peccatis satisfaceret. Quare sciendum est, quòd omnia capitalia peccata, quatenus Dei vilipendium secum coniunctum habẽt, & sanctorum illius mandatorum, in suo genere rationem peccati lęsę maiestatis habent. Propter hanc causam capitis, & sanguinis pœna coercenda sunt. Hac enim ratione capitalia dicuntur, quòd eis hæc pœna debetur. Cùm autem ille innocentissimus, & clementissimus Agnus, tam multorum peccatorum, & eadem misertus, quàm multæ propterea debebantur; is immensa sua bonitate huic pœnæ se offerre voluit, & hoc sanguinis debitũ soluere suo sanguine effundendo, qui cùm infiniti pretij esset, satis fuit, qui pro multis satisfaceret: quod ipse declarauit, cùm suum sanguinem consecrans dixit: *Hic est sanguis noui testamenti, qui effundetur in remissionem peccatorum.* Vt si dice- Luc. 22. ret, Vos sanguinis pœna damnati eratis diuinæ iustitiæ legibus: at hoc onus ego suscipere volo, vt pro vobis satisfaciam, (ne iustitiæ legibus derogetur) & meum sanguinem offerre pro eo, quem vos debebatis, & non debitam

mor-

mortem pati pro ea, quam vos debebatis.

Hoc modo igitur morte liberati fuimus, neque solùm æterna, verùm etiam quodammodo temporali. Nam (quatenus ad iustos attinet) ab ea maiorem amaritudinem remouit, quam habebat. Quare non solùm ab illis non timetur, sed desideratur; cùm illis sit pons, & scalę, per quas ad veram vitam ascendant. Propter hanc causam Sancti mortem in optatis, & vitam in patientia habere dicuntur. Et sic illorum mors in scripturis vocatur somnus. Vnde fit illud, quod inquit Apostolus: *Pro omnibus mortuus est Christus: vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Hoc pacto videmus, quòd si multi homines ęs alienum habent, (vt illi, qui quandam domum diripuerunt) si quis illorum illud æs alienum dissoluat, cæteri debent huic, qui pro omnibus soluit. Quis autem verbis assequi poterit illud, quod homines huic Domino debent, qui sua solùm bonitate, illam mortem, quam debebant omnes, pati voluit? Hoc exemplo illustremus, vt huius debiti magnitudo meliùs intelligatur. Sit aliquis in vinculis capite damnatus, & quidã illius summus amicus, qui tantum ex amici damnatione doleret, vt carcerem ingrederetur, & amici captiui habitum sibi indueret, & brachiorum vi illum foras eijceret, & is in carcere, vt mortis pœnam subiret, qua damnatus erat amicus, permaneret: nunc scire velim, quid amicus faceret, qui sic solutum se videret, & ab illo periculo liberum? Quas illi gratias ageret? quis nouus amor illi in corde excitaretur, cùm hoc opus tantę necessitudinis, tantæ fidelitatis, tantæ charitatis, & tantæ bonitatis in animo euolueret? Quid non pro filijs, & vxore tanti amici faceret, qui tanto pretio illum liberauit? Hoc autem, quod nullus vnquam amicus pro amico fecit, ille altissimus Dei filius, vt hominem à morte liberaret, quam debebat pati, fecit. Ab alto enim cæli in huius mundi carcerem descendit, & nostræ humanitatis vestem induit, & in hominis rei loco se collocauit, vt mortem pateretur, cuius ille damnatus erat. Hic desunt verba, vt hoc opus tantę bonitatis, & charitatis celebrem, & vt amoris, & gratiæ magnitudinem declarem, quam huic Redemptori debent homines propter modum, quo morbis nostris remedium adhibuit. Cùm autem hic ingenium deficiat, & verba desint, id pij lectoris deuotæ considerationi relinquatur.

2. Cor. 5

Vt autem ad rem reuertamur, quod argumentum est maioris bonitatis, & charitatis, & misericordiæ? Et quoniam in spiritalibus rebus bonum est altum, & gloriosum, & formosum, sequitur, hanc mortem, quæ ignominiosa videtur, (cognita causa) altiorem esse, gloriosiorem, formosiorem, quàm cętera omnia, quæ humanus intellectus capere potest. Id igitur cùm ita sit, quod vituperij genus videtur esse in morte, quam quis hac de causa patitur?

C A T. Manifestum est, quòd quò fuit hoc beneficium maius, & vniuersalius, eò est huius passionis gloria maior. quódque omnes Adæ filij tenentur huic Domino benedicere, eum glorificare, & amore confici, cùm tanto sui ipsius pretio tantum bonum comparauerit.

M A G. Satis mihi compertum est, hoc satis esse, vt intelligatur in Christi morte non solùm vituperium non fuisse, sed maximam gloriam. Ad superiora autem, ad huius mysterij maiorem gloriam, addere volo aliam passionis Saluatoris causam. quæ est, quòd non solùm passus est, vt debitis commis-

sorum

sorum peccatorum satisfaceret, verùm etiam, vt gratiam suæ passionis merito, & sacrificio compararet, vt iam illis liberi, in iustitiæ sanctitate, vt inquit Zacharias, coram Deo viueremus. Idem significauit Apostolus, cùm inquit, quòd cùm Christus crucifixus esset, noster vetus homo (id est, nostra caro, & appetitus noster sensualis) vnà cum illo crucifixus fuit: ne in posterum peccato seruiamus, neque illi subiecti simus. Hic aliam causam Saluatoris passionis vides, non minùs quàm superiorem gloriosam: illa enim fuit, vt peccatis commissis satisfieret, & hæc fuit, vt gratiam acquireremus, ne ampliùs committerentur. Illa preteriti rationem habuit, hęc in posterum prouidet: illa nostra debita soluit, hæc nouis meritis nos diuites reddit: illa peccatorum turpitudinem ab anima nostra abstergit, hæc virtutis gratia pulchram reddit. Lucæ 1. Rom. 6.

Hoc autem vt meliùs intelligatur, viginti infrà præcipui fructus arboris sanctæ Crucis expositi sunt, quos nūc non declaro, quòd in alium locum illos distuli, vbi fusiùs tractantur. Tu velim hos tanquam expressos habeas. Tibi sciendum est, quòd hi viginti fructus sunt totidem beneficia, quæ ex hoc summo beneficio emerserunt, &, vt apertiùs loquar, sunt viginti diuinæ gratiæ subsidia, & auxilia efficacissima, vt humanę naturæ morbi curentur, & vt homines perfecti, & consummati in virtute reddantur. At id argumentis comprobemus: quod exemplo illustrare volo satis accommodato, licet humili, si cum tanta re conferatur.

Cùm quis ostendere vult Theriacam, quam ipse confecit, esse perfectam, non verbis vtitur, sed ad experientiam se confert. Ob id vipera morderi, & tumidum fieri permittit: quo facto, medicinam sumit, & ea pristinam valetudinem recuperat; & hoc modo suę medicinę vim magis laudat, quàm si quęcunque verba adhiberi possunt, adhibuisset. Alia autem simili experientia, quàm fuerit passionis Saluatoris medicina efficax in communibus humani generis morbis curandis, quod ab illo antiquo serpente morsum, & infectum fuit, vt inquiunt Theologi, illius saliua, intelligimus. Videamus iam quomodo se haberet mundus ante hanc cęlestem medicinam. Scimus omnes, quòd in vno Iudææ angulo verus Deus adorabatur, & cognoscebatur, licet illic malè ei seruiretur. Cùm enim Sacerdotes, & Pharisæi, qui populi duces erant, ambitionis, inuidiæ, & auaritiæ perturbationibus cęci essent, tam ipsi, quàm qui ab illis ducebantur, in foueam ceciderunt. Reliquum autem totius terrarum orbis quonam modo se habebat? Quis autem id explicare poterit? In limo, & abysso turpitudinum omnium, omniumq; concupiscentiarum, malitiarum, carnisq; voluptatum, quas humanus intellectus excogitare potest, & sensuum appetitus expetere, immersus erat: qui sine freno per omnia vitia currebat; huiusmodi enim erant Dij ab hominibus culti, & huiusmodi virtutes ab illis percipiebant.

Vbi mundum in hoc infelicissimo statu consideraueris, ad mutationem factam post Christi passionem oculos conuertas velim. Quàm multi fortissimi Martyres? quàm multi sanctissimi Pontifices? quàm multi gloriosissimi Confessores? quàm multa Monachorum examina, qui per solitudines à cæteris hominibus segregati viuebant? nonnulli solitarij, alij in cœtibus? Quid de Virginum choris, & societatibus dicam, cùm in vna vrbe, apud Theben decem millia Monachorum fuerint, & viginti millia Virginum, vt in hoc

libro legisti? Vt autem id melius intelligas, tibi memoria repetendum est, quod in hoc libro de tertia Christi actione scripsimus, & de miro opere, quod fuit in reformatione, & sanctificatione multorum virorum, & sanctissimarum fœminarum, quæ in mundo illius gratię virtute surrecturæ erant. In hoc numero illorum Monachorum vitam, qui in AEgypti solitudinibus viuebant, & aliorum, qui in societatibus, & cœnobijs religiosissimam vitam agebant, posuimus. Vbi & sanctorum hominum, qui fuerunt in Italia, mentionem fecimus, quorum Vitas S. Gregorius in quatuor suorum Dialogorum libris scripsit; sic etiam aliorum mentionem fecimus Sanctorum, qui in Græcia vitam degebant magis quàm humanam, multorumque cœnobiorum castissimarum Virginum, quæ ad ducentas, & trecentas, aliàs plures, aliàs pauciores vnà viuebant: quę, vt diximus, solebant super storeas dormire, & eundem cibum comedere, manus in lana, & linguas in diuinis laudibus occupantes. Et sunt, inquit Theodoretus, innumerabilia cœnobia, non solùm in nostra regione, verùm etiam in omnibus Orientis locis, & Palæstina illorum plena est, AEgyptus, Persia, Pontus, & Cilicia, & Syria, & terra, quę inter duo flumina posita est, & illa mundi pars, quę Europa dicitur. Quod omne satis nobis reformationem, & mutationem morum declarat, quæ in tantis mundi partibus post Saluatoris aduentum fuit, non solùm in Iudææ angulo, sed in omnibus illis partibus, quas audiuisti. In quo videbis non solùm Crucis gloriam, sed etiam efficaciam & vim: cùm Deus, qui ante illam non cognoscebatur, nisi in vno Israelis populo, post Crucis mysterium, adoratus fuit, & in omnibus mundi nationibus cognitus, vt in Ecclesiasticis historijs scribitur. Quod autem maius argumentum, quod maius testimonium Crucis efficaciæ, & glorię, quàm tantorum bonorum in causa fuisse, & huius tam magnę mundi mutationis?

Dictorum confirmatio quodam singulari exemplo, & discursu.

AD maiorem igitur tuam consolationem exemplum hic proponere volo, quod satis accommodatum est, ad id intelligendum, quod tractamus, licet tale sit, & tam multa dicenda sint, vt plus temporis, & meliorem linguam, quàm meam, ad illud tractandum postularet. Huius rei summam breuiter attingam, & tu habebis quidem quod in animo euoluas, & ex quo consolationem percipias. Recordare igitur mirabilia, quæ Deus, vt patres vestros de terra AEgypti educeret, operatus est; quæ tam multa, & talia fuerunt, vt idem Deus, qui illorum auctor fuit, dixerit Moysi:
Exod. 34. *Signa faciam quæ nunquam visa sunt super terram, nec in vllis gentibus: vt cernat populus iste, in cuius es medio, opus Domini terribile quod facturus sum.* Quòd autem ita factum sit, videndum est: & primùm illas horribiles plagas, quibus Deus tyrannidem, & defectionem Pharaonis puniuit, missas facere volo; densissimas tenebras, aquas in sanguinem versas, grandinis tempestatem, locustas, quæ omnia consumpserunt, & in primis AEgypti primogenitorũ omnium mortem à maiori, vsque ad minorem. Hęc omnia omitto, vt maiora persequar. Dic mihi, quod miraculum fuit, mare aperiri, & tanquam murum vtrinque aquas stare, vt sexcenti homines inde sicco pede transirent, qui in illa societa-

societate erant, & deinde claudi, & in medio Pharaonem cum omnibus suis curribus opprimi, vt demersi morerentur illi, qui Hebræorum filios innocentes demergebant? Neque minus miraculum fuit Iordanis fluminis aquas aperiri, seque in aere ad eundem finem continere. Ita vtrunque Propheta admiratus inquit: *Quid est mare quòd fugisti: & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* Præterea quod miraculum fuit, hunc exercitum quadraginta annis sustentare illo suauissimo manna, & de petra efficere, vt aquæ emanarent, vt omnes biberent? Et ne toto hoc tempore, & in itinere tam longo, illorum pedes læderentur, neque illorum vestes attererentur? Et in primis, quòd eos duceret Deus nubis columna interdiu, & noctu ignis pariter columna, quoad in promissionis terram peruenerint? Exod. 14. Psal. 113. Exod. 16. Num. 20. Deut. 29.

Vbi verò in illam ingressi sunt, quod miraculum fuit, Hierichi muros corruisse solo Sacerdotum tubarum sono? Quod miraculum, illis cum hostibus pugnantibus, quòd Deus pro illis quoque pugnaret, de alto lapides deijciens, quibus illi occidebantur? Iosu. 6.

Quòd si hoc parum videtur, quis vnquam vidit, aut cui in mentem venit tantum miraculum, vt fuit Iosue Soli iubere, ne moueretur, vt plus temporis victoribus daretur, quo victoriam prosequerentur, vt per tres horas in eodem loco persisteret, & ei pareret? Videtúrne tibi iure dixisse Deus, se daturum esse signa nunquam antea visa? Iosu. 10.

Iam aliud mirabilius videamus, quod fuit Deum descendere, (id est, Angelum Dei personam repræsentantem) vt illis legem daret, & tanta maiestate, & splendore descendere, id est, tam multis tonitribus, & fulguribus, tantoque igni, vt vsque ad cælum arderet, & terribili tubę sono, qui paulatim crescebat, & audientium timorem adaugebat. Hoc modo Deus plena voce loqui cœpit omnibus audientibus, & illic legem dare secundùm quam ipsi viuerent. Ex quibus rebus omnibus tantus timor illis incussus fuit, tantusq; terror, vt procùl Moysi dixerint: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Quibus ille respondit: *Nolite timere: vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Hunc Dei aduentum idem Propheta celebrauit, populo dicens: *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo creauit Deus hominem super terram, à summo cælo vsque ad summum eius, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut vnquam cognitum est, vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, & vidisti.* Hîc vides, frater, miraculorum partem, quæ ille magnus, & potens Deus operatus est, vt suum populum liberaret, & fidelem, ac suis legibus obedientem redderet. Hîc philosopheris velim, & mihi dicas, quid populus, qui hæc omnia vidit, ex his colligere, & statuere debebat. Deut. 4. Exod. 20. Deut. 4.

CAT. Primum illud censeo, eum in fide satis confirmari debuisse, & in veri Dei cognitione, cùm tam multa miracula videret; vbi enim vnum solum ad id satis erat, quantò magis talia, & tam multa? Deinde æquum erat, vt Dominum, qui tam multa fecit, vt eum ex tam dura seruitute eriperet, & ei promissionis terram traderet, toto corde diligeret. Præterea consentaneum etiam erat, Deum tam magnum, tam potentem, tam terribilem, vt se in modo tradendæ legis, & multò magis in punitionibus, quibus eos post legem affecit, quotiescunque peccauerunt, timere, eique obedire. Nunquam enim

deliquit, quin illum maximis pœnis, vel morte afficeret. In quo videtur, illũ terrorem, qui in tradenda lege fuit, non fuisse minas solùm, vt eos perterrefaceret, sed vt exequeretur ea: vt reipsa patuit in peccati pœna, quo vituli ad-
Exod. 32. oratione se obstrinxerunt, & in sacrificio idoli Phogor, vbi vigintiquatuor
Num. 25. millia hominum interfecta sunt, & omnes populi primates Dei iussu suspensi fuerunt. Hoc ex omnibus, quæ dicta sunt, consequi mihi videtur.

MAG. Satis probè philosophatus es. Iam videamus, num hi homines, qui hæc omnia viderunt, hoc modo philosophati sunt. Hic mitto peccata ab illis dum in deserto erant commissa: illud tantùm referá, quod scriptura narrat,
Iosue 24. quod est, hanc fidem illis perdurasse, dum illi senes vixerunt, qui miracula viderant, quæ Deus pro illis fecerat; quibus defunctis, statim suum liberatorē, & verum Deum dereliquerunt, & se idololatriæ penitus tradiderunt, & vitijs omnibus, quæ illam comitantur. Propter quod peccatum Deus eos aliâs in Philisthæorum potestatem, aliâs Madianitarum, aliâs Ammonitarum tradidit, &c. Quibus cùm se oppressos cernerent, ad Deum se conuertebant, & ab eo auxiliũ petebant, & ipse sua magna misericordia eos liberabat. At illi cùm se liberos cernerent, & in pace, statim ad pristinam idololatriam se conuertebãt, quoad penitus Deum dereliquerunt, & aureos vitulos adorarunt, quos im-
3 Reg. 41. probus rex Hieroboam conflauit. Et ita eos multos annos Deus tulit, quoad tandem eos à se penitus detrusit, & eos terra, quam illis tradidit, priuauit, &
4. Reg. 1. in potestatem Assyriorum Regis tradidit: qui eos per omnes suas terras disseminauit, ita vt nunquam suo antiquo regno restituti sint: & in eodem peccato & tribus Iudæ perseuerauit, ob quod in Babyloniam captiua perducta fuit, & illorum ciuitas, & templum incensum & solo æquatum fuit.

CAT. Id omne ita se habet, vt dicis. Sed velim scire, ad quid has omnes historias narraueris.

Idem persequitur.

MAG. Vt hoc exemplo illud, quod paulò antè de Crucis potentia, & virtute dixi, apertè videas. In mũdum filius Dei venit, non illo quidem maiestatis strepitu, sed summa humilitate; non metu, sed facilitate; non terrore, sed mansuetudine; non tubæ sono, sed lenibus verbis; non iubendo hominibus ne ad montem accederent, sed eis inuitandis, vt ad se venirent; non Dei omnipotentis apparatu, & specie, sed filij fabri lignarij existimatione; non ignis flammis in monte splendens, sed in stabulo summa paupertate nascens; &, quod magis est, cùm populi deceptor, & seductor haberetur, & hoc nomine captus, verberatus, sputu & colaphis affectus, & tãdem inter latrones crucifixus, & minoris quàm Barrabas æstimatus. Hoc habitu, & tam humili apparatu, quid cum hominibus fecisse censes? O rem admirandam, ô miram virtutem, & potentiam Crucis: id ad finem perduxit, quod ille strepitus omnis perficere non potuit; perfecit illam tantam mutationem in mundo, quam antea diximus, & paulò pòst dicturi sumus; perfecit, vt tanta reformatio, & sanctitas in toto terrarum orbe efficeretur, vt innumerabiles virorum, & fœminarum cuiuscunque status societates, qui ante beluinam vitam agebant, suis falsis Dijs relictis, angelicam vitam viuere inciperent, vt antea expositum est.

Quiæ

Quis autem non apertè videbit, hoc tantum opus non sine Dei brachio, atque potentia perfici potuisse? Quòd si tam manifestum est nobis in omnibus sacris scripturis, sine Spiritus sancti auxilio & gratia sanctè viuere posse neminem; cùm tam perfectam sanctitatem in omnibus mũdi partibus videamus, cur huius sancti Spiritus virtutem, & assistentiam non cognoscimus?

Quid si ad dicta illud addiderimus, quòd hæc mundi mutatio toties à Prophetis prædicta est? Quid sæpius repetit, aut celebrat Isaias tam magnorum verborum splendore? Quàm præclarè id prophetauit Saluator, cùm dixit: *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras? Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ioan 12.

CAT. Non possum non adorare, & venerari illum Dominum, qui his diuinis verbis, & hac aperta prophetia, tantam lucem animabus nostris attulit. Quis tot annis ante tantam, vt hæc est, rem prophetizare potuit, præter Deum? Quis hoc in omnibus terrarum orbis partibus perficere potuit, præter Deum? Vt mea quidem sententia hic nostra fides duas fortissimas columnas habeat. Altera, est huius operis magnitudo, quæ vnius Dei propria est: altera est, tanto tempore antè tam apertè, & toties prædictum fuisse.

MAG. Satis probè philosophatus es: in quo quidem Spiritus sancti numine afflatus esse videris, cùm hæc ita intelligas. Et licet satis sit ad tuam ædificationem, quod dictum est, hac tamen similitudine id confirmatum volo. Sit aliquis præstans medicus (vt Galenus fuit) qui in alicuius ægroti curatione præstantioribus vteretur medicinis, quas ipse sciret, nullum illis profectũ faciens. Quòd si hic infirmum iam derelictum, ac deploratum, sine vlla medicina cõfestim incolumem videret, quid diceret? Hanc bonam valetudinem miraculo contigisse, & sola Dei virtute partam profectò diceret.

Iam ad rem redeamus. Ex dictis vidisti profectò ex altera parte, quot miracula, quot beneficia in vestrum populũ contulit Deus, vt illum ad se amandum alliceret, atque traheret; & quot minis, & pœnis eum affecit, vt ad obedientiam, & timorem illum deduceret; & vidisti, quàm parum hoc remedium illis profuerit: ex altera verò mutationem vides, quam mundus fecit sine illis strepitibus, sine illis punitionibus, atque terroribus. Quid igitur hinc colligi potest, nisi illud, quod iam dictum est, id est, hoc Dei dexteræ opus esse, nullumq; aliud brachium, nisi Dei, id perficere potuisse? Quòd si remedium aliquod reperiebatur ad id perficiẽdum, illud erat, quod adhibuit Deus cum mirabilibus, quæ fecit ante legem, & quando illam dabat, & postquam illam dedit: postquam autem apertè videmus, hoc satis non fuisse, illud sequitur, solam gratiæ virtutem, & potentiam (quæ nobis Crucis mysterio data fuit) hoc tantum negotium perfecisse. Quid aliud illis opus erat, qui etiam cæci sunt, ad oculos aperiendos, quàm hæc consideratio?

Vt autem videas rem ita se habere, historiam tibi narrare volo, quæ tibi maximã consolationem allatura est; licet in hac re sim longior, quàm æquum esse videtur. In vita Basilij illius Magni Cæsareæ Episcopi legitur, in illa ciuitate fuisse quendam celebrem Medicum, natione & professione Hebræum, qui tam verax erat in temporis prædictione, quo ægrotus moriturus erat, vt in hoc ne latum quidem vnguem vnquam aberraret. Cùm autem huc Basilio mederetur, & quascunque sciret medicinas adhibuisset meliores, absque

vllo illius beneficio, tandem illius salutem omnino desperare cœpit. Sanctus Episcopus maximo amore prosequebatur hunc Medicum, quippe qui sciret eum Christianum esse moriturum. Et quotiescunque cum illo solo erat, ei fidem prædicabat, eumq; rogabat, vt baptismum susciperet. At ille ei nunquã obtemperare voluit, inquiens, se in suorum parentum lege esse moriturum. Cùm autem Deo placeret suum seruum Basiliũ de hac vita liberare, eiq; suã gloriam dare, cùm se in hoc discessu esse cognosceret, Medicum accersiri iussit, qui Iosephus dicebatur, eiq; manum porrigens, dixit: Quid tibi de mea salute videtur? Ille respondit: Illud quidẽ mihi videtur, æquũ esse, vt tuã Ecclesiã antea ordinasses, & res tuas omnes; paucis enim post horis ex hac vita migraturus es. Quid dicas nescis, inquit Basilius. Illud quidẽ, inquit Iosephus, verè tibi dico, hodie cum Sole ex hac vita discedes. Dixit Sanctus: Quid si vsq; in crastinum manè vixero? Respondit Iudæus: Hoc fieri minimè potest, quia dimidium tantummodò horæ vitæ tibi reliquũ est, neque vsque ad Solis occasum victurus es. Subdit Basilius: Quid si eras vsque ad diei medium vixero? Respondit Iosephus: Moriar ego. Sanctus inquit: Hoc quidem scio, te peccato moriturum, & Christo victurum. Iudæus respondit: Tuas rationes habeo. & maximo iureiurando confirmauit se baptismum suscepturum, si vsque ad tempus ab eo dictum viueret. Tunc vir sanctus illius animæ salutis cupidus à Deo petijt, vt sibi vitã ad illud vsque tempus produceret. Postridie verò eius diei diluculo Medicum accersiuit. Qui existimans illum iam è vita discessisse, neque ampliùs sperans fore, vt illum videret, ad illum se contulit; quem cùm viuum vidit, plena voce exclamauit: Nullus Deus est, nisi Christianorum Deus, & ex hoc tempore renuo legem, in qua hactenus vixi, & Christum pro meo Deo, & Domino mihi suscipio: & ego vnà cum mea familia tota Baptismum petimus. Tunc sanctus vir dixit: Ego te baptizare volo. Et Medico ei dicẽti, satis infirmum esse, & hoc ab eo minimè fieri posse, respondit sanctus Episcopus: Vitæ dator pro nobis est, qui ad id nobis vires suppeditabit. Quo dicto, è lectulo surrexit, & eum baptizauit, sanctum altaris Sacramentũ ministrauit, & illam ouem Christi gregi adiũxit. Iudæus statim cœpit sua bona magna cum charitate pauperibus distribuere: & sanctus Episcopus vsque ad horam diei nonam in ecclesia perseuerauit, & Deo pro suo discessu gratiam agens, & pro illius animæ conuersione, suo populo, & omnibus sacerdotibus, qui illum comitabantur, valedixit, & suo Creatori animam suam dedit: cùm autem nouo Christiano dictum fuit, eum suum diem obijsse, ad illũ venit, & illius pedes osculans, inquit: Tu quidem Pater Basili, si ne nunc mori voluisses, profectò mortuus non esses.

CAT. Valde quidem me hæc historia delectauit, cùm per eam videam quàm multis rationibus ille pius Dominus ad se animas trahat.

MAG Hoc autem exemplo iterum illud colligo, quod & ante collectum est, scilicet quòd vt hic Medicus vidit, quòd præstantiores medicinæ, quas ipse sciret, non satis erant, quæ illi sancto Episcopo vnius diei vitam darent, deinde cùm videret tamen illum viuere, illam vitam supernaturalem, & miraculosam esse intellexit, & hoc miraculo fidelis factus est: Nos quoque cùm videamus, quomodo Deus illa præstanti medicina, quam in tradenda lege adhibuit, vt populi morbum sanaret, nihil profecit; cumq; ex altera parte videa-

videamus, quomodo sine his terroribus tam magnis tantam gentium multitudinem reformauit, & sanctificauit; quid restat, nisi (quemadmodũ dictum est) vt hoc opus à potenti Dei manu effectum esse statuamus? ita vt, si rectè consideretur, plura in homines Dei filius humilitate fecerit, quàm maiestate; plura suæ vitæ paupertate, quàm suæ gloriæ magnitudine; plura flendo in Bethlehem præsepio, quàm in aëre tonandŏ, & fulgurando; & tandem contumeliosa morte, quam in monte Caluariæ passus est, quàm gloriæ splendore, quē in monte Sinai ostendit. Quis igitur non admirabitur? Quis non obstupescet magnitudine potentiæ, quam Deus nobis in illa infirmitate declarauit? Sale Propheta Eliseus salsas aquas in dulces conuertit: & Christus Crucis opprobrio, propter quod homines scandalum patiebantur, eosdem homines ad fidem traxit. Illo tanto strepitu in danda lege homines Deum dereliquerunt, & idola adorarunt: & hac Christi humilitate, & dedecore homines idola pessundederunt, & Christum adorârunt. 4. Reg. 2.

Ex hac autem tam longa oratione colligitur, quod initio proposuimus, si tibi in memoria est, quòd scilicet in Saluatoris Cruce, & morte, non solùm nihil vituperij fuit, verùm etiam maxima gloria exritit, cùm huiusmodi fructus, & ita miri, consecuti sint: quia ex effectuum præstantia causarum præstãtiam cognoscimus. Cumq́ verum sit, quod Saluator dixit, quòd ex fructibus arbor cognoscitur; cuiusmodi tibi Crucis arbor videbitur, à qua huiusmodi fructus profecti sunt? Quambrem videbis iure optimo Apostolum dixisse: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* At quos ex vtrisque Deus vocauit, ij in Cruce Dei potentiam, & sapientiam inesse cognoscunt. Matth. 7. 1. Cor. 1.

CAT. Satis probè, Præceptor, tuam sententiam confirmasti, vt nihil in eo sit, quod ampliùs desiderem. Quòd si quid aliud est, quod dicas, id facias velim. Hæc enim res huiusmodi est, quòd illa audienda nunquam ero defatigatus.

MAG. Ad dictas duas passionis Christi causas, tertiam adiungam, qui alius mirus, & singularis illius fructus est, licet paucioribus verbis, q̃ superiorē, expositurus sim: alio enim huius voluminis loco fusiùs tractatur. Quare illud tibi supponendum est, quod sæpe in hac materia supponitur, id est, quòd præcipuus Saluatoris aduentus finis, & earum omnium actionum, quas in terris fecit, fuit sui cælestis Patris gloria, ad quem finem, tanquam medium, hominis sanctificatio ordinatur. Ita nunc tibi sciendum est, quòd illud, quo Deus in terris magis glorificatus est, Martyrum sanguis, & inuicta illorum fortitudo, est. Hoc enim est maius veræ charitatis signum, hoc maius sacrificium, quod offerri possit: hoc summum est, quod rationalis creatura gratia adiuta facere potest. Et licet in cælo Angeli Deum glorificent; non tamen eo modo eum glorificant, quo Martyres: & omissa sanctitate tot sanctissimorum Pontificum, & Confessorum, & Virginum, & tot millium Monachorum, qui (vt iam diximus) Crucis arboris fructus fuerũt; tantus est Martyrum numerus omnium ordinum, & ætatum, tum virorum, tum fœminarum, & puellarum, & adolescentum, tam admirabili constantia, fide, & fidelitate in suum Creatorem, vel in tormentorum tam terribilium medio, vt licet ex mundi creatione, & illius redemptione suo sanguine, nihil aliud boni conse-

consequeretur, nisi gloriam, quæ inde consecuta est, id omne satis probè esset erogatum. Sed de huius gloriæ magnitudine alio loco dicemus, quòd res tam grandis paucis verbis exprimi non potest.

Filius autem Dei sciebat in sua Ecclesia infinitum Martyrum numerum futurum, tam virorum, quàm fœminarum, senum, & puerorum, & mollium puellarum, quæ sua morte hoc summũ gloriæ & laudis sacrificium suo æterno Patri oblaturę erant. Illud præterea sciebat, nihil esse, quod illis maiorẽ afferret consolationem, & magis eos in tormentis animaret, quàm illa videre, quæ, cùm ille sit Deus, tamen pro illis passus est. Et hoc conatu S. Margareta respondit tyrãno, qui fore sperabat, vt illam vel promissionibus, vel minis vinceret, illi inquiens: Ne existimes iudex fore, vt his illecebris, & minis meum cor vincas, meq; à fide separes, quam meo Creatori debeo. Sum enim Christi ancilla, qui pro me morte, & passione affectus fuit. Cùm autem ille mortuus sit pro me, & ego pro illo mori debeo. Cùm autem Saluator (qui tantopere sui Patris gloriam expetebat) sciret, quàm glorificandus erat tam multorum Martyrum fide, ac sanguine, & quantas vires illis adiungeret, si ipse præiret, & vexillum Crucis tanquam aquiliferus, & Martyrum princeps portaret; hoc, inquam, cùm sciret, non semel, sed millies si opus esset propter hanc causam passus esset. Iam tibi compertum esse debet, quàm idoneum medium fuerit Christi mors ad illum præcipuum finem, quem sibi proposuit, quæ fuit illius cælestis Patris gloria.

CAT. Magnam percepi consolationem ex harum trium præcipuarum causarum declaratione, ob quas Saluator passus est, quæ præclarè illud probant, quod initio proposuisti, passionem scilicet Saluatoris non solùm non fuisse vituperium, sed maximum honorem, atque gloriam. Sed quoniã hoc mysterium tam altum est, vt licet tota vita meditando in eo consumeretur, potius tẽpus deesset, quàm materies, de qua tractet, (cùm Apostolus S. Paulus 1. Cor. 2. glorietur, se nihil nisi Christum crucifixum scire) quare aliam quæstionem nunc tibi proponere volo, quæ est, quòd cùm sit verum, quòd vna sanguinis Christi gutta satis erat ad mundum redimendum, (propter infinitam Saluatoris personæ dignitatem) quid causæ est, cur totum ipse sanguinem effundere, & tam plenam dolorum mortem, tam multis iniurijs, & contumelijs refertam, pati voluerit?

MAG. Inæstimabiles fructus, qui hos dolores, & contumelias consecuti sunt, ad hanc quæstionem soluendam sufficiunt. At nunc breuiter alias tres causas adducere volo, quibus adductus Saluator tam multas molestias, quas dicis, amplexus est.

Quare duas suppono causas: prima illa est, quam nunc exposui, qui præcipuus finis est, quem Saluator in sacra passione spectabat. Secunda est, quòd illud suppono, quod omnes sciunt, & est, quòd cùm quis obscuro loco natus alicui magno Principi, vel Regi iniuriam infert, non eo iustitia contenta est, vt illum ea pœna coerceat, qua iniuriæ puniri solent, quæ inter pares solent contingere; sed quò iniuria est in præstantiores, eò pœna eius grauior est, & quò erit maior, & magis extra ordinem, eò magis iniuria eius, qui læsus fuit, erit ex æquo vindicata: supplicij enim magnitudo maiorem illi gloriam affert. Hoc autẽ vt ad rem nostram cõuertamus: cùm Christus Saluator noster

sui

fui æterni Patris gloriam inæstimabili amore diligeret, quę quidem omnes homines tam grauiter offenderant, & ille immensa sua charitate cùm illud suscepisset, vt his iniurijs satisfaceret, cùm satis probè intelligeret, quòd quò satisfactio esset cumulatior, eò esset offensioni magis satisfactum, & persona offensa maiorem honorem consequeretur; quid illi faciendum erat, qui tantopere Patris gloriã diligebat, nisi molestias molestijs, dolores doloribus, iniurias iniurijs cumulare, vt eò magis persona iniuria affecta honoraretur, quò esset satisfactio cumulatior? Et præterea illud addo, tantum fuisse ardorem, quo illa anima sanctissima affecta erat, vt suis doloribus huic iniuriæ satisfaceret, vt id omne parum sibi videretur. Quòd si opus fuisset vsque ad nouissimum diem pœnis propter hanc causam affici, quæ fuit illius charitas, & voluntas, id omne & plura etiam fecisset. Propter hanc causam voluit ille in hac passione derelinqui à Patre, & à se ipso, vt cùm sine vlla leuatione pateretur, aut sine vlla consolatione, hæc satisfactio eò esset cumulatior, quò illius dolores essent grauiores, & sine vlla consolatione. Qui huiusmodi fuerunt, quòd cùm solùm illorum imago ob oculos adesset, satis fuit, vt illud cognosceretur, quod nunquam antea visum fuit, vt sanguinis guttis sudaret, quæ vsque in terram decurrerent. Quem autem dolorem in se illam sanctissimam animam sentire arbitrandum est, cùm extrinsecus tale signum dabat?

Hoc igitur tanto sacrificio, ab huiusmodi persona oblato, & igni illius incomprehẽsibilis charitatis, qui in illius sacratissimo pectore ardebat, inflammato, illa infinita maiestas ita placata fuit, ita sibi satisfactum esse censuit, vt multò gratius fuerit illi hoc sacrificium, quàm omnes mundi peccata displicuerunt; & maiorem honorem ex hoc seruitio consecuta est, quàm dedecus ab hominibus (quo modo potuerunt) affecta fuit. Quòd si te mouent iniuriarum inuentiones, quibus scelerati eum afficiebant, modò albam vestem, modò coccineam illum induentes, modò tanquam stultum, modò tanquam regem fictum; respice scelerum, & peccatorum inuentiones, quas excogitarunt homines, vt illam immensam maiestatem offenderent, & videbis, quàm consentaneum fuerit, vt hæ scelerum inuentiones illius iniuriarum inuentionibus purgarentur, qui veniebat vt pro illis satisfaceret, vt hoc modo inuentiones inuentionibus rependerentur.

CAT. Quàm altum est, Præceptor, quàmq; profundum hoc mysterium, quàmq; præcipuum Dei lumen opus est, vt mirabilia, quæ in eo sunt, penetrare possis. Qui enim carnis oculis Dominum in tantis contumelijs aspicit, rem quidem tanta maiestate indignam videre videtur; sed si hoc lumine eum perspiciat, & huius mysterij causas, & conuenientias penetret, non solùm non læditur propter hanc causam, quòd tantopere Redemptorem pati videat, imò admirabitur, quòd plura, qui tantopere id desiderabat, non patiatur.

MAG. Nostris oculis non plura passus est, quàm ipsi cernunt: sed illis paternis, tam multa passus est, quàm multa desiderauit. Illis enim diuinis oculis non minoris sunt illa desideria, quàm ipsa opera, vt in Abrahæ sacrificio cernitur. Quòd si hoc Christi desiderium tibi admirationem affert, & hic Patris honoris zelus, conuerte oculos ad id, quod illa sacra humanitas, quo momento creata fuit, accepit, quando cum diuino Verbo coniuncta fuit, & cumulata, ac exornata omnium præstantiarum, & gratiarum thesauris, (quos

ſuperiùs declarauimus) & qui penitus hoc conſiderabit, ſtatim illi huius tanti amoris cauſa patebit, & ordo, & huius myſterii rerum cõſequentiæ, ex quo illius anima ſuſpenſa fiet maximæ illius bonitatis, & ſapientiæ admiratione, qui hæc omnia tanto ordine deſcripſit, & inter ſe conuenientia fecit.

Hæc eſt, frater, prima cauſa, cur Saluator mortem tantis doloribus, & iniurijs refertam deligere voluerit. Secunda fuit, vt hac ratione innumerabiles Martyres, qui ſuum Creatorem magnopere ſuorum martyriorum paſſione glorificarunt, (vt antea dictum eſt) vires, exemplum, & conſolationem acciperent. Propter hanc cauſam nihil opus eſt hic repetere, quod antea intellexiſti. Tertia verò fuit, magni, & innumerabiles fructus, qui hos dolores conſecuti ſunt, de quibus fuſiùs in tertio libro tractatur, vbi præcipua exempla narrantur, & magni adſunt ſtimuli, quibus ad has virtutes excitamur, & præſertim ad illum Dominum amandum, qui talia, ac tanta paſſus eſt, noſtræ ſanctificationis, & ſalutis ardentiſſimo amore & deſiderio adductus.

SECVNDA HVIVS DIALOGI PARS, IN qua de eo agitur, quod ad noſtram voluntatem in clementiſſimi noſtri Redemptoris amorem inflammandam conducit.

CATECHVMENVS.

ACTENVS, Præceptor, de eo tractaſti, quod ad noſtræ fidei confirmationem pertinet, & ad noſtrum intellectum illuminandum, vt hoc diuinum myſterium intelligere poſſit, quod ad meam doctrinam, & Catechumeni ſtatum maximè pertinet: ſed quoniam præcipuus doctrinæ fructus charitas eſt, vellem, vt doctrinæ limites aliquãtulum excederes, & ſicut illud tractaſti, quod ad intellectus lumen ſpectat, id quoque declarares, quod ad volũtatem huius clementiſſimi Redemptoris amore inflammandam conducit. Tantum enim beneficium, magnum amorem poſtulat, nec niſi illo amore ei ſatisfieri poteſt, quod à tanto amore profectum eſt.

M A G. Tam multæ ſunt cauſæ, & tam multi ſtimuli, qui nos ad diligendum noſtrum benigniſſimũ Redemptorem excitant, quàm multa ipſe in ſuo ſacratiſſimo corpore vulnera accepit. Nam queadmodum ſingula eius amorem teſtantur & prædicant, ſic à nobis ſingula parem gratiam poſtulant. Sed quoniam tempus deficeret, ſi omnes ſtimulos, & incitamenta declarare vellemus, quæ nos ad noſtri Saluatoris amorem impellunt, (de quo & alijs horum librorum locis agitur) breui hîc duo tantummodò attingam, quæ ſunt magnitudo tũ huius beneficij, tum diuinæ bonitatis, quæ in illo magis quàm in alijs omnibus illius actionibus elucet.

Beneficij autem magnitudo in hac vita cognoſci perfectè minimè poteſt. Nam quemadmodum, quanta ſit noſtri Creatoris gloria, & pulchritudo, intelligere nequimus, quoad eum non vidimus: ſic huius beneficij Redemptoris magnitudinem cognoſcere nequimus, quoad illius præcipuo fructu, qui vita ſempiterna eſt, non fruimur. Cùm enim iuſtus inter choros Angelorum

ſe vi-

se videat, & illam infinitā Creatoris pulchritudinem facie ad faciem aspiciat, & ea cum inenarrabilibus delectationibus absque timore amittendi fruatur; hocq; intelligat tantum bonū sibi præcipuè ex illis vulneribus venisse, quorū signa in eodem Saluatoris corpore impressa videbit ad æternam huius beneficij memoriam; tunc magnitudinem eius ibi intelliget, & illius amore, qui tantum meritus est, immenso afficietur; tunc summa veneratione, & animi propensione illas gloriosas cicatrices adorabit, quæ tāti boni causa sunt, quas quidem intelliget fuisse aditus, per quos ad summo bono fruendum ingressus est. Quæ voces laudis ibi ex illius ore proficiscentur? quanta pietate, quanta animi gratitudine, & amore pro hoc beneficio illi gratias aget?

Et licet in hac vita hoc cognitionis genere careamus, ob eam tamen causam non debemus gratiarum actionem prætermittere, imò illi immortales gratias agere, qui tam in nos pius fuit, quòd pro ira, & punitiōne, quam eramus meriti, suam iram in misericordiam conuertit; & pœnā, quæ nobis debebatur, vt nostræ culpæ satisfaceret, & nos Patri suo conciliaret, sibi sumpsit. Verba, quibus ei gratias agere debes, sunt illa Isaiæ, quæ, vbi hic peruenit dies, fideles hoc modo Deo cantabunt: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus Deus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, & dicetis in die illa, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: nota facite in populis adinuentiones eius: mementote quoniam excelsum est nomen eius. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit: annuntiate hoc in vniuersa terra.* Hæc Isaias. Isa. 12.

CAT. Hæc quidem verba, Præceptor, maximam pietatem excitant. Quæ in corde nobis semper esse deberent, cùm diuinus Propheta nobis huius beneficij magnitudinem declaret. Hoc primum est, quod spiritum nostrum in huius clementissimi Redemptoris amore deberet incendere. Nunc autem mihi declares velim, huius amoris quam dixisti secundam esse causam.

MAG. Secundam causam, quæ nos ad huius Domini amorem mouere debet, dixi esse bonitatis magnitudinem, quæ in hoc mysterio potissimùm elucet. Illud enim tibi iam compertum est, quòd obiectum, vel (vt clariùs dicam) meta, in quam voluntas nostra semper tendit, bonum est: & sic nihil est quod bono illam magis moueat. Ad huius summæ bonitatis cognitionem illam tam celebrem S. Dionysij sententiam, toties in his libris repetitam, supponere debemus, quòd natura bonitatis est, vt sui ipsius communicatiua sit, hoc est, velle bonum, quod in se habet, omnibus impertiri, & eos sibi similes reddere. Ex quo illud consequitur, quòd quò res erit melior, eò magis erit huius conditionis particeps, & eò magis hoc bonum impertiri cupiet.

CAT. Illud quidem ex dictis bene colligitur. Nam si dicere solemus, q. album visum disgregat, & nigrum congregat; inde fit, vt quò erit color magis albus, eò magis etiam visum disgreget, & quò magis niger, eò quoque magis colligat. Eadem vis argumentandi in boni natura reperitur, vt quò maius erit bonum, hoc magis se communicare desideret.

MAG. Illud quidem verum est. Ex quo quidem sequitur, quòd cùm sit Deus summè bonus, summū etiam (nisi illi creaturæ resistant) desideriū ha-

beat se ipsum omnibus illis pro cuiusque (vt S. Dionysius inquit) captu communicandi. Cùm autem loquamur de creaturis, quæ intelligentiam habent, vt Angeli, & homines, qui maiorum bonorum capaces sunt, hos sibi similes facere summopere optaret, id est, bonos, sanctos, & beatos, vt ipse est. Hoc autem tam magnum desiderium communicandæ nobis bonitatis, & sanctitatis, fuit ratio, qua motus hominem lapsum erigere voluit. Cùm autem multas haberet rationes, quibus hoc opus efficeret, non id spectauit, quod facere poterat, sed quod magis ad nostram sanctificationem, & suorum operum perfectionem expediret. Vidit autem, quòd præstantior, & conuenientior ratio ad hunc finem erat, facere rem quandam nouam, & maiorem omnium, quæ homines aut suspicari, aut desiderare possent, quod erat Deũ fieri hominem: vt cùm homo ille fuerit, qui mundum perdidit, homo quoque ille esset, qui eum recuperaret; vt quatenus homo mereri & satisfacere posset, & quatenus Deus illi sanctissimæ humanitati ad tantum opus, vt erat humani generis redemptio, vires, & virtutẽ daret. Redemptor autem primùm voluit, vt omnia iustitiæ iura, vltra misericordiam, seruarentur, ne duæ hæ sorores, & comites omnium diuinorum operũ, quę sunt misericordia, & iustitia, deessent. Quamobrem decreuit omniũ nostrorum peccatorum debita in se suscipere, & pro illis satisfacere, non agnorum sanguinem, aut vitulorum offerens, (vt antea fieri solebat) sed suum sanguinem, & suam purissimam, & innocentissimam vitam, vt mortem, quàm minimè debebat, pro ea solueret, quam omnes propter peccatum debebant. Huius autem sacræ mortis, frater, historiam omni humilitate, & deuotione, quantum in te situm est, in animo euoluere debes, neque confusè, & oculis clausis, sed cum omnibus circunstantijs, quæ in illa contigerũt, & præsertim cum his tribus; personæ scilicet dignitate, quæ patitur, & indignitate eorum quæ patitur, & multò magis præcipuè causa, ob quã ea patitur, hæc enim tibi admirationem afferet, & multò magis te mouebit.

Hoc autem fundamento iacto, eleua oculos ad huius Domini, qui patitur,
maiestatem considerandam, & vide quòd ille Dominus (vt inquit S. Ioannes)
Apoc. 19. in suo femore, & in sua veste scriptũ habet: *Rex regum, & Dominus dominantium.*
Apoc. 22. Ille, qui (vt idem Euangelista inquit) est α & ω, id est, omniũ rerum principiũ,
Iob 9. & finis: ille, *qui* (vt inquit S. Iob) *extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris. Qui præcipit Soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo*: Ille, *qui* (vt idem dicit) *facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* Ille,
Dan. 7. cui (vt inquit Daniel) millia millium Angelorum seruiunt, & cui in circuitu sunt decies centena millia illorum summorum spirituum. Ille, qui simplici suæ voluntatis specie totam hanc mundi molem creauit, & in illius conspe-
Sap. 11. ctu id omne (vt ait Sapiens) nihil aliud est, quàm matutini roris gutta.

Hic autem huiusmodi, & tam magnus Deus, voluit sua sponte tam multa dolorum, & iniuriarum genera pati, vt pro omnibus voluptatum, & scelerũ generibus, quibus homines suum Creatorem offenderunt, satisfaceret: idq̃ue ita ex animo, vt nihil ei in sacra sua passione obtigerit, quod ipse noluerit; non illorũ peccatum, qui illa faciebant, volebat, sed illorũ malitia pro nostra salute vtebatur. Quare pro nobis, vt reus capi voluit, & tanquã blasphemator sputo deturpari, & ab Herode tanquam demens irrideri, & spinis coronari, vt

rex fi-

rex fictus; & vt populi seductor accusari, & morte damnari, & crucis morte. Ita quòd ille Dominus, qui (vt inquit Isaias) tribus digitis terræ pondus sustinet, in cruce de tribus clauis pependit: ille, qui Angelorum gloria, & pulchritudo est, inter latrones crucifixus est: ille, quem stellæ laudant matutinæ, & cuius gloriam filij Dei prędicant, peccatorum contumelias, & blasphemias audit: ille, cuius pulchritudinē Sol, & Luna admiratur, vulneribus tanquam leprosus deturpatus, atque tectus est: ille, cuius vultum Angeli intueri appetunt, deformatus est, & obscuratus pręsentia mortis: illum, cuius gloriam Seraphin prædicant in cęlo dicentes; Sanctus, sanctus, sanctus; scelerati blasphemant in terris dicentes, Crucifige, crucifige; Moriatur, moriatur. Ille, in cuius conspectu (vt inquit Isaias) omnes gentes sunt tanquam si non essent, est cum Barraba comparatus, & minoris quàm ille æstimatus est: illi, qui omnium Paradisi voluptatum flumen est, fel, & acetum ad bibendum traditur: ille, qui agros pulchritudine vestit, in Crucis arbore spoliatus, & nudus est. Ille, qui omnium diuitiarum, & thesaurorum pelagus est, in illo ligno vbi caput suum reclinet non habet. Ille, in cuius conspectu cæli columnæ tremunt, & intelligentiæ, quę cælos mouent, se prosternunt, illuditur à militibus, qui se ad illius pedes proijcientes in illius diuinum vultum sputabant, & colaphos infringebãt. Quid autem hoc fuit, nisi repræsentatio, & tragœdia omnium, quas homines improbi excogitare possent, crudelior? Ad quam milites omnia præsidis præsidia coegerunt, (quę magna erant) & coram omnibus attrita purpura induerunt, & in capite spineam coronam, & in manibus arundinem pro sceptro imposuerunt. Quo facto, regias cęremonias adhibebant, & hæ erant poplite flexo dicere; Aue Rex Iudæorum; & in illius vultum sputare, & de manu illi arundinem eripere, & ea illum verberare, & ad hæc omnia magnum illi colaphum infringere, & ob id profusè ridere. Idq; non vnus fecit miles, sed cæteri omnes; omnes enim illius ludi ministri esse volebant, & sua brachia in Domini vultum experiri: qui suis manibus se non protegebat, neque aliò suum vultum conuertebat, illud adimplens, quod ipse per Isaiam prophetauit: Non auerti faciem meam ab ijs, qui me percutiebant, & in me sputabant.

Isa. 40. Iob 38. Isa. 6. Isa. 40. Iob 26. Isa. 50.

Hoc igitur cùm ita se habeat, quò magis accedere, ad quid se magis extendere, quò magis se demittere debebat illa incomprehensibilis maiestas? Quid est hoc, Domine, quæ bonitatis abyssus est hæc? quæ misericordia? Omnia (inquit Sapiens) numero, pondere, & mensura fecisti. Magnum est mare, & terra; sed certis limitibus continentur. Longè maiores sunt cæli; at hi etiam suos fines habent, & certa mensura continentur. Magnus est stellarum numerus; at tu illas numeras, & suis nominibus vocas. At in hoc opere tuę immensæ bonitatis, & charitatis in homines, neque numerum, neque pondus, neque mensuram esse voluisti; imò omnes terminos excedere, omnia desideria superare, omnes spes vincere, & plura facere, quàm homines suspicari poterant, te tam grauibus doloribus offerendo, tam multas iniurias patiendo, & effundendo super nos tantam gratiarum abundãtiam, si nos vt illam acciperemus, sinum aperire vellemus. Sap. 11.

Cùm autem hoc fuerit magis nouum, & admirabile, quàm quæcunque vnquam in terris fuerint; & nemo ad res nouas moueatur peragendas sine

magnis præmijs,& vtilitatibus ; quid fuit in causa, vt hic Dominus ad tanta supplicia moueretur? Martyres cùm patiebantur,de spe præmij vires,& con-
2.Tim.4 solationem sumebant.S Paulus sciebat sibi iustitiæ coronam conseruari, quã de Dei manu accepturus erat. Dauid suum cor ad diuina præcepta seruanda
Psal.118. inclinabat propter retributionem,quam sperabat. Tu verò Domine, quod præmium, quam retributionem, ex tantis, tamqúe multis supplicijs sperabas? Manifestum est, nihil horum in te cadere posse. Qua igitur re adductus fuisti,vt tantum onus tibi sumeres? Fuitne aliqua noua lætitia, quam ex illis acciperes? Minimè verò:quòd es infinitè beatus. Fuitne aliqua noua potentia,aut sapientia,aut iurisdictio,quæ ad tuam accederet? Minimè: quòd in te omnis potentia,omnis sapientia,& omnium rerum dominatus est. Fuit igitur aliqua noua gloria,quæ ad tuam accederet? Nihil loci his rebus in te est.Tam enim est illa diuina substantia immutabilis, tam inuariabilis, tam omnium bonorum plena,vt nihil noui,neque alteratio,neque accidens, neq; mutatio in ea fieri possit, propter illius summæ Deitatis simplicitatem, & puritatem. Vt licet mille mundos creasses, & omnes semper se in tuis laudibus continerent,nihil tamen tua gloria augeretur,neque quòd omnia in nihilum reciderent,diminutionem pateretur.Hoc igitur cùm in te nihil loci habeat,
1.Cor 9. cur hanc tantam crucem complecti voluisti? *Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis vineam plantat,& de fructu eius non edit? Quis gregem pascit, & de lacte gregis non manducat?* Quis vel gressum mouet,ex quo se non fructum aliquem consecuturum speret?

Quòd si nihil horum in te cadit;fortassis seruitia,& merita hominum te mouerunt.Hoc non fuisse, compertum est. Nam omisso tuæ sacræ passionis fructu omnes homines filij iræ nascuntur,& tibi inimici,& ita mereri nõ possunt,neque facere quidquam,quod in conspectu tuo gratum sit.Restat igitur, vt nihil horũ te mouerit,nisi sola misericordia,sola charitas, & sola bonitas.

Et si Domine in illa diuina natura fuisses aliquo modo passibilis,tua passio tantam admirationem nobis non afferret;sed quod tanta esset fames, tantaq; sitis patiendi propter nostrum remedium,vt,cùm in propria natura pati nequires, tantam adhiberes inuentionem, vt naturam mortalem & passibilem tibi coniungeres tam stricto nodo, vt cùm illa pateretur,& moreretur, verè diceretur Deus pati, & mori Deus,(licet non secundùm diuinam naturam) hoc omnem admirationem superat, & omnes humanos sensus suspendit, & alienat.Parum tuæ infinitæ bonitati visum est, hominem tanta dignitate, & gratia creasse,& tuæ gloriæ capacem effecisse,&,illi vt seruirent,Solem,& Lunam,stellas,cælos,terrã,& mare,& quidquid in elementis est,creasse; quia licet id omne satis multum esset, tibi tamen, quod nihil constabat, parum videbatur.Quare tuæ bonitatis immensitas non penitus declarata tibi videbatur, nisi quid,quod plurimi tibi constaret, perficeres. Quænam bonitas præter tuam eò peruenire poterat? Quænam bonitas tua amplitudine digna excogitari poterat,nisi ista,cùm Dominus pro seruo, & præsertim huiusmodi Dominus pro tali,& tam ingrato seruo,mori visus est ? Stupescit Propheta
Psal.143. Dauid,quòd,cùm sit homo tam vana creatura,esset illius memor : quantò magis stupebit,quòd non solùm illius memor fueris,sed quòd pro illo pati,& mori volueris?

Cùm autem tua infinita bonitas hoc ita definijsset, potuisses quidē breuis temporis,& honestam tibi mortem deligere: sed mortem delegisti ex altera parte tam contumeliosam, ex altera tam diuturnam, (cùm tres horas in Cruce passus sis, semper corporis pondere deorsum trahente, & vulnera maiora efficiente, idq; omne sine vlla vel diuina, vel humana consolatione) quis tantam bonitatem,& charitatem non admirabitur? Quis Martyr consolationibus, quę ad se à Deo veniebant, aditum clausit? Quis in calamitatibus, ab amicis, discipulis,& notis derelinqui voluit? Quis innocentissimam matrem tantis tormētis interesse voluit, vt illius præsentia suos dolores geminaret? Quòd si in huiusmodi satisfactione iustitiæ iura seruari volebas, quod ius est, vt persona læsa sibi onus satisfaciendi pro reo suscipiat?

Et quoniam velim, vt has singulares diuinæ bonitatis proprietates in animo semper habeas, (quæ maximè tibi proderunt, cùm ad sacram Passionem meditandam te accinxeris) hîc eas breui repetere volo.

Prima igitur est, Saluatorem tantam famem,& sitim pro nostra salute patiendi habuisse, vt suæ bonitatis magnitudinem declararet, quòd cùm in sua natura pati nequiret, secum naturam mortalem & passibilem coniunxit, in qua illud pateretur, quod in sua nequibat. Secunda autem est, Dominum pro seruo pati,& Regem pro subdito, quod nunquam antea contigit. Tertia est, Iesum fuisse,& ab offensore pacem petere, & de suo satisfacere. Quarta est, sine causa quatenus Deus est pati, cùm in illum, vel nouitas, vel alteratio, vel mutatio cadere non possit. Quinta est, sine vlla vel diuina, vel humana consolatione pati voluisse. Sexta est, maiores dolores, quàm quis vnquam, vnà cum tanto dedecore, tamq; multis iniurijs, pati voluisse. Septima est, nobis hac ratione, quæ tanti constat, voluisse remedium adhibere, cùm alia ratione id facere posset, propter multas, & magnas vtilitates, quæ inde in nos proficiscebantur. In singulis hisce rebus, frater mi, multa consideratione digna reperies.

Ex his igitur, quæ hactenus tractauimus, & tractaturi sumus, tuæ quæstioni respondetur, quam pro infidelibus initio fecisti, qui Saluatoris passionem,& mortem, vituperium esse existimant: huius autem cęcitatis causam esse dicit Apostolus, quòd huius mundi princeps infidelium oculos cæcos reddidit, ne Christi gloriæ splendorem, qui in sacra eius passione inclusus est, videant. Quæ tantum à vituperio abest, vt verè affirmare possimus, ex omnibus operibus quę Deus fecit, & ad finem vsque mundi faciet, nullum, vel illa omnia simul, cum gloria comparari posse, quæ illi ex hac passione consecuta est.

Huius rei ratio illa est, quòd in illis omnibus tam manifestum suę bonitatis indicium nobis non attulit, vt in hoc vno, in quo tam multa operatus, & passus est, vt nos bonos & sanctos efficeret. Si hominem videremus, qui totam suam vitam, vt alios bonos efficeret, impenderet, multis laboribus propter hanc causam perferēdis, vt S. Paulus faciebat, & tandē in hoc labore immoriens, nullū aliud argumentum hoc maius illius bonitatis exquireremus. Nicephorus scribit, quòd Sapore rege, cùm quidā sanctus diaconus, nomine Beniamin, in vinculis esset, Rex precibus Legati Romanorū, qui aderat, eum liberari mandauit, hac tamen conditione, ne in eo versaretur, vt infideles ad

fidem

fidem Christi conuerteret, vt antea faciebat; quod si faceret, esset capite damnatus. Quam conditionem noluit accipere sanctus ille vir, inquiens, quòd licet in hac re moreretur, semper tamen de animarum conuersione, & sanctificatione tractaturus erat. Itaque fecit, & propter hanc causam crudelissimis tormentorum generibus interemptus fuit: per partes enim illius naturales quasdam virgas quibusdam acutis vncinulis infixerunt, & ita eum reliquerunt, donec suum beatum spiritum ad Dominum misit. Quis autem non videt, quàm magnum bonitatis argumentum sit, ex improbis bonos efficere?

Ioan. 15. Quare, quemadmodum Saluator dixit, quòd nullum est maius amoris signum, quàm cùm quis ponit animam suam pro amicis suis: sic etiam nos dicere possumus nullum esse maius bonitatis signum, quàm cùm quis animam suam ponit, vt alios bonos efficiat.

Hoc cùm ita sit, quàm magnum bonitatis indicium hîc rerum omnium creatarum Dominus nobis ostendit, cùm huiusmodi mortem propter huiusmodi causam passus sit? Et Sancti, qui propter eandem causam patiebantur, suum quidem præmium, & consolationem habebant, & homines pro hominibus patiebantur: at hic Dominus omnium rerum creatarum pro vermiculis, sine vlla necessitate, vel consolatione, aut vtilitate patitur alia, quã omnibus circũstantijs, quas iam scribere desiuimus; quàm igitur est maius hoc bonitatis indicium? Cùm autem, nostro intelligendi modo, bonitas sit omnium rerum, quę in Deo sint, præstantissima, & illa, qua magis gloriatur, & illa, qua ipse laudatur in cęlo ab illis Seraphin, qui nunquam cessant dicere Sanctus, Sanctus, Sanctus: Illud etiam scimus, quòd in spiritalibus rebus bonum altum est, & gloriosum; & melius, altius & gloriosius est: inde fit, tantum abesse quòd Christi passio sit ignominiosa, vt (quemadmodum dixi) quæcunque opera fecerit Deus, & vsque in finem mundi facturus est, in vnum collecta tantam illi non afferant gloriam, quantã hæc vna illi affert. In quo clarè cernitur, quantum oculi, & iudicium carnis differant ab oculis & iudicijs spiritus.

Quàm autem sacræ passionis medicina fuerit ad nostram sanctificationem efficax, ex sanctitatis fructibus cognoscitur, qui ex ea in terris consecuti sunt, de quibus antea tractauimus, & infrà tractaturi sumus: cùm ante illam nullibi, nisi in paruo Iudeæ angulo, Deus cognitus esset, & ibi satis malè cultus: post verò passionẽ in omnibus mundi nationibus cognitus fuit; cùm in illis omnibus tantus numerus Martyrum, Confessorum, & Virginum fuerit, tam multæ societates Monachorum, & Cœnobia, vt antea diximus, & infrà dicturi sumus.

CAT. Facere nõ possum, Præceptor mi, quin me ad gratiarum actionem conuertam, & laudis voces effundam, & dicam: Benedicta sit huiusmodi charitas, pietas, & misericordia, & huiusmodi bonitas, quę tam miro modo se nobis voluit ostendere. Huius enim bonitatis genus tam ab alijs differẽs, quę in creaturis reperitur, ad tantam maiestatem pertinebat. Nam si Dei bonitas infinitè omnes creatas bonitates superat; consentaneum erat, vt huiusmodi circunstantias, & adiuncta haberet, quę in nullo creaturarum genere reperirentur, vt hac ratione ab illis differret. Quòd si aliter, quid inter Dei & Sanctorum bonitatem interesset?

MAG. Sic se res habet. Sed quoniam in prima huius libri parte de hac diuina

uina bonitate huius latiùs tractauimus, velim eo loco id legas, ibi enim inuenies rationem, quam millies in hoc volumine repetere vellem. Nam vbi de Dei omnipotentia tractauimus, quæ ex suorum operum magnitudine intelligitur, de quibus ibi maximè agitur propter mundi creationem, & vniuersalem omnium corporum resurrectionem, quę sunt, fuerunt, vel futura sunt, licet sint à piscibus deuorata, vel ab auibus, vel ab alijs hominibus, & vnà cum illis, quæ in diluuij aquis perierunt, (quæ resurrectura sunt non alia, sed eadē, quæ fuerunt) hoc autem declarato illud concludo, quòd omnes intellectus, qui id intensè considerabunt, tanta potentia, & sapientia attoniti, & stupefacti fiunt.

Hinc autē concludo, quòd si opera omnipotentiæ, & sapientię Dei omnes intellectus attonitos reddunt; illius bonitatis opera non minùs debent huiusmodi admirationem parere; cùm non minùs Deus propter bonitatem glorietur, quàm propter potentiam, & sapientiam, neque minùs cupiat, vt huiusmodi cognoscatur. At quomodo id fieri potuisset, nisi quomodo ille fecit? Deum enim mille mundos creare, & omnibus creaturis impertiri omnes gratiæ thesauros, & diuitias, quas Seraphin communicauit, pluris illi non constabat, quàm suum velle. Hoc autem illius bonitatis opus nos stupefactos non reddet, vt eiusdem omnipotentię, & sapientiæ opera? Multū enim illum dare, quod nihili constat ei, qui dat, non est magnæ bonitatis argumentum. Quomodo igitur hæc bonitas gloriosè manifestari potuit? Non alia ratione quidem, quàm Dei filius eam manifestauit. Cùm enim ille multis alijs modis suam bonitatem, & sanctitatem communicare posset, hanc sacræ Passionis rationem delegit. Hac enim carbones ignis amoris accensos in nostra corda torquebat; hac nobis admirabiliora exempla, & acutiores omnium virtutum stimulos dabat; hac nos obligabat, & penè cogebat, ad illum amandum, qui nos tam amauit, & propter nos tam multa passus est. Et vt has nouas vires augeret, & virtutis gratias, ille Dominus rerum omnium creatarum, ille Rex regum, & Dominus dominantium, & deorum Deus ad ea omnia se demittere non dubitauit, quæ audiuisti, & hoc ita, vt inde nihil sibi consequeretur. Hoc est opus & indicium bonitatis, quod corda ad se rapit, quod intellectus suspensos reddit, quod eis timorem incutit, & attonitos reddit, qui illud attentè considerāt. Inde fit, quòd cùm Sancti hoc mysteriū contemplabantur, & Spiritus sancti lumine illius magnitudinē assequebantur, in spiritu rapiebantur: magnitudo enim admirationis huius bonitatis omnes interiores animæ vires secum trahebat, & ita corpus sine sensibus relinquebat.

Vt autem ad id redeamus, quod primum proposuimus, cùm diuinæ bonitatis proprium sit, se omnibus cōmunicare, & ita summæ bonitatis se summè communicare velle; hinc desiderij magnitudinem intelliges, quod Saluator huius communicationis habebat, quod est, vt nos bonos, & sanctos, vt ipse est, efficeret. Id est, vt illam vitę puritatem in morum simplicitate, in charitate, & amore in proximos, in veneratione, & obedientia in Deum, Angelorum innocentiam, & conditiones, imitemur, vt in corruptibili corpore versantes, munera substantiarum incorruptibilium exerceamus: cumq; corpora in terris teneamus, cogitationes & desideria in cælo habeamus.

Quòd si tantus amor, & desiderium illius cælestis sponsi fuit, vt hanc tantam

tam puritatem,& pulchritudinem animabus impertiretur, vt cùm videret, quàm magni stimuli illius dolores, & tormenta nobis ad hoc essent, se illis propter hanc causam offerre non dubitauit. Et hoc illud est,quod Apostolus
Hebr.10 significauit,cùm inquit,quòd Saluator cùm sibi ob oculos poneret animi voluptatem,crucem complexus est,nihili faciens imminutionem, & confusionem,quam ille in ea passurus erat. Quænam autem animi voluptas hęc est, nisi illud gaudium,quod illa sanctissima anima erat perceptura ex tot animarum sanctificatione,& pulchritudine,quæ illius pretiosi sanguinis virtute,& merito sanctificari,& exornari debebant? Hoc autem apertiùs declaremus, vt magnitudo huius voluptatis meliùs intelligatur.

Saluator hic,cui omnia futura præsentia erāt,ob oculos sibi illorum sanctissimorum Pontificum, & Doctorum suę Ecclesiæ animarum pulchritudinem posuit, Augustini, Ambrosij, Gregorij, Basilij, Chrysostomi, & aliorum innumerabilium Pōtificum,& Doctorum,qui in illius Ecclesia magis, quàm stellæ in cælo splenduerunt,& sua doctrina, & sanctitate mundum illuminarunt. Ante oculos sibi posuit pulchritudinem animarum illorū sanctissimorum Monachorum, Pauli, Antonij, Hilarionis, Arsenij, Syluani, Macharij, & aliorum innumerabilium, qui vitam magis quàm humanam viuebant, qui cùm in carne essent, ita viuebant,quasi sine carne essent; & in terris cum suis corporibus versantes,spiritu in cælo versabantur. Ante oculos sibi posuit spiritalem pulchritudinem Benedictorum, Bernardorum, Dominicorum, Franciscorum, & aliorum religiosorum infinitæ multitudinis, qui sub horum gloriosorum ducum vexillo,& regula militaturi erant, paupertate illorum vestigia sequentes,bona huius mundi renuntiantes,& castitatis pulchritudine matrimonij curas,& obedientię virtute suæ voluntatis dominatum; quibus ab omnibus tēporalibus negotijs liberi, se ad sui Creatoris amorem, & cultum collaturi erant. Ante oculos sibi posuit illarum sanctissimarum Virginum pulchritudinem, Cæciliæ, Margaretæ, Agathæ, Apolloniæ, Agnetis, Lucię, Dorotheæ, & Catherinæ, & aliarum innumerabilium Virginum, quæ mundum vnà cum fœminea infirmitate deuicerunt, & in terris Angelorum cęli puritatem conseruarunt,suum sanguinem pro cęlestis sui sponsi gloria effundentes, & sanguine suorum martyriorum suam virginitatem & puritatem exornantes. Ad hæc omnia, quod maiorem voluptatem illius sanctissimę animæ afferebat,erat,cùm fidem,constantiam, & inuictam fortitudinem contemplabatur gloriosissimorum Martyrum, Cypriani, Laurentij, Vincentij, Ignatij, Polycarpi, Mauritij, & aliorum innumerabilium militum, qui tam gloriosè decertaturi erant, qui tot certamina superaturi, qui tam gloriosè triumphaturi erant de omnibus totius terrarum orbis Imperatoribus,& de omnibus inferni viribus, ne quid fidei aut fidelitatis, quam suo legitimo Imperatori,& Domino debebant,imminuerent. Harū autem omnium pulchritudinum species in illius sanctissima anima tantam voluptatem efficiebat, vt (quemadmodum diximus) in causa fuerit, vt crucem complecteretur, vt omnes has animas pulchras sui pretiosi sanguinis purpura redderet. Quod Apostolus significauit, cùm dixit : *Viri, diligite vxores vestras, sicut &*
Ephes 5 *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam,*

maculam, aut rugam. Hoc autem Moysem & Eliam tractasse credendum est suæ transfigurationis glorioso die, qui cùm tractarēt eum eo de morte, quam ipse passurus erat in Hierusalem, tractarunt quoque de inæstimabili fructu, qui ex ea profecturus erat, & de hac magna voluptate, quam inde capturus erat. Hæc est illa voluptas, & illa satietas, quam prophetauit Isaias, cùm de huius Domini passione verba faciens inquit: *Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur.* significans, quòd meritis maximorum dolorum, quos in corpore, & anima sua sanctissima passus fuit, admirabilem videbit fructum, qui inde cōsequetur, qui est mundi conuersio, & renouatio, ex quo tantam lętitiam, & voluptatem percipiet, vt illius voluntas plena & satiata futura sit, existimans bene collocatum, quod propter hanc causam passus est. Æquum enim erat, vt qui tanta animarum salutis fame laborauit, vt pro illis emori non dubitauerit, ei minimè negaretur, quod tantopere desiderauit. Isa. 53.

Cùm igitur Saluator sibi ante oculos poneret voluptatem omnium horum fructuum, non vnam mortem, sed mille, si necesse fuisset, propensa voluntate pati voluisset. Et hoc etiam parum illi visum fuisset propter sui æterni Patris obedientiam & gloriam, & propter mundi renouationem, & remedium, cùm videret se hoc summo beneficio vires, & animum illis addere, qui studiosam vitam agerent.

Vt autem reuertar ad rem, has antè dictas tres circunstantias, frater mi, debes tibi ante oculos ponere, vt ad huius clementissimi Redemptoris amorē te accendas. Et vt maiori cum vtilitate in hac exercitatione te contineas, illud te admonitum volo, vt, cùm in horum Saluatoris dolorum, & contumeliarum contemplatione te contines, semper tibi ante oculos ponas, quisnam sit hic Dominus, qui patitur, (qui est ille magnus Deus, quem paulò antè tibi descripsi) quodq; id passus est, vt nos redimeret præstantiore ratione, quàm in hoc esse posset. Id enim tuam animam in maximam admirationem, & amorem illius incomprehensibilis bonitatis, qui propter nostram causam ita se demisit, rapiet.

Quòd si hinc dæmonium occasionem tui scandalizandi sumeret, recordare illud, quod hactenus narrauimus, id est, quòd licet verè dicamus, quòd Deus passus est, & mortuus: non tamen vt Deus passus est, neque mortuus, (hoc enim minimè fieri poterat) sed quatenus homo. Nam licet Deus esset, erat etiam verus, & perfectus homo, vt quilibet nostrum est, ex corpore, & anima rationali compositus; sed ab omni peccato liber, & immunis, & omnium hominum sanctissimus, & eorum sanctificator. Et secundùm hanc naturam in scripturis Dei seruus dicitur; & seruus, quem ex vtero matris propter suam gloriam delegit. Secundùm igitur hanc naturam pro mundi redemptione passus est, & pro sui æterni Patris obedientia, & gloria. Quòd si maior dignitas, quam Apostoli, & Martyres consecuti sunt, fuit mortem pro Dei gloria pati; non erat consentaneum, vt Sanctorum Sanctus hac dignitate careret, sed vt pateretur sicut illi pro sua ipsius gloria. Propter enim hanc causam voluit, vt illius sanctissima mater ad crucis radicem adesset, in anima sua maiorem dolorem patiens, quàm vlla pura creatura vnquam passa sit, suis auribus malleorum ictus percipiens, quibus claui in illo delicatissimo corpore figebantur, & suis oculis sanguinis riuulos cernens, qui ab illo emanabant.

Quod illa non propter sua peccata patiebatur, (quę non habebat) neque propter aliorum; (quòd filij passio satis erat) sed ne sanctarum omnium Sanctę illa summa dignitas, & excellentia deesset, quod est, vt Deo obedias, & illi gloriam parias, molestias pati.

Tu autē cùm hoc modo Saluatorem consideres, vt verum, & perfectū hominem, vt quilibet Sanctus fuit, nullum scandalum tua anima patietur, cùm videat eum pati, vt illi passi sunt. Ad id autem intelligendum Ecclesiæ cæremonia tibi opem feret, quæ, cùm Credo dicitur in Missa, tantum cessat, & tanta solennitate, & reuerentia illa verba canit, *Et homo factus est*, percurrendo quidquid sequitur, quod est, *Crucifixus etiam pro nobis, &c.* non quòd maius sit Deum hominem fieri, quàm pro homine in Cruce mori, (hoc enim multò plus est) sed quòd eo posito, quòd illi summo Domino placuerit hominem verum, & perfectum fieri, non in malam partem accipere debemus, quidquid in illa sacra humanitate passus est.

Hanc admirabilem vnionem, & coniunctionem Dei cum nostra humanitate declarat S. Leo Papa, inquiens, quòd tam stricto vinculo ita has duas naturas copulauit, vt neque maioris gloria minoris naturam consumeret, neq; minoris vilitas maioris gloriam imminueret. Ita vt harum duarum substantiarum proprietate & natura salua, & integra, cùm in vna persona ambæ coniunctę sint, placuerit maiestati nostram humilitatem induere, & æternitati mortalitatem, fortitudini infirmitatem; vt idem Dominus, vt mediator inter Deum & hominem, id omne adhiberet, quod ad nostrum remedium conueniret, ex vnius naturæ parte moriens, & ex alterius resurgens. Nam si ille verus Deus non esset, nullum remedium nobis afferre potuisset; & nisi verus homo fuisset, nobis exemplum non attulisset. Hæc Leo Papa. Tibi igitur frater, in huius veritatis cognitione cōfirmato, non absurdi videbuntur dolores, & molestiæ, quas in passione sua hic Dominus pertulit. Cùm igitur ille sit verus, & perfectus homo, & omnium hominum sanctissimus, non debebat carere (vti diximus) maiori honore, & dignitate, quàm illi habuerunt, quod fuit pro Dei gloria mortem pati; & huius veritatis fide inimici tela, & ictus facilè à te reijcies.

Vt autem ad præcipuum propositum redeamus, de quo tractabamus, vt Deus tibi illam impertiatur consolationem, qua illius intimi familiares fruuntur, hoc mysterio contemplando, debes petere præter fidem, aliam lucem, & alios oculos, vt hunc Dominum in cruce positum intueri possis. Eos enim si haberes, statim cerneres thesauros, & diuitias gratiæ, quę in illo inclusæ sunt. Videres suauissimos sanctę Crucis arboris fructus. Huius remedij, quod diuina sapientia pro nostra salute delegit, admirabiles conuenientias prospiceres. Ibi videres magnos stimulos, qui ad amandum, & glorificandum hunc Dominum nos excitant, & vt millies pro eo mori desideremus: & multa tandem alia, quæ paucis verbis explicari non possunt.

Terminos excessi, frater, quos mihi proposui, quod erat te in illis rebus erudire, quæ ad huius mysterij cognitionē pertinent, illud addēdo, quod nostram voluntatem stimulis grati animi pro hoc summo beneficio, & ad amorem huius clementissimi Domini excitare potest. Confirmata enim fide, hoc illud est, quòd maximè conducit.

Digitized by Google

CAT. Facere non possum, Præceptor, quin confitear, quidquid hactenus dictum, animæ meæ auribus suauissimam musicam fuisse, & omnibus vitæ meæ diebus eam audire velle. Quid enim dulcius est homini Christiano, quàm videre se à tanto Deo tanti æstimari, & tam amari, qui hæc omnia pati voluit, vt illum ab inferni pœnis liberaret, & cum Angelis in cælo perpetua gloria coronaret, & illum, hoc tanto beneficio ad suum amorem, & obedientiam alliceret, atque traheret?

DIALOGVS OCTAVVS, IN QVO DE sanctissimo Altaris Sacramento agitur.

CATECHVMENVS.

ALTVD mysterium magis proprium, atque præcipuum Christianæ religionis, est sanctissimum Sacramentum altaris. Et quia Catechumeni status in eo est, vt mysteria fidei, quam in me Deus sua bonitate infudit, penitus addiscat, vehementer illis rebus informari velim, quæ ad huius diuini Sacramenti doctrinam spectant.

MAG. Fateor quidem, frater mi, nihil esse, de quo libentiùs verba faciam, quàm de hoc, propter magnam, quam ex eo percipio, consolationem, cùm huius beneficij magnitudinem in animo euoluo; neque quidquam, de quo maiori cum timore sermonem habeam: illud enim parum, quod de hoc mysterio intelligo, huiusmodi est, vt mihi verba desint, quibus id explicare valeam. In quo quasi parturientis dolores anima mea patitur: velim enim verbis id explicare, quod animo concepi, & id pro rei dignitate me facere non posse certò scio: quemadmodum enim hoc diuinum beneficium incomprehensibile esse perspicio, ita quoque ineffabile esse, me profectò non latet. Timeo autem iure: cùm enim in me ea non esse verba sciã, quibus plenè rem ipsam explicare valeã, vereor ne illius dignitatem, & præstantiam quasi iniuria afficiam. Quare, vt arbitror, tutius esset hoc mysterium summa animi pietate, & silentio venerari, quàm arroganter illud sibi sumere humanis verbis explicãdum, quod angelicis linguis minimè explicari potest. Ad id etiam spectat illud, quod S. Gregorius his verbis inquit: Tunc maiori eloquentia de operibus virtutis diuinæ loquimur, cùm illorũ admiratio nostram linguam mutam reddit; & meliùs de illis verba facit homo silendo illud, quod non satis potest exprimere loquendo. Quamobrem inquit Propheta: *Laudate Dominum secundum multitudinem magnitudinis eius.* Laudatur hoc modo Psal. 150. ab illo, qui sibi verba deesse, quibus eum laudet, fatetur.

Sed cùm cupias huius Sacramenti doctrinam tibi tradi, quòd priùs expositurus sum, illud est, multos fideles ita esse firmos, ac constantes in hoc mysterio, tamq; procùl ab omni hæsitatione remotos, vt hoc cæteros nostræ fidei articulos maiore animi alacritate atq; constantia complectantur. Tam multa enim bona, tantamq; anim[illegible]itatem e[illegible]requenti vsu capiunt, tantamq; in intellectu clarit[illegible]tum[illegible]dorem in voluntate, tantaq; ad omnes virtutes p[illegible]acil[illegible], præter Deum rem tantæ

 effi-

efficientiæ ad animarum nostrarum sanctificationem, & salutem, facere posse neminem. Cùm autem eos minimè lateat, eum qui hoc ordinauit, omnium aliorum, quæ credimus, mysteriorum fuisse auctorem, inde fit, vt huius mysterij certissima fides cæterorum quoque fidem adaugeat.

Iam igitur illud, quod nobis de hoc Sacramento credendum est, declarare incipientes, dicimus, quòd virtute verborum consecrationis, quæ à sacerdote proferuntur, panis substantia in ipsum Domini corpus, & vini in eius pretiosissimi sanguinis substantiam mutatur. Cùm autem tam corpus quàm sanguis non sint sine anima, & vtrunque non sine diuinitate; ob id, etsi dictorum verborũ virtute sub illis speciebus sacramentalibus nihil aliud fit, quàm corpus & sanguis Christi; ratione tamen cõcomitantiæ, & coniunctionis, eius quoque sanctissimam animam, & diuinitatem subesse credendum est. Hoc est illud, quod de hoc mysterio nos credere oportet.

Vt autem credamus rem ita se habere, nihil aliud opus est, nisi ostendere, id Deum facere potuisse, atque voluisse: voluntate enim Dei & potestate probata, omnis statim quæstio concidit. Hæc duo primùm exponam, deinde ad quid fuerit institutum hoc Sacramentum adaperiam.

Quod autem ad primum attinet, posse scilicet Deum sacerdotis ministerio hanc in illam substantiam mutare, disputatione non eget. Maioris enim negotij est ex nihilo aliquid facere, quàm aliquam substantiam in aliam mutare. Cùm autem confiteamur ex nihilo Deum cælos, qui tam magni sunt, vnà cum mari, & terra creasse; multò magis aliquid ex aliqua re facere poterit. Præterea nobis compertissimum est, quòd ille panis, quem quotidie comedimus, caloris naturalis vi breui temporis spatio in nostram carnem mutatur: quid igitur mirum est, si, quod naturalis calor potest tribus vel quatuor diebus efficere, temporis momento idem omnipotentis Dei virtus perficit? Et qui in Euangelij nuptijs tam facilè aquam in vinum mutauit, panis quoque substantiam in substantiam sanctissimi sui corporis mutare poterit.

CAT. Hæc conuersio, & mutatio nullam mihi dubitationem affert: sed quod mihi mirandũ videtur, illud est, cùm tam multæ in Ecclesia Christiana dicantur eodem tempore Missæ, quomodo in omnibus assistat Dei præsentia, ita vt eo momento, quo sacerdos cõsecrationis verba proferre desinit, Deus hanc mutationem non Angelorum ministerio, sed per se ipse perficiat. Hoc enim si carnis oculis intuemur, nihil aliud videtur, quàm in hoc officio & cura semper Deum continere, vt semper ei modò huc, modò illuc ita currendum sit, vt ne latum quidem vnguem aberret.

MAG. Quàm præclarè dixit Tullius, (vt superiùs diximus) quòd difficile est, à sensuum vsu intellectum abstrahere, qui vult quidem diuinas humanis rebus metiri, cùm illa nobilissima natura super omnia creata infinitè eleuata sit. Inde fit, vt nihil sit, quod maius afferat hominibus impedimentum quò minus Deum cognoscant, quàm quòd per se ipsi eum & cognoscere, & experiri volunt. Vt autem intelligas, quòd hæc Dei præsentia nullam ei curam afferat, nec illius felicitatem minuat, illud tibi in exemplum sit. Anima intellectiua, quo præditi sunt homines, (vt Aristoteles & omnes boni Philosophi testantur) non ducitur de potentia materiæ, de qua humanũ corpus formatur: sit enim hoc ex corporea quadam materia. Sed cùm anima sit spiritalis

substan-

substantia Angelis similis, ex re materiali minimè produci potest, & propter hanc causam extrinsecus aduenire dicitur. Præterea fides, & Christiana religio illud addit, quòd posteaquam fœtus est organizatus in materno vtero, omnium rerum Conditor per se creat animam, & in illo corpusculo infundit eo momento, quo membra illius perfecta sunt. Ex te igitur quæro, quàm esset Deus in tot animarum creatione, & infusione in illarum corpora solicitus, & occupatus? Respice totum terrarum orbem, qui tum nostro hemisphærio, tum eo, quod huic nostro oppositum est, tum omnibus insulis, tandem omnibus nationibus, & gentibus cōstat, & animaduertas quàm multas opportunitates tum creandi, tum infundendi animas in illarum corpuscula, diu, noctuq́ue habebit Dominus?

CAT. Hæc quis enumerabit præter illum, qui solus cæli stellas enumerare potest? Si Deus debet his omnibus locis præsto esse, videtur profectò debere se perpetuò in creandarum animarum officio continere.

MAG. Ita profectò res, vt dicis, se habet: hæc tamen occupatio, & multæ aliæ, quas hic non enumero, illi beatissimæ felicitati, & tranquillitati, qua æternè fruitur Deus, non repugnat, sed cum illa conuenit. Iam verò si hic Dominus diu, noctuq; assistit, vt quo momento perfecta sunt tam multa corpora, tot millia animarum nunquam deficiens creet, & illis infundat; quid mirum est, omnibus altaribus Christianæ religionis præstò esse, & eam, quā diximus commutationem, statim prolatis à sacerdote consecrationis verbis efficere? Si omnibus AEthiopibus maribus & fœminis in AEthiopia conceptis, (qui tam parui fiunt) vt ijs animas infundat, assistit; quantò maiori ratione aderit in sui corporis consecratione, quod ad nostræ vitæ sanctificationem permagni interest?

CAT. Tantam habet vim hoc exemplum ad id probandum, quod dixisti, tamq; vrget ad ostendendum, quòd id fieri potest à diuina omnipotentia, vt ei cōtradicere nemo possit. Propter hanc causam (quod attinet ad Dei potentiæ articulum) mihi penitus satisfactum esse fateor. Iam igitur de voluntate, quæ secunda & magis præcipua pars est, agas velim.

MAG. Vt hanc Dei voluntatem ostendamus, necesse est priùs, quæ sint ea, quæ hic panis Angelorum in illis operatur, & efficit, qui animarum gustū purgatum & sanum habent, explicare. Illud eò dico, quòd ad sapores dijudicandos necesse est, vt gustus bene affectus sit.

Vt igitur vim, & efficientiam huius cælestis cibi dignoscamus, necesse est, vt oculos in animam aliquā conuertamus, quæ hoc modo purgata, & affecta sit. Ita profectò se habent illæ, quæ omnem suam mentem, operam, & curam in eo fixerunt, & collocarunt, vt se Deo gratas, & acceptas reddant, diuinæq; voluntati obsequantur, & cum Propheta dicant: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluntatem Domini.* Psal. 26.
Illæ enim animæ videntur omnes suas curas in vnica cura, omnia negotia in vnico negotio, omnes suas voluntates in vnica voluntate, vt scilicet Deo sint gratæ, collocasse. In hoc maximè inuigilant, vt omne peccati genus effugiant, etiam si venia digna, & leuiora sint. Corpus suum ieiunijs, cilicijs, & sanctis vigilijs castigant. Magnam diei partem habēt, qua Deo operam nauent, & precibus inseruiant, quod cùm sæpè aliàs, tum ante, tum post factæ commu-

communionis tempus, faciunt, vt se omni pietate, conscientiæquе puritate, quoad eius fieri poteſt, ad eam ſuſcipiendam parent. Et in ſumma, ita omnes ſuæ vitæ partes diſponunt, vt illorum vita ad ſacram communionem perpetuus apparatus ſit.

Ab huiuſmodi autem hominibus ſciſcitandum eſt, quoſnam fructus illorum animæ ex frequenti huius cibi vſu percipiant. Hi profectò reſpondebũt, ſe tantis cumulari ſpiritalibus gaudijs, vt ſibi verba deſint, quibus id explicare valeant. Reſpondebunt, omnes hinc animę vires renouari; hinc eorum intellectum ad Dei bonitatem cognoſcendam, & Creatoris miſericordiam informari; hinc guſtare, guſtandoqúe, quàm ſuauis ſit Dominus, videre; hinc fidem clariorem, ſpem firmiorem, charitatem ardentiorem fieri.

Sed vt de huius diuini Sacramenti effectibus aliquo tractemus ordine, vt id meliùs intelligas; illud tibi ſciendum eſt, duos præcipuos huius Sacramẽti effectus eſſe; alterum, cum omnibus alijs Sacramentis legis gratiæ communem, quod eſt ei gratiam conferre, qui illud dignè ſuſcipit, à qua gratia omnes virtutes infuſæ, pficiſcũtur, ex quo fit anima fortior, pulchrior, & ad omnia bona accõmodatior. Alter effectus eſt huius Sacramenti proprius, quo à ceteris hoc differt, quem Theologi refectionem ſpiritualem vocant; quod eſt nutrimentum animæ, quo illa renouatur, reficitur, & ad omnia bona reſtauratur. Quamobrem Florentinum concilium inquit, quòd quæcunque fiunt in corporibus à corporali cibo, ea omnia ab hoc diuino cibo in animabus etiam fieri. Hos effectus ad tria reducere poſſumus, quæ nutrimentum corporale habet; reficere, quod elapſum eſt; guſtum delectare; famem extinguere, cùm qui illud ſuſcipit, eum penitus ſaturet & expleat. Nunc autem hos tres effectus ad hunc diuinum cibum referamus.

Primùm (vt diximus) corporalis cibus illud, quod de noſtra ſubſtantia deperditum eſt, reficit, ac reponit. Huius autem refectionis neceſſitas ex illo proficiſcitur, quòd vt lucernæ lumen ſemper oleum, quod cõtinet, cõſumit, ita noſtrorum corporum calor innatus eorum ſubſtantiam ſemper cõſumit: & propter hãc cauſam, vt ſemper in illam oleũ infundimus dum ardet, ita & corpora quotidiano cibo reficiẽda ſunt, vt quod ex altera parte deperditur, ex altera reſarciatur. Hac præterea refectione non ſolùm, quæ pars ſubſtantiæ deperdita eſt, reſarcitur; verùm etiam in certa ætate (qualis eſt infantium, & puerorum) adaugetur: & hoc modo qui parui ſunt adoleſcunt. Hoc eodem cibo corporis vires, vel fame, vel inedia languidiores, & infirmiores reficiuntur, atque firmantur. Quod quidem in cõualeſcentibus videre licet. Hæc igitur omnia hic Angelorum panis efficit in animis: quæ proprio quoque alimento indigent. In illis enim alius ineſt non naturalis calor, ſed vehemens, & ardens, (quem ſancti homines concupiſcentiam dixerunt) & à noſtris primis parentibus acceptus, & ab originali peccato genitus. Qui ardor quò magis nos ad caducarum rerum concupiſcentiam propenſos reddit, hoc in diuinis rebus tardiores, minuſq; accõmodatos efficit; & quò magis carnis illecebras auget, hoc magis ſpiritus, & animi minuit; & quò magis ſuorum affectuum

Sap 9. pondere aggrauat, eò magis (vt ait Sapiens) nos deprimit. Accedit ad hæc mundus, vitiorum dux armatus, quod eſt conſuetudo, & familiaritas cum carnalibus hominibus, qui noſtris cupiditatibus inſeruiunt. Cùm igitur tam multos

multos ad malum impulsores habeamus, si qui nos ad bonũ iuuaret, & excitaret, non haberemus, quomodo nobiscum ageretur? Propter hanc igitur caussam diuina prouidentia (quæ neque formicis deest, & quò res præstantiores sunt, eò sibi maiori curæ sunt) vt corporibus accommodatum cibum administrauit, ita consentaneum erat, vt & animis propriũ, & accommodatũ pararet; quod, cùm hoc diuinum corporis sui instituit Sacramentum, effecit, de quo ipse dixit; *Caro mea verè est cibus.* Cibum dixit, non corporum, sed animarum; cuius vi reficitur id, atque reparatur, quod nostræ concupiscẽtiæ ardor, & mundi societas detraxit. Cuius frequenti vsu in spirituali vita augetur homo, & in omnibus virtutibus confirmatur, nouasq; vires adipiscitur, & robur, vt in itinere virtutis arduo proficiscatur cum Elia vsq; ad Dei montẽ. Vires quoque, quibus cum tentationibus, communisq; nostri hostis insidijs, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, facilè obsistamus, inde consequimur. Hic igitur est huius diuini cibi primus effectus. Ioan. 6. 3. Reg. 19. 1. Pet. 5.

Secundam cibi proprietatem esse diximus, gustui & palato voluptatem afferre, eoq; maiorem, quò cibus pretiosior est, & illius, qui sumit, palatum meliùs affectum. Hanc voluptatem instituit Dominus ad nostræ vitæ conseruationem. Cùm enim necesse ad vitam esset, vt comederemus, hãc voluptatem in cibis inesse voluit, vt nos ad comedendum alliceret, atque traheret, vt fieri omnibus compertum est, cùm multi potiùs propter voluptatem, quam in cibis experiuntur, comedant, quàm vt vitam sibi conseruent. Quòd si Creator in corporum cibo (quorum vita parui fit) hanc voluptatem inseruit; quãta erit voluptas ab eodem in animarum, quæ longè corporibus antecedunt, cibo inserta, qui est hic Angelorũ panis? Cùm igitur talis, & tam magna sit huius diuini cibi voluptas, vt (quẽadmodum S. Thomas inquit) nemo id exprimere valeat, quòd hic (inquit ille) in suo fonte voluptas gustatur, quæ in Deo infinitè suauis est, omniumq; suauitatũ auctore, cogitãti quidẽ ex altera parte animæ dignitatẽ, & ex altera huius cibi præstantiam, hæc ratio notissima fit. Nam cùm anima longè corpori antecedat, illud sequitur, eò præstantiores esse illius voluptates, & suauiores, quàm corporis voluptates, quò & hæc corpore est præstantior. Quid igitur de cibo, qui Deus est, dicere oportet? Quantò maior erit huius cibi suauitas, quàm illa, quæ percipitur in corporeis cibis, in ijs præsertim, qui (vt diximus) animarum palatum satis purgatum, & bene affectum habent. In huiusmodi enim hæc suauitas non solùm omnes spiritus quasi sinus & recessus, atque vires reficit, & replet, sed resultat etiam in carne tanta suauitas, quæ in causa sit, vt homo cum Propheta illud canat: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Inde etiam fit (id quod S. Bonauentura in quodam libro de perfectione, ad quandam suam sororem scripsit) quòd sæpe accidit, vt homo viribus exhaustus, & penitus infirmus, ad sacram Communionem accedat, sed deinde tantam ex huius cibi vi, & efficientia voluptatẽ capiat, vt inde integris viribus non aliter discedat, ac si penitus robustus accessisset. In quo (hic Sanctus inquit) Deus, se interdum vtriusque hominis, interioris, & exterioris, cibum & robur esse velle, ostendit. Psal. 83.

Et quis fructus, quos efficit hæc suauitas in illo, qui illam suscipit, explicare poterit? Primùm enim cùm huiusmodi anima, se à Domino nostro sic visitatam, & consolatione affectam sentiat, seq; tanta benignitate, & facilitate

non aliter ac peramatam filiam esse tractatã, statim in ea maximus Dei amoris ignis accenditur, quòd sibi tam suauem, tamq; benignum, tamq; gratiosum ostenderit. Ex hoc autem amore cum hac suauitate coniuncto omnis bona voluntas, & appetitus emanat, qui flores sunt, ex quibus bonarum actionum fructus consequuntur.

Hinc enim primùm omnium mundi voluptatum, & suauitatũ oritur despicientia: nam (vt inquit S. Bernardus) statim suauitate spirituali percepta, tota caro (id est, quidquid terrenum est) suum amittit saporem, & hac ratione spiritualis homo idola, quæ colebat, fastidit, & ab illis abhorret. Quemadmodum enim homines glandes, (quæ suum cibus sunt) pane triticeo inuento reliquerunt; sic hæc pia anima omnes appetituum voluptates, spiritalibus inuentis, quæ longè præstantiores, & suauiores sunt, tum despicit, & pro nihilo ducit: illæ enim creaturarum, & hæ Creatoris voluptates sunt. Ex eo quoque fit, vt homo ei Domino, qui se tantopere dilexerit, quiq; tam suauem, atq; gratiosum se ostenderit, obsequi vehementer appetat. Cùm autem sciat, nihil esse, in quo magis ei obsequatur, quàm cùm eius præcepta seruat, eiq; obtemperat, nihilq; esse à quo magis ille abhorreat, quàm à peccatis; inde fit, vt quoddam ardentissimum desiderium ad Dei mandata seruanda excitetur, quædamq; vehemens, ac diligens cura, vt non solùm omnia peccata grauiora, quæ mortalia, sed etiam leuiora, quæ venialia dicuntur, penitus effugiat, vnà cum omnibus vtrorumque occasionibus. Propter hanc causam solitudine, atque silentio delectatur: hac enim ratione cor suum abstractum seruat, & multorum peccatorum occasiones effugit.

Hinc præterea ardens oritur cupiditas patiendi pro tanto Domino labores, contradictiones, vel etiam profundendi sanguinem. Nam cùm optimè
Rom. 5. sciat veræ virtutis experientiam in patientia tribulationum (vt Apostolus inquit) consistere, quodq; id est, quo maximè ille delectatur, qui pro se passus est; inde fit, vt quò magis ei obsequi desiderat, eò maiori desiderio patiendi afficiatur: & ita in laboribus, ac infirmitatibus lætatur, & propter hanc causam Deo gratias agit.

Cant. 8. Cùm autem (vt scribitur in Canticis) amor sit fortis, vt mors, quæ omnia vincit; ex hoc suauissimo amore, qui nobis per huius cælestis panis virtutem communicatur, in animabus nostris tantum efficitur robur, vt illud multis laudibus S. Ioannes Chrysostomus prosequatur dicens, quòd ab hac mensa homines tanquam leones robustissimi egrediuntur, qui ex ore ignem, quo ipsos perterrefaciunt dæmones, emittunt. Propter hanc causam S. Martyr Cyprianus, cùm Ecclesiam persequebantur, illud curabat, vt anathematizati absoluerentur, & illis sacra Communio administraretur; cùm hæc sint arma, quibus cùm induerentur, robustiores aduersus tyrannorum furorem fierent. Dicebat enim eos in prælio non posse fortiter pugnare, qui non his armis induti essent.

Tertius eibi effectus ille est, (vt diximus) quòd famem depellat, & satiet. Qui effectus maximè omnium ad hunc Angelorum panem pertinet. Hoc illi experiuntur homines, de quibus iam pridem verba fecimus, qui Domini præsentia, qui in hoc Sacramento continetur, tantam in animabus suis satietatem, & suauitatem, & pacem, & quietem omnium appetituum, ac cupiditatum

tatum accipiunt, vt nihil sit ampliùs, quod in hac vita desiderent. Neque id mirum videri debet: cùm enim sit Deus animarum nostrarum sponsus, & vltimus finis vitæ nostræ, & nostræ felicitatis quasi centrum; cùm anima in hoc centro conquiescat, & illius Domini præsentia fruatur, qui infinitè amabilis est, nihil est quod præterea desideret: hoc enim pauculo cibi tam fit plena, & satiata, vt nihil aliud appetat, cùm illud vniuersale bonum in se habeat, in quo sunt omnia bona, & eo tempore nunquam desistit dicere illa verba, quæ S. Franciscus sæpe repetebat; Deus meus, & omnia: Deus meus, & omnia.

Ex hac satietate mira eiusdem cibi, qui hanc fecit satietatẽ, fames oritur. In quo quidẽ facilè cernitur, quid intersit, vt ait S. Gregorius, inter corporis, & animæ voluptates. Quia in illis satietas fastidium, in his verò contra famẽ, iuxta illa Sapientiæ verba, parit: *Qui edent me, adhuc esurient: & qui bibent me, adhuc sitient.* Eccli. 24. Cùm enim anima pia hoc cælesti conuiuio omnem satietatem, omnemq; consolationem, & quæcunque diximus, contineat in se, vehemens excitatur huius conuiuij cupiditas, vt iterum eandem percipiat voluptatem, quam experta est, & grauiter, molesteq; fert, cùm in longum tempus differtur.

Quid plura? Ex eadem pace, & satietate, nostrarum affectionum mortificatio consequitur. Cùm enim hæ ex nostræ carnis cupiditatibus (vt S. Iacobus Iacob. 4. testatur) oriantur, cumq; hoc cibo illis penitus satisfiat; nec ira, nec cæteræ animi affectiones inordinatæ quidquam habent, quo perturbentur, molestiaq; afficiantur: causa enim perturbationis earum est, impediri voluptatem earum rerum quas appetimus: quod hîc locum non habet, cùm cor quietum sit, & contentum illo quod habet.

Ad hos effectus, vel fructus, alium addo admirabiliorem, quem huiusmodi animæ in sacra experiuntur Communione. Nam cùm ex altera parte suam cognoscant abiectionem, & vilitatem, ex altera illius Domini immensitatem, & altitudinem, qui super omnia creata infinitè est eleuatus; & animaduertunt, quomodo hic Dominus, qui cęlum & terram complet, qui super Cherubin sedet, cuius sedes cælum est, cuius regale solium est terra, in casa paleis tecta habitare non molestè tulit; hinc in animo maxima illis excitatur admiratio, cum singulari quodam amore coniuncta, & quædam lætitia, quæ non facilè verbis explicari potest. Et nonnunquam ita penetralia (vt ita dicam) animarum ingreditur hęc admiratio (cùm multò ante purgatæ sunt) vt superiorem animæ partem secum trahat, & inferiorem sine vllo sensu penitus relinquat. quod sæpe S. Catharina de Senis experta est, quæ ita in spiritu rapiebatur, cùm altaris Sacramentum sumebat, vt (quemadmodum in diplomate illius Canonizationis scriptum est) licet feriretur, pungereturqúe, tanquam lapis nullum doloris sensum perciperet. Idem B. P. S. Francisco vsu veniebat, de quo scribit S. Bonauentura, eum in ecstasim rapi vt plurimum, cùm hostiam sumebat, & sine sensibus fieri solitum. In quo cernitur, quantò maior sit huius diuini cibi suauitas, & voluptas, quàm omnium aliarum totius mũdi voluptatum; cùm tantam vim habeat, vt spiritum in Deum trahat, & corpus penè mortuum relinquat: quæ autem deliciæ, quæ voluptates reperiuntur in terris, quæ huc vsque pertingant? Quod in suis Canticis non prætermisit Cant. 1. sponsa, quando cum suo sponso verba faciẽs dixit, illius vbera esse vino me-

tam puritatem,& pulchritudinem animabus impertiretur, vt cùm videret, quàm magni stimuli illius dolores, & tormenta nobis ad hoc essent, se illis propter hanc causam offerre non dubitauit. Et hoc illud est, quod Apostolus significauit, cùm inquit, quòd Saluator cùm sibi ob oculos poneret animi voluptatem, crucem complexus est, nihili faciens imminutionem, & confusionem, quam ille in ea passurus erat. Quænam autem animi voluptas hęc est, nisi illud gaudium, quod illa sanctissima anima erat perceptura ex tot animarum sanctificatione,& pulchritudine, quæ illius pretiosi sanguinis virtute,& merito sanctificari,& exornari debebant? Hos autem apertiùs declaremus, vt magnitudo huius voluptatis meliùs intelligatur.

Hebr. 10

Saluator hic, cui omnia futura præsentia erãt, ob oculos sibi illorum sanctissimorum Pontificum, & Doctorum suę Ecclesiæ animarum pulchritudinem posuit, Augustini, Ambrosij, Gregorij, Basilij, Chrysostomi, & aliorum innumerabilium Põtificum,& Doctorum, qui in illius Ecclesia magis, quàm stellæ in cælo splenduerunt,& sua doctrina, & sanctitate mundum illuminarunt. Ante oculos sibi posuit pulchritudinem animarum illorũ sanctissimorum Monachorum, Pauli, Antonij, Hilarionis, Arsenij, Syluani, Macharij, & aliorum innumerabilium, qui vitam magis quàm humanam viuebant, qui cùm in carne essent, ita viuebant, quasi sine carne essent; & in terris cum suis corporibus versantes, spiritu in cælo versabantur. Ante oculos sibi posũit spiritalem pulchritudinem Benedictorum, Bernardorum, Dominicorum, Franciscorum, & aliorum religiosorum infinitæ multitudinis, qui sub horum gloriosorum ducum vexillo,& regula militaturi erant, paupertate illorum vestigia sequentes, bona huius mundi renuntiantes,& castitatis pulchritudine matrimonij curas,& obedientię virtute suæ voluntatis dominatum; quibus ab omnibus tẽporalibus negotijs liberi, se ad sui Creatoris amorem, & cultum collaturi erant. Ante oculos sibi posuit illarum sanctissimarum Virginum pulchritudinem, Cęciliæ, Margaretæ, Agathæ, Apolloniæ, Agnetis, Lucię, Dorotheæ, & Catherinæ, & aliarum innumerabilium Virginum, quæ mundum vnà cum fœminea infirmitate deuicerunt,& in terris Angelorum cęli puritatem conseruarunt, suum sanguinem pro cęlestis sui sponsi gloria effundentes, & sanguine suorum martyriorum suam virginitatem & puritatem exornantes. Ad hæc omnia, quod maiorem voluptatem illius sanctissimę animæ afferebat, erat, cùm fidem, constantiam, & inuictam fortitudinem contemplabatur gloriosissimorum Martyrum, Cypriani, Laurentij, Vincentij, Ignatij, Polycarpi, Mauritij, & aliorum innumerabilium militum, qui tam gloriosè decertaturi erant, qui tot certamina superaturi, qui tam gloriosè triumphaturi erant de omnibus totius terrarum orbis Imperatoribus,& de omnibus inferni viribus, ne quid fidei aut fidelitatis, quam suo legitimo Imperatori,& Domino debebant, imminuerent. Harũ autem omnium pulchritudinum species in illius sanctissima anima tantam voluptatem efficiebat, vt (quemadmodum diximus) in causa fuerit, vt crucem complecteretur, vt omnes has animas pulchras sui pretiosi sanguinis purpura redderet. Quod Apostolus significauit, cùm dixit: *Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam,*

Ephes. 5

maculam, aut rugam. Hoc autem Moysem & Eliam tractasse credendum est sua transfigurationis glorioso die, qui cùm tractarēt cum eo de morte, quam ipse passurus erat in Hierusalem, tractarunt quoque de inęstimabili fructu, qui ex ea profecturus erat, & de hac magna voluptate, quam inde capturus erat. Hæc est illa voluptas, & illa satietas, quam prophetauit Isaias, cùm de huius Domini passione verba faciens inquit: *Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur:* significans, quòd meritis maximorum dolorum, quos in corpore, & anima sua sanctissima passus fuit, admirabilem videbit fructum, qui inde cōsequetur, qui est mundi conuersio, & renouatio, ex quo tantam lętitiam, & voluptatem percipiet, vt illius voluntas plena & satiata futura sit, existimans bene collocatum, quod propter hanc causam passus est. Æquum enim erat, vt qui tanta animarum salutis fame laborauit, vt pro illis emori non dubitauerit, ei minimè negaretur, quod tantopere desiderauit. Isa. 53.

Cùm igitur Saluator sibi ante oculos poneret voluptatem omnium horum fructuum, non vnam mortem, sed mille, si necesse fuisset, propensa voluntate pati voluisset. Et hoc etiam parum illi visum fuisset propter sui æterni Patris obedientiam & gloriam, & propter mundi renouationem, & remedium, cùm videret se hoc summo beneficio vires, & animum illis addere, qui studiosam vitam agerent.

Vt autem reuertar ad rem, has antè dictas tres circunstantias, frater mi, debes tibi ante oculos ponere, vt ad huius clementissimi Redemptoris amorē te accendas. Et vt maiori cum vtilitate in hac exercitatione te contineas, illud te admonitum volo, vt, cùm in horum Saluatoris dolorum, & contumeliarum contemplatione te contines, semper tibi ante oculos ponas, quisnam sit hic Dominus, qui patitur, (qui est ille magnus Deus, quem paulò antè tibi descripsi) quod'q; id passus est, vt nos redimeret præstantiore ratione, quàm in hoc esse posset. Id enim tuam animam in maximam admirationem, & amorem illius incomprehensibilis bonitatis, qui propter nostram causam ita se demisit, rapiet.

Quòd si hinc dæmonium occasionem tui scandalizandi sumeret, recordare illud, quod hactenus narrauimus, id est, quòd licet verè dicamus, quòd Deus passus est, & mortuus: non tamen vt Deus passus est, neque mortuus, (hoc enim minimè fieri poterat) sed quatenus homo. Nam licet Deus esset, erat etiam verus, & perfectus homo, vt quilibet nostrum est, ex corpore, & anima rationali compositus; sed ab omni peccato liber, & immunis, & omnium hominum sanctissimus, & eorum sanctificator. Et secundùm hanc naturam in scripturis Dei seruus dicitur; & seruus, quem ex vtero matris propter suam gloriam delegit. Secundùm igitur hanc naturam pro mundi redemptione passus est, & pro sui æterni Patris obedientia, & gloria. Quòd si maior dignitas, quam Apostoli, & Martyres consecuti sunt, fuit mortem pro Dei gloria pati; non erat consentaneum, vt Sanctorum Sanctus hac dignitate careret, sed vt pateretur sicut illi pro sua ipsius gloria. Propter enim hanc causam voluit, vt illius sanctissima mater ad crucis radicem adesset, in anima sua maiorem dolorem patiens, quàm vlla pura creatura vnquam passa sit, suis auribus malleorum ictus percipiens, quibus claui in illo delicatissimo corpore figebantur, & suis oculis sanguinis riuulos cernens, qui ab illo emanabant,

Quod illa non propter sua peccata patiebatur, (quę non habebat) neque propter aliorum; (quòd filij passio satis erat) sed ne sanctarum omnium Sanctę illa summa dignitas, & excellentia deesset, quod est, vt Deo obedias, & illi gloriam parias, molestias pati.

Tu autē cùm hoc modo Saluatorem consideres, vt verum, & perfectū hominem, vt quilibet Sanctus fuit, nullum scandalum tua anima patietur, cùm videat eum pati, vt illi passi sunt. Ad id autem intelligendum Ecclesiæ cæremonia tibi opem feret, quæ, cùm Credo dicitur in Missa, tantum cessat, & tanta solennitate, & reuerentia illa verba canit, *Et homo factus est*, percurrendo quidquid sequitur, quod est, *Crucifixus etiam pro nobis, &c.* non quòd maius sit Deum hominem fieri, quàm pro homine in Cruce mori, (hoc enim multò plus est) sed quòd eo posito, quòd illi summo Domino placuerit hominem verum, & perfectum fieri, non in malam partem accipere debemus, quidquid in illa sacra humanitate passus est.

Hanc admirabilem vnionem, & coniunctionem Dei cum nostra humanitate declarat S. Leo Papa, inquiens, quòd tam stricto vinculo ita has duas naturas copulauit, vt neque maioris gloria minoris naturam consumeret, neque minoris vilitas maioris gloriam imminueret. Ita vt harum duarum substantiarum proprietate & natura salua, & integra, cùm in vna persona ambæ coniunctę sint, placuerit maiestati nostram humilitatem induere, & æternitati mortalitatem, fortitudini infirmitatem; vt idem Dominus, vt mediator inter Deum & hominem, id omne adhiberet, quod ad nostrum remedium conueniret, ex vnius naturæ parte moriens, & ex alterius resurgens. Nam si ille verus Deus non esset, nullum remedium nobis afferre potuisset; & nisi verus homo fuisset, nobis exemplum non attulisset. Hæc Leo Papa. Tibi igitur frater, in huius veritatis cognitione cōfirmato, non absurdi videbuntur dolores, & molestiæ, quas in passione sua hic Dominus pertulit. Cùm igitur ille sit verus, & perfectus homo, & omnium hominum sanctissimus, non debebat carere (vti diximus) maiori honore, & dignitate, quàm illi habuerunt, quod fuit pro Dei gloria mortem pati; & huius veritatis fide inimici tela, & ictus facilè à te reijcies.

Vt autem ad præcipuum propositum redeamus, de quo tractabamus, vt Deus tibi illam impertiatur consolationem, qua illius intimi familiares fruuntur, hoc mysterio contemplando, debes petere præter fidem, aliam lucem, & alios oculos, vt hunc Dominum in cruce positum intueri possis. Eos enim si haberes, statim cerneres thesauros, & diuitias gratiæ, quę in illo inclusæ sunt. Videres suauissimos sanctę Crucis arboris fructus. Huius remedij, quod diuina sapientia pro nostra salute delegit, admirabiles conuenientias prospiceres. Ibi videres magnos stimulos, qui ad amandum, & glorificandum hunc Dominum nos excitant, & vt millies pro eo mori desideremus: & multa tandem alia, quæ paucis verbis explicari non possunt.

Terminos excessi, frater, quos mihi proposui, quod erat te in illis rebus erudire, quæ ad huius mysterij cognitionē pertinent, illud addēdo, quod nostram voluntatem stimulis grati animi pro hoc summo beneficio, & ad amorem huius clementissimi Domini excitare potest. Confirmata enim fide, hoc illud est, quòd maximè conducit.

CAT.

CAT. Facere non possum, Præceptor, quin confitear, quidquid hactenus dictum, animæ meæ auribus suauissimam musicam fuisse, & omnibus vitæ meæ diebus eam audire velle. Quid enim dulcius est homini Christiano, quàm videre se à tanto Deo tanti æstimari, & tam amari, qui hæc omnia pati voluit, vt illum ab inferni pœnis liberaret, & cum Angelis in cælo perpetua gloria coronaret, & illum, hoc tanto beneficio ad suum amorem, & obedientiam alliceret, atque traheret?

DIALOGVS OCTAVVS, IN QVO DE sanctissimo Altaris Sacramento agitur.

CATECHVMENVS.



ALTVD mysterium magis proprium, atque præcipuum Christianæ religionis, est sanctissimum Sacramentum altaris. Et quia Catechumeni status in eo est, vt mysteria fidei, quam in me Deus sua bonitate infudit, penitus addiscat, vehementer illis rebus informari velim, quæ ad huius diuini Sacramenti doctrinam spectant.

MAG. Fateor quidem, frater mi, nihil esse, de quo libentiùs verba faciam, quàm de hoc, propter magnam, quam ex eo percipio, consolationem, cùm huius beneficij magnitudinem in animo euoluo; neque quidquam, de quo maiori cum timore sermonem habeam: illud enim parum, quod de hoc mysterio intelligo, huiusmodi est, vt mihi verba desint, quibus id explicare valeam. In quo quasi parturientis dolores anima mea patitur: velim enim verbis id explicare, quod animo concepi, & id pro rei dignitate me facere non posse certò scio: quemadmodum enim hoc diuinum beneficium incomprehensibile esse perspicio, ita quoque ineffabile esse, me profectò non latet. Timeo autem iure: cùm enim in me ea non esse verba sciã, quibus plenè rem ipsam explicare valeã, vereor ne illius dignitatem, & præstantiam quasi iniuria afficiam. Quare, vt arbitror, tutius esset hoc mysterium summa animi pietate, & silentio venerari, quàm arroganter illud sibi sumere humanis verbis explicãdum, quod angelicis linguis minimè explicari potest. Ad id etiam spectat illud, quod S. Gregorius his verbis inquit: Tunc maiori eloquentia de operibus virtutis diuinæ loquimur, cùm illorũ admiratio nostram linguam mutam reddit; & meliùs de illis verba facit homo silendo illud, quod non satis potest exprimere loquendo. Quamobrem inquit Propheta: *Laudate Dominum secundùm multitudinem magnitudinis eius.* Laudatur hoc modo ab illo, qui sibi verba deesse, quibus eum laudet, fatetur. Psal. 150.

Sed cùm cupias huius Sacramenti doctrinam tibi tradi, quòd priùs expositurus sum, illud est, multos fideles ita esse firmos, ac constantes in hoc mysterio, tamq; procul ab omni hæsitatione remotos, vt hoc cæteros nostræ fidei articulos maiore animi alacritate atq; constantia complectantur. Tam multa enim bona, tantamq; animi alacritatem ex illius frequenti vsu capiunt, tantamq; in intellectu claritatem, tantumq; amoris ardorem in voluntate, tantaq; ad omnes virtutes præsidia, vt facilè intelligant, præter Deum rem tantæ effi-

 effi-

efficientiæ ad animarum nostrarum sanctificationem, & salutem, facere posse neminem. Cùm autem eos minimè lateat, eum qui hoc ordinauit, omnium aliorum, quæ credimus, mysteriorum fuisse auctorem, inde fit, vt huius mysterij certissima fides cæterorum quoque fidem adaugeat.

Iam igitur illud, quod nobis de hoc Sacramento credendum est, declarare incipientes, dicimus, quòd virtute verborum consecrationis, quæ à sacerdote proferuntur, panis substantia in ipsum Domini corpus, & vini in eius pretiosissimi sanguinis substantiam mutatur. Cùm autem tam corpus quàm sanguis non sint sine anima, & vtrunque non sine diuinitate; ob id, etsi dictorum verborũ virtute sub illis speciebus sacramentalibus nihil aliud fit, quàm corpus & sanguis Christi; ratione tamen cõcomitantiæ, & coniunctionis, eius quoque sanctissimam animam, & diuinitatem subesse credendum est. Hoc est illud, quod de hoc mysterio nos credere oportet.

Vt autem credamus rem ita se habere, nihil aliud opus est, nisi ostendere, id Deum facere potuisse, atque voluisse: voluntate enim Dei & potestate probata, omnis statim quæstio concidit. Hæc duo primùm exponam, deinde ad quid fuerit institutum hoc Sacramentum adaperiam.

Quod autem ad primum attinet, posse scilicet Deum sacerdotis ministerio hanc in illam substantiam mutare, disputatione non eget. Maioris enim negotij est ex nihilo aliquid facere, quàm aliquam substantiam in aliam mutare. Cùm autem confiteamur ex nihilo Deum cælos, qui tam magni sunt, vnà cum mari, & terra creasse; multò magis aliquid ex aliqua re facere poterit. Præterea nobis compertissimum est, quòd ille panis, quem quotidie comedimus, caloris naturalis vi breui temporis spatio in nostram carnem mutatur: quid igitur mirum est, si, quod naturalis calor potest tribus vel quatuor diebus efficere, temporis momento idem omnipotentis Dei virtus perficit? Et qui in Euangelij nuptijs tam facilè aquam in vinum mutauit, panis quoque substantiam in substantiam sanctissimi sui corporis mutare poterit.

CAT. Hæc conuersio, & mutatio nullam mihi dubitationem affert: sed quod mihi mirandũ videtur, illud est, cùm tam multæ in Ecclesia Christiana dicantur eodem tempore Missæ, quomodo in omnibus assistat Dei præsentia, ita vt eo momento, quo sacerdos cõsecrationis verba proferre desinit, Deus hanc mutationem non Angelorum ministerio, sed per se ipse perficiat. Hoc enim si carnis oculis intuemur, nihil aliud videtur, quàm in hoc officio & cura semper Deum continere, vt semper ei modò huc, modò illuc ita currendum sit, vt ne latum quidem vnguem aberret.

MAG. Quàm præclarè dixit Tullius, (vt superiùs diximus) quòd difficile est, à sensuum vsu intellectum abstrahere, qui vult quidem diuinas humanis rebus metiri, cùm illa nobilissima natura super omnia creata infinitè eleuata sit. Inde fit, vt nihil sit, quod maius afferat hominibus impedimẽtum quò minus Deum cognoscant, quàm quòd per se ipsi eum & cognoscere, & experiri volunt. Vt autem intelligas, quòd hæc Dei præsentia nullam ei curam afferat, nec illius felicitatem minuat, illud tibi in exemplum sit. Anima intellectiua, quo præditi sunt homines, (vt Aristoteles & omnes boni Philosophi testantur) non ducitur de potentia materiæ, de qua humanũ corpus formatur: sit enim hoc ex corporea quadam materia. Sed cùm anima sit spiritalis substan-

substantia Angelis similis, ex re materiali minimè produci potest, & propter hanc causam extrinsecus aduenire dicitur. Præterea fides, & Christiana religio illud addit, quòd posteaquam fœtus est organizatus in materno vtero, omnium rerum Conditor per se creat animam, & in illo corpusculo infundit eo momento, quo membra illius perfecta sunt. Ex te igitur quæro, quàm esset Deus in tot animarum creatione, & infusione in illarum corpora solicitus, & occupatus? Respice totum terrarum orbem, qui tum nostro hemisphærio, tum eo, quod huic nostro oppositum est, tum omnibus insulis, tandem omnibus nationibus, & gentibus cõstat, & animaduertas quàm multas opportunitates tum creandi, tum infundendi animas in illarum corpuscula, diu, noctuq́ue habebit Dominus?

CAT. Hæc quis enumerabit præter illum, qui solus cæli stellas enumerare potest? Si Deus debet his omnibus locis præsto esse, videtur profectò debere se perpetuò in creandorum animarum officio continere.

MAG. Ita profectò res, vt dicis, se habet: hæc tamen occupatio, & multæ aliæ, quas hic non enumero, illi beatissimæ felicitati, & tranquillitati, qua æternè fruitur Deus, non repugnat, sed cum illa conuenit. Iam verò si hic Dominus diu, noctuq; assistit, vt quo momento perfecta sunt tam multa corpora, tot millia animarum nunquam deficiens creet, & illis infundat; quid mirum est, omnibus altaribus Christianæ religionis præstò esse, & eam, quã diximus commutationem, statim prolatis à sacerdote consecrationis verbis efficere? Si omnibus AEthiopibus maribus & fœminis in AEthiopia conceptis, (qui tam parui fiunt) vt ijs animas infundat, assistit; quantò maiori ratione aderit in sui corporis consecratione, quod ad nostræ vitæ sanctificationem permagni interest?

CAT. Tantam habet vim hoc exemplum ad id probandum, quod dixisti, tamq; vrget ad ostendendum, quòd id fieri potest à diuina omnipotentia, vt ei cõtradicere nemo possit. Propter hanc causam (quod attinet ad Dei potentiæ articulum) mihi penitus satisfactum esse fateor. Iam igitur de voluntate, quæ secunda & magis præcipua pars est, agas velim.

MAG. Vt hanc Dei voluntatem ostendamus, necesse est priùs, quæ sint ea, quæ hic panis Angelorum in illis operatur, & efficit, qui animarum gustũ purgatum & sanum habent, explicare. Illud eò dico, quòd ad sapores dijudicandos necesse est, vt gustus bene affectus sit.

Vt igitur vim, & efficientiam huius cælestis cibi dignoscamus, necesse est, vt oculos in animam aliquã conuertamus, quæ hoc modo purgata, & affecta sit. Ita profectò se habent illæ, quæ omnem suam mentem, operam, & curam in eo fixerunt, & collocarunt, vt se Deo gratas, & acceptas reddant, diuinæq; voluntati obsequantur, & cum Propheta dicant: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluntatem Domini.* Illæ enim animæ videntur omnes suas curas in vnica cura, omnia negotia in vnico negotio, omnes suas voluntates in vnica voluntate, vt scilicet Deo sint gratæ, collocasse. In hoc maximè inuigilant, vt omne peccati genus effugiant, etiam si venia digna, & leniora sint. Corpus suum ieiunijs, cilicijs, & sanctis vigilijs castigant. Magnam diei partem habẽt, qua Deo operam nauent, & precibus inseruiant, quod cùm sæpè aliàs, tum ante, tum post sacræ commu-

Psal. 26.

communionis tempus, faciunt, vt se omni pietate, conscientiæque puritate, quoad eius fieri potest, ad eam suscipiendam parent. Et in summa, ita omnes suæ vitæ partes disponunt, vt illorum vita ad sacram communionem perpetuus apparatus fit.

Ab huiusmodi autem hominibus sciscitandum est, quosnam fructus illorum animæ ex frequenti huius cibi vsu percipiant. Hi profectò respondebũt, se tantis cumulari spiritalibus gaudijs, vt sibi verba desint, quibus id explicare valeant. Respondebunt, omnes hinc animę vires renouari; hinc eorum intellectum ad Dei bonitatem cognoscendam, & Creatoris misericordiam informari; hinc gustare, gustandoqúe, quàm suauis sit Dominus, videre; hinc fidem clariorem, spem firmiorem, charitatem ardentiorem fieri.

Sed vt de huius diuini Sacramenti effectibus aliquo tractemus ordine, vt id meliùs intelligas; illud tibi sciendum est, duos præcipuos huius Sacramẽti effectus esse; alterum, cum omnibus alijs Sacramentis legis gratiæ cõmunem, quod est ei gratiam conferre, qui illud dignè suscipit, à qua gratia omnes virtutes infusæ, ꝓficiscũtur, ex quo fit anima fortior, pulchrior, & ad omnia bona accõmodatior. Alter effectus est huius Sacramenti proprius, quo à cæteris hoc differt, quem Theologi refectionem spiritualem vocant; quod est nutrimentum animæ, quo illa renouatur, reficitur, & ad omnia bona restauratur. Quamobrem Florentinum concilium inquit, quòd quæcunque fiunt in corporibus à corporali cibo, ea omnia ab hoc diuino cibo in animabus etiam fieri. Hos effectus ad tria reducere possumus, quæ nutrimentum corporale habet; reficere, quod elapsum est; gustum delectare; famem extinguere, cùm qui illud suscipit, eum penitus saturet & expleat. Nunc autem hos tres effectus ad hunc diuinum cibum referamus.

Primùm (vt diximus) corporalis cibus illud, quod de nostra substantia deperditum est, reficit, ac reponit. Huius autem refectionis necessitas ex illo proficiscitur, quòd vt lucernæ lumen semper oleum, quod cõtinet, cõsumit, ita nostrorum corporum calor innatus eorum substantiam semper cõsumit: & propter hãc causam, vt semper in illam oleũ infundimus dum ardet, ita & corpora quotidiano cibo reficiẽda sunt, vt quod ex altera parte deperditur, ex altera resarciatur. Hac præterea refectione non solùm, quæ pars substantiæ deperdita est, resarcitur; verùm etiam in certa ætate (qualis est infantum, & puerorum) adaugetur: & hoc modo qui parui sunt adolescunt. Hoc eodem cibo corporis vires, vel fame, vel inedia languidiores, & infirmiores reficiuntur, atque firmantur. Quod quidem in cõualescentibus videre licet. Hæc igitur omnia hic Angelorum panis efficit in animis: quæ proprio quoque alimento indigent. In illis enim alius inest non naturalis calor, sed vehemens, & ardens, (quem sancti homines concupiscentiam dixerunt) & à nostris primis parentibus acceptus, & ab originali peccato genitus. Qui ardor quò magis nos ad caducarum rerum concupiscentiam propensos reddit, hoc in diuinis rebus tardiores, minusq; accõmodatos efficit; & quò magis carnis illecebras auget, hoc magis spiritus, & animi minuit; & quò magis suorum affectuum
Sap 9. pondere aggrauat, eò magis (vt ait Sapiens) nos deprimit. Accedit ad hæc mundus, vitiorum dux armatus, quod est consuetudo, & familiaritas cum carnalibus hominibus, qui nostris cupiditatibus inseruiunt. Cùm igitur tam multos

multos ad malum impulsores habeamus, si qui nos ad bonũ iuuaret, & excitaret, non haberemus, quomodo nobiscum ageretur? Propter hanc igitur causam diuina prouidentia (quæ neque formicis deest, & quò res præstantiores sunt, eò sibi maiori curæ sunt) vt corporibus accommodatum cibum administrauit, ita consentaneum erat, vt & animis propriũ, & accommodatũ pararet; quod, cùm hoc diuinum corporis sui instituit Sacramentum, effecit, de quo ipse dixit; *Caro mea verè est cibus*. Cibum dixit, non corporum, sed anima- Ioan. 6.
rum; cuius vi reficitur id, atque reparatur, quod nostræ concupiscẽtiæ ardor, & mundi societas detraxit. Cuius frequenti vsu in spirituali vita augetur homo, & in omnibus virtutibus confirmatur, nouasq; vires adipiscitur, & robur, vt in itinere virtutis arduo proficiscatur cum Elia vsq; ad Dei montẽ. 3.Reg.19.
Vires quoque, quibus cum tentationibus, communisq; nostri hostis insidijs, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, facilè obsistamus, 1.Pet.5.
inde consequimur. Hic igitur est huius diuini cibi primus effectus.

Secundam cibi proprietatem esse diximus, gustui & palato voluptatem afferre, eoq; maiorem, quò cibus pretiosior est, & illius, qui sumit, palatum meliùs affectum. Hanc voluptatem instituit Dominus ad nostræ vitæ conseruationem. Cùm enim necesse ad vitam esset, vt comederemus, hãc voluptatem in cibis inesse voluit, vt nos ad comedendum alliceret, atque traheret, vt fieri omnibus compertum est, cùm multi potiùs propter voluptatem, quam in cibis experiuntur, comedant, quàm vt vitam sibi conseruent. Quòd si Creator in corporum cibo (quorum vita parui fit) hanc voluptatem inseruit; quãta erit voluptas ab eodem in animarum, quæ longè corporibus antecedunt, cibo inserta, qui est hic Angelorũ panis? Cùm igitur talis, & tam magna sit huius diuini cibi voluptas, vt (queãdmodum S. Thomas inquit) nemo id exprimere valeat, q; hic (inquit ille) in suo fonte voluptas gustatur, quæ in Deo infinitè suauis est, omniumq; suauitatũ auctore, cogitãti quidẽ ex altera parte animæ dignitatẽ, & ex altera huius cibi præstantiam, hæc ratio notissima fit. Nam cùm anima longè corpori antecedat, illud sequitur, eò præstantiores esse illius voluptates, & suauiores, quàm corporis voluptates, quò & hæc corpore est præstantior. Quid igitur de cibo, qui Deus est, dicere oportet? Quantò maior erit huius cibi suauitas, quàm illa, quæ percipitur in corporeis cibis, in ijs præsertim, qui (vt diximus) animarum palatum satis purgatum, & bene affectum habent. In huiusmodi enim hæc suauitas non solùm omnes spiritus quasi sinus & recessus, atque vires reficit, & replet, sed resultat etiam in carne tanta suauitas, quæ in causa sit, vt homo cum Propheta illud canat: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Inde etiam fit (id quod S. Bo- Psal.83.
nauentura in quodam libro de perfectione, ad quandam suam sororem scripsit) quòd sæpe accidit, vt homo viribus exhaustus, & penitus infirmus, ad sacram Communionem accedat, sed deinde tantam ex huius cibi vi, & efficientia voluptatẽ capiat, vt inde integris viribus non aliter discedat, ac si penitus robustus accessisset. In quo (hic Sanctus inquit) Deus, se interdum vtriusque hominis, interioris, & exterioris, cibum & robur esse velle, ostendit.

Et quis fructus, quos efficit hæc suauitas in illo, qui illam suscipit, explicare poterit? Primùm enim cùm huiusmodi anima, se à Domino nostro sic visitatam, & consolatione affectam sentiat, seq; tanta benignitate, & facilitate

non aliter ac peramatam filiam esse tractatã, statim in ea maximus Dei amoris ignis accenditur, quòd sibi tam suauem, tam benignum, tamq; gratiosum ostenderit. Ex hoc autem amore cum hac suauitate coniuncto omnis bona voluntas, & appetitus emanat, qui flores sunt, ex quibus bonarum actionum fructus consequuntur.

Hinc enim primùm omnium mundi voluptatum, & suauitatũ oritur despicientia: nam (vt inquit S. Bernardus) statim suauitate spirituali percepta, tota caro (id est, quidquid terrenum est) suum amittit saporem, & hac ratione spiritualis homo idola, quæ colebat, fastidit, & ab illis abhorret. Quemadmodum enim homines glandes, (quæ suum cibus sunt) pane triticeo inuento reliquerunt; sic hæc pia anima omnes appetituum voluptates, spiritalibus inuentis, quæ longè præstantiores, & suauiores sunt, tum despicit, & pro nihilo ducit: illæ enim creaturarum, & hæ Creatoris voluptates sunt. Ex eo quoque fit, vt homo ei Domino, qui se tantopere dilexerit, quiq; tam suauem, atq; gratiosum se ostenderit, obsequi vehementer appetat. Cùm autem sciat, nihil esse, in quo magis ei obsequatur, quàm cùm eius præcepta seruat, eiq; obtemperat, nihilq; esse à quo magis ille abhorreat, quàm à peccatis; inde fit, vt quoddam ardentissimum desiderium ad Dei mandata seruanda excitetur, quædamq; vehemens, ac diligens cura, vt non solùm omnia peccata grauiora, quæ mortalia, sed etiam leuiora, quæ venialia dicuntur, penitus effugiat, vnà cum omnibus vtrorumque occasionibus. Propter hanc causam solitudine, atque silentio delectatur: hac enim ratione cor suum abstractum seruat, & multorum peccatorum occasiones effugit.

Hinc præterea ardens oritur cupiditas patiendi pro tanto Domino labores, contradictiones, vel etiam profundendi sanguinem. Nam cùm optimè
Rom. 5. sciat veræ virtutis experientiam in patientia tribulationum (vt Apostolus inquit) consistere, quodq; id est, quo maximè ille delectatur, qui pro se passus est; inde fit, vt quò magis ei obsequi desiderat, eò maiori desiderio patiendi afficiatur: & ita in laboribus, ac infirmitatibus lætatur, & propter hanc causam Deo gratias agit.

Cant. 8. Cùm autem (vt scribitur in Canticis) amor sit fortis, vt mors, quæ omnia vincit; ex hoc suauissimo amore, qui nobis per huius cælestis panis virtutem communicatur, in animabus nostris tantum efficitur robur, vt illud multis laudibus S. Ioannes Chrysostomus prosequatur dicens, quòd ab hac mensa homines tanquam leones robustissimi egrediuntur, qui ex ore ignem, quo ipsos perterrefaciunt dæmones, emittunt. Propter hanc causam S. Martyr Cyprianus, cùm Ecclesiam persequebantur, illud curabat, vt anathematizati absoluerentur, & illis sacra Communio administraretur; cùm hæc sint arma, quibus cùm induerentur, robustiores aduersus tyrannorum furorem fierent. Dicebat enim eos in prælio non posse fortiter pugnare, qui non his armis induti essent.

Tertius cibi effectus ille est, (vt diximus) quòd famem depellat, & satiet. Qui effectus maximè omnium ad hunc Angelorum panem pertinet. Hoc illi experiuntur homines, de quibus iam pridem verba fecimus, qui Domini præsentia, qui in hoc Sacramento continetur, tantam in animabus suis satietatem, & suauitatem, & pacem, & quietem omnium appetituum, ac cupiditatum

tutum accipiunt, vt nihil sit ampliùs, quod in hac vita desiderent. Neque id mirum videri debet: cùm enim sit Deus animarum nostrarum sponsus, & vltimus finis vitæ nostræ, & nostræ felicitatis quasi centrum; cùm anima in hoc centro conquiescat, & illius Domini præsentia fruatur, qui infinitè amabilis est, nihil est quod præterea desideret: hoc enim pauculo cibi tam fit plena, & satiata, vt nihil aliud appetat, cùm illud vniuersale bonum in se habeat, in quo sunt omnia bona, & eò tempore nunquam desistit dicere illa verba, quæ S. Franciscus sæpe repetebat; Deus meus, & omnia: Deus meus, & omnia.

Ex hac satietate mira eiusdem cibi, qui hanc fecit satietatē, fames oritur. In quo quidē facilè cernitur, quid intersit, vt ait S. Gregorius, inter corporis, & animæ voluptates. Quia in illis satietas fastidium, in his verò contra famē, iuxta illa Sapientiæ verba, parit: *Qui edent me, adhuc esurient: & qui bibent me, adhuc sitient.* Eccli. 24. Cùm enim anima pia hoc cælesti conuiuio omnem satietatem, omnemq; consolationem, & quæcunque diximus, contineat in se, vehemens excitatur huius conuiuij cupiditas, vt iterum eandem percipiat voluptatem, quam experta est, & grauiter, molesteq; fert, cùm in longum tempus differtur.

Quid plura? Ex eadem pace, & satietate, nostrarum affectionum mortificatio consequitur. Cùm enim hæ ex nostræ carnis cupiditatibus (vt S. Iacobus Iacob. 4. testatur) oriantur, cumq; hoc cibo illis penitus satisfiat; nec ira, nec cæteræ animi affectiones inordinatæ quidquam habent, quo perturbentur, molestiaq; afficiantur: causa enim perturbationis earum est, impediri voluptatem earum rerum quas appetimus: quod hîc locum non habet, cùm cor quietum sit, & contentum illo quod habet.

Ad hos effectus, vel fructus, alium addo admirabiliorem, quem huiusmodi animæ in sacra experiuntur Communione. Nam cùm ex altera parte suam cognoscant abiectionem, & vilitatem, ex altera illius Domini immensitatem, & altitudinem, qui super omnia creata infinitè est eleuatus; & animaduertunt, quomodo hic Dominus, qui cęlum & terram complet, qui super Cherubin sedet, cuius sedes cælum est, cuius regale solium est terra, in casa paleis tecta habitare non molestè tulit; hinc in animo maxima illis excitatur admiratio, cum singulari quodam amore coniuncta, & quædam lætitia, quæ non facilè verbis explicari potest. Et nonnunquam ita penetralia (vt ita dicam) animarum ingreditur hęc admiratio (cùm multò ante purgatæ sunt) vt superiorem animæ partem secum trahat, & inferiorem sine vllo sensu penitus relinquat. quod sæpe S. Catharina de Senis experta est, quæ ita in spiritu rapiebatur, cùm altaris Sacramentum sumebat, vt (quemadmodum in diplomate illius Canonizationis scriptum est) licet feriretur, pungereturqúe, tanquam lapis nullum doloris sensum perciperet. Idem B. P. S. Francisco vsu veniebat, de quo scribit S. Bonauentura, eum in ecstasim rapi vt plurimum, cùm hostiam sumebat, & sine sensibus fieri solitum. In quo cernitur, quantò maior sit huius diuini cibi suauitas, & voluptas, quàm omnium aliarum totius mūdi voluptatum; cùm tantam vim habeat, vt spiritum in Deum trahat, & corpus penè mortuum relinquat: quæ autem deliciæ, quæ voluptates reperiuntur in terris, quæ huc vsque pertingant? Quod in suis Canticis non prætermisit sponsa, quando cum suo sponso verba faciēs dixit, illius vbera esse vino me- Cant. 1.

 liora;

liora; per vbera diuina lac spiritualis suauitatis,& per vinum mundi voluptates intelligendo. Ex quo docebat, quanto interuallo hæ diuinæ voluptates cęteris omnibus, quæ extra Deum sunt, voluptatibus antecedant.

Hi,& alij huiusmodi sunt huius altissimi Sacramenti effectus. Quod nemini incredibile videri debet. Nam cùm tota diuina maiestas realiter, & verè in eo sit,non possunt esse ignobiles effectus, qui ab eo proficiscuntur. Cùm
Ephes. 2. autem dicat Apostolus,diuinæ gratiæ incomprehensibiles esse diuitias, quas Saluator in mundum attulit; (quæ præclarè in omnibus Sacramentis conferuntur) quanto præstantiores esse debent illæ, quæ hoc conferuntur Sacramento, quod omnibus alijs præstat?

CAT. Hæc quidem omnia,quæ dixisti,vera sunt. Nam cùm talis hospes in alicuius animam ingrediatur, quæcunque hactenus dixisti, iure optimo credenda sunt. Sed alia quidē mihi oritur dubitatio; quòd,si vt omnes hi fructus percipiātur,requiritur,vt anima fit ita purgata,& munda,vt dixisti; cùm tanta sit animarum paucitas,quæ ita sint affectæ, sequitur, quòd pauci erunt horum beneficiorum participes.

MAG. Verum est, ꝙ omnes causæ, tam naturales, quàm diuinæ, agunt iuxta dispositionem materiæ, in qua operantur. Et sic videmus quòd ignis citiùs siccum corripit lignum,& comburit,quàm viride. Ita vt iuxta siccitatis gradus,sic ignis futura sit operatio. Idem igitur de hoc Sacramento dicimus; quòd licet in animis bene purgatis hos insignes operetur effectus; in alijs tamen, iuxta dispositionis & pietatis gradum etiam operatur. Inde fit, quòd multi Sacerdotes, quibus licet non multum temporis detur, quo Deo inseruiant; tamen cùm paulo ante altaris sacrificium, quod quotidie offerūt, seipsos in aliquam recipiant solitudinem, & aliquantulum post Missam, in Dei timore vitam degunt, & vel tota illorum vita, vel maior pars sine mortiferi peccati culpa traducitur. Illud præterea addo, ꝙ fieri potest, vt quis ad hoc Sacramentum accedens, à morte ad vitam, & à peccato ad gratiam resuscitetur. Hoc autem accidit,cùm homini iam statutum est peccare nolle, nec memoria peccatum vllum tenet,quod non fuerit confessus. Et fieri potest, vt is non in statu gratiæ reperiatur. De hoc autem tali homine inquiunt doctores,quòd huius Sacramenti vi à morte ad vitam,à damnati statu in salutis statum se recipit. Et S. Augustinus inquit, quòd hoc Sacramentum non solùm viuos tuetur,ac sustentat, verùm etiam mortuos excitat.

CAT. Mirum est profectò, quod dixisti, & magnum nonnullis infirmis, & scrupulosis solamen afferre debet, qui indiscreto quodam timore ad hoc summum Sacramentum non audent accedere,& ita tum hoc beneficium, tum alia,quæ cum eo sibi compararent,amittunt.

MAG. Operæ pretium est, vt ad propositum nostrum redeamus, & ex ijs, quæ dicta sunt,iam paucis verbis diuinam voluntatem concludamus. Quamobrem necesse est, vt, quidquid hactenus de boni natura dictū est,repetamus, de quo diximus, huiusmodi naturam esse, vt se omnibus cōmunicet, & impertiatur. Et quò bonitas maior est, eò magis est huius cōditionis particeps: cùm autem perfecta est, nullus est labor, quem non adeat, vt se ipsa alijs cōmunicet; vt in sancto Apostolo cernitur, qui se in sexcentos cibos conuertebat, &
1. Cor. 9. omnibus omnia fiebat, vt omnes saluos præstaret, & incolumes, & vt alijs illud

illud impertiret bonum, quod in se habebat: quæ cupiditas in eo tanta erat, vt fieri anathema à Christo cuperet, vt suos fratres saluos faceret. Rom. 9.

Cùm igitur ita res se habeat, quid de illa summa, & infinita bonitate iudicandum erit? Est profectò illud certum, quòd quò est maior omni creata bonitate, eò magis se ipsa communicat, & eò maior est volũtas efficiendi omnes, vt ipsa est, bonos & sanctos. Hanc Theologiam nobis tradit ille magnus Theologus Dionysius, qui in libro de Diuinis nominibus ita inquit: Cùm Deus sit bonum substantiale, vult omnibus, quę sunt, suam impertire bonitatem, quemadmodum & Sol suam omnibus rebus lucem communicat. Et in lib. de Hierarchia cælesti eandem repetit sententiam, huiusmodi verbis: Omnia vult Deus sibi similia reddere, & illis pro captu, & natura singulorum, omnia sua dona communicare. Et in eodem libro apertiùs hanc illius summæ bonitatis voluntatem declarat his verbis: Quęrit Christus maxima charitate illos, qui se ab illo longè amouent, in ea cura insistit, & ab illis petit, ne illum deserant, qui eos tanto amore quærit: neque eo contentus, clementissimè eos fert, qui in longum tempus aduentum suum differunt, multis promissionibus eos ad se inuitando, multisq; illecebris alliciendo, atque trahendo. Cùm igitur ita se illa summa bonitas habeat, quid ea dignius potest esse, quid magis consentaneum, quàm tantum instituisse Sacramentum, quo suam bonitatem & sanctitatem nobis communicaret, & vnà omnes fructus, de quibus hactenus locuti sumus? Et si, expositis in superiori libro arboris sanctæ Crucis fructibus, (quæ sunt adiumenta, & præsidia, quibus nos bonos & sanctos efficiat) statim conclusimus, non fuisse illa summa bonitate indignum, neque ab illa alienum, tam turpem mortem perpeti, vt apud nos hæc omnia beneficia collocaret: quantò igitur magis possumus statuere eum instituisse hoc Sacramentum, quod tam admirabilem virtutem, tantamq; potentiam ad nostram sanctificationem habet? Et si tanta est illius summæ bonitatis hoc efficiendi voluntas, quæ tam turpem mortem propter tanta, tamq; multa beneficia, quę ab illa in nos proficiscebantur, non molestè tulit; quantò minùs erit illi molestum hoc diuinum Sacramentum instituere, à quo tam multa in nos emanant beneficia: pręsertim cùm id sine sudore, sanguine, vel morte efficiat? Illud audeo dicere, neque mentior, quòd instituisse hoc summum Sacramentum, est tam proprium Dei, vt si ex altera parte hoc opus mihi proponeretur, & huius mundi creatio ex altera, & interrogarer, vtrum horũ duorum operum magis Dei propriũ, magisq; dignum existimarẽ, Huius Sacramenti institutionem, respõdere non dubitarem. Hac enim ratione adducor, quòd illa actio est Deo dignior, quę maiorem gloriã Deo, & hominibus maiorem vtilitatem parit. Quàm autem parua fuerit spiritualis illa vtilitas, quã homines ex mũdi creatione perceperunt, (licet ipsi in causa fuerint) ex peccatis, & idololatrijs, quibus totus terrarum orbis premebatur vsque ad Euangelij prędicationem, quod quidem ex creaturarũ pulchritudine, & præstantia originem duxit, videre licet? At hoc Sacramentũ maximè omnium Martyrum, Confessorum, Virginum, qui in Ecclesia fuerunt, & vsque ad nouissimum diem futuri sunt, sanctitatis causa fuit. Primum enim auxilium primasq; vires, quas ipsi habuerunt ad vincendum mundum, carnem, & diabolum, ab hoc cęlesti pane susceperunt. Quomodo igitur hæc operatio non erit

præstantior, dignior, & magis Dei propria, summæq; eius bonitatis, & sanctitatis, (quę tantam habuit vim, vt nos bonos, & sanctos efficeret) quàm mundi creatio? Et si dicis, magnæ fuisse potentiæ mundum solo verbo creasse: ad hoc respondeo, non minoris esse, toties quotidie panis, & vini substantiam, in substantiam corporis, & sanguinis Christi, virtute verborũ, quæ à sacerdote proferuntur, conuertere.

CAT. Magnum est, quod dicis; & huius rei causam scire cuperem.

MAG. Ratio est, quòd (vt toties in superioribus dixi) cùm bonitas & sanctitas illud sit, quo Deus maximi fit, & per quod magis vult cognosci, & laudari; (vt perpetuò beati illi spiritus in cælis faciũt) hoc autem magis in nostrę redẽptionis, & sanctificationis mysterijs appareat, quàm in totius huius visibilis mũdi fabrica; illud sequitur, quòd licet vtraq; sit Dei actio propria, illa multò magis tamen est, quia magis hanc bonitatem patefacit, quàm altera.

CAT. Huic rationi tam apertæ non est quid respondeam, nisi dicam, quòd ex altera parte videtur hac eadem bonitate indignum, in nonnullorum hominum animas ingredi, qui hoc Sacramentum suscipiunt, vel conficiũt maxima cum indignitate, vt quotidie videre licet.

MAG. Deus, frater mi, est tam excellenter bonus, tamq; nostræ salutis cupidus, vt nihil, quod ad nostram salutem conducat, sua maiestate indignum existimet. Et quò huiusmodi homines, quos dicis, sunt indigniores tanto beneficio, eò magis illius amoris, & bonitatis, qua in suos fideles amicos est affectus, magnitudo apparet, cùm non molestè ferat per eas transire manus, vt cum illis hospitetur. Nam si in nostræ redẽptionis mysterio cõficiendo manibus peccatorum, & tenebrarum principum, qui erant in illis, derelictus esse consensit; quomodo grauabitur, nunc id fieri, quod tunc nec graue, nec molestum fuit?

Pręterea illud te nõ latet, quòd licet Solis lumen per terræ fimum, & cloacas transeat, nihil tamen fœditatis contrahit. Quantò igitur minùs ille, qui est ipse candor, & ipsa mundicies, vllam sordem sibi contrahet, licet in huiusmodi animas ingrediatur?

CAT. Hac ratione mihi satisfactum fateor: sed alius mihi remanet scrupulus, quonam modo fieri possit, vt totum sacratissimum Christi corpus sit in tantula hostia conclusum.

MAG. Huic dubitationi nolo occurrere, nisi illa maximè Christiana, & prudenti responsione, qua S. Augustinus vtens huiusmodi Dei operibus, & admirabilibus rebus satisfacit, cùm inquit; Deũ aliquid facere posse, quod ratio nostra capere non possit, concedamus. In huiusmodi enim rebus tota ratio est Dei omnipotentia, quę eas efficit. Hoc igitur humilis Christianus debet esse contentus, neque prætereà quidquam quærere; in quo fidei meritum consistit, quod est credere, quod non videmus, & hac ratione nobilissimam partem, intellectum scilicet, & rationem, quam in anima nostra creauit, ad seruiendum Deo conferimus. Nam si in primo illo legis præcepto nobis mandatum fuit, vt ad Dei amorem, & seruitium conferamus, quidquid in nobis creauit, & præcipua pars intellectus est, vt is maximè Deo seruiat, æquum est: illius autem potissimum seruitium est, quod intelligere non potest, credere. Credere enim quod per se consequitur, & intelligit, minoris est valoris.

Propter

Propter hanc causam, quemadmodum tunc voluntas magis suum seruitium Deo præstat, cùm Dei amore illud amat, cui eius natura maximè repugnat; (vt quando suos amat inimicos, & persecutores, illisq; omnia bona cupit) ita quoque magis intellectus seruit, cùm homo eum deprimit, & cogit ad eam veritatem credendam, quam ipse assequi non potest. Tunc enim suum Isaac in sacrificium Deo offert, quæ est omnium suarum potentiarum nobilissima.

CAT. Ita se res profectò habet, Præceptor, vt dicis. Non enim æquum erat, vt hęc nobilissima pars nostrę animæ esset à Creatoris sui seruitio immunis; imò æquum est, vt quò est nobilior, eò magis etiam seruitio eius, qui eam creauit, se impendat.

Volo autem hic tua pace alicuius Philosophi gentilis personam mihi induere, & nonnulla ad omnia, quę hactenus dixisti, obijcere. Tibi profectò concedet hic Philosophus, hunc amorem, gaudium, & animi consolationem, & hanc admirationem à pijs animis, cùm hoc suscipiunt Sacramentum, conceptam, ex intensissima quadam imaginatione, & fide, quam habent, quòd ille magnus, & immēsus Deus tantopere eas dilexerit, vt sibi placeat sua persona, & maiestate ad eas venire, & in illis inhabitare, penitus proficisci. Hoc enim vnum tantam habet vim, vt, quam dixisti admirationem, & consolationem, in animis efficere possit. Hoc infidelis aliquis Philosophus dicere posset.

MAG. Quòd hoc obiecisti, valde mihi placet. Mihi enim quasi ansam dedisti, vt tibi dicam quid, quod ad fidei nostræ mysterium maximè conducit. Dicis tu quidem, quòd sola huius beneficij imaginatio ad hæc omnia efficienda satis est. Sed dicas nunc mihi, quòd si huius beneficij sola imaginatio id efficere potest, quò vehementior id efficiet non sola imaginatio, sed huius mysterij veritas? Quis enim audebit negare, quòd magis ipsa rei veritas, quàm imaginatio, moueat? Quantò maiorem mihi timorem incutiet, si in me taurum currentem videro, quàm si solùm fuero imaginatus? Si rei igitur veritas magis, quàm imaginatio, moueat; quantò erit illa infinita bonitate dignius, cùm tantopere omnia efficere bona cupiat, tam potens instituisse Sacramentum, vt illud imaginatione concipere solùm tantos in animis hominum fructus efficiat? Vides, quàm potens hæc sit ratio?

Neque mireris, frater mi, si toties tanquam fundamentum nostrarum rationum dicimus esse Dei bonitatem, cùm de diuinis agimus rebus: nam (vt superiùs diximus) primū, & præcipuum omnium Dei operū est immensa Dei bonitas. Nam cùm in illo neq; necessitas locū habeat, neq; fatū, neq; debitum, quo sit vlli creaturę obstrictus; (imò omnes ei debent, quod sunt, & quidquid habēt) illud sequitur, nihil esse, quod illū ad id, quod facit, nisi vnica eius bonitas mouere possit. Hæc autem philosophandi in diuinis rebus methodus est melior, & certior omnibus alijs, si omnia ad eius bonitatem referas. Hæc igitur in causa fuit, vt nobis hic relinqueret hāc gemmā omnibus alijs pretiosiorem. Hac Ecclesiam suam exornatam, & locupletem reliquit: hac eam comitatur in hoc exilio: hac illam in calamitatibus, & rebus aduersis consolatur: hac in periculis tuetur: hac illam recreat, viresq; ad benefaciendum addit: hac sanctis illam voluntatibus, cupiditatibusq; replet: hac efficit, vt ardenti

denti desiderio diuinarum rerum flagret, in eaq; omnium mundi vanitatum fastidium, atq; cõtemptum efficit: hac eam secum miscet, atq; coniungit: hae illi suę sacrę Passionis labores, & dolores impertitur: hac tandem firmissimũ vitæ æternę pignus ei tradit. Quis autem præter Deum, tam vtilem rem, tamq; salutiferam instituere potuisset? Cuiusnam hæc inuentio, quę nos vt bonos efficiat tanti est, esse debebat, nisi illius summæ, & infinitæ bonitatis? Nec quisquam existimet esse tanta maiestate indignum, pectus tam demissæ creaturæ ingredi. Illud enim in cuiusque Christiani animo firmum & fixum esse debet, nihil ab hoc Domino existimari sua maiestate indignum, quod ad id conducit, vt suis creaturis benefaciat.

CAT. Hoc quidem de immensitate diuinæ bonitatis credendum est, cùm tantopere nostram cupiat sanctificationem. Sed illud à te, nisi molestum est, petere vellem, vt, sicut cùm sermonem haberes de sacratissima nostri Redemptoris passione, priùs egisti de eo, quod ad aperiendum nostrum intellectum, firmandumq; in fide conducit, & deinde de illo, quod ad accendendũ nostram voluntatem in illius amore facit; sic in hoc mysterio tractando facere, velis. Nam cùm iam probaueris Dei potentiam, atque voluntatem, satis firma iecisti nostrę fidei fundamenta: nunc autem mihi ostenderes vellem, quidnam mihi considerandum sit, vt huius tanti beneficij largitorem, quo debeo amore prosequar, & quomodo afficienda mihi sit anima mea, atque pręparanda, ante quàm illud suscipiam.

MAG. Quidquid hactenùs à me dictum est, (si diligenter animaduertisti) ad vtrunque conducit: sed pro tua ędificatione maiori, ad ea, quę dicta sunt, aliquid adiungam; quid scilicet illud sit, quod Dominus nos de tanto opere concipere velit. Nonnunquam enim, quid velit, verbis significat, nonnunquã
Psal. 18. ipsis operibus, quod fine verbis facit. Propter hanc causam inquit Dauid, Cælos enarrare gloriam Dei, nullasq; esse gentes, vel nationes, quæ illum sermonem non intelligerent. In hanc igitur sententiam aliquam partem illorum declaraturus sum, quę vult Saluator vt nos in hoc intelligamus opere, quod tam eius proprium est, quàm cælorum creatio.

Hoc igitur opus primùm nobis illius amoris magnitudinem in nos optimè declarat. Ea enim est amoris conditio, & natura, vt semper cum re amata esse velit, nec vnquam ab illa longè abesse facilè patiatur. Quod S. Dionysius his verbis inquit: Tantam vim amor habet ad corda copulanda, vt eos, qui amant, sui ipsorum perfectum dominiũ habere nõ permittat. Ex quo ille di-
Galat. 2. uinus amator ducebat: *Viuo, iam non ego: viuit verò in me Christus.* Hoc ait, quòd, diui Apostoli anima magis in Christo, quàm in seipso erat. Hanc ob causam quidam Philosophus inquit, amantem in suo corpore esse mortuum, in alieno viuere. Quòd omnes suas cogitationes, curas, voluptates, solatia, omnia denique sua in eo fixit, & locauit. Quod tam propriũ est veri & perfecti amoris, quòd ipse dicitur esse vnio & similitudo duorum cordium, & duarum voluntatum, in quibus est idem velle, & nolle.

Cùm hæc igitur sit amoris vis, & natura, quod maius argumentum esse potest amoris, quo in nos affectus est Saluator, quàm tam mirabile instituisse Sacramentum, quo cum nobis copuletur, perpetuoq; versetur? Nónne hoc
Ioan. 6. illud est, quod ipse significauit, cùm inquit: *Qui manducat meam carnem, & bi-*
bit

bit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo? Et hinc consequitur, quòd quemadmodum ego diuinitatem, & vitam à Patre meo, cùm in me maneat, accipio; ita illius vita, qui me dignè suscipiet, cùm ego in illius anima maneam, erit meæ vitæ similis.

Quamobrem illud valde considerandum est, quòd cùm Saluator hoc pane cælesti animabus cibum & refectionem afferre, & per hoc suam gratiam impertire vellet, potuisset quidem hoc efficere, huic diuino cibo virtutem supernaturalem tribuendo, vt nobis suam gratiam daret, vt Baptismi aquæ, sacrisque oleis tribuit, absque sua vera præsentia, vt in hoc Sacramento est. Sed tantus fuit eius in homines amor, quòd pręter gratiam, quæ nobis per hoc Sacramentum datur, voluit, vt in nostris animabus manendo, eam nobis conferret. Et quemadmodum suum præcursorem absens sanctificare potuisset, vt tamen suæ gloriæ maiorem afferret honorem, voluit ipse venire, vt eorùm illum sanctificaret; ita ipse potuisset in hac reali præsentia nobis suã impertiri gratiam: voluit tamen ad maiorem nostram lætitiam, & gloriam, ipse sua pręsentia ad nos venire, vt eam nobis communicaret. Magnum est Regis beneficium, cùm ad aliquem subditorum suorum morbo laborantem salutiferam medicinam mittit, ob id multum illi debet subditus; sed maiori beneficio illi deuinctus est, cùm ipse Rex ad illum vadit, & salutiferum poculum ei sua manu tradit. Hoc tantum illi antecedit, quàm quòd maximè. Idem hic cælorum Rex cum hominibus facit, vt eorum morbos curet. Quas igitur gratias illi debemus pro tanta gratia? quo amore tanto amori respondebimus?

Alterum, quod maximè lucet in hoc mysterio, est immensa Creatoris bonitas, qui non dedignatur de cælo in terras descendere, vt in tantula casa, vt hominis cor est, inhabitet. Quid enim aliud homo est, quàm (vt in Iob scribitur) puluis, cinis, vermis, putredo, & vmbra, quod videtur aliquid, & nihil est; arboris folium, quod mouetur vel minimo vento; & paleæ, quæ mobiliores, & leuiores sunt? Dauid quoque cùm de homine loqueretur in Psalmis inquit: *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Psal. 38.
Et alio loco tantò vlteriùs progreditur, quòd pro illo quod nostra versio habet, *Vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris: vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* alij interpretantur, Tam vani sunt filij hominum, vt si in Psal. 61.
lance ponderarentur, ipsa vanitate inuenirentur leuiores. Vult dicere, quòd si homo in altera lance poneretur, & in altera vanitas, hæc illo grauior esset. Nihil est, quod magis nostrę vanitatis leuitatem, quàm hęc comparatio, posset significare.

Quod autem maius opus est, quæ maior bonitatis species, quàm illam altissimam maiestatem, quæ cælos & terrã complet, & infinitè est super omnia, quæ Cherubin & Seraphin complectuntur, eleuatus; cuius solium cęlum est, cuius scabellum terra est, circa quem millia milliũ Angelorum stant, & laudes canunt, cuius pręsentia cælorum columnæ tremunt; ita se abijcere, atque prosternere, vt in domum culmo tectam, id est, in tam vilis creaturę, vt homo est, pectus & animã ingrediatur, quæ tam paruo cubiculo eum receptura est, quàm parua est sibi Dei amplitudinis cognitio? Nam hunc Dominum in animam, vel B. P. S. Francisci, vel sanctæ Catharinæ de Senis, qui statim, vbi

suscepissent sacram hostiam, sine corporeis sensibus restabant, cùm penitus in illius bonitatis admirationem, & amorem raperentur, descendere, non esset tanti; sed in multorum infirmorum & imbecillium Christianorum animas, qui ad hoc Sacramentum tam exiguo amoris igni, tam exigua reuerentia, ac pietate accedunt, descendere, nihil aliud est, quàm iterum in præsepio tantum Dominum collocari, & in humili casa hospitari velle, vt illa sanctæ eius natiuitatis fuit.

Iosu. 3. Cùm populus Israel vellet Iordanem transire, iussit illi Iosue, ne ad Arcam testamenti accederent, sed semper inter illos, & Arcam interessent duo millia cubitorum. Qui igitur tantam adhibendam in ligneam Arcam reuerentiam iussit, quantam erga seipsum adhiberi volet? Et licet hæc reuerentia diuinę amplitudini omnino debeatur, in multorum tamen pectora nulla penè reuerentia se recipi permittit. Quanta est autem illius Domini bonitas, qui tam suam depressit altitudinem, vt nobis suam gloriam impertiret?

Tertium, quod nobis hoc Sacramentum declarat, est Creatoris ineffabilis suauitas, & dulcedo; & hoc mediante illa, quam communicat ijs, qui illud cum pietate & deuotione recipiunt, quod huius cibi cęlestis proprium est. Nam quemadmodum est corporei cibi proprium, non solùm sustentare, & corpus robustum efficere, sed etiam allicere, & gustum delectare; ita vtrunque huius cælestis panis proprium est. Cùm autẽ superiùs de huius suauitatis magnitudine dictum sit, nihil aliud hoc loco dicam, nisi quòd hic cognoscent homines, quàm suauis, quàm mansuetus, quàm amatorius, atque benignus sit ille, qui non solùm suis fidelibus seruis victum parauit, sed eos quoque hoc cibo allicit, atque trahit. In quo quidem, se non vt seruos, sed vt amicos, & amatos filios eos tractare ostendit. Hinc igitur, quàm suauis, quàm dulcis in se sit ille Dominus, qui tanta suauitate, & benignitate suos filios tractat, intelligere licet. Quamobrem iure optimo Ecclesia exclamat, cùm ait: Quàm suauis est, Domine, spiritus tuus: cùm, vt in tuos filios amoris suauitatem declarares, hunc illis suauissimum panem, qui de cælo descendit, parasti, qui esurientes implet bonis, & superbos dimittit inanes.

Quartum, quod nobis hoc diuinum declarat Sacramentum, est specialis prouidentia, quam in suam Ecclesiam habet, cùm ei hoc pararet Sacramẽtum tantæ virtutis, tantæq; efficientiæ ad animarum sanctificationem, quodq; tam miro. in illis pariat fructus, vt superiùs diximus. Quid autem diximus? Cuius enim erit tam perita lingua, quę huius cælestis panis vim, & præstantiam exprimere possit? Multæ sunt in Ecclesia pię, & deuotæ animæ, quæ hoc in se experiuntur; nulla tamen erit, quę quod sentit verbis, satis cõsequi possit. Illud quidem verè affirmare poterit, ex omnibus spiritalibus exercitationibus vigiliarum, orationum, meditationum, lectionum, & aliarum huiusmodi rationum, nullam bene affectam animam tantam ędificationem, tantamq; vim, atque consolationem, aut charitatis ardorem expertam, quantam cùm hunc panem cælestem suscipit.

Nam etsi in his omnibus exercitationibus sit Deus, hîc tamen simul adest maximi omnium Sacramenti vis, & vnà cum ea vera, & realis eiusdem Christi præsentia. Quod quidem eò conducit, vt cùm homines (vbi ad Communionem accedunt) in animo euoluunt ibi diuinam interesse maiestatem, cum

maiori

maiori timore, & tremore, maioriq; humilitate, & reuerentia se præsentent, cùm fidei oculis (qui sunt certiores quàm corporei) cernant ibi Deum adesse omnipotentem. Inde fit, vt etiam homines parum pietate prædití, cùm ad hoc Sacramentum accedunt, se ipsi recipiunt interiùs, se humiliant, & maiori ratione & reuerentia se ad illud disponunt, non tam propter eam, quam postulat hoc Sacramentum, reuerentiam, quàm propter eius maiestatis præsentiam, quam in illo esse credunt, & fatentur.

In hoc etiam diuina prouidentia maximè elucet, cùm ad nostram sanctificationem medium tam apertum, tamq; accommodatū instituerit. Hoc autem maximè cognoscitur ex conditione finis, ad quem creatus fuit homo, qui fuit ille, vt beatitudinis, & gloriæ eiusdem Domini esset particeps. Cùm autē inter finem, & ea, quæ ad finē faciunt, debeat esse ordo & proportio quædam; sequitur, quod qui in gloria vult esse Deo similis, in vitę puritate ei quoque similis esse debeat; & cùm in altero futurus sit diuinus, in altero quoque sit necesse est.

Cùm igitur ita sit, quod mediū magis accommodatū esse poterat, quodq; maiorem habeat vim ad efficiendum hominem, dum in terris versatur, diuinum, quàm in suam animam ipsum recipere Deum? Quæ enim creatura erat tam potens, quæ sine Deo hāc diuinitatem in hominibus efficere posset? Nemo enim, quod non habet, id alijs dare potest. Cùm autem nulla creatura diuinitatem habeat, nulla quoque, nisi Deus, hāc diuinitatem dare potest. Hoc si Hæretici, & infideles animaduerterent, præsentiam diuinæ maiestatis in hoc Sacramento esse, non videretur illis absurdum.

Ad id etiam confert hoc Sacramentum, vt nobis quendam familiarem amorem, quandamq; cum Saluatore confidentiam pariat. Nam si hoc intermedium non esset, quotiescunque in animo euolueret homo Dei altitudinē, & cum sua humilitate, & vilitate conferret, & quantum intersit inter Creatorem, & creaturam; posset sibi persuadere, quòd tam sublimis natura, & super omnes creatos intellectus posita, in terram non descendisset, vt cum hominibus tam vilibus creaturis esset, versaretur, negotiaretur, consuetudinem & familiaritatem iniret, affinitatemq; contraheret. Quæ cogitatio nos multis bonis priuaret. Hoc autem ne locum hîc haberet, voluit benignissimus hic Dominus se ipse in hoc diuino Sacramento concludere, & hîc nobiscū in terris versari, qui suum tabernaculum, & domicilium in cælis habet: quodq; magis est, in nostra ingreditur corpora, vt hoc apertissimo illius realis pręsentiæ argumēto intelligeremus, eum tam nostris animabus esse vicinum, tamq; præsentem nostris necessitatibus, quàm ibi erat hac pręsentia sacramentali. Et sic intelligeremus, quòd ille Dominus, qui antea se Deum esse de longè gloriabatur, quòd omnia licèt multò longè abessent, videbat; nunc possumus nos gloriari, quòd Deus proximus sit, cùm hoc Sacramento tam familiarem, & vicinum se ipse hominibus effecerit.

Hoc eodem Sacramento rem etiam maxima admiratione, & amore dignam declarat, quòd est nostrarum animarum sponsus, & per hoc ad eas ingreditur, vt idem cum illis fiat. Nam quemadmodum in corporeis rebus tunc matrimoniū consummatū dicitur, cùm ex duabus carnibus fit vna caro; sic in spiritualibus tunc illud sanctissimū matrimoniū cōsummatur, cùm hu-

manus cum diuino ſpiritu copulatur, quod per ſummum hoc Sacramentum
Ioan.6. fit. Vt idem Saluator his apertiſſimis, & diuinis verbis ſignificauit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Vt quemadmodum in corporeo matrimonio ex duabus carnibus fit vna caro; ita in ſpiritualibus ex duobus ſpiritibus vnus ſpiritus fit, ita tamen vt diuinus ſpiritus in humanum non mutetur, ſed humanus, cùm illius virtutis, ſanctitatis, & puritatis particeps fiat, in diuinum commutatur. Quamobrem quotieſcunque anima pia hoc diuinum Sacramentum ſuſcipiet, illud ſibi perſuadeat, illa felici hora in animam ſuam cęleſtem ſponſum ingredi, vt cum ea hoc diuinum matrimonium conſummet. Cùm igitur ita ſe res habeat, qua pietate animi, & humilitate, qua lætitia, qua reuerentia, qua ſui ipſius collectione atque pudore, Dominum tanta bonitate, tantaq; maieſtate, qui non dedignatur in vxorem ducere eam, quę non eſt digna quę vocetur illius ancilla, ſuſcipere debet. Illud quoque te ſcire volo, hoc ſanctiſſimum matrimonium ſterile non eſſe: ſed illius filij ſunt ſanctæ voluntates, atque conſilia, dulces lachrymę, atque conſolationes, fructus operum, quæ vitam merentur æternam, & tandem omnium virtutum chorus.

CAT. Tantam capio, Magiſter mi, ex tuis de hac re ſermonibus voluptatem, vt tuum orationis filum meis ineruditis quęſtiunculis intercidere noluerim: idcirco ſi quid habes pręterea, quod de hac re dicas, id facias rogo, nunquam enim te audiendo defatigabor.

MAG. Aliũ fructũ inęſtimabilem in eo habemus, (pręter illũ quem capimus, cùm illud ſumimus) quod eſt, in omnibus eccleſijs eũ verſari, vt cùm fideles eò conueniunt, vt ſuas preces Deo fundant, & ei ſuas neceſſitates offerant, eum ibi miro, & ſingulari quodam modo ita adeſſe ſciant, vt cum illo coràm verba faciant. Quod quidem illorum, qui preces fundunt, reuerẽtiam, confidentiam, & pietatem excitat, cùm certò ſciant, ſe cum Domino ſermonem habere, & negotiari, qui non minùs miſericors eſt, quàm potens vt eis opem ferat. Et licet hoc ſit omniũ fideliũ commune beneficium; eſt tamen religioſorum virorum, atq; fœminarum, maximè proprium, eorum inquam, qui in cœnobijs verſantur, vbi hoc Sacramẽtum aſſeruatur: vbi noctibus, ante & poſt matutinas preces, habent, vt magnopere ſe ad ſeruiendum Deo coram hoc Sacramento parent. Ad quod non parum etiam conducit noctis ſilentiũ, ſolitudo, loci obſcuritas, vt meliùs colligant ſenſus, totumq́ue cor ſuum offerant Deo, quem præſentem habent. Hi igitur omnes fructus, & vtilitates ſupradictę, nobis declarant prouidentiam illius Domini, qui hoc diuino myſterio noſtris neceſſitatibus tam copioſè prouidit.

Vt autem, quæcunque dicta ſunt, colligamus, hę quatuor diuinæ perfectiones, quæ ſunt immenſa charitas, bonitas, ſuauitas, & prouidentia illius, qui hoc ſanctiſſimum Sacramentum inſtituit, nobis ab eodem Sacramento ſine verbis declarantur, atque prædicantur. Hic autem quot admonemur, & concitamur amoris in hunc Dominum ſtimulis? Quid enim aliud à nobis poſtulat ingens eius amor, & charitas, niſi vt redamãdo illius amori reſpõdeamus? Et quid aliud illius infinita bonitas, niſi amorem, cùm voluntatis obiectum nihil aliud ſit, quàm bonum? Et quid illius ſuauitatis magnitudo, niſi amorem? Et quid tandem illius prouidentia, (quæ tam affluenter hoc Sacra-

cramento nobis parauit salubre remedium, quo tam multa bona nobis communicantur) nisi amorem? Quod est igitur tam frigidū cor, quin, cùm se tot amoris stimulis circundatum videat, hoc igne accendatur? Dixi ego, frater mi, hactenus quæcunque habent vim (vt à me scire desiderabas) inflammandi tuam voluntatem in amore illius Domini, qui hoc modo nobis se ipse cōmunicare voluit: dixi breuiùs, quàm tanta res dici potest, habebis tamen hîc copiosam materiam, in qua cor tuum versari possit.

Sed vlteriùs, vt ea tibi exponam, quæ petijsti, progrediar, scilicet non minorem nos hîc habere sperandi, quàm amandi causam. A quo enim maiori confidentia remedium sperabo, quàm ab eo, qui est omnipotens, quiq; tanto nos amore prosequitur? In quo maiori securitate sperabo, quàm in tanta bonitate; cùm sit tam bonitatis proprium, vt se ipsam omnibus communicare velit? In Deo tam facili, tam suaui, vt in hoc Sacramento se ostendit, quomodo non sperabo? Quid aliud eius prouidentia nisi hanc confidentiam petit, cùm illa nobis curam, quam de nostra salute gerit, declaret? Qui non postulanti talem medicinam parauit, quo modo claudet ostium ei, qui auxilium petit?

CAT. Stupesco, Præceptor, cùm in hoc sanctissimo Sacramento tam multa cernam, quæ nostrum amorem, & nostram confidentiam excitant, vt vndique magna, & amoris, & confidentiæ incitamenta habeamus. Deum nostri cordis frigiditatem, confidentiæ infirmitatem videre, cùm tantum nobis parauit remedium, vt hunc à nobis morbum depelleret, nobis profectò compertissimum est. Hîc igitur habemus ea, quæ satis sunt, vt in cordibus nostris has duas accendamus virtutes Theologicas, Spem, atque Charitatem. Reliquum est, vt de Fide, quæ pariter Theologica virtus est, verba faciamus; & ob id aueo scire, num hîc habeamus etiam aliquid ad hanc virtutem, sicut ad eius sorores: hoc enim est, quod ad Catechumeni doctrinam maximè spectat.

MAG. Multa quidem dixi de hac re: tamen tam pauca sunt, quæ de tanto mysterio dixi, vt nesciam, de quo à te petam vt mihi ignoscas, vel quòd pluribus, vel quòd paucioribus verbis, quàm par est, sim vsus. Illud autem mihi propositum fuit, non rem ipsam dilatare, sed notare, vt inde occasionē, & materiam cogitandi haberes: eadem breuitate & in hac re tuæ obsequar voluntati, vt tu idipsum per te amplificare, & expolire possis. Illud igitur affirmo, quòd licet nemo in hac vita habere possit fidei certitudinem, quæ in statu gratiæ est, nisi id Dei reuelatione fiat: tamen eo non obstante, qui animę gustum purgatum habent, eas recipiunt ab hoc Sacramento consolationes, illud lumen, eam Dei notitiam, illud gaudium, pacem, satietatem, & spiritus quietem, & in primis tantam tum in moribus, tum in pristinis propensionibus mutationem, (amando illud, à quo priùs erant alieni, & abhorrendo ab eo, quod priùs diligebant; se mortis tum memoria, tum præsentia oblectando, qua priùs maximè perterrebantur) vt ita se confirment in fide, quam habent per experientiam in rebus tam à proprijs suis propēsionibus alienis, vt licet omnes homines illis dicerent falsam esse illorum fidem, eis tamen fidenter responderent, omnes falli, & suam fidem esse certam, & veram. Neque tamen id vel rationibus, vel argumentis confirmarent humanis, sed ijs, quas

in se ipsi experirentur, mutationibus. Ex quo intelligunt, Prophetam iure optimo dixisse, quòd in Deo sperantes fortitudinem mutabant. Quicunque enim in se non nisi humanas vires, quæ sunt carnis effœtæ vires, habebant, diuinas sibi comparabant vires, quæ Spiritus sancti vires sunt.

Hæc autem mutatio, quam in se experiuntur, cùm hoc diuinum Sacramentum conscientiæ puritate frequentant, eos admonet, Deum omnipotentem illum esse, qui in illis est, cùm ipse solus ille sit, qui mentes, & corda hominum mutare potest.

Præterea illud addo, quòd quotiescunque nobis aliquid arduum, & difficile ad credendum proponit Deus, nobis quoque dat ea, per quæ ad illius cognitionem peruenire possimus: vt videmus in multitudine prophetiarum, quæ nobis apertissimum testimonium de Saluatoris mundi aduentu præbent. Cùm autem ex omnibus, quæ credimus, difficillima sit huius altissimi Sacramenti fides, voluit Dominus, qui illud instituit, ea fieri ab hoc Sacramento in puris, & pijs animabus, vt ipse per se sui ipsius testimonium afferret. Et sic non aliter se habet, ac Sol, qui non solùm efficit, vt cætera omnia, sed vt seipsum cum illis videamus. Quamobrem, si ab aliqua pia anima sciscitaremur, quem Fidei articulum maiori animi alacritate crederet, apertè fateretur hunc propter multa signa, & experientias quotidianas, quas de eo habent. Ex his, quæ dicta sunt, licet breuiùs, profectò intelligis, quòd illæ tres nobilissimæ virtutes, Fides, Spes, & Charitas, (quas dicimus Theologicas, quòd tanquam scopum in Deum semper intuentur) huius diuini Sacramenti frequentia augentur, & perficiuntur.

Vt igitur hanc rem concludamus, illud sciendum est, quòd omnes fructus, omnesque effectus, qui in pijs animabus efficiuntur hoc diuino Sacramento, illius dignitatem, & efficientiam, quam in illarum sanctificationem habet, vnaque illius Domini sapientiam, & prouidentiam, qui tantum, vt eas curaret, medicamentum instituit, nobis declarant. Quamobrem illud verè affirmare possumus, quòd omnes Sancti, qui in nouo fuerunt testamento, & vsque ad nouissimum diem futuri sunt, huic Sacramento suam sanctitatem acceptam referre debent. Inde fit, vt quicunque se totos Dei seruitio dederunt, cùm aliqua ratione in suis animabus hunc fructum experiuntur, in perpetua huius cælestis cibi fame degunt, & ob id in eo diligentiam adhibent, vt sæpius dignè illud sumere queant. Quod in primitiua Ecclesia fieri solitum legimus, vt & nunc, vbi aliquod Christianæ pietatis, virtutis, & deuotionis vestigium reliquum est. Quare hoc Sacramentum esse cibum, quo vniuersa Ecclesia se hactenus sustentauit, & vsque ad consummationem seculi sustentatura est, facilè intelligimus.

CAT. Quæcunque hactenus dixisti, Præceptor, me profectò valde confirmarunt, & consolata sunt. Propter hanc causam immortales tibi gratias ago, sed libentiùs Deo agerem, cùm per suos ministros sua nobis mysteria aperiat: quemadmodum apibus non gratias agimus, licet nobis mel suppeditent; sed omnium rerum Creatori, qui illis ad nostram vtilitatem eam naturam dederit. Iam igitur huic rei fine imposito, ad ea, quæ mihi reliqua discenda sunt, pergamus.

DIA-

DIALOGVS NONVS, DE SACRIficijs, & legis cæremonijs sublatis.

CATECHVMENVS.

ANTAM nobis affert voluptatem veritatis cognitio, & fidei lumen, vt fieri non possit, quin sæpe aliquid à te petam, proponamq; omnia, in quæ hæc cæca gens offendere solet. Quare mihi necesse est omnium illorum personam agere, qui sunt infideles, & ea proponere, quibus offenduntur. Ex quibus illud primum est, veterem legem, quam Deus sanxit, esse abrogatam, atque mutatam: quæ cùm à diuina iustitia, & sapientia lata fuerit, nullo tempore cessare debuisse videtur.

MAG. Antequam huic dubitationi respondeam, illud animaduertas velim, quòd in veteri lege sunt tria genera mandatorum: alia enim moralia sunt, vt Decem præcepta, quæ in legis tabulis suo digito conscripsit Deus: alia sunt legalia, quæ de sacrificijs, & cæremonijs, quas lex iubet, tractant: alia iudicialia, quibus tum ciuiles, tum criminales causæ iudicarentur. Ex his autem tribus mandatorum generibus, illa quæ moralia dicuntur, & ad bonos pertinent mores, non cessarunt, nec cessabunt vnquam: sunt enim leges, quas Deus in cordibus hominum inseruit, vt secundùm illas viuerent: quo autem modo cæteræ leges iaceant, infrà docturi sumus.

Vt autem hanc rem intelligas, quod superiùs diximus, nunc tibi memoria repetendum est, Christum scilicet in hunc mundum venisse non solùm, vt Iudæos, sed Gentiles quoque saluos faceret. Hoc Esaiæ, Dauidis, & cæterorum Prophetarum testimonijs ita probauimus, vt nihil sit ampliùs, quod desideres, quod & ratio ipsa testatur. Non debuit enim tantus Dominus in mundum venire, vt solùm Iudææ paruam mundi partem, sed vt totum mundum saluum faceret. Cùm autem omnes homines illius creaturæ sint, ad illius imaginem & similitudinem factæ, & illius gloriæ capaces; non erat consentaneum, vt quod hac aptitudine crearat, desereret, neque vt personarum esset acceptator, & vnicam gentem saluam faciendo cæteras orbis terrarũ desereret. Cùm verò omnes homines creaturæ Dei sint, par erat, vt & omnes illum cognoscerent, adorarent, & ei seruirent. Hoc illud erat, quod illi sancti patres veteris legis vehemẽter expetebant, per totum orbem terrarum finum suæ charitatis distendentes, cupientesq; vt omnes gentes glorificarẽt Deum, & saluæ fierent.

Hoc præclarè Dauid ostẽdit in Psalmo 66. in quo nihil, nisi de hoc agitur, cùm à Deo petat, vt in omnibus gentibus cognoscatur, & adoretur. Huius autem desiderij magnitudinẽ illis verbis declarat: *Confiteantur tibi populi Deus. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.* Neque fuit contentus id semel dixisse, sed statim idem repetit, *Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.* In fine autem Psalmi hanc conuersionem rogat, cùm inquit: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, &*

metuant eum omnes fines terræ. Hoc autem timoris nomine in facris literis intelligitur Dei cultus, ac veneratio, quæ ex hoc timore proficifcitur. Hoc autem defiderium, quod in his fanctis Patribus erat, ab ipſo Spiritu ſancto emanare notum eſt: in illis enim ſemper verſabatur, ſemper loquebatur; & cùm nihil vnquam fruſtra faciat, non excitabat in illis hoc deſiderium, vt illos torqueret, ſed vt quod illis erat in votis perficeretur.

Sed antequam Saluatoris aduentus in hunc mundum tempus accederet, voluit in terris populum eſſe vbi naſceretur, cognoſceretur, promitteretur, & expectaretur; vbi Prophetæ eſſent, qui ſuum aduentum annuntiarent, ſigna declararent, quibus, quando veniret, futurus eſſet cognitus, & vnde tandem exiret doctrina, quæ totum terrarum orbem eſſet illuminatura. Quod innuit

Iſa. 2. illud Eſaiæ: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.*

Voluit præterea hunc populum, Deo dedicatum, à cæteris omnibus, qui idolis ſeruiebant, differre. Et idcirco non ſolùm voluit, vt differret intrinſecus, religione ſcilicet, & diuino cultu; ſed extrinſecus etiam, vt veſtitu, cibo, agricultura, & tandem circuncifionis ſigno, vt harum rerum differentiæ, ad alias potiores differentias eos adhortarentur, vt ſcilicet ſe à ſceleribus, ſuperſtitione, & præſertim ab idololatria remouerent.

Hoc igitur fundamento iacto, iam tibi compertum fiet, quòd multa in lege neceſſariò mutanda erant. Lex enim primò ad ſacrificandum vnicum locum, qui Hieruſalem erat, conſtituebat, & vnicum Sacerdotum genus, illos ſcilicet, qui ab Aarone originem trahebant, nec quiſquam alius Sacerdos eſſe poterat.

Nunc à te illud peto, ſi Chriſti cognitio & doctrina propaganda erat per omnes gentes, (quod tum ante, tum poſt Conſtantini tempus factum fuit) qui fieri poterat, vt vnicum templum, & vnicum genus Sacerdotũ ſatis eſſet vniuerſo terrarum orbi; illud, in quo omnes homines orarent; & hi, vt omnes pariter homines docerent? cùm tam multa templa ſint ad animos fidelium excitandos ad pietatem neceſſaria, tam multiq; miniſtri, in noua præſertim gratiæ lege, qui eam adminiſtrent, & loca, in quibus vtique gratiam aſſiduis orationibus petant. Legis igitur mutationem ad hæc duo, quæ diximus, fuiſſe neceſſariam, quis non videt?

Hinc autem ad ſacrificia ex diuerſis animalibus pergamus, in quo, diuino mandato omiſſo, quo religionis actiones erant, nihil video, quod religionem, & ſanctitatem oleat, niſi quandam macelli ſpeciem, in quo vaccæ, capræ, arietes iugulabantur, vbi ſacerdotes, cùm degluberent, & ſanguinem ſpargerent, lanij partes agebant. Cùm enim Deus ſit non ſolùm ſanctus, ſed ipſa ſanctitas, nihil quod non ſit ſanctum, & à ſanctis effectum, illi placere poteſt. Hoc eſt,

Pſal. 50. quod ſæpe ſcriptura teſtatur. Dauid inquit: *Si voluiſſes* Domine *ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.* quæ ſacrificia ſunt, in quibus totum animal comburitur. Quod autem ſacrificium Deus expetat, ſtatim ſubdit: *Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatũ, Deus, non deſpicies.*

Pſal. 39. Idem Saluator cùm Patrem alloqueretur in alio Pſalmo dixit: *Sacrificium & oblationem noluiſti,* quæ pro peccatis offeruntur: *aures autem perfeciſti,* (vel, vt alij verterunt, *aperuiſti*) *mihi.* in quo ſignificabat, à nobis magis Deum velle

noſtram

nostram obedientiam, quàm animalium sacrificium: quemadmodum & Samuel Sauli regi declarauit, cùm ei dixit: *Melior est obedientia quàm victima: & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum.* 1.Reg. 15.

CAT. Si res igitur ita est, ad quid Deus sacrificiorũ legem promulgauit?

MAG. Id legislator prudenti consilio statuit, cùm gentis, cui lex ferebatur, rationem haberet. Eo enim tempore cuncti homines idola adorabant, & illis animalium sacrificia offerebant, & Iudæorum populus ad id faciendũ, quod omnes faciebant, hoc est, ad sacrificia maximè propensus erat, & ad id ita affectus, vt qui à Hierusalem longè abessent, contra Dei mandatũ in montibus Deo sacrificia offerrent; Reges autem, etsi iusti, & sancti erant, id fieri sinebant, ne, hac opportunitate sublata, idolis sacrificia offerrent. Cùm igitur diuina clementia id cerneret, hominum infirmitati inseruiens, noluit sacrificia tolli; sed vt ea vero Deo offerrentur, statuit.

Præterea cùm ille populus non satis esset ad spirituales res, id est, ad rerum diuinarum considerationem, contemplationemq; aptus, in exterioribus actionibus tum sacrificiorum, tum aliarum legis cæremoniarũ, quæ facilè à quocunque homine, vel rudi, fieri possunt, voluit Deus illum populũ contineri, & occupari, quoad gratiæ tempus veniret, quo Spiritus sanctus in hominum corda infunderetur, & ita homines ad altiora, & spiritualia extollerentur.

Præterea hæc sacrificia statuit, vt ijs veri Agni sacrificium, cuius morte mundi peccata sublaturus erat, nosq; à morte liberaturus, quam omnes nostris peccatis meriti fuimus, repræsentaret. Sacrificium Paschalis agni, & rubeæ vitulæ, binorumq; hœdorum, quorum alter moriebatur, alter in solitudinem perducebatur; item leprosi sacrificium, quæ duæ aues erant, quarum altera sacrificabatur, altera verò à morte libera, vt auolaret, emittebatur; hoc nobis penitus significant. Quæ sacrificia illud summum sacrificium tam clarè ob oculos ponunt, atque significant, vt potiùs in prophetiarũ numero, quàm figurarum, vt postea dicemus, numeranda sint. Quamobrem hoc diuino sacrificio iam oblato, non æquum erat, vt cætera perseuerarent: nihil enim aliud esset, quàm id futurum significare, quod iam aderat, quodq; perpetuò nostrum sacrificium futurum erat.

Sin autem argumentum, quod magis vrgeat, habere cupis; illa mysterijs plena verba, quæ Pater æternus in Psalmo 109 ad Filium suum dicit, animaduerte: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Cui autem hæc verba, præsertim tanto iureiurando prolata, timorem non incutiunt? Illud profectò mirum est, cùm quinq; legis libri penè toti in cæremonijs & sacrificijs sacerdotij Aaronici pertractandis occupentur, Spiritũ sanctum venire, & vnico verbo omnibus illis legibus, & cæremonijs illius antiqui sacerdotij abrogare. Mutato enim sacerdotio, (vt rectè Apostolus argumentatur) quæcunque leges de eo agunt, vt mutentur necesse est. Heb. 7. Et idem Apostolus huius Melchisedech dignitatem amplificat, cùm inquit, quòd magnus Patriarcha Abraham decimam omnium, quæ secũ asportabat, ei obtulit, & benedictionem ab illo consecutus est: in quo significabat, maiorem esse, qui benediceret, quàm cui benediceretur. Cùm in hoc tam nobili Rege voluerit Spiritus sanctus duo millia annorũ ante perfectissimam Christi imaginem nobis proponere. Hic enim Melchisedech erat Rex, atque

Sacerdos: sic & Christus Redemptor noster. Rex, quòd nos suo regit spiritu, & à nostris inimicis defendit: Sacerdos, quòd seipsum in ara Crucis pro nostris peccatis obtulit. Huius autem Melchisedech sacrificium ex pane, & vino erat; huiusmodi & illud nostri summi sacerdotis sacrificium fuit. Non tamen ex hoc pane, & vino materiali; sed eo, de quo Propheta dixit: *Quid bonū eius est,*
Zach. 9. *& quid pulchrum eius: nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Quantū autem interest inter hoc vinum, & illud, de quo Apostolus inquit; *Nolite in-*
Ephes. 5. *ebriari vino, in quo est luxuria*: sed contrà hoc vinum virtute corporis, & sanguinis Christi, qui in illo est, castos, & mundos homines efficit.

Heb. 7. De hoc præterea Melchisedech agitur ita in sancta scriptura, vt nulla mentio neque de illius genere, neque de principio, aut fine illius vitæ fiat: in quo filij Dei diuinitas, quę nec initium habuit, nec finem habitura est, significatur. Nomen quoque huius Regis cum reliquis consentit: Melchisedech enim, Iustitiæ rex interpretatur. Et hæc duo in mundum perduxit hic noster Rex, cùm homines iustos effecit, & Deo conciliauit. Quod omne eò tendit, vt intelligatur, Christum non secundùm ordinem Aaron, sed Melchisedech fuisse sacerdotem, qui non ex animalibus, sed ex pane & vino sacrificium obtulit, quod illius diuinissimi sacrificij, quod Ecclesia quotidie sub panis & vini speciebus offert, figura est. Et ille materialis panis, & vinum, huius sacramentalis panis, & vini figura erat.

Hoc mihi videtur satis, frater mi, vt intelligas, cur sacrificia legis defecerunt. Sin autem apertiùs vis intelligere, Deum hęc nolle sacrificia, animaduertas quomodo permisit illorum locum, quod Hierusalem templum fuit, extra quem (vt diximus) sacrificare non licebat, radicitus euelli. Nam cùm permiserit illud deesse, quod ad huiusmodi sacrificia necesse erat; illud nobis cōpertum esse voluit, ꝙ oblato illo summo sacrificio, quod in illis significabatur, hæc legis sacrificia penitus aspernabatur. Illud enim certò scimus, Dei opera, vt ipse est, esse perfecta: cùm autem ille iussisset, ne quo loco præterquā in Hierusalem sacrificarent, qua ratione meliùs significare potuit, illa sibi nō ampliùs placere sacrificia, quàm templi euersione? Id Diuus Chrysostomus hoc exemplo nobis exponit. Si quis ardenti febre correptus à Medico postularet, vt sibi vini poculum bibere permitteret, ipse autem ei concederet, sed hac conditione, vt quo solùm poculo ipse vellet biberet; & hoc concesso, vt illud poculum frangeretur, iussisset; nónne tibi videtur satis esse hoc ad intelligendam Medici voluntatem, noluisse scilicet, ęgrotum illud vinum bibere? Hoc idem igitur ille legislator fecit, vt ostenderet, se nolle ampliùs illa sacrificia, cùm illorum locum euerteret.

Cùm autem hoc scirent illius legis obseruatores, imperante Iuliano Apostata, cùm ab eo suaderetur, vt ipsi quemadmodum solebant sacrificarent, (videbatur enim facilè fieri posse, vt ab ijs ad sua sacrificia eos alliceret atque traheret) ei responderunt, se extra Hierusalem sacrificare non posse: si autem permitteret, vt templum instaurarent, se statim sacrificaturos esse. Quod ipsi maximo animi ardore facere cœperūt: sed cùm Deus hæc ampliùs nollet sacrificia, hoc propositum atque consilium penitus impediuit. Nam cùm fundamenta iacere incepissent, ex illis exiuit ignis, qui quæcunque ibi erant,

quemadmodum alio loco fusiùs pertractauimus, penitus combusiit. Quis intellectus hac ratione non reuincetur?

Quid autem opus est rationibus, vbi verba ipsius Prophetæ Malachiæ satis aperta habemus? Ait enim per illum Dominus: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad Occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quibus verbis profectò vides apertè gentium conuersionem esse prædictam, (de quo paulò ante dictum est) aperteque legis oblationes, & sacrificia remoueri, atque auferri, quæ (quoad se) nullam habebant vim neq; efficientiam ad hominũ sanctificationem: sed pro illis offertur illud purissimũ veri Agni sacrificium, qui in sanctissimo Altaris sacrificio præsentatur, quod in omnibus Christianorũ Ecclesijs nũc offertur. Malac. 1.

Ad quod & illud non parui momenti adiungã, quod ex superiori ratione, & auctoritate consequitur; q; quemadmodum Deus locum sacrificiorum euertendo nobis, se nolle amplius huiusmodi sacrificia, significauit; ita quoque illã Iudæorũ tam veterem, & nobilem euertendo Rempublicam, vt ne vestigium quidem vllum reliquum sit, se nolle ampliùs Iudæorũ Deum vocari solùm, sed omniũ gentium, cùm pro omnibus venisset, vt Abraham priùs, deinde omnibus Prophetis pollicitus erat, apertissimè significauit. Ita enim clarè inquit per Isaiam: *Dominus exercituum nomen eius: & redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur.* Quasi diceret; Iam non vocabitur ampliùs vnius Isa. 15. populi Deus, sed omnium populorum, vniuersiq; terrarũ orbis. Cum quo superior auctoritas consentit, vbi Dominus inquit, suum nomen esse magnum in omnibus gentibus, quodq; vbiq; ei oblatio munda offertur. Quod & Isaias testatur, cùm inquit; *Erit radix Iesse, & qui exurget regere gẽtes, in eo gentes sperabũt.* Isa. 11. Itaque hæc noua dominatio, & regnum vniuersale est in Iudæos, & Gentiles, Rom. 15. sine personarum acceptione. Propter hanc causam Propheta, cum vtrisque verba facit, cùm inquit: *Congratulamini gentes populo Dei.*

Hoc illud est, quod facere cogitauit Deus, cùm illam nobilem Rempublicam euertit, vt doceret, non esse huius præcipui populi, sed omnium populorum Deũ, vt superiores auctoritates testantur. Ad quid enim suum templum, & illud regnum excindere, si voluisset illius populi tantùm esse Deus, nihilq; aliud sibi proposuisset? Illud memoria repetas, quod initio dixi, quòd cùm vellet æternus Pater Filium suum vnigenitum humana carne indutũ mittere, vt mundum redimeret, consentaneum fuit nouum creare populum, vbi cognosceretur, prædictus esset, & expectaretur, de cuius genere originem duceret, & carnem humanam assumeret. Hoc igitur facto, mundiq; redemptione consummata, nihil erat, quòd Deus præcipuum populũ haberet, cùm omniũ Redemptor esset. Quamobrem, vt cùm cæmentator fornicem ædificare vult, formam priùs statuit, supra quam deinde fornicem constructurus sit, quo constructo formam remouet: ita Deus illum præcipuum populum ad id, quod diximus, cùm quæreret, eo confecto, nihil erat quod ampliùs pristinum nomen, quo diceretur, præcipuum esse Dei populum, retineret: veniebat enim vt esset omnium communis, & vniuersalis Deus.

CAT. Nihil est mea sententia, quod contra ea, quæ dicta sunt, afferri pos-

 sit,

sit, tam aperta est hæc ratio, totiq; sacræ scripturæ testimonijs comprobata. Quid tamen dices ad ea, quæ sæpe scriptura repetit, cùm has promulgans leges dicit, *Quòd hæ leges in perpetuum, vel in æternum seruandæ sunt?*

M A G. Consuetudo est eorum, qui sacram interpretantur scripturam, vt per certa, & nota, incerta, & obscura exponant. Cùm autem tam notis argumentis, legis cæremonias, & sacrificia cessasse probauerimus, hoc quoque modo illud verbum interpretandum est, in perpetuum, vniuersum scilicet tempus, quo Deus constituerat illas esse seruandas, quod est vsque ad Saluatoris
Exod. 21. Deut. 15. aduentum. Hoc quoque modo intelligitur id, quod dicit lex de seruo, si, postquam elapsi fuerint septem anni, seruus iuri suæ libertatis renunciauerit, sit sui domini in æternum seruus. Hæc autẽ æternitas intelligitur dum ser-
2. Reg. 12. uus viuit. Cùm Propheta Dauidi minaretur, quòd miserit ad occidendum Vriam, dixit, gladium Dei in æternum illius domo non esse egressurum: &
4. Reg. 5. cùm Eliseus Giezi suo familiari dixisset, eum & totam suam domum in æternum perpessurum esse Naaman lepram: non intelligimus hîc his duobus verbis, in æternum, aliud, nisi diuturnum aliquod tempus. Hac quoque ratione intelligitur illud in lege, dum scilicet illa lex seruãda esset, quod erat donec ille venisset, qui nouam lucem, nouam legẽ, nouamq; rerum diuinarum cognitionem daturus erat.

C A T. Hac in re mihi satisfactum esse fateor: sed alia mihi suboritur dubitatio. Non enim videtur esse conueniens, Deum dedisse legem, quæ ad tempus tantùm seruanda esset: magis consentaneum videbatur, promulgasse legem, quæ perpetuò duratura esset.

M A G. Non licet humanæ prudentiæ, suo modulo, suaq; ratione metiri, atque examinare, quæcunque statuit, atque iubet Dominus. Quod neque Aristoteles ignorauit, qui (teste S. Thoma) inquit, quòd quicunque diuino numine afflati sunt, non debent ab humana ratione consilium petere: cùm hi aliam habeant marinam chartam qua nauigant, alium magnetem humana prudentia certiorem. Cùm autẽ Deus ita statuerit, (vt pluribus superiùs probauimus) non potest hîc nostra imbecillis ratio opponi: licet neq; hæc in Dei operibus deest: tam enim perfectè dispositæ, & descriptæ sunt, vt ex his, quæ hactenus à nobis dicta sunt, si scires philosophari, per te ipse colligere posses. Nam primò maiorem, & potiorem legis partem, quam Deus suo conscripsit digito, diximus hactenus non cessasse, neque vnquam cessaturam esse.

Quod autem attinet ad leges sacrificiorũ, quæ ex animalibus fiebant, audisti hæc omnia illius summi sacrificij, in quo Saluator se ipse obtulit pro totius mundi peccatis, fuisse figurã; ob id veniente luce, & veritate, tum vmbra, tum figura cessauit. Quod non solùm ratione, verùm etiã Malachiæ auctoritate, & Christi sacerdotio, quod secundùm ordinem Melchisedech est, non Aaron, & in primis templi euersione, qui sacrificiorum locus erat, probauimus.

Reliquum est, vt dicatur de iudicialibus, id est, de legibus & institutis, quibus Principes, & populi iudices, ciuiles causas iudicabant. Ad quod respondemus, eas leges ad illum populum, & ad illam Iudææ prouinciam, in qua habitabant, fuisse accommodatas. Cùm autem probatum sit, Messiam ad saluandas omnes gentes venisse, & Euangelium eius in omnibus gentibus prædicari oportere, (sicut prædicatum est) minimè fieri poterat, vt vestis scinderetur,

tur,& leges sancirentur, quæ omnibus mundi nationibus bene conuenirent. Quæ quàm sunt differentes locis,& linguis,tam etiam moribus, humoribus, conditionibus,terræ,& cęli quod eos tegit,& diuersis influentijs afficit, proprietatibus,inter se differunt.Quare consentaneum fuit,vt tum Ecclesia, tum Principes,& Respublicę Christianę pro se quique sua instituta, suasqúe leges sancirent,quæ conuenirent qualitati & conditioni terrarum,quibus eas ferebant. Verum tamen & illud est, quòd ex illis veteribus legibus delegerunt, quod generatim omnibus locis, temporibus,& populis esset vtile : Vt est, publica statuere salaria ministris Ecclesię; & illam non iuuare eos, qui cogitatò hominem occidissent; & alia huiusmodi. Exod.21.

Vt autem ad omnia vno verbo respondeatur ; iam dictum est, Deum nos obligasse penitus,vt quæcunque nobis iussisset Messias faceremus,& quęcunq docuisset,crederemus. Et quemadmodum Deus delegit Moysen, & eum spiritu suo repleuit, vt suas promulgaret leges; sic & hic Dominus duodecim delegit Apostolos,super quos Spiritus sanctus descendit,vt per illos nobis suam declararet voluntatem, nobisqúe iussit,vt eis tanquam sibi obediremus. Et ita illis dixit:*Qui vos audit,me audit: & qui vos spernit, me spernit*. Illi deinde in vnum locum congregati, primum celebrarunt Concilium, quod in Ecclesia fuerit,in quo statuerunt,vt tam Circuncisio,quàm cætera legis onera, & cæremoniæ,vnà cum morte Christi tollerentur. Hoc autem,vnà cum illis quæ hactenus à me dicta sunt,sufficit ad illarum rerum,quę dictę sunt, veritatem cognoscendam. Lucæ 10. Actoi.15.

Et quemadmodum ipsi Spiritu sancto afflati hæc statuerunt, ita etiam eodem Spiritu sancto Sabbatum in diem Dominicũ commutarunt.Ratio enim, quam legislator adduxit ad illum diem sanctificandum, illa fuit, quòd illo die mundi fabrica, quem ad hominum vsum, & commoditatem creauerat, confecta fuit.Quod eo die considerari voluit, vt pro eo tantorum bonorum datori gratias agerent.Cùm autem nostræ Redemptionis beneficiũ (quod est Passionis,& Resurrectionis Christi Saluatoris) tantò maius esset illo, quantò pręstat,esse homines diuinos, quod hoc beneficio accepimus, quàm esse humanos,quod illo;iure optimo Ecclesia Apostolorum traditione,Spiritu sancto recta,Sabbati obseruationem in diem Dominicum commutauit, vt hunc in consideratione, contemplationeq́ nostræ Redemptionis beneficij magis, quàm illum creationis cõsumeremus. Quod maximè conuenit cum eo,quod idem Dominus dixit per Isaiam,cùm nobis iubet, vt præteritorum beneficiorum recordemur,quòd noua multa,& magna facere vult,vt cætera obliuiscamur. Isa.43.

CAT. Valde humanus intellectus lætatur,cùm ratio fidei assentitur:sic & ego valde delectatus sum hac ratione,quam adduxisti,licet hæc legis mutatio non in sola ratione sita sit,sed in sacræ scripturæ testimonijs,quæ à te allegata sunt. Illud autem vnũ mihi reliquum est,quod à te scire desidero, cur scilicet multa,quæ matrimonio coniunctis permittebantur ab illa lege,& alijs huiusmodi, nunc autem in noua non permittuntur lege, licet Deus esset, qui illa permitteret.

MAG. Ad id tibi respondeo,quòd non est inconueniens, leges & omnia humana pro temporũ,& personarũ diuersitate mutari. Illud omnibus com-

pertũ eſt,alium cibum pueris, alium iam adultis naturam paraſſe: illos enim lacte,nonnullisq; micis;hos autem ſolidioribus cibis ſuſtentat. Propter hanc cauſam in illa tenera ætate ijs debiliores dentes dedit; poſtea autem primis ſublatis dentibus,alios firmiores,vt duriores cibos comedant,tribuit.

Quamobrem tibi ſciendum eſt, mundum, & hominem ſuas ſpirituales ætates habere.Suam enim habuit infantiã, & ſuam etiam perfectam ętatem; quam non annorum numero, ſed gratię gradibus, qui tribuuntur illi,metimur. Ante enim Saluatoris aduentum perpauca erat gratia,quæ vniuerſim mundo dabatur,& perpauci,qui illam acceperint.Propter hanc cauſam Apo-
1. Cor. 3. ſtolus nonnullos homines infirmos,& imperfectos,paruulos vocat,& eis dixit ſe lac tradidiſſe,doctrinam ſcilicet faciliorem,& ab ea differentem, quam tradebat illis,qui iam adulti eſſent.

Hoc quoque modo dicimus ſuam pueritiam, perfectamq; ætatem mundum habuiſſe.Pueritia fuit ante Chriſti aduentum,qui fons,& auctor eſt gratiæ,qua nos illud Chriſti paſſionis diuinum ſacrificium dignos effecit. Cùm autem eo tempore gratia pauca eſſet,infirma quoque valetudo erat,& exiguis finibus continebatur; in parua enim Iudææ regione tãtùm reperiebatur,quò aurora tantùm luminis fidei peruenerat.Plus tamen cum illa ſuperſtitionis, quàm verę religionis erat: illius enim duces(qui Sacerdotes erãt,& Phariſęi) auaritia,ambitione, ſuperſtitione, hypocriſi,inuidia pleni erant,& propter hanc cauſam Saluatori mortem machinati ſunt.

AEtas autem mundi perfecta, & virilis,fuit poſt aduentum Chriſti, quo
Actor. 8. tempore tam copioſè dabatur gratia,vt impoſitione manuum ſolùm Apoſtolorum,illis daretur Spiritus ſanctus cum omnibus donis ſuis.Tunc igitur,inuitis omnibus Imperatoribus, & Regibus,gratia, & Dei cognitio per totum terrarum orbem diffuſa eſt:tunc millia millium Martyrum ſurrexerunt,qui virili fortitudine, quid dicam virili? diuina fortitudine, tam multa, & magna tormenta nuper excogitata perpeſſi ſunt,vt grauiora excogitari, nedum inueniri potuerint.Neque id in vno hominum genere,ſed in omnibus locis, & terris,quæ Romano Imperio parerent.Tunc multiplicata ſunt examina & agmina Monachorum,qui in ſolitudinibus verſantes vitam Angelorum agebant:tunc floruerunt ſancti Pontifices,Confeſſores,Virginum chori,&hi tanta multitudine,vt(quemadmodum ſuperiùs diximus)in vnica AEgypti ciuitate viginti millia Virginum eſſent: legis autem tempore hæc diuina virtus penè non erat cognita,& multò minùs culta,imò dedecori erat.

Cùm igitur inter has duas mundi ætates tantum interſit,ille prudentiſſimus legiſlator,cùm illius infirmæ ætatis rationem duceret, multa permiſit, quæ hoc tempore non permittuntur.Diſpenſauit enim,vt multæ haberentur vxores,quod hac tempeſtate non permittitur: cùm tam naturale ſit vni marito vnicam vxorem eſſe,ſicut in auibus, etiam & multis alijs animalibus cernitur.Permiſit vxori libellum repudij dari,cùm ea non erat vir contentus, ne illam interficeret.Illorum auaritiæ conceſſit,vt alienis populis pecuniam fœnerarentur: quorum nihil in gratiæ lege permittitur: in quo illius perfectionem & præſtantiam cernis.

Mandata præterea eis dedit circa opera exteriora, quòd nondum erant ſatis accommodati (vt diximus) ad rerum interiorum,& ſpiritualium contem-

templationem. Vt autem pleniùs intelligatur, quàm ipsi terreni essent, animaduertas, quòd maior pars illorum, quæ illis tum lex, tum Prophetę promittebant & minabantur eo tempore, corporis sunt bona, aut mala, vt genti, quę penitus ex carne erat, quòd illa essent, quibus maximè mouerentur; cùm tamen longè præstantiora sint spiritualia, & ęterna, quàm omnia corporis bona, licet de his nonnunquam mentio fiat, sed id rarò: Deus enim vocabat ad ostium, vbi illi respondebant. Quo firmiori argumento possumus vti ad illius populi imperfectionem comprobandam, quàm adduci Deum, vt illi populo dicat; Si mea mandata seruaueritis, bona terræ possidebitis?

Cùm igitur tantū intersit inter has duas mūdi ætates, quantū inter hominis pueritiam, & perfectam ætatem; quid mirum, ordinasse diuinam sapientiam, (quæ tanquam pia mater nostræ infirmitatis rationem habet) diuersas leges, alias mundo puero, alias iam adulto, & viro facto, & nonnulla illi ætati permisisse, quæ huic omnino negat?

CAT. Solutis iam omnibus meis quęstiunculis, vna sola mihi reliqua est proponenda; quomodo, si res ita se habet, illa Saluatoris verba verificantur, & adimplentur, vbi dixit, quòd non venit soluere legem, sed adimplere. Matth. 5.

MAG. Huic quęstioni ille pręceptor, qui de cęlis descendit, satisfacit; qui prolatis his verbis, declarat seipsum illa verba proferentem, quonam scilicet modo eam legem adimplere volebat, atque perficere. Nam incipiens ab illa lege, quæ dicit, *Non occides*, in qua homicidium prohibetur, vlteriùs progreditur, & cordis irā prohibet, & oris verba contumeliosa, quæ sępe ad homicidium aditum patefaciunt. Lex prohibet adulterium cum aliena vxore; sed ille oculorum visum, & cordis concupiscentiam prohibet, quæ ad ipsum adulterium disponunt. Lex permittit vxori libellum repudij, quæ esset viro molesta, dari: sed ille non permittit repudium tale, imò qui eam dimittit damnat; & qui eam ducit, adulterum vocat. Lex iubet, ne Dei nomen in vanum assumamus: sed ille vult nullo modo, neque verè, neque falsò testemur, vt hac ratione caueamus, ne eius nomen in re non vera testemur. Lex iubet, vt nostros diligamus amicos; sed ille vult, vt inimicos etiam nostros diligamus, consulitq; nobis vt Deum pro illis oremus, illisq; benefaciamus. Et sic etiam nobis consulit, ne illis, qui nobis malefacere vellent, obsisteremus; & vt, si quis vellet nobis pallium eripere, tunicam etiam concederemus potiùs, quàm rixas, & lites excitare, ex quibus odia, & maleuolentiæ proficiscuntur. Vides igitur, frater, quo pacto ipse Saluator, qui ea protulit verba, statim eadem his exemplis interpretatus est.

Illud quoque scias volo, alia esse in lege mandata, quæ iure optimo, prudentiq; consilio illis temporibus, illiq; populo lata fuerunt: qui cùm vndiq; à gentilibus circundatus esset, periculum imminebat, ne vicinorum vitijs coinquinarêtur. Propter hanc causam diuinus ille legislator voluit, vt in omnibus, quę ad vsum vitæ pertinent, vt in cibis, vestimentis, terræ cultura, satione, & alijs huiusmodi rebus, quæ quodammodo indifferentes sunt, ab ijs esset diuersus: vt, quemadmodum diximus, harum rerum diuersitas, quæ ad corpus pertinent, eos excitaret ad ea, quę potiora sunt, & efficeret, vt ab illorum vitijs, & moribus abhorrerent, quorum cibos sordidos, & abominandos arbitrarentur.

Has

Has autem leges de illis rebus, quę per se indifferentes erant, (sed ei tempori, & ad id, quod diximus, necessariæ) noster quoque Saluator adimpleuit: cùm nobis iubeat, vt ea in sensu spirituali, qui in illis inclusus est, & pręstantior, & illius sanctitate, summiq; legislatoris sapientia dignior, seruemus. Ponamus exemplum.

Cùm lex iubet, vt taurum, vel hœdum sacrificemus; in altero iubet, vt superbiæ vitium deprimamus, in altero carnis luxum cohibeamus. Cùm autem iubet, ne ei animal sine cauda, & sine aure offeramus; illud nobis innuit, sibi non placere seruitium, cùm est contra obediētiam, & sine perseuerantia. Cùm autem prohibet, ne sibi aues ex rapina viuentes offeramus; docet sacrificium ex re aliena nō esse sibi gratum. Cùm verò iubet, vt sibi columbas offeramus; simplicitatem à nobis postulat; cùm verò turtures, castitatem; cùm agnos, mansuetudinem. Quæ virtutes Deo gratiores, quàm horum animalium sacrificia, sunt.

Adsunt præterea alia mandata, quæ in cortice literæ non videntur religiosa, nec tanto legislatore digna. Quapropter Gentiles Hebræorū legem quandam superstitionem (vt superiùs diximus) existimabant. Quæ pręter verborum sensum, spirituales sententias, quæ documenta, & mandata salutifera sunt, continent. Huc quoque afferamus exempla. Cùm lex ait, Suem ne comedas; pręter verborū sensum illud indicat, ne sordidus, & turpis esto. Cùm ait, Nihil cum sanguine comedas; illud ait, tuo proximo, neque mortem desiderabis, neque illum odio prosequeris. Cùm ait, Auem ex rapina viuentem ne comedas; illud significat, ne imbecilles opprimas, neque aliena surripias. Cùm ait, Non alligabis os boui trituranti; illud indicat, mercede operarium non fraudabis. Cùm ait, Hœdum in lacte matris suæ non coques; nobis illud significat, calamitoso calamitatem ne inferas. Cùm ait, Nō seminabis terram diuerso semine; illud significat, cum verbi Dei semine vanam doctrinam, & periculosam ne commisceas. Cùm inquit, Non arabis terram cum boue, & asino; illud admonet, ne infirmo sarcinam robustioris imponas, neq; in laboribus eum parem reddas. Cùm iubet, ne homines vestibus induantur ex lino & lana; iubet, ne simus obscuri, sed aperti, & simplices: ex lino enim interior, & ex lana exterior vestis fit. Dicere autem, Ne induas vestem ex lino, & lana; nihil aliud est, quàm dicere, in interiori parte aliud non habeas, & aliud in exteriori ostendas: id est, ne sis simulator, atque dissimulator, neque falsus, ne-
Eccl. 4. que deceptor, neque duos vultus habebis, quod & Ecclesiasticus ait, *Non accipies faciem aduersus faciem*, id est, ne quid habeas in corde, & aliud diuersum verbis falsò ostendas.

His igitur, & alijs talibus exemplis intelliges, frater, quàm probè dixerit
Matth. 5. Saluator, se non ad soluendam legem, sed ad eam adimplendam venisse. Hoc enim modo meliùs adimpletur, quàm si fieret illud, quod verba sonant. Sin autem aliter se haberet, quid religionis, quid sanctitatis erat non induere linum, & lanam? vel hoc potiùs quàm illo modo terram arare, vel serere, vt lex iubebat? Et hoc fideles statim intellexerunt post aduentum Saluatoris, vt clarum est ex testimonio Philonis nobilissimi inter Hebræos historici, qui narrat, quòd fideles Hebræi, qui apud Alexandriam vitam agebant sanctissimam, hoc modo philosophari sciebant, sicut superiùs dictum est.

CAT.

CAT. Hac ratione philosophandi, sacramq; scripturam intelligẽdi, Præceptor, sum magnopere delectatus. Hæc enim interpretatio est illo Domino digna, qui cùm sit ipsa sanctitas, & bonitas, illud tantũmodò approbat, quod virtuti, & sanctitati congruit.

DIALOGVS DECIMVS, IN QVO DE cæcitate, & miseria, in qua viuunt Hebræi, qui Saluatoris fidem non susceperunt, agitur.

CATECHVMENVS.



HIS petitionibus missis, reliquum nunc est, vt aliud à te petam, quod fortasse in hac re primum locum tenet. Scis enim Iudęorum populum fuisse ex omnibus totius terrarum orbis populis à Deo delectum, eiq; præcipuè has tam magnificas promissiones Christi diuitiarum esse factas, non temporalium (vt optimè probasti) sed spiritualium, quæ sunt (vt dixisti) gratię, & glorię bona. Quòd autem ita se habeat, perspicitur ex eorum nominibus, quibus hæc bona promissa sunt, quæ sunt Domus Iacob, populus Israel, mons Sion, Hierusalem, domus Dauid, & alia huiusmodi. Et ita ait Deus per Zachariam: *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & precum.* Zach.12. In quibus verbis nominę Hierusalem totum intelligitur regnum, totum scilicet per partem præcipuam, quę figura sępe in sacra scriptura adhibetur. Idem Deus in cap.43. Isaiæ, cùm loqueretur cum suo populo sub persona Iacob, sic inquit: *Hæc dicit Dominus, creans te Iacob, & formans te Israel: Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu. Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* In capite autem sequenti, cum eodem Iacob verba faciens, inquit: *Noli timere serue meus Iacob. Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam.* Et ne intelligerent id, vt litera sonat, statim huius aquę interpretationem subdit, cùm inquit: *Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas.* Multę alię huiusmodi auctoritates reperiuntur. Nam gratiæ, & diuitiæ, quę in terris promittuntur, sub his nominibus promitti solent. Id igitur cùm ita sit, omnes filij Iacob videntur huiusmodi gratiarum futuri participes. Quod in illa gentis parte, quæ in sua incredulitate cæca est, adimpletum non videtur. Ad id, Pręceptor, mihi responderes vellem.

MAG. Multa mihi in mentem veniunt, quibus ad id tibi respondeam. Et ne ibi sit confusio, vbi est multitudo, in hoc elaborabo, vt omnia ordine exponam.

Et antequam ipsam rem aggrediar, tibi exponam, quonam modo egerit Saluator cum illo populo, quanti eum fecerit, quamq; mercedem ei tribuerit eo tempore, cùm memoria eius peccati, quod in eum omniũ sententijs commisit, erat adhuc recens, & penè sanguine perfusa.

Primùm enim ipse Dominus cùm se in terris manifestauit, prædicareque cœpit, cum illis semper versatus est, suæ doctrinæ lumen illis tradens, exemplis suæ sanctissimę vitæ docens, morbos curans, suorum miraculorum multitudine illos ad se trahens. Cùm autem ad prædicandum suos discipulos misit, illis iussit, ne ad gentiū terras irent, sed ad oues, quę perierant domus Israel. Vbi autē ad cælum ascendit, omnes Apostoli iisdem fungebantur muneribus in Hierusalem, quoad seipsos in totum terrarum orbem distribuerunt. Qui autem sancto Stephano martyre necato Hierusalem dereliquerunt, ij (vt testatur S. Lucas) ibant per omnes Iudęæ ciuitates solis Iudæis, non autem gentibus prædicantes. De sancto autem Petro, & Ioanne (qui Ecclesiæ columnæ erant) inquit idem S. Lucas, quòd conuenerunt cum S. Paulo, & S. Barnaba ita, vt prædicationem inter se dispertirentur, vt S. Paulus, & S. Barnabas gentibus prædicarent, & S. Petrus, ac S. Ioannes Iudæis. De sanctitate autē illius tēporis in omnibus Iudæorum Ecclesijs, & in primis in ciuitate Hierusalem, quid dicam? De omnibus autem illius ciuitatis fidelibus, idem S. Lucas inquit, quòd licet tam multi essent, tamen vnicum cor, vnicamq; animam in Deum habebant. Omnes quoque suas vendidisse possessiones, & pretium illarum ad pedes discipulorum posuisse, vt pauperibus, vt illis videretur, distribuerent, testatur idem S. Lucas. omnes quoq; ait quotidie in templo in orationibus perseuerasse, & cum suas reuerterentur domos, sacram Communionem cordis simplicitate sumpsisse, & quotidie in sanctitate, & Dei timore auctos esse, & Spiritus sancti donis repletos fuisse. Illorum quoque virtutis S. Paulus maiorem testatur perfectionem, quòd non solùm non ægrè ferebant ab incredulis molestia affici, & conturbari, sed inde maximam voluptatem capiebant. Ea tandem erat illorum vitæ sanctitas, & simplicitas, vt cùm vellet Apostolus fidem, & sanctitatem Thessalonicensium fidelium, quibus scribebat, celebrare, dixerit eos fidelium Ecclesiæ Iudęæ fuisse imitatores, cùm persecutiones, quibus ob eandem causam afficerentur, maxima cum fide paterentur. Magnæ sunt omnes hæ laudes; sed non minùs mihi videtur esse illud, sua bona penitus (vt diximus) renuntiare, cùm inde perfecta illorum virtus cognoscatur. Nam (vt quidam dixit Sapiens) sicut ille lapis, qui Lydius dicitur, auri puritatem indicat, sic aurum est virtutis experimentum. Ille enim omnino virtute prędittus est, qui tum aurum, tum cæteras mundi diuitias negligit. Hinc cernere licet, quàm copiosè suæ gratię diuitias illi communicauerit populo, cùm adhuc illius culpæ præcedentis tam recens memoria esset.

Matt. 10

Actor. 4.

1. Thes. 2.

Quid autem de illa fidelium admirabili sanctitate, qui Alexandriæ de Circuncisione crediderant, dicam? Quæ cùm maxima sit memoria præ omnibus rebus digna, quęq; maximè ad animos fidelium confirmandos conducit, hoc loco eandem verbis Philonis Hebræi grauissimi auctoris, qui eam narrat, adscribere volui; qui quidem mirificas illorum virtutes simpliciter nullo verborum ornatu, sed quidquid de illis, vel videbat, vel sciebat, fideliter narrat.

Primùm igitur de illis ait, quòd relictis facultatibus, & auocamentis omnibus, ex illorum cordibus omnem curam, & solicitudinem extirpabant, & extra mœnia exientes viuebant in hortis, aut villis solitarijs, amantes solitudinem non hominum odio, sed ad cauendos congressus cum dissimilibus,

bus, qui sibi impedimento esse possent, quo minùs per arduam viam ad perfectionem scanderent. Inferiùs autem cùm de ijsdem verba faceret, sic ait: Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus meritò, vt absolutę probitatis, receptum à Græcis, atque barbaris. Maximè tamen in AEgypto frequentatur, per præfecturas singulas: pręsertim circum Alexandriam. Ex omnibus autem locis optimus quisque therapeutarum tanquam huius generis patriam colonus mittitur in locum quendam aptissimum, situm ad stagnum Marian in terreno colle acclini leniter, tutũ simul, & laudatum ab aeris temperie. Singuli autem habent sacras ædiculas, quæ semna, seu monasteria vocant, vbi solitarij sanctæ vitæ mysterijs dant operam: nec cibi, potúsve quidquam eò inferunt, aliúdve in vsum corporis, sed legem tantùm, & Prophetarum oracula diuinitus prodita, hymnos, & quædam alia pietati, scientiæq; promouendę vtilia: scripturarum admonitionibus, & disciplina eruditi, in dies maiores sibi comparant vires in vitæ perfectæ assiduis laboribus. In hoc studio totum diem ab ortu vsque ad occasum Solis terunt, neque solùm literam, verùm etiam mysticos sensus legis per Sanctorum expositiones addiscunt. Quoniam sub apertis verbis credunt latere secreta naturæ coniecturis explicanda probabilibus. Habent enim priscorum commentarios, qui huius sectæ auctores multa monumenta illis reliquerunt de allegorijs huiusmodi, ad quorum imitationem posteri se accommodant. De lege enim iudicant tanquam de animali habente corpus, quod litera est, & quidquid visui apparet; & animam, qui sensus spiritualis, & inuisibilis est: quem inueniunt tanquam per visum suis intellectibus penetrando illius mirificos sensus.

Neque solùm hymnos à suis maioribus acceptos canunt, sed alios pangunt vario metrorum, carminumq; genere, rhythmis concinnatos. Pręcipuè in quadam seuera continentia tanquam in totius ædificij spiritualis firmamento se continent, ex quo omnes suę exercitationes surgunt. Nemo illorum neque comedit, neque bibit ante Solis occasum: & ita tempus distribuunt, vt diem in sacrę sapientię studijs conterant, & noctis partem in ijs rebus, quæ ad corporis vsus pertinent.

Alij sunt, qui tertio quoque die comedunt; illi scilicet, qui diuini verbi fame magis laborant. Et qui plus etiam de sublimi sapientia consequuntur, & altiora diuinæ scripturæ secreta degustant, ij sic ijs diuinis cibis afficiuntur, vt corporales cibos vsque ad sextum diem non degustent. Tunc autem non auiditate, aut voluptate comedunt, sed vt suum corpus sustentent.

Cum huiusmodi viris adsunt nonnullæ mulieres: ex quibus nonnullæ vsque ad senectutem in virginitate perseuerarunt, suum corpus integræ custodientes, nulla necessitate, sed suarum animarum pietate adductę, & vt meliùs in virtutis exercitatione, non solùm corde, verùm etiam corpore se continerent: turpe enim esse existimant, vas ad diuinam sapientiam consecratum fœdare, & humanos concubitus cognoscere eas, quæ diuini Verbi societate sacrosancta, & immortali frui desiderant: ex quo in animabus suis filios à morte immunes generant. Sed in congregationibus separatim viri, & separatim mulieres versantur.

Post hęc autem narrat idem auctor, quòd sanctas celebrant vigilias eo

modo, quo & nos celebrare solemus, & maximè diebus, in quibus passionis Christi memoriam facimus, cùm totam noctem in ieiunijs, orationibus, & sacrarum scripturarum lectionibus terere solemus. Narrat quoque viam, & rationem, quam in diuinis officijs sequebantur: quemadmodum vnus in medium se recipiebat, & honesta, ac grata melodia Psalmos cantabat, vtq; hic vbi versum pronuntiasset vnum statim omnis chorus cantabat alterum: quodq; illis diebus in lectis noctu non dormiebant, sed super nudam terram, neque bibebant vinum, neque carnem coctam degustabant; sed illorum cibus erat tantummodò panis, & herbę sale conditæ, & aquam tantummodò bibebant. Describit præterea formam, qua sacerdotes, & ministri sua munera exercebant, quodq; superior prælatura erat Episcopalis dignitas: & multa alia similia illorum vitę, & consuetudini, qui nostris temporibus à communi consuetudine seipsos segregantes in ecclesias, & cœnobia se recipiunt, vt ibi religiosam vitam degant.

Quidquid superiùs dictum est, scripsit hic grauissimus auctor: ex quo licet videre, quàm sanctitas, & gratia in fidelibus, qui de circuncisione crediderant, illis temporibus floruerit: cùm illa quæ hîc describitur vita tot virtutibus, & præsertim mira abstinentia exornata, potiùs Angelorum, quàm hominum vita videatur.

Hîc autem non desijt huiusmodi fidelium fides, atque pietas. Nam antè quàm Hierusalem euerteretur, & pòst etiam in habitantibus eam, semper Episcoporum vigilãtia, qui eam administrarunt Ecclesiam, vsque ad Adrianum Imperatorem fides perseuerauit. Eo enim tempore iterum defecerũt Hebræi, & iterum euersi fuerunt, & de sua terra, vt superiùs narrauimus, depulsi fuerunt. Et ad hoc vsque tempus Eusebius quindecim successiones Episcoporum his verbis narrat: Vsque ad tempus Adriani quindecim prætericrunt Episcoporum successiones, qui omnes antiqua origine Iudęi fuerunt: sed deinde conuersi firmiores in fide fuerunt, & ij, qui sacerdotio digni habiti sint ab ijs, qui de hominum vita & moribus iudicare possent. Illud quidem nemo negare potest, Ecclesiam ab ijs esse productam, & conseruatam, qui ab Apostolis vsque ad dictum tempus dignissimi successerunt. Quorum quindecim Episcoporum primus fuit Iacobus frater Domini, post eum delectus fuit Simon, tertius fuit Iustus, quartus Zachæus, Tobias quintus, Beniamin sextus, Ioãnes septimus, octauus Matthias, nonus Philippus, Seneca decimus, vndecimus Iustus, Leui duodecimus, decimus tertius Effrem, Iosephus decimus quartus, Iudas decimus quintus.

Histor. Eccles. lib. 4. c. 5.

Hæc dicit Eusebius, in quo licet videre quomodo fides, & religio fidelium Hierosolymitanorum vsque ad tempus huius vltimæ calamitatis perseuerauit. Post autem hoc tempus diffusa est in alias prouincias, vbi paulatim ille pristinus ardor imminutus est. Idem accidit fidelibus, qui ex gentibus crediderunt, qui ex illo pristinę Ecclesiæ statu perfectissimo in hunc, quẽ hoc tempore videmus, & lugemus, inciderunt. Illud idem filijs Israel contigit, cùm promissionis terræ iam quasi potiti erant. Nam cùm iam recentia essent ea, quę mirabilia effecerat Deus, dum illam sibi comparabant terram, viuiq; essent illi, qui oculis ea conspexerant, in fide se continuerunt, & seruitio, quod suo liberatori debebant, sed horum multi Idolorum seruituti se dedere inceperunt.

cœperunt. Hæc est mundi conditio, qui nunquam eodem tenore procedit, imò vt sphæricus est, ita ex vna in aliam rem, & in peiorem semper labitur.

Quod reipsa in omnibus terrarum orbis Rebuspublicis experti sumus, & præsertim Assyriorum, Atheniensium, Lacedæmoniorum, Persarum, & Romanorum; qui Romani cùm ex paruis principijs propter iustitiæ obseruationem, disciplinamq; tum in bello, tum in pace necessariam, ad summum statum ascenderint, cùm postea in ijs deficerent, quod illis partum erat, amiserunt. Quare nostra vita, cum horariorum pondere, quæ nunquam conquiescunt, sed semper deorsum tendunt, meritò comparatur. Hoc idem & caro nostra facit, quæ cùm sit à terra orta, semper nos ad illam, tanquam ad suum proprium elementum, trahit. Quamobrem minimè mirum videri debet, si illius veteris disciplinæ seueritas, charitatisq; ardor temporis processu ita diminutus est: præsertim cùm illi sanctissimi viri Apostolici, sanctiq; Patres defecerunt, qui tum verbis, tum exemplis, tum miraculis homines inuitabant, atque inflammabant. Hoc igitur sit tanquam huius fabricæ primum fundamentum.

Secundum sit, quòd in Saluatoris aduentu huius populi pars debebat in illum credere, pars verò in sua incredulitate perseuerare. Quod nobis Patriarcha Iacob significauit, qui altero pede claudus permansit, altero verò bonã valetudinem conseruauit, cùm Angelus illius contigit femur, à quo ille populus originem traxit. Hoc significauit, vt postea declarabimus, quòd suorũ filiorum pars in fide firmi, pars verò claudi, & debiles permanere debebant. Quod & sanctus Simeon Virgini prophetizauit, cùm dixit, illius filij aduentu futurum esse, vt multi extollerentur, & multi caderent, nõ huius, sed eorũ culpa. Hoc iam Prophetarum testimonijs illustremus.

Gene. 32.

Luc. 2.

Quod ad primos, Isaias in cap. 4. ait: *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui saluati fuerint de Israel. Et erit: omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris.* Spiritu scilicet Dei timoris, & amoris. Et idem Propheta docet futuros esse paucos fideles, cùm dicat, si numerus filiorum Israel esset, vt arena maris, reliquiæ (quæ minor pars est) salui fient.

Isa. 10.

Multis alijs etiam locis, multorum cæcitas, qui non futuri erant fideles, declaratur, & prophetizatur: præsertim in Danielis Prophetia de septimanis, in qua dicit, quòd post sexaginta duas septimanas Christus occidendus erat, neque amplius illum populum fore suum, qui eum negaturus erat. Illud autem manifestum est, quòd ille populus non erat ei crediturus, qui eum negaturus erat. Idem inquit Isaias in cap. 53. quod totum de passione, quæ in causa fuit, vt multi cæci essent, pertractat. Et ita initio capitis inquit: *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* & statim infrà subdit: *Desiderauimus eum: Despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum.* In fine autem huius capitis ait, quòd hic Dominus, cuius innocentiam declarauit, reputandus erat cum sceleratis. Ad hæc idem Propheta in illa magna

Dan. 9.

Isa. 6. visione, in qua vidit Deum in medio duorum Seraphin, vbi iussit, vt populo annuntiaret, fore, vt oculos clauderet, obturaret aures, & cor induraret, huiusq; excitatis sceleré fore, vt terra vastaretur, & fieret, vt nunc est, deserta. Et cap. 49 quod totum de Saluatore tractat, cùm sermonem Pater æternus cum Filio haberet, inquit: *Et nunc dicit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam Iacob ad eum, & Israel non congregabitur.* Hoc ait, quòd multò plures futuri erant, qui non credant, quàm qui credant. Et propter eandem causam dixit Malac. 1. Dominus per Malachiam: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab Ortu enim Solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quibus autem verbis apertiùs maioris huius populi partis incredulitas ostendi posset, cùm dicat idem Dominus sibi non esse voluntatẽ cum illis, neque accepturum ampliùs oblationem de manibus illorũ, sed de manibus gentium recepturum? Cuius intellectus hac prophetia tam clara non reuincetur?

Isaias autem Propheta cap. 63. ostendit pariter futurum esse, vt pars huius populi credat, pars verò minimè. Et cùm de primis verba faceret, inquit: *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis secundùm indulgentiam suam, & secundùm multitudinem misericordiarum suarum. Et dixit, Veruntamen populus meus est, filij non negantes: & factus est eis Saluator.* Hoc de primorũ fide dixit. De secundis autem statim subdit: *In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & angelus faciei eius saluauit eos: in dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus seculi. Ipsi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt spiritum sanctum eius: & conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos.* Hæc sunt Prophetæ verba, in quibus animaduertes, quàm huius sceleris grauitatem adaugeat, cùm acceptorum beneficiorum mentionem faciat. Nam vbi ait, *In omni tribulatione eorum non est tribulatus,* illud significat, nũquam defatigatum esse, neq; cessauisse ab eorum auxilio in omnibus tribulationibus, quæ ijs occurrerunt. Illud præterea addit, Et *angelus faciei eius saluauit eos.* per quem angelum, qui nuntius interpretatur, intelligit Filium Dei, qui ab æterno Patre in hunc mundum, vt nos saluos faceret, missus fuit. Ad hæc ait, quòd *redemit eos, & portauit eos.* Quonam modo portauit eos? Illo quo dixit alio loco, quòd eos portabat in suo ventre, & in suis visceribus, quòd eos eleuauit, & exaltauit in omnibus præteritis seculis. Hoc est illud, quod pro illis fecit Deus. Quod autem illi fecerunt, fuit, eum ad iram suis peccatis prouocare, & Spiritum sanctum affligere, cum illius sanctis inspirationibus mandatisqúe obsisterent. Post hoc autem huius defectionis pœnam addit, cùm inquit, eundem Deum amicum conuersum esse eis in inimicum: & qui antea pro illis pugnabat, & defendebat, eos debellasse. Hac quoque ratione 2 Reg. 12. vsus est Nathan, vt Dauidis peccati turpitudinem explicaret. Primùm narrat beneficia, quibus eum affecerat Deus, vt maius peccatum, quod commiserat, efficiat. His igitur auctoritatibus illud, quod proposuimus, fore scilicet, vt huius populi pars creditura esset, pars verò non, satis apertè probauimus.

CAT.

CAT. Ita planè quod proposuisti probatum est, vt nullus sit tam mentis inops, quin id penitus fateatur.

MAG. Quæ dicta sunt, frater mi, ad intelligendas Prophetarum scripturas clarissimum lumen sunt: & qui sine hoc lumine legũt, facilè decipiũtur, sicut falluntur qui ad hoc vsq; tempus non credunt. Scripturæ enim omnes propheticæ (cùm de futuris rebus sint) nonnunquam à Deo pœnas, nonnunquam præmia, & gratias promittũt. Quod ita est illis familiare, quod eodem capite multa à Deo bona prophetizant, & interpositis quatuor versibus reuocati videntur diruere, quidquid antè cõstruxerant, atq; polliciti erant, & tantummodò calamitates & pœnas minari. Quod quidem sæpe legẽtium animos confundit, cùm illis alia alij sententiæ contradicere videatur.

Hæc igitur est certissima regula, ne homo in errorem incidat, si intellexerit, quòd quotiescunque per Prophetam Deus bona, & gratiam pollicetur, cum suis fidelibus seruis loquitur: cùm verò calamitates, flagella, & aduersitates, seq; eos deserturum minatur, alloquitur improbos, quorum sceleribus talia debentur. Quod Apostolus dixit: *Ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Iudæi primùm & Græci: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco.* Hæc igitur est, frater, certissima regula, & cognitio necessaria ad Prophetarum scripturas intelligendas: sine hac enim quis in hac postrema prophetia non confunderetur, cùm Isaias eodem capite, in quo desinit prædicere bona promissa filijs Israel, ibi illis euersionem minatur? Hæc autem animi confusio cessat, cùm animaduertitur in prima parte cum probis, in secunda cum improbis verba facere. Rom. 2.

CAT. Maximè vtilis mihi videtur hæc regula: sed tamen scire desidero, quænam sint hæ minæ, quas improbis minantur, quæq; promissa, quæ probis promittuntur.

MAG. Promissa iam tu proposuisti: sed minæ, & flagella sunt huiusmodi, vt fieri non possit, quin admirẽtur, qui eas legent: peccato enim cui adscriptæ sunt, ex altera parte respondent, hoc autem omnium maximum fuit.

Nam in Psalmo 68. (qui totus à capite ad calcem de Passione pertractat) Dauid prophetizat calamitates, & plagas, quæ ob hoc peccatũ venturæ erãt, hocq; vt magis perterrefaciat per modũ execrationis terrorisq; facit. Et finit tandem hæc omnia in illa verba: *Dederunt in escam meam fel. & in siti mea potauerunt me aceto.* Enarrat præterea minas & execrationes Propheta, cùm sermonem haberet cum Deo, hoc modo: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.* Quibus verbis (vt testatur S. Apostolus) intelligitur mensa, & conuiuium sanctarũ scripturarũ, quod animarum nostrarũ proprium nutrimentũ est. Qui enim in suæ obstinationis incredulitate perseuerãt, ij ex ijsdem scripturis, quæ sunt alijs lumen, tenebras, & venenum tantummodò percipiunt. Quod in secunda execratione statim Propheta declarat, inquiens: *Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurua. Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in iustitiam tuam. Deleantur de Libro viuentium*

[redacted] [redacted]

mentium, & cum iustis non scribantur. Omnia hæc Prophetæ verba sunt maiores execrationes, maioraq; damna, quàm quis animo cõcipere possit. Nihil enim est, homines de suis sedibus eiectos & exules esse, eorum domos sine habitantibus esse; hoc enim nihil nisi carnem attingit. Sed à Deo petere, vt illorum corda obscurentur, & scelera sceleribus accumulent; vt à sanctitate, & iustitia deserantur; & tandem, vt de Libro viuentium deleantur; quid peius excogitari potest? Neque horum malorum causam prætermisit Propheta, cùm inquit: *Quoniam quem tu percußisti, persecuti sunt: & super dolorẽ vulnerum meorum addiderunt.* Quid autem addiderunt? Notum est, fuisse contumelias, & iniurias: & cùm dicat æternum Patrem eum percussisse, innuit, illum pro ardentissima sua charitate voluisse, vt suus vnigenitus filius pro mundi peccatis se in sacrificium offerret. Propter hanc causam inquit, eum percussisse, & morti addixisse.

CAT. Hæ profectò minæ me valde perterrefaciunt, & in causa sunt, vt omnibus artubus contremiscã. Sed illud me multò magis mouet, id execrationibus prophetizatum esse, id enim contra veritatem esse videtur.

MAG. Non est quidem fide dignum, Prophetam Spiritu sancto plenum desiderasse, petijsseq; suis proximis tantas calamitates. Sed est scripturæ consuetudo, pœnas modo execrationis prædicere: qua consuetudine vsus est Moyses, quando calamitates prophetizauit, quas Deus suo populo non seruãti mandata missurus erat. Propter hanc causam inter cæteras plagas sic inquit: *Sit cælum quod supra te est, æneum: & terra quã calcas, ferrea. Det Dominus imbrẽ terræ tuæ puluerem, & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris. Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos, & per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ: sitq; cadauer tuum in escam cunctis volatilibus* Deut. 28. *cæli, & bestijs terræ, & non sit qui abigat.* Has, & alias terribiles plagas per modũ execrationis ibi Propheta prædicit. Sed clarũ est, Prophetã non has execrationes iecisse in populum, quem tantopere diligebat; cùm petijsset à Deo, vt se de libro viuentium deleret, nisi peccatũ vituli adoratione commissum populo condonaret: sed has tantas calamitates per modum execrationis pro-
Exod. 32 phetizat, vt grauitatem peccati, propter quod missæ fuerũt, ostenderet. Illud autem mihi dicas velim, quodnam peccatum in terris perpetratũ fuit, quod tantis maledictionibus, & pœnis dignum fuerit, nisi filij Dei mors indignissima, cui quidem pro tantis misericordijs, & beneficijs, vt illi mors tam multis tormẽtis, ludibrioq; referta daretur, operam nauarũt? Neq; minores sunt calamitates, quæ in Psalmo 68. qui incipit, *Deus laudem meam ne tacueris, &c.* prophetizantur. Quæ tu ipse legere potes, ideò q̃ hic tam tristia narrare nolo. Tu ipse velim existimes, veræne sint omnes hæ prophetiæ, quæ cum incredulis loquuntur, & illorum cæcitatem, obstinationem, Dei destitutionem, in sua incredulitate pertinaciam, oppressionem, quam à gentibus perpetiuntur, prædicunt. Hoc tu, & vniuersus terrarum orbis cernit. Quamobrem scias velim, Deum omnibus in rebus Deum esse, magnum inquam in omnibus; magnum in pœnis, magnum in præmijs, magnum in flagellis, magnum in mercedibus, magnum in amore in bonos, magnum in odio quo improbos prosequitur, vtrunque enim ad suæ bonitatis magnitudinem pertinet.

Iuxta

Iuxta autem regulam superiorem, quemadmodum illa magnifica promissa, quæ initio proposuisti, ad eam populi partem, quæ suū recepit verum Regem, & Saluatorem pertinent; ita hæ horribiles minæ ad eam partem referuntur, quæ non solùm non susceperunt eum, verùm etiam, vt interficeretur, curarunt. De hoc autem peccato Moysi inquit Deus cap. 28. Deuteronomij, quòd ipse futurus erat vindex: in quo significauit, fore, vt illa vindicta magna sit. Est enim scripturæ consuetudo, res Dei magnas res vocare, vt cùm dicitur dies Dei, mons Dei, &c. Quàm autem illa magna fuerit, & hoc tempore sit, hoc libro satis declarauimus.

Hoc autem satis tuæ dubitationi responsum esse arbitror. Nam si grauitatem peccati, quod in morte Saluatoris commissum fuit, animaduerteris, iustam esse pœnam, quam dicis, justeq; Deum eos dereliquisse cognosces. Nam si (vt dictum est) omnia peccata hactenus in mundo commissa in altera lance ponerentur, in altera verò hoc solum, longè hoc grauius cerneretur, quàm cętera cuncta simul.

Propter Idololatriæ peccatum videre licet, Deum decem tribus deseruisse, promissionis terræ possessione, quam eis tribuerat, priuasse; in manus Assyriorū tradidisse, per omnes orbis terrarum gentes esse dispersas permisisse, quoad hæc reuocaretur captiuitas; permisisse quoque, vt Iudæ tribus, quæ reliqua erat, in Babyloniam duceretur captiua, illudq; amplissimum templum excisum, & combustum esse. Nónne erant hi omnes semen Abrahæ? nónne Israel filij? nónne populus à Deo ex omnibus gētibus electus? Nónne aliquando huius Patrem se dicebat Deus, & aliquando sponsum? nónne eduxit eos de Ægypto tam multis signis, & miraculis? nónne illius hostes vltus est? nónne illis in monte Sinai leges tulit? & eos (vt ipse inquit) tanquam aquila super humeros suos in toto illo itinere cōduxit? Quis hæc negare audebit? Attamen cùm fuerunt contumaces, & noluerunt sui liberatoris legibus parere, & Deos alienos adorauerunt, eos dereliquit, & (vt inquit Ieremias) suum diuulsit altare, loco suæ sanctificationis maledixit, & eos in manus tam crudelium & turpium hostium tradidit, qui Sion virgines violarent, & pueris Hierusalem turpiter abuterentur. Visne maiorem pœnam, quàm hæc est? Illud animaduertas maximè velim, quòd licet Dei amor in suos seruos sit tanquam patris in filium, & viri in vxorem, (vt sæpe scriptura testatur) magis tamē similis est amori viri in vxorem, quàm patris in filiū. Hic enim huiusmodi est, vt nunquam amittatur, licet filius in hominem improbum euadat: vt in Dauidis amore in filium omnium pessimum, qui Absalon fuit, videre licet. Sed viri amor in vxorem, licet sit illo maior, (vt ex verbis primi nostri parentis ad Euam intelligitur) tamen eiusmodi est, vt, si vxor non fuerit in virum fidelis, maxima omnium propinquitas in maximas inimicitias conuertatur. Huiusmodi Dei amor in suos seruos est. Cùm enim sunt Deo fideles, magis quàm parentē, & sponsum eum habent: sin infideles, eos in inferni profundū, si tunc suum obirent diem, penitus deturbaret. Ita se gessisset cum Dauid, cùm fuit adulter, & cum Petro, cùm eum negauit, (licet antea fuerint sibi valde amici) nisi vtrumque suorum peccatorum maximè pœnituisset. Quamobrem illud fateor, quòd licet Synagoga fuerit sponsa Christo valde dilecta, quam tam suauibus verbis in Canticorum libro tractat: tamen vbi cum alienis Dijs ad-

Deut. 32.
Thren. 2.
Genes. 2.

ulterium cōmisit, horribilibus pœnis eam (vt vides) affecit. Cùm igitur mortis Saluatoris peccatum sit omnium maximum; quid mirum, (vt dixi) hanc illius populi partem hoc tempore ea sufferre ac perpeti, quæ illorum maiores longè minori peccato perpessi sunt? Hoc illud est, quod per Hieremiam
Iere. 12. Prophetam clarè dixit Dominus: *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua: dedit contra me vocem, ideo odiui eam.*

Hæc omnia, quæ hactenus dicta sunt, præclarè declarauit Apostolus S. Petrus in Epistola, quam scripsit ad Discipulos, qui crediderant, tam Iudæos, quàm Gentiles, qui per regiones Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ, dispersi erant, & Isaiæ testimonium his verbis citat: *Ecce pono* (dixit Deus) *in Sion*
1. Pet. 2. *lapidem summum angularem electum, pretiosum. & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum,* quod est ad sui Euangelij mysterij cognitionē. Vides hìc frater in vnum collecta quæcunque dicta sunt, in quo facilè cognosces, quantum inter hæc duo hominum genera intersit: hoc est, dignitatē, gloriam, gratiæ diuitias, quæ credentibus oblata sunt; & scandalum, offensionem, & casum eorum, qui credere noluerunt: cùm alijs Christus sit fundamenti lapis, qui eos sustentat; alijs scandali, & offensionis, in quem offendāt, cadant, & frangantur.

Cùm autem fideles, qui ex gentibus credituri essent, multò plures futuri essent, quàm qui de circuncisione; minimè mirum est, si his in Ecclesia, vt maiori parti, primus locus datur. Et ne hoc tibi scandalo sit, vide quomodo id
Isa. 56. præclarè in Isaia Dominus his verbis doceat: *Et non dicat filius aduena qui adhæret Domino, dicens, Separatione diuidet me Dominus à populo suo. Et non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, Qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

Vocat hìc filios, & filias, fideles ex populo Iudæorum; & aduenas illos, qui ex populo gentilium crediderunt, qui vsque ad illud tempus extra Dei domum erant. His autem dicit hìc, se daturum melius nomē, id est, maiorem dignitatem, quàm filijs, & filiabus, id est, fidelibus, qui de circuncisione crediderunt, per rationem supradictam.

Hanc autem præeminentiam cœpit describere Deus ab origine mundi, cùm secundos filios primis anteferret. Et sic ex primis Adæ filijs, qui fuerunt
Gene. 4. Cain, & Abel, secundum primo anteposuit. Ex duobus autem, quos Isaac ha-
Malac. 1. buit, qui fuerunt Esau, & Iacob, idem effecit. Sed ad vnguem id significauit
Gene. 38. magis in natalibus duorum filiorum Iudæ, qui fuerunt Phares, & Zaran. Quorum partus tempore Zaran primò protulit manum, cui obstetrix filum rubeum alligauit, & dixit, Hic erit primus. sed statim ipse manum retraxit, & alius primum locum occupauit, & qui credebat se fore primū, vltimus egres-

sus est. Hi duo filij duos fideles populos, alterum Iudæorum, alterum Gentilium nobis ob oculos ponunt: ex quibus ille prior porrexit manum, qui primus Deo seruire, & eius mandata adimplere cœpit; sed deinde eam retraxit, cùm illius pars noluit suum Regem, & Saluatorem recipere: in cuius locum suffectus est Gentilium populus, qui eum receperunt. Post cuius ingressum ingress s est etiam Iudæorum populus, vt scripturæ testantur, cùm dicant totum Israel fore saluum, postquam gentium plenitudo in Ecclesiam ingressa fuerit. Cum quo prophetia Oseæ, quam suprà allegauimus, cõsentit. Iam vides hic quomodo primus in his natalitijs factus fuit secundus, secundus verò primus. Rom 11.

Hoc idem nobis significatur in duobus filijs Patriarchæ Ioseph, Manasse, & Ephraim, quos Ioseph suo patri Iacob obtulit, vt eis benediceret, collocã. Manassen ad dexterã sanctissimi senis, Ephraim autem ad sinistram. Sancti simus autem senex brachia in modum crucis accommodauit, & super caput minoris m num dexteram imposuit, & sinistram super caput maioris. Quod ægrè tulit Ioseph, & prehendens manus patris, volebat, vt priùs, eas impositas esse, inquiens; Non decet pater hæc mutatio, sed dexteram super Manassen, qui primogenitus est, imponas. Ad quod sanctus senex respondit: Hoc quidem scio fili mi, hoc quidem scio. Hic maior crescet quidem, & multiplicabitur, sed eius frater secundus antecedet ei. Hîc videre licet, frater mi, fideles ex gentibus nulla alterius partis iniuria antecedere, & tanquam, quæ oculis cernuntur, perspici potest. Huic tamen parti benedixit sanctus Patriarcha, & fassus est, fore, vt multiplicaretur, sed alia longè magis. Gene. 48.

Quòd autem Ioseph ægrè tulerit secũdum primo anteponi, illud est, quod tu initio retulisti, cùm tibi videretur primum locum tuo populo deberi. Sed quemadmodum Ioseph conquieuit, seq; ipse demisit, cùm eam Dei voluntatem esse intellexit; sic tibi quiescendum, laudandumq; ac celebrãdum Deum pro ijs omnibus, quæ disponit, censeo.

CAT. Nihil est profectò, Præceptor, quod huic rei respondeam, nisi me ipsum humiliare, Deumq; esse in omnibus suis actionibus iustum, ac sanctum, fateri, ac prædicare: satis est eum esse, qui operatur, ad obturandum os omnium, qui illius opera censent, & ad aperiendum, vt illius laudes confiteantur.

Illud vnum dubium mihi reliquum est, quomodo, cùm illa promissa, quæ huius generis initio collegi, sint vniuersalia, & certis nominibus in toto hoc populo facta (vt domus Iacob, domus Dauid, populus Israel, Hierusalẽ, mons Sion) ad eam tantummodò partem, quæ credidit, pertineant.

MAG. Vt ad hanc quæstionem respondeam, aliam tibi proponã necesse est. Fingamus totum Israel populum credidisse: illud à te peto, verùm fides, & religio horum, qui nuper credunt, esset eadem cum fide eorum, qui olim crediderunt, an diuersa?

CAT. Etsi aliqua differentia accidentalis sit inter fidem, & religionem horum duorum; tamen in substantia eadem esse mihi videtur. Differentia enim in eo solùm est, quòd alij eum venisse fatentur, quem alij vẽturum credebant. Ex quo sequitur, fidem, & religionem præteritorum, & præsentium eandem esse.

MAG. Bene respondisti. Sed illud mihi dicas velim, quod nomen sortiretur hæc noua gens, quæ ita credidit?

CAT. Eadem, quæ priùs, nomina habere debere mihi videtur. Cùm enim eadem sit alterutrorum fides, illud sequitur, vt eadem quoque nomina habeant.

MAG. Hac igitur ratione ille populus, qui in Christum credidit, vocâdus est, domus Iacob, domus Dauid, populus Israel, mons Sion, ciuitas Hierusalem; & ita per montem Sion, per nomen Hierusalem, per domum Dauid, totum Israel populum intelligimus. Et ita inquit Deus per Zachariam: *Dicite filia Sion, lætare, quia Rex tuus venit.* Et alio loco per eundem Prophetam ait: *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem, spiritum gratiæ & precum.* Notum autem est, quòd in his locis per filiam Sion populus Israel, pro quo veniebat hic nouus Rex, intelligitur. Idem intelligitur per domum Dauid, & per habitatores Hierusalem, cùm spiritus gratiæ, qui hîc promittitur, non his duabus tantummodò partibus, sed vniuerso populo ab illis significato promitteretur. Vt autem ad rem reuertamur, fingamus (id, quod fuit) non omnes credidisse, sed illorum tantummodò partem: quæro nunc, quod nomen hæc pars, quæ credidit, sortiri debet?

Zach. 9.
Zach 12.

CAT. Cui in hoc dubium est? Illud manifestum est, quòd hæc pars, quæ credidit, debebat habere eadem nomina, quæ & vniuersus populus, si ipse totus credidisset. Vniuerso autem populo, si fidelis fuisset, hæc omnia nomina, vnà cum ijs, quæ illis nominibus promissa fuerunt, profectò competebant: cur pars fidelis eiusdem populi eandem gratiam, eadem nomina amittet? Quid causæ est, cur multorum incredulitas, paucorum fidei, & dignitati derogɆ? Nam quemadmodum, si nunc centum tantummodò fideles in Christiana Ecclesia essent, in his paucis omnia Ecclesiæ suæ nomina cum omnibus titulis, & priuilegijs eius conseruarentur; sic in his paucis, qui tum crediderũt, tituli, nomina, & promissa vniuerso populo facta conseruantur. Nam, quemadmodum aquæ gutta tam propriè aqua dicitur, quàm totius maris aqua: ita huic quæ credidit parti, licet paruæ, vniuersi populi nomen, si credidisset vniuersus, competit: & ita etiam in hac saluantur, adimplentur, & verificantur omnia Dei promissa.

CAT. Rem profectò, vt inquis, ita se habere censeo. Sed illud mihi reliquum est, quod à te scire cupio, vtrùm hæc promissa, quæ sub his nominibus populo Israel, domo Iacob, & alijs huiusmodi, quæ Iudæorum populo promittuntur, æquè ad omnes fideles Gentilium pertineant, necne.

MAG. Illud quidem compertum est, quòd differentia generis, & carnis solius eos apud Deum non separat, ac distinguit, qui eandem fidem, eandem obedientiam, eundemq; spiritum habent: neque minùs, imò multò magis illi sunt Abraham filij, qui illius fidem, ac obedientiam imitantur, quàm qui secundùm carnem ab illo descenderunt. Imò hi à fide si deficiunt, quam hic Patriarcha habuit, eos in veris, & legitimis illius filijs scriptura non enumerat. Sic enim Deus per Ezechielem cum his loquitur: *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa.* Hîc vides quemadmodum in filijs Abraham eos non recenset, qui nihil illius habent, nisi carnem;

Ezec. 16.

nem: imò eos filios Chananæorum, & Amorrhæorũ vocat, quòd illorum vitia sequebantur: & iuxta hoc in sacris literis (quæ pluris faciunt spiritũ, quàm carnem) illius filius vnusquisque dicitur, cuius opera imitatur. Et sic Saluator Zachæum publicanum gentilem genere, quòd Abraham sanctitatem imitaretur, Abrahæ filium vocauit. Cũ autem videret Nathanaelem, inquit: Ecce, verè Israelita, in quo dolus non est. significans nobis, quòd deceptores veri Israelitæ non sunt, licet ab Israel originem ducant. Luc. 19. Ioan. 1.

Nihil igitur inter credentes in Christum tam Gentiles, quàm Iudæos propter genus, cũ vna in illis fides sit, & vnus spiritus, interesse arbitramur. Hoc enim illud est, quod maximè facere voluit Saluator, id est, in vnica fide, & eadem obedientia vtrunque populum copulare. Propter hanc causam in scriptura petra dicitur angularis, quæ duos parietes in vno angulo, id est, duos populos in vna fide, & concordia coniungit. Et ob id murum sustulit, qui inter hos populos diuisionem faciebat, id est, legis cæremonias, & sacrificia.

CAT. Ex hac responsione, quę clara, & iusta mihi videtur, alia mihi suboritur dubitatio, & illa est, quòd prçter cæremonias, & sacrificia legis, quibus maximè inter se Gentiles, & Iudæi differebant, aliud quoque intererat. Quòd Iudæi illorum verborum Dei memores, quibus illis iubet, ne sibi vllum cæli signum, neque terræ imaginem effingerent, post Babyloniç captiuitatem nullum genus imaginum admiserunt: sed Christiani multis in templis suis vtuntur imaginibus, quod à multis hęreticis genus quoddam idololatriæ iudicatum est.

MAG. Tantũ abest Christiana religio ab hoc peccato, vt longissima oratione opus esset, si vellemus, quod innumeri Martyres passi sunt, enarrare, non solùm ne idololatræ fierent, sed ne carnem idolis sacrificatam contingerent.

Quòd si vtimur imaginibus, id eò fit, vt Sanctorum imaginibus, nostręque Redemptionis mysterijs ante oculos ponendis, in nobis harũ rerum memoria vnà cum deuotione excitetur. Quis enim non videt, quanta excitetur pietas, cùm quis tabulam, in qua Christus natus depictus sit, intuetur? in qua gloriosè sit transfiguratus? vbi lauatio pedum effingitur? vbi eius oratio in horto? vbi flagellatur? corona spinea vbi imponitur? vbi suis fert humeris crucem, vt in illa patiatur? Quoties huiusmodi tabulæ fidelibus lachrymas eicent? quæ imagines eos, qui legere sciunt, ad misericordiam impellunt; qui verò legere nesciunt, vtuntur pro libris, in quibus illud oculis cernunt, quòd legerent in libris, si legere scirent. Prçterea illa reuerentia, quę in imagines, quatenus imagines, adhibetur, in hac re solùm non conquiescit, sed vlteriùs progreditur, ad reuerentiam, & venerationem illius personæ, cuius imago est. Vt cernitur in illis officijs, quę à regibus in aliorum regum Legatos proficiscuntur, quòd suorum regum personam referunt. Quamobrem non in illos solùm, sed in suos reges honor ille defertur; quemadmodum, si aliquo modo læderentur, regum suorum lęsio censeretur. Sic etiam cùm Crucẽ veneramur, & adoramus, & mundi redemptionem ei acceptam referimus, in eo ligno non conquiescit hæc adoratio, sed in illum refertur, qui eo tanquam nostrę salutis instrumento vsus est. Hęc enim est loquendi consuetudo, cùm instrumento effectum causæ principalis attribuimus, vt cùm dicere solemus: Hic est ensis, qui Hispalim expugnauit.

Quòd si Deus iussit eo tempore, ne sibi vllam imaginem depingerent, illud in causa fuit, quòd illo tempore vniuersus terrarum orbis dæmonum statuas, & imagines adorabat; & ille populus ad idololatriā propensissimus erat: sicut Hieremias ostendit, cum onagri furore, cùm asinam quærit, & est amoris ardore inflammatus, eum comparando. Inde factum est, vt vsque ad tempus *Ezechiæ* regis serpentem æneum, quem Moyses in deserto fuderat, adorarent. Propter hanc igitur causam ille sapientissimus legislator, qui huius populi conditionem optimè perspectam habebat, occasionem idololatriæ ab illis remouere voluit, in qua peccassent, si statuas, & imagines effinxissent. Nunc autem cùm ab hac occasione longè absimus, quid periculi ex harum imaginum picturis nobis imminere potest?

Ex dictis igitur licet videre, quo modo Rabini Hebræorum, vt miserabilem populum in suo errore confirment, nostram infament religionem, non solùm criminibus idololatriæ, quòd imagines veneramur, verùm alijs falsis criminibus; cùm tantum absit ab hoc peccato nostra religio, vt potiùs (si fieri posset) millies mortem oppeteremus, quàm huic sceleri nos obstringere. Propter hanc causam veritatis amatores, & qui iudicio valent & intellectu, non qualibet re mouentur, nec temere credunt, nec falsis testimonijs, quæ in nos à nostris aduersarijs deferuntur, illorum aures patent: sed à nostris Theologis edoceri volunt, & ab illis ea petunt, quæ ipsi profitentur.

CAT. Non solùm nihil est in hanc sententiam, Præceptor, de quo ampliùs dubitem: sed me in animo maxima voluptate perfundi sentio, quæ ex veritatis cognitione, de qua nostra salus & beatitudo pendet, oriri mihi videtur. Nam etsi fidei lumine in hac cognitione satis confirmatus essem, tamen hodierno die his declaratis mysterijs nuper meum cor recreatū est. Quamobrem Patri luminum gratias ago, cùm tuæ doctrinę ministerio meum spiritum illuminatum & quietum reddiderit. Alia tamen quæstio mihi reliqua est, quam tibi aliàs proponam.

DIALOGVS VNDECIMVS, IN QVO de duplici Ecclesiæ statu agitur; id est, de primo, cùm florere cœpit, & de illo, in quo nunc est.

CATECHVMENVS.

DVO mihi reliqua sunt, Præceptor, non parui momenti, quæ à te scire cupio. Illud tibi compertum est, omnes prophetias prædicere, post Christi aduentum fore, vt sanctitas & iustitia maximè in mundo floreant, & homines tam sanctos, & religiosos orituros, vt (quemadmodum Isaias prophetauit) quicunque eos intueatur, per huiusmodi eos cognoscat, & propter hoc Deo maximas gratias agat. Huiusmodi sanctitas nostra tempestate in maiori parte Christianitatis minimè cernitur: propter hanc causam, quonam modo hæ prophetiæ adimpleri dicantur, scire peruelim.

Isa 19.

Aliud quoque de numero fidelium scire cupio. Lectis enim Prophetarum scriptis,

scriptis, videtur quidem regnum Christi latiùs per mundum debere patere, quàm nunc patet. Hæc duo dubia mihi ex animo amoueres vellem.

MAG. Si diligenter animaduertisses, quænam sint ea, quæ Saluator operaturus erat, postquam in mundum venisset, haberes, quod tuę primę petitioni responderes. In vna enim illarum actionum tractauimus de sanctitate, quæ felicissimis primitiuæ Ecclesiæ temporibus floruit: cuius sanctitatis historię grauissimorum auctorum plenæ sunt.

Nam (vt à Hierusalem incipiamus) S. Lucas de sanctitate, quæ fuerit in illa ciuitate, scribit, vbi inquit, quòd omnes fideles habebant vnũ cor, & vnam animam in Domino, quodq́; vendentes suas facultates, pretium apud pedes discipulorum ponebant, vt illud pauperibus distribuerent. De ijsdem inquit S. Paulus, quòd cum gaudio susceperunt rapinam bonorum suorum pro fidei confessione. Actor. 2. Hebr. 10.

De fidelibus autem qui de circuncisione crediderant, & apud Alexandriam versabantur, multa mirabilia scribit Philo, quem toties allegauimus.

De alijs verò fidelibus, qui per totam AEgyptum dispersi erant, S. Basilius, & S. Augustinus verba facit, loquens cum Manichæis, eos vt testes huius veritatis adducens, cùm esset id tam notum, vt ne ipsi quidem Hęretici id negare possent. De quorum vitæ consuetudine, in qua ipsi versabantur, multa scribit S. Hieronymus in illa Epistola, quam ad Eustochium virginem scripsit. Neque minùs eleganter de eadem re S. Chrysostomus multis in locis suarum Homiliarum pertractat. Vitam verò Sanctorum, qui in Græcia fuerunt, scribit Theodoretus in Ecclesiastica historia, qui fuit quadringentos annos post Christum natum. Vbi dicit multa Virginum extitisse cœnobia, quorum partim ducentas, partim plures capiebant, partim pauciores; quæ pro lectis vtebantur storeis, in lana manus, & linguas in Dei laudibus semper occupabant. Illa quoque cœnobia non solùm in Græcia, verùm extitisse etiam per omnem Orientalem plagam, illorumq́; plenam fuisse Palæstinam, AEgyptum, Asiam, Pontum, Syriam, Ciliciam, Mesopotamiam, & totam Europam. Neque in Italia, quę est Europæ pars, defuerunt sancti homines, quorum Vitas scribit S. Gregorius, qui post Theodoretum fuit, in quatuor libris suorum Dialogorum. In quo facilè apparet, quàm illis felicissimis temporibus floruerit sanctitas: neque id minùs ex innumeris Martyribus, qui vbique terrarum martyria pro fidei confessione perpessi sunt, cernitur.

Et quod est admirabilius, penè omnes hi Sancti fuerunt ex Gentilibus, & idololatris. Vnde, prophetias Isaię adimpletas esse, cernitur, in quibus ait fore, vt aduentu Messiæ, lupi cum agnis versentur; & arbores steriles in fertiles mutentur; & deserta loca, & solitaria, & arida, in agros; & siccitas, in fontes aquarum, & flumina: his similitudinibus nobis significando hanc vitæ mutationem, in qua feri homines, & moribus suis dæmonum similes, vitam Angelorum degerent.

Post hos (cùm Saluator nunquam suam desereret Ecclesiã) Augustinianorum, Benedictinorum, Bernardinorum, Carthusianorum, Dominicanorum, Franciscanorum, & aliorum Ordines successerunt. In quorum Chronicis sanctissimorum, & religiosissimorum virorum Vitas scriptas legimus, qui tunc maximè floruerunt, cùm illi Ordines initium sumpserunt.

Neque

Neque nunc in Christiana religione multi desunt, in omni statu, ac conditione hominum, tam Laicorum, quàm Religiosorum, tanta virtute, ac religione, vt eorum vitę puritate nos excitent, vt Deum laudemus, eiq́ue gratias agamus, vt inquit Isaias. Quòd autem nunc non tanta sanctitas adsit, quanta initio fuit, hæc est humanarum rerum conditio, quę nunquam in eodem statu permanent. Quod & in filijs Israel vidimus, de quibus scriptum est, quòd in promissionis terram ingressi, fideliter in Dei seruitio & cognitione perseuerarunt, dum rerum admirabilium, quas effecerat Deus in illo prælio, & victoria, recens memoria fuerat. Sed cùm primùm illa fides concidit, ab ea vitæ puritate dimoueri cœperunt, & ad Idolorum culturam se contulerunt.

Quod autem pertinet ad prophetiam Isaiæ, quā citas, quæ de fidelium sanctitate tractat; illud respondeo, hanc, & cæteras huiusmodi prophetias, non intelligi oportere de vniuerso fidelium numero, (nunquam enim sine peccatis futurus est mundus) sed de illis tantùm, qui & doctrina, & remedijs, & Sacramentis, quæ Christus in hunc mundum portauit, vt nostram sanctificationem illis operaretur, vti voluerunt: non autem de illis, qui sua inertia, & culpa, ad suam vtilitatem illa adhibere nolunt. Hæc intelligentia consuetudini & modo loquendi Prophetarum est accommodata. Qui in eodem capite (vt superiùs diximus) vniuersim multa pollicentur bona, & vnà multa minantur mala, vt in cap. 63. Isaiæ, multisq́; alijs in locis facilè apparet. Sed etsi vniuersim hęc proponant, cū sermonem habeant cum omnibus, intelligimus eos de gratijs loqui cū probis hominibus, de minis verò cum improbis & incredulis. Sic igitur cū Propheta inquit fore, vt fideles Messiæ tempore sint huiusmodi, quodq́ue omnes intuentes eos facilè dignoscent, & inde ad laudandum Deum excitabuntur; id de illis intelligitur, qui in hoc maximè inuigilabunt, vt remedia, quæ Christus in mundum attulit, in suam vtilitatem conuertant; non de illis, qui se otio, & desidiæ, alijsq́; vitijs penitus tradent. Quòd autem hoc modo intelligendū sit, ex communi ratione philosophandi, quam hominibus natura tradidit, facilè perspicitur: qui à rebus notis, & certis, ad ignotas, & obscuras procedunt. Cū autem superiùs multis tum prophetijs, tum signis Saluatorem venisse probatum sit, necesse est, vt hanc prophetiam ita interpretemur & exponamus, vt inde nobis non sit opus negare, quod iam apertè probauimus, & verum esse statuimus, cùm superiorem sententiam illi subiectam esse satis apertè ostendimus: & hoc modo omnium prophetiarum veritatem saluam, & integram esse conspicimus.

CAT. Nescio quid huic responsioni, quę scripturarum loquendi modo tam accommodata, & rationi adeò consentanea est, opponi possit. Est enim viam rectam declinare, illud sibi persuadere, fore, vt quicunque Messiam receperint, sint sancti, & omnibus virtutibus ornati. Hoc enim est vitę æternæ, quam speramus, priuilegium: in hac autem vita, in qua carne, & sanguine circundati, vbi in peccatis conglutinati & concepti sumus, licet Christi gratia multi adsint boni, veruntamen naturæ corruptæ culpa nūquam improbi defuturi sunt, cùm neque in cælo, neque in Paradiso, neque in Christi schola defuerint. Sed postquam primæ meę dubitationi satisfecisti, alteri, quę est cur tam diminutam fidem, & numerum Christianorum cernamus, reliquum est vt respondeas.

MAG.

MAG. Ad respondendum huic quęstioni longo opus esset tractatu, in quo exponeremus, quàm horribili odio Deus prosequatur peccata, & quanta seueritate in peccatores animaduertat, ne tibi absurdum videretur, illum sanctissimum iudicem permisisse, vt tanta fiat Christianorum diminutio, cũ tam multa peccata sint. Sed quia hoc esset operis infiniti, vnicàm tantummodò ex sacris historijs tibi narrabo, in qua fiet tibi compertum, quòd peccata in causa sunt, vt tanta Christianorum diminutio facta sit. Quamobrem debes illud magnificũ promissum memoria repetere, quod Deus Patriarchæ Abrahæ fecit, cùm filium suum Isaac sacrificare voluit, dicens: *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Hoc idem confirmauit, cùm hunc perduceret Patriarcham in campum, & ibi suos filios multiplicaturum in eum numerũ pollicetur, sicut terræ puluis est. Quam promissionem in AEgypti captiuitate perficere incepit. Septuaginta enim tantummodò huius Patriarchæ nepotes, & pronepotes ingressi sunt, & quadringentorum annorum spatio ita multiplicati sunt, vt licet Pharao filios masculos Hebræorum in flumẽ mergendos iussisset, ex AEgypto sexcenta millia virorum, ad belligerandum idoneorum, sine pueris, & fœminis, qui multò plures essent, egressi sint. Et ita quotidie illorum numerus augebatur, vt Dauide, & Salomone regibus (vt scriptura testatur) illius populi numerus, sicut arena maris fuerit, vt in vnica Iudæ tribu quingenta millia pugnatorum numerata sint. Vides igitur hic Dei promissionem, & verbũ integrè adimpletum esse.

Gen. 22. Gen. 46. 2. Reg. 24

Quid autem deinde? Adeò populi peccata multiplicata sunt, vt posteaquàm Deus multos annos passus fuisset illud, misissetqúe multos Prophetas, multasq; plagas & calamitates, vt ad se eos conuerteret, nihilq; tamen profecisset, tandem decem tribus dereliquerit, quæ se à Dauidis domo separauerãt, & eos in manus Regis Assyriorum tradiderit, qui eos in perpetuã seruitutem per omnes terras distribuit. Reliqua fuit Iudæ tribus, vbi ciuitas Hierusalem, & illud magnificentissimum Salomonis templum erat. Quæ tribus debebat periculum ex alijs facere: id tamen minimè fecit, imò decem tribuũ peccata cõplectens, easdem pœnas passa est, vt idem Dominus per Ezechielem minatus fuerat, cùm diceret: *In via sororis tuæ ambulasti,* (id est, decem tribuum) *& dabo calicem eius in manu tua.* Hoc autem adimpletum est, cùm veniret Nabuchodonosor, & obsidionem circa ciuitatem Hierusalem collocaret, vbi tantam famem populus passus est, vt matres eò peruenerint, vt suorum filiorum carnes deuorarent. Quod in suis Lamentationibus Hieremias amplificat, inquiens: *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.* Illa tandem nobilissima ciuitas Hierusalem euersa fuit, & illud magnificentissimum templum in toto terrarum orbe celebratum, & nobilissimum, (in cuius ædificatione Salomon pluribus quàm centũ & quinquaginta millibus hominum vsus est) radicitus euersum, & sublatũ fuit vnà cum tabernaculo, & arca fœderis, & omnibus alijs, quæ descriptione & ordinatione Dei constructa fuerant, vt in toto illo regno, neque altare Deo, neque templum, neque populus, qui eum coleret, superesset; omnis enim penè ille

Ezec. 23. Thren. 4

populus vnà cum suo Rege captiuus in Babyloniam perductus fuit. Et illius
tam magni populi tanta diminutio facta fuit, vt septuaginta annis captiuita-
tis elapsis, cùm Cyrus Persarum rex populum liberauit, vt iterum in Hierusa-
lem reuerteretur, ibiqúe habitaret, & templũ reædificaret; quadraginta millia
hominum, & paulò plus, vt in Esdræ libro scribitur, reuersa sint. Quod totum
Deut. 1. prophetauerat Moyses: cùm enim dixisset filijs Israel, *Non possum solus sustine-
re vos: quia Dominus Deus vester multiplicauit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli plu-*
Deut. 28. *rimi*: dixit deinde, *Nisi vestri Dei mandata seruaueritis, conuertet in vos omnes af-
flictiones Ægypti, quas timuistis, & adhærebunt vobis, donec vos conterat: & rema-
nebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli, præ multitudine.* Ita prophetauit,
& ita in hac Babyloniæ captiuitate adimpletum est. Sic etiam illi tres sancti
Iuuenes, quos in fornacem ignis mittendos iussit Rex Babyloniæ, quòd statu-
Dan. 3. am adorare noluerunt, fassi sunt. Qui cùm in flammarum medio essent, neque
comburerentur, Deo preces fundebant, & ab eo sui populi liberationem po-
stulabant, illud solenne iuramentum, & promissionem allegantes, quod eo-
rum patribus fecerat, illorũ scilicet filios sicut arenam maris multiplicaturũ.
Quia Domine (dicebant ipsi) *imminuti sumus plus quàm omnes gentes, sumusq́ humi-
les in vniuersa terra hodie propter peccata nostra. Et non est in tempore hoc princeps, &
dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum,
neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam: sed in animo
contrito, & spiritu humilitatis accipiamur.*

Hîc apertè vides, quò diminutionis peccata hunc tam numerosum popu-
lum perduxerint, & (quod maius est) cùm Deus nullum aliud templũ, & vnũ
tantummodò altare in illo regno haberet, vbi coleretur, hoc quoque se pri-
uari non dubitauit, vbi tam multa peccata in illo populo viguerunt. Quod
Thren. 2. scriptum legimus in Hieremiæ lamentationibus, dum inquit: *Repulit Dominus
altare suum, maledixit sanctificationi suæ.* Cùm enim non gentem, vt locum, sed lo-
cum, vt gentem honoraret, delegisset, propter hanc causam locum euertit, vbi
gens illo non ampliùs vteretur.

CAT. Satis probè hanc percepi historiam. Sed quid hoc confert ad quæ-
stionem, qua sciscitatus sum, cur numerus Christianorũ tam paruus sit, cùm
tam copiosa sit Christi redemptio, & tam magnifica fuerint promissa Dei toto
terrarum orbi, cùm Saluator venisset?

MAG. Hæc historia tuæ quæstioni respondet. Nam cùm Deus sit idem
nunc, qui illo tempore erat, (cùm in illo nulla neque alteratio, neque muta-
tio esse possit) nunc simili pœna nos affecit. Nam quemadmodum olim illis
sanctis Patribus pollicitus est filiorum innumeram multiplicationem, & tan-
dem procedente tempore, quod pollicitus erat, præstitit: vbi verò id fecit,
cùm scelera eorum cumulata fuerunt, populi diminutio tanta facta fuit,
quantam superiùs diximus: Ita etiam Dominus per os suorum Prophetarum
augmentum regni Christi in toto terrarum orbe pollicitus est. quod quidem
impleuit. Nam etiam Apostolorum tempore in totum terrarum orbem, &
Colos. 1 prædicatio, & Euãgelij fides peruaserat, vt S. Paulus testatur, dicẽs, quòd per-
uenerat in vniuersum mundum, & crescebat, & fructum afferebat. Et hoc il-
Isa. 24. lud est, quod Isaias miratur, cùm inquit: *In finibus terræ audiuimus laudem, & glo-*

riam

Nam iusti: qui Christus est, qui per excellentiam iustus dicitur. Hic autem stupescit Propheta tam breui temporis spatio, tantaq; celeritate Euangelij prædicationem, & Christi gloriam ad fines mundi peruenisse. Et eandem ostendit admirationem, cùm inquit: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Euangelij autem prędicatores nubes vocat, qui vt nubes per totum terrarum orbem currentes, eum cælesti aqua irrigabant, vt fructus vitę ęternæ ferret. Isa. 60.

Post Apostolos autem, quò magis tyrannorum persecutiones inualescebant, eò magis etiam quotidie fidelium numerus crescebat. Nam (vt scriptura testatur) quo magis AEgyptij filios Israel persequebantur, hoc magis Deus eos multiplicabat: sic etiam tyrannorum persecutionibus fidelium numerus augebatur, & per totum terrarum orbem disseminabatur. Exod. 1.

Post autem ducentos annos, & amplius, tunc cùm tyrannis mortuis Imperatores Christiani successerunt (vt fuerunt Constantinus, & Theodosij, & alij huiusmodi) per vniuersas mundi gentes Euangelium magis dilatatum fuit quoad templa, & altaria Dęmonis penitus diruta, & prostrata, & Idola cōtracta, & de mundo extrusa fuerunt. Hinc illud adimpletum fuit, quod per Zachariam Prophetam promisit Deus, cùm inquit: *Disperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà.* Hæc autem victoria ad solum Messiam spectabat. Zach. 13.

Postquam autem Ecclesia per totum terrarum orbem diffusa est, & postea quam cum fidelium numero diuitiæ quoque auctæ fuerunt: & huius mundi commoda, & Imperatorum gratia, vnà quoque fastidium, cupiditas, corporis commoda, ambitio, & cum hac filię illius legitimæ, quæ sunt odia, inuidiæ, & malæ consuetudines, & mores perditi, creuerunt. Ita in nobis illud adimpletum est, quod de populo Iudæorum prophetauit Moyses, cùm inquit: *Incrassatus est populus dilectus* à Deo, *& recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Mundus semper eiusdem conditionis fuisse videtur, & sic cùm in eo eædem concurrunt causæ, vniuersim solent etiam ijdem effectus adesse, & consequi, nisi Deus peculiaribus priuilegijs gratiæ suæ succurrat. Hac in re idem euenisse videtur, in qua res secundæ, vt concideremus, in causa fuerunt, quod quidem omnibus totius mundi Rebuspublicis vsu venit. Cùm igitur peccata rebus secundis ita peccatis cumulata sint, vt in antiquis historijs scriptum legimus, & vt nostris miseris temporibus mœremus; quid ille iustus iudex in simili causa facturus est, nisi eandem ferre sententiam? cùm permittat iustissimo iudicio eos pretiosissimam fidei gemmam perdere, qui eam frustra habuerunt? Deut. 32.

Hoc omnes sanctæ scripturæ apertè nobis testantur. In Apocalypsi mittit Deus, qui nonnullis Ecclesijs minentur, nisi pœnitentiam egerint, & seà suis peccatis abstinuerint, quę ibi significat, fore, vt contra eos veniat, & candelabrum de suo loco dimoueat. Hos autem candelabrum mutare est, eos candela, & lumine fidei priuare, & eam aliò transferre; quæ calamitas maior est, quàm cæterę omnes, quas Deus hominibus in hac vita inferre potest: Fide enim amissa, salutis aditus clauditur. In Euangelio autem dicit Dominus, se amplius daturum ei, qui habet; sed qui non habet, quod se habere existimat, fore, vt id ab eo auferatur. Illud significat, quòd dona accepta illi cumulabuntur, Apoc. 3. Lucæ 8.

buntur,qui ad suam vtilitatem illa conuerterit; sed qui non illis vtitur, quæ sibi data sunt, quod sibi habere videtur,quæ fides, & spes est,quæ solæ in anima gratia propter peccata amissa, remanent, illi penitus adimentur. Et hoc
Lucæ 19. nobis apertè ille piger seruus ostendit, qui mnam domini reposuerat in sudario,nihilq; ex illa lucratus erat; quam iussit ab illo auferri, & ei dari, qui decem mnas acceperat,& ex illis decem alias mnas acquisierat.Quæ autem est hæc mna,qua bona gratiæ, & gloriæ acquiruntur? nisi lumen fidei,quod nobis ob id datum est?Quod in eo augetur,qui eo bene vtitur; & ab illo aufertur, qui nihil ex illo vtilitatis percipit.
Rom.1. Idem docet Apostolus, cùm inquit: *Reuelatur ira Dei de cælo* in Euangelio, *super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.* Vult dicere,quòd cùm fidei veritas sit tantum Dei donum,qui veram nobis viam æternæ vitę ostendit, nolle facere id,quod nobis tradit, nihil aliud est,quàm eam detinere in vinculis,& carceribus ligatis manibus & pedibus,ne id operetur,quod (nisi esset impedita)operari posset. Quamobrem digni sunt improbi, qui hoc pretioso talento priuentur: cùm non solùm illis nihil conducat,sed in causa sit, vt maiori supplicio coerceantur, cùm seruus
Lucæ 12. (vt ait Saluator)qui sui domini voluntatem nouit, & iuxta eam non operatur,maiori pœna afficietur, quàm ille,qui illam ignorat: supplicium autem erit,illo lumine, quo vti minimè vult, eum priuare.Quod apertè declarat
2.Thes.2 idem Apostolus dicendo: Nam quòd improbi veritatem non dilexerunt, vt per eam salui fierent,permittet Dominus vt multis decipiantur erroribus,vt Dei veritate neglecta dæmonis vanitati credant.

Ex his,quę dicta sunt,nostræ,& vestræ ruinæ causa intelligi potest; quæ non alia est,nisi peccata,& non lucrū fecisse,vt decebat,talento,& fidei lumine,fauoribus & auxilijs, quæ cum fide dantur, vt diuina mandata seruarentur.Quod(præter auctoritates,quas suprà allegauimus)præcipuè illa parabo-
Isa 5 la vineæ Isaię nobis patefacit:quam vineam dicit Dominus sua manu se con-
Mat.12. seuisse,& sepijsse, & in ea turrim ędificasse,& lacum; quibus rebus perfectis, expectauit,vt suum fructum ferret: sed illa pro vuis labruscas tulit; hoc est, pro fructibus bonorum operum, acidum prauorum dedit. Propter quam causam dicit Dominus fore,vt sepem,quam circa vineam ędificauerat,eradicet,eam deserat, & ita omnes inde furentur, eam conculcent, neque ampliùs fore,vt mittat,qui eam putet,aut fodiat,aut sarriat; nubibus autem iubebit, ne super illam pluant,(quod est,eam cultu, & suæ gratiæ beneficio priuare) & ita dumis obtegetur,qui vitia,& peccata sunt.Huius autem prophetiæ perfectionem, vt in verbis est, in captiuitate decem tribuum Israel fuisse ad vnguem vidimus,quas Deus sua manu soluit, & in Assyriorum potestatem tradidit,& ita omnibus fauoribus, & gratijs, quas, vt possent Dei mandata seruare, habebant, spoliati fuerunt; hoc est, templo, sacerdotibus, sacrificijs, Prophetis,legibus,& tandem omnibus alijs beneficijs,quę cum fidei lumine acceperant,priuati fuerunt.

In præsenti autem illud à te peto,horum duorum populorum vter maiora à Deo beneficia, & auxilia ad bene viuendum accepisse tibi videtur, populus Iudæorum antiquus,an hic Christianorum recens?

CAT. Tu quidem,Præceptor,hoc meliùs nosti quàm ego.

MAG.

MAG. Non est hic vnius ad alterum comparatio. Nam illi non plus habebant quàm vmbras, nos verò lucem habemus; illi figuras, nos veritatem; illi legem, nos Euangelium; illi literam, quæ occidit, nos vitæ spiritum; illi animalium sacrificia, nos veri Agni, qui Christus est, qui quotidie in ecclesijs pro nobis offertur: illi nullum aliud, quàm Circuncisionis sacramentum habebant; nos septem habemus, quæ tum continent, tum dant gratiam ei, qui ad eam recipiendam est accommodatus & paratus; & ex his illud diuinissimum Altaris sacramentum, quod toties, quoties volumus, suscipere possumus. Potissimùm autem habemus incarnationis, & passionis Filij Dei ineffabile mysterium, per quod facilè intelligimus, quo amore in virtutem, quoque odio in peccata sit affectus Deus, cùm propter hoc descendit de cælo in terram humana carne indutus, & in cruce mortuus est. Quid est igitur, quod Christiani nō debeant cum tantis beneficijs, & auxilijs affecti sint, vt virtutem complectantur, & à peccato declinent, licet millies mortem subire opus esset?

Nunc autem, quod dicturus sum, velim diligenter animaduertas. Si decem Tribus vestri populi (nam hæ in exemplum sint velim) à Deo derelictæ, & de terra Chananæorum, quam eis dederat, depulsæ, & in Regis Assyriorum potestatem traditæ, & per totum terrarum orbem dispersæ fuerunt, idque quòd fidei lumine, & lege, quam cum sacrificijs, & illorum cæremonijs acceperant, non vsi fuerunt: quid multi Christiani mereri tibi videntur, qui cùm tantò maiora beneficia, & auxilia ad bene viuendum, quàm illæ acceperūt; viuūt vt pagani, suum ventrem sibi Deum facientes, & suam pecuniam, suos vanos honores, & carnis voluptates, cum ferina voluptate, quos Deus suo sanguine emit, commutare non verentes? Nónne tibi videntur huiusmodi homines digni, qui magnis his priuentur beneficijs, quibus noluerunt vti? Propter hanc causam, frater mi, non solùm non sum timore perterritus, quòd ille iustissimus iudex permiserit, tam magnā Christiani populi partē fidē amisisse; imò immensas illi gratias ago, quòd aliqua pars incolumis sit, cùm multi homines tam perditis moribus sint. Illud enim tibi compertū est, Deum cum tempore non mutari, (cùm mille anni ante illius oculos tāquam dies hesterna, quæ præterijt, sint) cùm tantis pœnis afficerit illum suum populum electum, ab Abraham tam suo amico descendentem, cùm tam infirma essent in illa lege præsidia ad bene viuendum; quid tibi videtur debere facere idem iudex multis Christianis, qui nullo fræno in omnia vitia dilabuntur, cùm tam multa præsidia, & auxilia acceperint, vt eis resistere possint? Maximè autem cùm illa Saluatoris sententia vera sit, *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Psal. 89. Luc. 12.

CAT. Hac ratione, Præceptor mi, adeò videor conuictus, & quasi manibus & pedibus ligatus, quòd non ampliùs magnitudo huius destitutionis, & pœna Dei, cum tantis hæresibus, tantaque Christiani populi diminutione, mihi admirationem affert; imò illud maximè miror, & vereor, ne supplicium vlteriùs progrediatur, cùm maior hominum pars sit penè sine sensu, cùm tam horribilia supplicia minimè sentiant, nec per ea emendentur.

MAG. Habes hic, frater, clarissimè probatum, fidei amittendi causam doni fuisse tam multis nationibus, quòd ea in suam vtilitatem vti noluerunt. Doctores inquiunt, sacram Theologiam scientiam esse simul speculatiuam, atque practicam, quòd tum quid credendum, tum quid operandum sit, nos

Digitized by Google

docet. Hoc idem est fidei proprium, cùm hæc duo nobis tradat. Quare si cùm illa non operamur, eò tandem venitur, vt amittatur, cōtraria credendo. Ferrum nisi contrectatum sensim corroditur rubigine, atque in terram vertitur: equus autem ad cursum natus, si non currat, & in stabulo permaneat otiosus, eneruatur, & debilis fit. Ita quoque minimè mirum est, Deum permittere, vt fides amittatur, cùm ea non vtimur ad id, ad quod nobis data fuit, vt scilicet nostram vitam rectè gerere, & administrare valeamus.

CAT. Præter rationem tam multis sacræ scripturæ testimonijs tuam sententiam probasti, vt nemo fidem habēs id negare possit, cùm Spiritus sanctus tam apertè testetur, quòd fidem amittere est peccatorum supplicium.

Neque hîc deest etiam ratio, in nonnullis præsertim hominibus, qui ita sunt ad vitia propensi, & corporis voluptatibus dediti, & tam in illis assueti, vt minimè ijs fieri posse videatur, vt sine illis viuant: suarum enim propensionum peruersitas, consuetudine peccandi firmata, hoc illis persuadet, & ita in hac opinione obstrictos quasi vinculis coercet, vt nullam inueniant rationem, qua se ab illis liberent. Hi autem ad fidem amittendā valde parati sunt. Cùm enim illa his eorum voluptatibus timore reddendæ rationis, diuiniquè iudicij, inferniquè pœnarum aloen, seu amarorem & molestiam aspergat; si quis veniret hæreticus, qui vel animæ immortalitatem, vel diuinam prouidentiam negaret, in periculo versantur, ne hanc falsitatem complectantur, vt hunc timorem de corde depellant, & in suis vitijs sine vlla molestia quieti, & securi degant. Hoc modo multi doctrinam Epicuri, qui hæc duo negabat, secuti sunt; cùm esset homo ferus, qui Philosophiam nunquam didicit: tot tamen habuit discipulos, & sequaces huius mendacij, & ita magni factus est, vt eius imaginem in annulis, & argenteis vasis cælatam ferrent: illudq; affirmabant, hunc solum veritatem esse consequutum, & humanum genus vanis timoribus liberasse.

Huius autem rei causa est magna vis affectionis, & concupiscētiæ, quæ facilè rationem cæcam reddere potest, cùm magna propinquitate sit intellectus cum voluntate coniunctus. Quare cùm voluntas est in aliquā rem valde propēsa, qua carere ægrè, molesteq; ferret, statim intellectus, vt sororem molestia liberet, rationes adducit, quibus confirmet, & demōstret, id verum esse, quod illa cupit, licet sit fidei contrarium; vt horum perditorum temporum exempla nobis patefaciunt. Nam eandem occasionem liberè viuendi, ac peccandi habent ij, qui credunt, Fidem sine operibus ad saluandos nos sufficere; quā illi, qui diuinam negant prouidentiam. Huiusmodi igitur illuxit suus Lucifer, cùm hæc blasphemia in terris prædicata fuit, Solam fidem esse satis.

CAT. Tantam vim habet hæc ratio, quantam habuit superior; cùm vtraque demonstret, peccatorum multitudine Deum permittere, vt fidei lumen amittatur.

MAG. Hoc meliùs credes, vbi intelliges, quàm horribili odio Deus prosequatur peccata, quantaquè seueritate peccatores pœnis coerceat. Quòd si nunc tempus esset, tot mira tibi colligerem exempla in hanc sententiam, vt stupesceres.

Non possum tamen tibi non recitare nunc locum Ezechielis Prophetæ, quem scriptum esse in omnibus plateis, & angulis desidero, vt cernant homines,

nes, quàm sit periculosum Dei mādata non sequi. Cùm autem Dominus per hunc Prophetam suo populo pœnas paratas ei propter illius scelera nuntiaret, cùm Propheta loquens sic inquit: *Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum, radentem pilos: & assumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam: & assumes tibi statéram ponderis, & diuides eos.* Ezech. 5. *Tertiam partem igni combures in medio ciuitatis iuxta completionem dierum obsidionis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius: tertiam verò aliam disperges in ventum, & gladium nudabo post eos. Et sumes inde paruum numerum: & ligabis eos in summitate pallij tui. Et ex eis rursum tolles, & proijcies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel.* Hæc parabola est. Subdit Dominus expositionem, & sic inquit: *Ista est Hierusalem, in medio Gentium posui eam, & in circuitu eius terras. Et contempsit iudicia mea, vt plus esset impia quàm Gentes: & præcepta mea vltrà quàm terræ quæ in circuitu eius sunt. iudicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt. Idcirco hæc dicit Dominus Deus, Quia superastis gentes quæ in circuitu vestro sunt, & in præceptis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis, & iuxta iudicia Gentium quæ in circuitu vestro sunt non estis operati: Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis Gentium: & faciam in te quod non feci, & quibus similia vltrà non faciam propter omnes abominationes tuas. Ideo patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos: & faciam in te iudicia, & ventilabo vniuersas reliquias tuas in omnem ventum. Idcirco viuo ego, dicit Dominus Deus, Nisi pro eo quòd sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis: ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor. Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui: & tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo. tertiam verò partem tuam in omnem ventum dispergam, & gladium euaginabo post eos. Et complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor: & scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cùm impleuero omnem indignationem meam in eis. Et dabo te in desertum & in opprobrium gentibus quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis. Et eris opprobrium & blasphemia, exemplum & stupor in Gentibus quæ in circuitu tuo sunt, cùm fecero in te iudicia in furore & in indignatione, & in increpationibus iræ. Ego Dominus locutus sum: Quando misero sagittas famis pessimas in eos quæ erunt mortiferæ, & quas mittam vt disperdam vos: & famem congregabo super vos, & conteram in vobis baculum panis. Et immittam in vos famem & bestias pessimas vsque ad internecionem: & pestilentia & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te.*

Hæc sunt per Ezechielem Dei verba, quæ maximum odium, & abominationem, quibus infinita illa bonitas in improbum hominem, & eius sceleritatem affectus est, apertè declarant.

CAT. Hęc Dei horribilia verba, & minæ per hūc Prophetā me valde commouent. Quid est hoc, quod audio? talis est Deus? talis illius ira? talis illius furor? talis est iustitiæ rigor? tales minæ? tali odio prosequitur peccatū? talis illius animaduersio in peccatores? Quis fidelis nō cōtremiscet, cùm audiet tanta, & tam noua supplicia, quæ nemo vidit vnquā, vt parentes suos filios, & filij suos parentes comedant, & cætera, quæ in hac prophetia scripta leguntur?

MAG.

Digitized by Google

Heb 10. M A G. Hinc igitur faci'è colliges Apostolum iure optimo dixisse, Horribile esse in manum Dei cadere; & quòd Dauid testatus est, cùm dixit: *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Quid autem de illo duro supplicio dicturus es, cùm permiserit Deus, vt Virgines Sion hostes violarent, & illorum pueris abuterentur? Hæc enim peiora sunt, quàm corporis mala, cùm animam attingant, quæ pœna magis est à iudice, & ab hoste, quàm à patre, vt idem Dominus apud Hieremiam testatur, cùm inquit: *Plaga inimici percussi te castigatione crudeli.* Cùm igitur Deus tanta permiserit mala in suo populo, permisit etiam vt tam multis in locis fides propter eadem peccata amitteretur.

Psal 89.

Iere. 30

C A T. Nónne æquum esset, vt Deus pro honore suo reuerteretur, neque tam pauco numero esse illos, qui ei credunt, & eum vera fide adorant, pateretur?

M A G. Iam dictum est, quòd si olim Deus nihili fecit, sine populo, sine templo, sine altari, sine sacrificijs permanere, cùm peccata cumulata fuerunt; quid mirum tantam fidei diminutionem fieri, cùm peccata adeò multiplicentur? Quamobrem necesse esset, ad peccata, quæ fiunt in terris, enumeranda redire. Sed quia in infinitum hoc esset procedere, illud tantummodò dicam, (non sine magno dolore) hac nostra tempestate multos Christianos non aliter, ac si non essent Christiani, viuere; neque crederent, Deum esse, neque iudicium, neque paradisum, neq; infernum, neque aliam post hanc vitam esse, sed omnia cum illa interitura. Tanta enim est vitiorum tum licentia, tum libertas, tanti in cibo, & potu, & vestitu luxus, in ludis tantæ pompæ, in turpibus voluptatibus profusio, vt maxima cum molestia & dolore quotidie videmus, quanta in Gentilium terris esse possent. Ambitio autem, delitiæ, corporis commoda, cupiditas mille dolis, iniustitijs, & pauperum oppressionibus armata, (quæ hæc omnia adauget, & quasi nutrimentum affert) à quo verbis explicari possunt?

Dei autem tum prouidentia, tum iudicium non dormit, imò eodem gressu, quo mala progrediuntur, malorum pœnæ, & supplicia proficiscuntur. Calamitates enim tum corporales, tum spirituales, quas Ecclesia ab initio suæ fundationis pertulit, vsque in hodiernũ diem, vnde profectæ sunt, nisi à peccatis? Temporibus autem antiquis omissis, recentiora animaduertas, & videbis quantopere Christianus populus sit verberibus affectus, tum hæresibus, tum infortunijs, tum calamitatibus diuersis.

Incipias à Pannonia, & inde proficiscare in Germaniam, in Flandriam, in Britanniam, in Galliam, & animaduerte, quot, quantisq; supplicijs coerceantur, diuina ira ad illos populos missis, cùm tam monstruosis hæresibus sint penitus afflicti.

Neque tamen Hispania vlterior, neque Lusitania (licet hæresi non laborauerint) fuerunt flagellis liberæ, cùm famem, bella, naufragia, virorum præstantium mortes nostris temporibus vidimus, & perpessi sumus. Et ne sola Italia sine vlla esset calamitate, multis in locis ita sæuijt pestis (quod te nõ latet) vt innumeri homines interirent.

Quid autem dicam de destillationibus, quæ has calamitates consecutæ sunt per totam ferè Europam, tam multis tamqúe varijs, & extra ordinem sympto-

symptomatibus, tanta hominum cæde, gentiumq; internecione, vt ad aures tuas peruenit?

In quo quidem videre licet, Deum summam esse iustitiam, & eos maximis afficere pœnis, qui maximis in peccatis inuoluti sunt, licet gentes, regna, & prouinciæ deleantur, cùm neque ab vniuerso terrarum orbe abstinuerit diluuij tempore, cùm scelera sceleribus cumulata erant. Ne commouearis igitur, cùm tantam fidei diminutionem esse factam cernas, cùm omnia peccatis cumulata sint. Quæ quotidie ita augentur, vt, nisi firma testimonia haberemus, nunquam fore, vt portæ inferi in Ecclesiam præualeant, nobis maximè verendum esset, ne hic ignis, quo tam multa loca inflammata sunt, penitus eam absumeret.

CAT. Satis, Magister, meæ petitioni à te factum esse fateor; cùm tam multis rationibus, & exemplis, quodqúe magis est, apertissimis scripturæ testimonijs, tuam responsionem illustraueris. Quamobrem neque in hac quæstione, neque in cæteris mihi quidquam reliquum est ampliùs, quod dubitem. Illud quidem fateor, me Patri cælesti immortales gratias agere debere, quòd tuæ doctrinæ ministerio meo intellectui lumen attulerit, meq; in fide confirmauerit: quæ eo auxiliante mihi duxerit, vt eò perueniam, vbi illius gloriæ beatitudine frui possim. Quam ipse pollicitus est illis, qui hanc sequẽtes ducem rectà per suorum mandatorum semitam proficiscantur. Cuius nomen sit semper benedictum, qui, cùm aliàs tam longè à vera via aberrarem, me in veritatis curriculum & viam perduxit: tibi autem lucis, & doctrinæ, quam mihi dedisti, præmium tribuat.

FINIS.

PARÆNESIS,

In qua ostenditur, quàm sit necesse doctrinam Christianam addiscere, quique, & quanti fructus ex illa percipiantur.

ILLVD in Ecclesia Christiana maximè omnium mihi dolendum videtur, quòd multi Christiani in legum, & institutorum suæ Religionis ignoratione versantur. Vix enim quisquam reperitur Gentilis, aut Hebræus, à quo si fueris sciscitatus de præcipuis, aut articulis, aut partibus suæ legis, qui illorum rationem reddere nesciat. Inter Christianos autẽ (qui cùm de cælo suam doctrinam acceperint, deberent maximè eam in animo impressam habere) tanta inertia, & negligentia est, quòd non solùm pueri, sed ne senes quidem vix huius cælestis philosophiæ prima elemẽta perceperunt. Quòd si verum est, multum inter dicta, & facta interesse; quàm erũt alieni ab operibus, quæ iubet Deus, cùm quid iubeat non solùm ignorant, sed ne id sibi discendum esse cogitent?

Quid his præter illam Prophetæ execrationem expectandū est? quòd puer centum annorum maledicetur; is scilicet, qui postquam ad perfectam peruenerit ætatem, in qua homines iudicio valent, tamen in diuinarum rerum ignoratione, & iudicio, & sensu puer est. Quid huiusmodi expectandum est præter illorum finem, de quibus idem Propheta inquit? *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit.* Cùm autē intellectus sit primus aditus, per quem omnia animæ bona ingressura sunt, hunc si claudit ignorantia, per quem ingredientur? Si horarij præcipua rota, quæ cæteras secum trahit, impeditur, quo minùs moueri possit, cæteræ quoq; conquiescant necesse est. Quare si huius spiritualis horarij præcipua rota (quæ Dei cognitio est) non mouetur, cæteras quoque deesse compertissimum est. Quamobrem omnes nostri capitalissimi hostis conatus in eo sunt, vt nos hoc lumine priuet. Cùm primùm Philisthæi Sampsonem in sua potestate habuerunt, ei oculos eruerunt, quo facto ita omnia in illum facilia fuerunt, vt & illius opera in pistrino bestiarū ad molendam farinam vterentur. De ijsdem scriptum est, quòd in eo multùm inuigilabāt, ne qua in Israel populo armorum officina reperiretur, vt illis, quotiescunque aliquid huius generis habere cuperent, opus esset se ad illorum officinas conferre: vt hic populus his rebus neque ornatus, neque instructus, faciliùs ab illis vinci, & superari posset. Christiani autem equitatus quæ sunt arma? Quo gladio nisi Dei verbis, & bona doctrina vitia trucidantur? Quibus armis Dux noster, & Imperator in deserto cum hoste conflixit, nisi quotiescunque in se tentatio torqueretur, aliquo scripturæ verbo nō solùm resistendo, verùm etiam in illum iaculando? Hæc autem arma nostri hostes nostra tempestate multis in locis nobis subripuerunt, & eorum loco calliditatis, & malitiæ arma, qui libri sunt sordidi, & profani, qui vitia excitant, nobis reliquerunt.

Isa. 65. — Isa. 5. — Iudic. 16. — 1. Reg. 13.

Illud præterea maximè miserandum, & maximis coercendum est pœnis, nolle Christianos maximis beneficijs, quæ à diuina bonitate & miseratione accepimus, vti: illud autem maximè fuit, nobis suam declarasse voluntatem, quid scilicet sibi placeat, quidve displiceat, vt illud sequendo, hoc fugiendo, illius amicitiam tueamur, gratiamque nobis conseruemus, & hac ratione illius gloriæ participes esse possimus. Quàm autem magnum sit hoc beneficium, hicq; honor, populo Moses declarat, cùm inquit: *Quæ est alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, iustaq; iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* Et in Psal. 147. regalis Propheta Deum laudat, inquiens: *Qui annuntiat verbum suum Iacob: iustitias & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi.* Hæc autem tam magna gloria quid mihi prodest, ea si nō vtor? illam si non lego? nisi mihi familiarem reddo? nisi mihi in corde, & manibus est? nisi à me illius lumine ignorantiæ meæ tenebras fugo? nisi meas culpas illa castigo? nisi eadem meos appetitus cohibeo? nisi meum cor, & cupiditates hac eadem in cælū propensas reddo? Medicinam esse efficacissimam, mirabiliq; vi præditam, quid mihi prodest, eam si sumere nolo? Hominis enim bonum non in rebus, sed in illarum vsu consistit; vt participando & vtendo bono, bonus euadat ille, qui non est.

Deut. 4.

Illud

Illud profectò maximè mirum est, tantam in homines earũ rerum, quas illis magnopere Deus cõmendauit, quasiq; tanti fecit, ad nostram vtilitatem, negligentiam cadere posse. Ipse Deus leges, in quibus nobis viuendum erat, scripsit: iussit, vt tabernaculum construeretur, in quo arca aurata, maxima diligentia & artificio elaborata, poneretur: & ita voluit hanc legem collocari, vt eam magis homines venerarentur. Iussit Iosue, ne vnquam hanc legem longè ab ore suo abesse pateretur, vt perpetuò in illa legere, & alijs eam tradere possit. Iussit futuro Israel Regi, vt secũ hunc librum sua manu scriptũ haberet, si prosperè regnare, & diuturnam vitã degere in terris vellet. In hoc autem mandatum ait Philo inter Hebræos nobilissimus scriptor, non eo fuisse contentum Deum, vt Rex hunc haberet librum, aliorum manibus exaratum; sed voluit, vt ipse sua manu exscriberet, vt hoc modo in illius memoria sententiæ altiùs radices agerẽt, cùm illum sensim ad verbum exscripsisset; & vt illud pluris faceret, quod ipse Rex sua manu scripsisset, cùm multos haberet librarios, & ministros, quibus hoc onus imponere potuisset; & hinc maioris in dies fieret lex, quæ cùm primùm Dei digito cõscripta fuisset, deinde non cuiuslibet hominis manu, sed ipsorum Regum scribebatur: & ne qua obliuio rem tantopere necessariam vllo vnquam tempore delere posset; iussit Moysi, vt posteaquam Israel populus in promissionis terram intrasset, nonnullos magnos erigerent lapides, in quibus huius legis verba insculpenda curarent, vt quicunque per eam irent & reuerterentur viam, illas intuentes literas, quasi muti concionatoris vocem audirent. Ad id quoque spectat illud, quod suo spirituali filio consulit Salomon in Prouerbiorum libro, vbi ait: *Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga eam in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo. Cùm ambulaueris, gradiantur tecum: cùm dormieris, custodiant te, & euigilans loquere cum eis. quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ.* Et sexcenta alia loca colligere possem in hanc sententiam tum ex his libris, tum ex alijs, quos Sapientiales appellamus; in quibus incitantur homines ad diuinæ sapiẽtiæ studium, & amorem: quod nihil aliud est, nisi diu noctuq; legere, audire, cogitare, & meditari Dei legem, quæ est illa optima pars, quam Maria elegit, cùm ad Christi pedes sedens illius verba maximo cum silentio audiebat.

[Exo. 31. 34] [Exod 25.] [Iosue 1.] [Deut. 17.] [Deut. 27.] [Prou. 6.] [Luc. 10.]

Quid autem de verbi Dei virtute, & miris effectibus dicam? Cùm vellet Deus suum populum à peccatis eorum auocare, Hieremiæ iussit, vt omnes prophetias, quas ei aduersus populum reuelauerat, scriberet, publiceq; legeret. Quæ lectio ita attonitos, & horrore affectos reliquit eos, qui audierant, vt timoris & confusionis pleni, alij alios in faciem intuerentur.

[Iere. 36.]

Cùm autem Iosaphat Rex voluit suum regnum ad Dei cultum, & obedientiam reuocare, nihil aliud fecit, quàm Sacerdotes & Leuitas per omnes sui regni ciuitates mittere, qui secum legis librum ferrent, legerent, & populo exponerent? Vt autem Deus ostenderet vtilitatem, quæ ex hoc miro cõsilio emanauit, illa verba subdit: *Itaque factus est pauor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Iuda: nec audebant bellare contra Iosaphat. Creuit ergo Iosaphat, & magnificatus est vsque in sublime.* Hæc in 2. Paralipomenon cap. 17. scripta sunt, quod ego caput velim vt omnes Ecclesiæ Prælati in corde scri-

[3 Reg. 15.]

ptum haberent, vt huius sancti Regis exemplum imitatione prosequerentur. Illum enim Regem si imitarentur, non minùs hac nostra tempestate Christianorum Imperium floreret, quàm eo tempore illud Regnum floruit; cùm idem Deus sit nunc, qui tunc erat, vt eadem præmia tribueret illis, qui idem seruitium illi præstarent.

Ex omnibus autem exemplis, quæ ad declarandum fructum bonæ doctrinæ afferri possunt, dignum, quod semper in ore & corde habeamus, est illud
4.Re. 22. sanctissimi Regis Iosiæ, quod hic, vt in libro Regum legitur, inserendum putaui.
2.Par.34. Octo annorum erat Iosias, cùm regnare cœpisset, & regnum Amon patris sui culpa, & Manasse aui, euersum inuenisset, qui peruersi fuerunt, & sanguinis Prophetarũ profusores. Cùm autem regnasset duodecim annos, Helcias Sacerdos ei legis Dei librum misit, quem in templo reperit, qui nõ solùm, quod Deus iubebat, complectebatur; verùm etiam magna præmia, quæ fideliter seruãtibus legem promittebat, & horribilia supplicia, durasq; pœnas, & aduersitates, quas non seruantibus illam minabatur. Cùm autem hic liber coram Rege legeretur, eo timore & tremore affectus est, vt sua vestimenta sciderit, & præceperit Sacerdoti superiùs dicto cum alijs summis viris, vt ad quandam prophetidem fœminam, quæ in Hierusalem habitabat, irent, vt Deum oraret pro illis, & scirent, quæ sit illius voluntas, de illis rebus, quæ in illo libro continentur. Quæ hoc modo respondit: *Hæc dicit Dominus: Ecce, ego inducam mala super locum istum, & super habitatores eius, cunctaq; maledicta, quæ scripta sunt in Libro hoc, quem legerunt coram rege Iuda. Quia dereliquerunt me, & sacrificauerunt dijs alienis, vt me ad iracundiam prouocarent in cunctis operibus manuum suarum: idcirco stillabit furor meus super locum istum, & non extinguetur. Ad regem autem Iuda qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Israel, Quoniam audisti verba Voluminis, atque emollitum est cor tuum, & humiliatus es in conspectu Domini super his quæ dicta sunt contra locum hunc, & habitatores Hierusalem, reueritusq; faciem meam, scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me: ego quoque exaudiui te, dicit Dominus. Iam enim colligam te ad patres tuos, & infereris in sepulchrum tuum in pace: nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, & super habitatores eius.* Retulerunt itaque Regi cuncta, quæ dixerat. *At ille conuocatis vniuersis maioribus natu Iuda & Hierusalem, ascendit in domum Domini, vnaq; omnes viri Iuda & habitatores Hierusalem, Sacerdotes & Leuitæ, & cunctus populus à minimo vsque ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini legit Rex omnia verba voluminis.*

Et ipse vnà cum illis, se in Dei seruitium, & cultum obtulerunt. Ad id autem Rex omnes iurisiurandi vinculo obstrinxit. Neque eo fuit contentus, sed ciuitatem multis sceleribus, quæ in ea disseminata erant, purgauit; altaria, & Idola diruit, & sacerdotum, qui in illis sacrificauerunt, ossa retexit, & super illorum altaribus comburenda iussit. Hic autem Rex fuit ita sanctus, vt (quemadmodum scriptura testatur) nec antea, nec post eum fuerit quisquam maior.

Quod autem argumentum maius ad bonæ doctrinæ vtilitatem explicandam potest afferri, quàm hoc, ex quo tam multi fructus, tamq; admirabiles conse-

consecuti sunt? Quis autem erit tam sibi inimicus, qui cùm tam multas vtilitates cernat ex lectione librorum, qui catholicam, & sanctam doctrinã continent, emanare, non sibi aliquod temporis spatium quotidie assumat, quod in huiusmodi libris conterat?

Cum hoc autem tam admirabili exemplo alia multa coniungi possunt. Cùm enim Propheta Baruch populum, qui captiuus in Babyloniam perductus erat, ad pœnitentiam excitare vellet, hac eadem ratione vsus est, in vnum enim locum omnes captiuos congregauit, illisq; huius doctrinæ partem legit. Quæ lectio (ait sacra scriptura) illis lachrymas mouit, & ad orationem, ieiunium, & pœnitentiam suorum peccatorum impulit; adduxitq; illos, vt eleemosynas colligerent, & in Hierusalem mitterent, vt in templo pro peccatis eorum offerrentur. Cum quibus miserunt librum quoque sibi lectum, vt & ipsi eundem legerent; existimantes fore, vt illa lectio eadem in illis operaretur, quę in seipsis operatam esse sciebant. Baruch 1.

Hac autem captiuitate cùm elapsis septuaginta annis liberati essent, quo iterum ciuitas reædificari cœpit, templum, religio, nisi hac eadem legis Dei lectione? Sic in secũdo libro Esdrę legitur, quòd septimo mense omnis populus suarũ ciuitatum vno & eodem animo & corde in Hierusalem concurrerunt. Illis autem ad magnam plateam congregatis Esdras legit septẽ diebus librum legis Dei distinctè, & appositè ad intelligendum: & populus flebat, cùm verba legis Dei audiret: eiusdem autem mensis vigesimo quarto die iterum ad eiusdem libri lectionem reuersi sunt, & singulis diebus quater in volumine legis Dei legebant, in quibus confitebantur etiam & adorabant Dominum Deum: his duobus exercitijs se ad pœnitentiam excitarunt, & religionem, quæ iam in illorum cordibus iacebat, erexerunt. Perfecerunt quidem illud, quo nihil maius vnquam; dimiserunt vxores alienigenas, quas ipsi duxerant, ne Dei populus cum gentilium genere permixtus permaneret. 2. Esd. 8.

Verbum Dei tandem, vt ipse Deus, omnia potest, & operatur, cùm illius instrumentum fit: & ita iure optimo ei, in suo gradu, omnes effectus efficientis causæ tribuuntur. Ita verbum Dei mortuos resuscitat, viuos regenerat, infirmos sanat, sanos conseruat, cęcos illuminat, tepidos inflammat, esurientes satiat, debiles roborat, & iacentes erigit. Est tandem illud cęleste manna, quod omnium rerum sapores referebat: nihil enim est, quod desideret anima, quin reperiatur in Dei verbis. His enim tristis consolatur, non deuotus accenditur, calamitatibus oppressus lætatur, durus ad pœnitentiam impellitur; & qui mollior est, magis etiam exhauritur. Hæc autem Propheta paucis verbis complexus est, cùm inquit: *Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi: iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & fauum.* Quibus verbis Propheta multos legis, & verborum Dei effectus expressit; & tandem nõ solùm illorum pretium, & dignitatem declarauit, verùm etiam summam suauitatem, quam pia anima, & sincera ex illis percipit. De quo in alio Psalmo ait: *Quàm dulcia sunt faucibus meis verba tua Domine, super mel ori meo!* His autem Psal. 18. Psal. 118.

Digitized by Google

tem laudibus non contentus, in eodem quoque Psalmo declarat amorẽ, studium, lumen, sapientiam, quam sibi comparant illi, qui tempus in hac diuina Psal. 118. lectione conterunt, cùm inquit: *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in aeternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi: quia mandata tua quaesiui.*

Cùm igitur hęc lux in animabus nostris tam magnos, & miros pariat effectus; quid nobis magis (vt initio dixi) lugendum est, quàm videre hanc lucem tam longè ab hoc mundo abesse? quàm tam multas, tamq; densas tenebras videre? tantam in pueris ignorantiam? tantam in parentibus negligentiam? tantam ruditatem, & caecitatem in maiori parte Christianorum? Quid in terris cognitione dignius est, quàm Dei lex; & cuius rei magis obliuiscuntur homines? quid pretiosius & abiectius? Quantum Dei amori, & seruitio debeamus, quis intelligit? Vim mysteriorum nostrae Religionis ad excitandos homines ad hunc amorem quis non ignorat? Quis peccati turpitudinem nouit, vt ea cognita magis ab illo, quàm à cęteris turpissimis rebus abhorreat? Quis Missae, & cęteris diuinis Officijs ea reuerentia, qua debet, interest? Quis festos dies sanctificat animi ea pietate, & ea solicitudine, qua debet? Viuimus vt homines incantati, & caeci inter tot lumina, insensibiles inter tot mysteria, ingrati inter tot beneficia, duri & surdi inter tot flagella & castigationes, frigidi, & gelidi inter tot ardores, & splendores Dei. Si quid de Christi mandatis, & doctrina scimus, id more picae scimus, sine gustu, sine sensu, sine vlla illarũ considerationę: vt potiùs nomina rerum, & mysteriorũ epitheta, quàm ipsa mysteria cognoscamus.

Inter remedia, quę hanc ignorantiam à nobis depellere possunt, catholicae, & sanctae doctrinae librorum lectio praestantissimum est; pręsertim si non de rebus subtilibus, & curiosis, sed de salutiferis, & vtilibus tractant. Propter hanc causam sancti Patres huius lectionis exercitationem, & studium valdè nobis commendarunt.

S. Hieronymus cùm scriberet ad quandã virginem nobilissimam, nomine Demetriadem, (quę suum patrimonium pauperibus erogabat) quod praecipuè ei commendabat, erat bonę doctrinę lectio, eiq; suadebat, vt in sui cordis bona terra semen verbi Dei sereret, vt vitę fructus illi similis esset. Post autem multa alia praecepta, quae ibi tradit, in fine ait, se velle finem Epistolae cum principio coniungere, & ita eam iterum ad sacrarum literarum lectionẽ hortatur. Ad idem hortatur etiam S. Paulam, (in effundendis enim pietatis, & deuotionis lachrymis assiduè versabatur) vt hanc exercitationem temperet, vt visum ad bonae doctrinę lectionem conseruet. Ad quendam amicum, à quo petebat quosdam sanctos libros, scribens, illam rationem affert, quòd verus animę cibus est, diu noctuq; in lege Domini cogitare, ac meditari. Sanctus Bernardus, cùm ad quandam suam sororem scriberet, ad idem studium eam adhortatur, & diligenter omnes bonę lectionis fructus, & effectus enumerat. 1. Tim. 4. Et quod magis est, Apostolus S. Paulus suum discipulum Timotheum, qui Spiritu sancti plenus erat, adhortatur, vt dum ad illum venerit, in sacrarum literarum lectione se contineat.

Praeter

Præter autem hæc omnia testimonia illustrissimum, & efficacissimum ad omnes intellectus conuincendos, illud Moysis est, qui postea quam Dei legem proposuit, & declarauit, sic inquit: *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostijs domus tuæ.* Nescio quibus verbis posset quis ampliùs legis, & Dei mandatorum considerationem, & studium commendare, quàm his. Et quasi hęc pauca essent, cap. 11. eiusdem libri iterum eandem repetit commendationem, eisdemq; verbis, (quod rarò in scriptura fieri solet) tantę curę ei homini, qui à facie ad faciem cum Deo loquebatur, erat, vt in Dei lege meditarentur semper: quippe qui optimè sciebat, quàm ad id simus obstricti, fructusq; maximos, & vtilitates, quas inde percipiamus. Deut. 7.

Ad hanc autem continuam meditationem, quam hic Propheta à nobis postulat, quantam vtilitatem nobis afferre possit bonæ doctrinę librorum lectio, quis non videt? quę, licet diuerso modo, semper tamen de Dei legis pulchritudine, & præstantia tractat, docetq; semper quantopere nos eam seruare debeamus. Nam sine lectionis doctrina, in quo meditatio versari poterit, cùm hę duæ quasi sorores sint ita inter se coniunctæ, lectio scilicet, & meditatio; cùm altera nobis cibum tradit, altera traditum mandit, concoquit, digerit, & in animæ sinus transmittit.

Cum his, quę dicta sunt, possem idem multorum exemplis, quos bonorum librorum lectione vitam mutasse scio, confirmare, quorum partem audiui, partem legi; ex quibus nonnulli hinc initium sumentes eò sanctitatis, & puritatis vitę peruenerunt, vt Religionum, & Ordinum, in quibus & alij, vt ipsi, se ad Dei seruitium conferrent, essent fundatores.

Hoc Henrico VIII. Britanniæ Regi compertissimum fuit, qui cùm nonnullos Carthusianos patres in suum errorem trahere speraret, & cerneret non posse id consequi molestijs, & calamitatibus, quibus ad id eos sæpe afficiebat, postremùm iussit, vt illis omnes bonæ & catholicæ doctrinæ libri auferrentur; existimans his armis spiritalibus sublatis, quibus se ipsi defendebant, fore, vt facilè caderent. In quo videre licet, quantam vim habeant hæc arma, vt nos ab Hęreticorum dolis incolumes pręstare possimus, cùm, qui hęc machinarentur, in eam curam inuigilarent, vt Christianos his armis spoliarent. Cùm tanta igitur sit horum armorum vis, cur in hac re omnes nostræ curæ non euigilant, vt Christianum populum his maximè armis instituamus? Illud quoque nobis argumento sit, quòd Hæretici, vt homines peruerterent, libri suarum impietatum pleni vt in omnibus locis disseminarentur, maximè curarunt. Quòd si mendacium verborum coloribus depictum ad decipiendos homines eam vim habet; quantam veritatem sana doctrina expressam, & declaratam, ad iuuandum habere credendum est? Et cùm Hæretici tam diligentes, & frequentes sint, vt hoc modo homines perdant; cur non erimus nos diligentiores, vt illos, & hac & cęteris rationibus huiusmodi incolumes præstemus?

Doctrinae necessitas particulatim traditur.

ETSI satis superque sit, quod diximus, ad nostram sententiam comprobandam: tamen quemadmodum nobis Christianè viuendum sit, ita probare institui, Christianam doctrinam quoque nobis addiscendam esse.

Quem laborem mihi suscipiendum esse existimaui, quòd nonnulli sunt, qui libros bonę doctrinę, vernacula lingua conscriptos ad eorum vtilitatem, qui Latinam linguam non didicerunt, omnino vituperant. Qui aliqua in parte rectè sentiunt, in aliqua verò longè à veritate aberrant.

In eo rectè sentiunt, si vernacula lingua res difficiles, & obscuras, non esse conscribendas dicunt; neque Hæreticorum errores, licet ad id scribantur, vt refutentur; neque cætera huiusmodi, neque Theologorum quæstiones, quas neque in concionibus ad populum tractari D. Augustinus permittit. Quantò minùs igitur debent hac conscribi lingua, quę nec prædicari decet? Cum quo illud Apostoli concordat, vbi inquit, non prædicandas esse populo quęstiones, sed doctrinam, quæ ædificet. Neque pariter decet, vt sacrę scripturæ libri communi lingua sint conscripti. In illis enim sunt multa obscura, quæ lumen, & præceptorem desiderant. In hoc igitur bene dicunt, qui hos libros vituperant.

D. Aug. lib 4. de doctrina Christ.

Sed cùm nolint libros lingua vernacula conscriptos, qui Christianam viuendi viam tradant, quam in Baptismo profitemur, tam in errore esse existimo, quàm si quis vitæ monasticæ obstringeretur, & illius leges & instituta legere, & discere prohiberetur; cùm ita hęc prima professio Christianum, vt illa secunda monachum obliget. Et in quanta esset culpa monachus, qui suæ religionis regulas discere negligeret, in tanta esset Christianus, qui suæ quoque discere non curaret. Etsi exempla, & auctoritates sacrę scripturæ, quas suprà allegauimus, sint huiusmodi, vt quæ dicta sunt satis apertè demonstrent: tamen visum est mihi, idem his rationibus demonstrare, quibus harum rerum necessitas penitus appareat.

Primùm enim si quis penitus ex animo Christianus esse desiderat, non fide solùm, sed vita, & moribus fidei consentientibus, huic in primis fidei, quam profitemur, articuli sciendi sunt, neque id solùm in fide maiorum, sed explicitè, & distinctè. Quare non satis est verba articulorum pronuntiare psittaci more, sed debet intelligere, quod profert; ne sibi in animo conceptus, & sensus longè diuersos ab ijs, quę sibi credenda sunt, effingat: quemadmodum S. Augustinus de Alipio suo familiari scripsit. De quo inquit, quòd antequam incarnationis mysterium ei fuerit expositum, secum ipse reputabat Saluatorem ab humanitate nihil aliud sumpsisse, quàm corpus: quodque diuina persona, quę in illo erat, animæ officio fungeretur. Sic quoque in mysterio sanctissimę Trinitatis, necesse est, vt Christianus, quotiescunque Patris, vel Filij nomina audit, sciat hic sibi nihil corporeum intelligendum esse, cùm illa diuina generatio tota sit spiritualis, licet naturalis sit. Illud quoque scire oportet, hoc mysterium credendū, & adorandum, non inuestigandum esse. Quod fecerit, si in altera parte illius altissimæ substantiæ, quę ineffabilis, & incomprehensibilis est, maiestatem; in altera verò sui intellectus ruditatem, & demissionem collocauerit, & inter se comparauerit, qui noster intellectus est (vt

Phila.

Philosophi testantur) ad diuina speculanda, sicut noctuarum oculi ad Solis lumen. Id facere debet Christianus, ne ab eo, quod non intelligit, ad id non credendum, propter hanc causam, argumentum petat. Illud quoque scire debet, quòd licet hoc mysterium super omnem rationem sit, non tamen contradictionem implicat, quemadmodum nonnulli simplices homines, & ignari arbitrati sunt. Cùm igitur ita se res habeat, vt adsit doctrina, quæ has in tam necessarijs rebus ignorantias excludat, necesse est.

Præterea Christianus homo scire debet, non solùm Dei, verùm etiam Ecclesiæ præcepta; quæ lex est, in qua illi viuendum est: debet præterea intelligere, non solùm opera, verùm etiam cogitationes, id est, in mala opera consensum, ijs mãdatis repugnari. Præterea illud sciat necesse est, non solùm mala volũtatis intentione, sed improbę etiam cogitationis voluptate, licet quod in animo euoluit, exequi nolit, (quam voluptatem morosam Theologi dicunt) mortalis peccati, in materia peccati mortalis, reum fieri.

Ad hæc bonus Christianus saltem semel in anno sua peccata confiteri debet: quod sæpius facere deberet, si religiosiùs sibi viuendum existimat. Vt autem id facere possit, necesse est, vt conscientiam suam examinare sciat, discurrendo per mandata, & peccata mortalia, vt videat, quanam in re vel actione, vel verbo, vel cogitatione, deliquerit; ne nonnullorum quasi beluarum similis sit, qui ad pedes Sacerdotis prostrati, vix elapso anno inter tot peccata ab eis cõmissa ne vnicum proferre sciunt; sed aiunt: Me interroges velim Pater. Neque satis est peccata confiteri, nisi illorum te pœniteat, grauiterq́ illa commisisse doleat. Quamobrem necesse est, vt peccati turpitudinem, & deformitatem cognoscas, & quàm multum per peccatum amittatur, quàm calamitoso & infelici in statu miseram relinquat animam, & in primis, quantùm diuinam maiestatem peccatum offendat, à quo tam multa beneficia accepimus, quibus eum sæpe lædimus. Nam illud ponamus, contritionem esse præcipuum Dei donum: solet tamen illud dare illis, qui ita se præparãt, & afficiunt, quantum in se situm est, vt illud à Deo obtinere possint. Et quoniam cum hac contritione firmum propositum non peccandi ampliùs in futurum coniunctum esse necesse est, & parum pœnituisse est signum, cùm homo iterum eadem peccata statim committit: remedia, & medicinas, quę ad hoc conducunt, scire necesse est, quæ sunt, peccandi occasiones deuitare, in oratione assiduè versari, Sacramenta frequentare, in bonorum librorum lectione assiduè se continere, in cibo & potu temperantem esse, sensus cohibere, & in primis linguam coercere, per quam tam multa peccata committuntur: neque minùs debemus eruditos oculos habere, per quos sæpe in animam nostram mors ingreditur. Ex his autem omnibus illud maximum est, principijs malarum cogitationum, & motuum, memoria Passionis Christi, obsistere. Velle enim in mundo tam improbo bene viuere (vbi tam multæ peccandi occasiones sunt) cùm ex altera parte simus à carne circunuenti, quæ ad peccandum propensissima est, ex altera à tot dæmonibus, & à multis peruersis hominibus, (qui nonnunquam peiùs, quàm dæmones nobiscum agunt) sine horum spiritualium armorum ac tormentorũ vsu, est velle in cælum sine scalis ascendere. In hoc autem cùm homines deficiant, perpauci reperiuntur, qui sine peccato mortali viuãt. Hæc igitur omnia

Digitized by Google

ſcire, & in libris, qui hæc docent, ſæpe legere, quantam vtilitatem afferre poteſt?

Cùm autem Chriſtianus ad Altaris ſacramentum ſumendum ſe recipit, quis illius Sacramenti altitudinem, illius beneficij amplitudinem, maieſtatis præſtantiam, quæ in illo includuntur, declarabit? vt inde intelligat, quãto cum timore, reuerentia, & conſcientiæ puritate, quantaq; cum humilitate, & ſui ipſius collectione, ſe debet ad rerum omnium Dominum recipiendum parare, vt hoc modo illius Sacramenti gratiæ, & diuitiarum, & conſo-
1. Cor. 11. lationum, quas ſecum fert, particeps euadat? Hoc enim Sacramentum ſine requiſita præparatione ſuſcipere, eſt (vt Apoſtolus inquit) manducare, & bibere ſibi iudicium, illud qui ſic ſuſcipit, vt hac tempeſtate multi facere ſolent, cùm nullam emendationem in illorum vita cernamus.

Illud quoque Chriſtiani hominis eſt, preces fundere, (quæ quidem mirum in modum in ſacris literis commendantur) quibus à Deo remedium omnium neceſſitatum, tam ſpiritualium, quàm corporalium, quæ innumeræ ſunt, petat. Hæc autem oratio vt efficax ſit, ſcire debet, quòd virtutes debeant eam comitari, quæ (breuiter enumerando) ſunt attentio, deuotio, humilitas, perſeuerantia, & omnium maximè fides, & confidentia: iuxta illud
Mat. 11. Saluatoris, quod dicit: *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, &*
1. Tim. 2. *euenient vobis.* Cum oratione vult Apoſtolus vt gratiarum actio iungatur beneficiorum acceptorum, quod eſt diuinarum laudum ſacrificium, quod Deus in Pſalmo 49. tantopere petit. Quo autem modo Chriſtianus homo poterit hoc perfungi officio ea deuotione, & pietate, quæ decet, ſi quot, quantaq; hæc beneficia ſint, ignorauerit?

Præterea in hac vita tentationes deeſſe non poſſunt, cùm (quemadmo-
Iob 1. dum S. Iob teſtatur) tota vita ſit diuturna tentatio. Sanctus quoque Petrus
1. Pet. 5 ait, quòd aduerſarius noſter tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Et Apoſtolus adauget, & amplificat huius hoſtis vim, & nos diuerſis ſpiritalibus armis inſtruit, quibus ei reſiſtamus, qui mille habet artes, mille modos, & rationes, quibus nos torqueat: aliquando blaſphemiarum cogitatione, aliàs fidei contentionibus, aliàs ira, odijs, vindictæ cupiditatibus, aliàs ſenſuum appetitu, aliàs occultiùs toxicum ſaccharo tectum nobis bibendum tradit; id eſt, vitium nobis ſub perſona virtutis refert. Si Chriſtianus homo igitur omnes has Syrtes, & breuia, (vbi conſcientiæ nauis periclitari ſolet) non animaduerteret, & ſaltem mediocri quadam ratione artem tuendi ſui neſciret, cùm ad hæc loca proximè accedit; quid aliud illi ſperandum eſſet, niſi ſæpius in illis hærere, & in peccatorum abyſſum cadere?

In hac etiam mortali vita contrarijs ventis nauigamus, nonnunquam tempeſtate, nonnunquam tranquillitate; aliàs ſcilicet ſecunda, aliàs aduerſa fortuna vtimur. Quarum altera nos ſuperbos reddit, extollit, & in Dei obliuionem inducit: altera verò, cùm ſit diuerſa, aliàs ad impatientiam, aliàs ad diffidentiam, aliàs ad triſtitiam extra ordinem, aliàs ad querelas in diuinam prouidentiam, aliàs ad vindictæ cupiditatem nos impellit. Quicunque igitur bonus Chriſtianus eſſe cupit, ſi dum in pace degit non ani-

animaduertit, & parat, quæcunque belli tempore necessaria sunt, is quo modo tot, tantaqúe pericula euadere poterit? Quid ei salutaria remedia faciliùs suppeditabit, quàm bonorum librorum admonitiones, & præcepta?

Sunt præterea quatuor virtutes valde necessariæ, vt hoc cæli spatium currere possimus; Dei amor, peccati odium, diuinæ misericordiæ spes, & eiusdem iustitiæ timor: quibus in virtutibus nostræ salutis summa consistit. Hæ autem virtutes affectiuæ dicuntur, quòd in voluntatis motibus, & sensibus consistunt. Hæc autem potentia cùm cæca sit, (quæ ad nullum horum effectuum mouetur, nisi cùm intellectus ei occasiones, & causas repræsentat, quas pro illis habet) inde fit, vt bono Christiano quid illum ad horũ singula mouere possit, scire necesse sit. Nam licet Deus in iustorum animas infundat has virtutes; debet tamen quilibet per se sibi auxilium ferre, neque Deo relinquere omnia, multa in animo euoluendo, quæ ad id eum mouere possunt. Cùm autem hoc argumentum satis copiosum sit; quantam vtilitatem Christiano homini afferret, nonnullas considerationes scire, quæ ad harum virtutum singulas eum impellere possint, quæ omnia bonæ doctrinæ libri docent?

At fortasse quis dicet, multa me tam multis rebus, quas hic attigi, postulare. Cui respondeo, quòd ei, qui solam Fidem, non habita ratione vitæ, sufficere existimat vt sit Christianus, hæc multa videbuntur: at qui huiusmodi in conscientiæ puritate esse cupit, se ipsum ab omni genere peccatorum mortalium segregando; non solùm id multum illi non videbitur, sed etiam huius mundi periculorum, tentationum, occasionum experientia docebit, hæc omnia, & plura illi necessaria esse, cùm à terra ad cælum iter breue non sit. Propter hanc causam omnia superiùs dicta ad tantum volatum opus sunt.

Nonnullis obiectionibus respondetur.

Dicet fortasse aliquis, hæc omnia necessaria concedens, ordinarias conciones, quæ in ecclesijs habentur, satis esse, & ob id libros, qui eadem tradunt, esse superuacaneos. Cui quidem respondemus primò, multis locis non adesse concionatores; & vt S. ait Gregorius, vt conciones cùm frequentes sunt vilescunt, sic cùm nimis raræ sunt, parum prosunt. Præterea prædicatores, vt plurimum ad hæc non descendunt particularia, sed vniuersim, quod & satis est, de virtutibus tractant. Doctrina autem moralis, cùm communis & vniuersalis est, parum prodest. Præterea multæ conciones fiunt potiùs, vt auditores in patientia exerceantur, quàm in doctrina erudiantur.

Alius fortasse addet, bonorum librorum lectionem sæpe in causa esse, vt conciones parui fiant, nonnunquam vt non audiantur. Quibus respondeo, bonam doctrinam in causa non esse, vt verbum Dei negligatur, sed vt plurimi fiat. Quod si quis facit, id potiùs ab illius superbia, quàm bona doctrina proficiscitur. Et paucorum superborum culpa, vt multi bona doctrina fraudentur, consentaneum non est.

Alij dicunt, nonnullos ex bonorum librorum doctrina illud consequi solere, vt ita se spiritalibus exercitijs tradant, vt in rerum familiarium administratione, suæq; familiæ cura, in seruitio, quod patribus, & maritis suis præstare debent, negligentiores euadant. Ad id respondeo, nihil esse, quod magis bona doctrina damnet, quàm huiusmodi peruersitatem; cùm doceat, nos debere semper anteponere debita eis, quæ deuotionis sunt; & præcepta consilijs, & necessaria voluntarijs; & quæ Deus iubet, ijs, quæ homo sibi sua deuotione, & animi pietate proponit; ita vt hæc peruersitas magis ab homine, quàm à doctrina proficiscatur.

Inquiunt alij, propter bonam doctrinam homines in multos errores incidere. Ad quod respondeo, nihil esse tam bonum, tamq; perfectũ, quo improbi homines abuti non possint. Quæ doctrina melior, quàm quæ in Euangelijs, & S. Pauli Epistolis legitur? Omnes tamẽ hæretici tum præteriti, tum præsentes, suas hæreses in hac doctrina fundatas esse contendunt. Quare S. Pe-
2. Pet. 3. trus, cùm S. Pauli Epistolarum mentionem faceret, inquit, nonnulla in illis esse intellectu difficilia, ex quibus nonnulli improbi argumenta sumpserũt, quibus suos errores confirmarent. Illud præterea addit, quòd ex omnibus sacris scripturis existimant hæretici petere, quo se ipsi tueantur, detorquentes illas, ac deprauantes, vt suos errores cooperiant, ac protegant. Præterea quid est in hominum vita tam vtile, tamq; necessarium, quod, si quæ secum mala permixta habet magni faceremus, non deberemus reijcere? Parẽtes nuptui suas ne tradant filias; cùm aliæ pariendo suũ diem obeant, aliæ suorum virorum manu necentur. Neque medici, neque medicinæ permittantur; cùm tum illi, tum hæ sæpe homines occidant. Neque enses, neque arma concedantur; cùm illis quotidie homines occidantur. Nemo nauiget mare; cùm tam multi homines, & diuitiæ naufragio pereant. Theologiæ studia prohibeantur; cùm hæretici omnes ijs abutentes, inde ad suas hæreses occasiones sumpserint.

Sed quid ego de terrenis rebus dicam; cùm ne cælestes quidem errore careant? Quid ad huius mũdi administrationem magis necessarium est, quàm Sol? At quot homines suorum radiorum calore in morbos impellit? quot occidit? Quid autem de his rebus dico, cùm ex Christi bonitate, misericordia, & passione, quæ sunt nostræ salutis præcipuæ causæ, improbi homines occasiones perseuerandi in peccatis sumant, his pignoribus tantummodò fidentes, atque nitentes? Ad hæc illud non negligendum addo. Quanam re magis omnes intellectus possunt conuinci, vt ad fidem accedant, quàm Lazari resurrectione, qui erat quatriduanus, & fœtidus; quem resuscitauit Sal-
Ioan. 11. uator his verbis: *Lazare veni foras?* Et hoc tantam vim habuit, vt neque mortis vires, neque vincula, quibus & pedes, & manus detinebantur, eum in sepulchro detinere possent. Quod igitur cor tam durum posset esse, quod non fieret tenerum & molle hac mirabili re, & cederet, & huic Domino fidele fieret? O cordis humani incredibilem improbitatem. Hæc res tam admirabilis non solùm ad Pontifices, & Pharisæos conuincendos satis non fuit, sed inde occidendi tanti miraculi effectorem occasionem sumpserunt: neque eo contenti, occidendi Lazari opportunitatem quærebant, quòd propter hanc

causam multi in Saluatorem credebant. Cùm igitur hominum malitia tanta sit, vt inde occasionem tanti mali sumpserint; quis argumentum sumet de abusu, quo improbi homines omnia bona peruertunt, detorquent,& ad suas noxias voluntates accommodant, vt hoc modo bona impediantur?

Hęc omnia eò tendunt, vt intelligatur, nihil esse tam bonum, quo abuti nequeamus, quidquid tamen in illis mali est, id ab hominum abusu, non ab ipsa re proficisci. Non est tamen cōsentaneum, vt paucorum abusu,& improbitate, multi,& probi bonæ doctrinæ fructu careant. Quod apertè in zizaniæ parabola docuit Saluator, vbi ait, quòd cùm quęrerent serui à patrefamilias, vtrùm vellet se illam malam herbam eradicare, ne segetem lęderet: respondit: Sinite crescere, ne cum illa eradicetis & triticum. In qua parabola docet, tanti bonorum conditionem faciendam esse, vt multa nobis perpetienda sint, ne illi damno afficiantur. Matt. 13.

Ad hæc omnia illud addo, quòd sacra doctrina non solùm homines in errores non impellit, sed nos in fide firmiores,& certiores reddit. Quare mihi videtur hìc adscribere, quod mihi quidam nobilis,& ex collegio generalis Inquisitionis Lusitaniæ narrauit, quod quidem ad fructus bonæ lectionis cognoscendos,& ad damnum malæ intelligendum, multum facit. Hic igitur nobilis vir mihi retulit, quòd quidam homo spontè ad sanctissimum Inquisitionis officium iuit,& misericordiam ab eo petijt,& confessus est, quòd cùm malorum librorum lectioni se tradidisset, ita fidem amisit, vt nihil adesse existimaret, nisi nasci,& mori. Deinde cùm nescio qua occasione illi oblata, vel diuina prouidentia ita disponente, bonos libros legere cœpisset,& in ea lectione assiduè versaretur, ex illa cæcitate, qua erat captus, fuit liberatus,& huius peccati veniam petijt,& eam impetrauit. Hoc loco id adscribere volui, vt, quem fructum ex bonorum librorum lectione capiamus, facile intelligatur.

Aliud quoque exemplum non minùs verum, neque minùs cognitione dignum, mihi narrauit Ferrandus de Carillo, cùm in hoc regno Legatus esset. Is namque mihi dixit, quòd quidam Mahometanus captiuus, nomine (credo) Hametes, orationis,& meditationis librum habebat,& in illius lectione assiduè versabatur. Quod illius famuli irridebant,& ab eo petebant: Quid ibi legis Hametes? Quibus respondebat; *Lasciar a me.* Tandem cùm in illa lectione perseueraret, ille Dominus, qui Reginæ AEthiopię Eunuchum illuminauit, cùm in Isaia legeret, hunc quoque illuminauit:& ipse tandem sanctum petijt baptismum,& Christianus effectus est. Act. 8.

Hæc duo exempla,& reliqua à nobis superiùs dicta, satis apertè ostendunt, quòd bonorum librorum lectio non solùm ad fidem, verùm etiam ad reliquas virtutes maximè conducit.

Huius autem rei illa summa est, quòd tum leges, tum bonum iudicium non particularia, sed communia,& generalia spectat; non inquam illud, quod singulis, sed quod vniuersis accidit, qui non est æquum vt abusu,& peruersione paucorum, damno afficiantur. Neque ea damna respiciunt, quæ singulares secum res trahunt, cùm vtilitates longè plures, quàm ia-

Digitized by Google

ĉturæ ſunt. Vt in nauigatione maris cernitur, quòd licet naufragiorum iaĉturę multæ ſunt, longè plura tamen cõmoda ex nauigatione conſequi ſolemus.

Hic mihi ignoſcat Chriſtianus lector, quòd tam multa in hanc ſententiam conſcripſi; quia id eò factum eſt, vt planè appareret, quàm bonorum librorum lectio neceſſaria ſit, ne nonnulli, qui aliter ſentiunt, in cauſa ſint, vt de ſententia decedamus. Præterea ſi lectio doctrinę vernacula lingua conſcriptæ parum nobis prodeſſe, vel etiam obeſſe exiſtimaretur; quamnam vtilitatem, quæ ſuperiùs conſcripta ſunt à nobis, afferre poſſent?

Hæc autem Parænesis eò conducet, quò S. Hieronymi, quem dicunt Galeatum, Prologus, (in quo ſuam ſanctarum ſcripturarum verſionem probat) non ſolùm, vt hunc noſtrum librum tueamur, verùm etiam illos, quos vel nos, vel alij vernacula lingua conſcripſerunt.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM HVIVS OPERIS.

A

ABdiesus diaconus 354. tormentis crudeliter affligitur ibid.

Abraham Iudæorum parens 601. Isaac filium Deo immolat ibid. quantum ob id à Deo benedictus ibid. à famulo iusiurandum exigens cur eius manum supter femur suum poni iussit 710. id Christi diuinitatis figura ibid.

Abrahę Patriarchæ conuiuium tribus Angelis oblatum figura conuiuij Christi, quod SS. Trinitati passione obtulit 457. 458. obedientia 480. quantum promerita 661. sacrificium, quo filium immolare voluit, passionis Christi figura 526. 527. 565. in eo gladius, ignis, ligna quid denotant 527. vitulus tribus angelis oblatus Christi figura 457. & seq.

Abrahæ Chananæorũ terra promissa 697. quæ promissiones à Deo factæ 601. Iudæorum in Ægypto afflictio, quamdiu esset duratura reuelata 680.

Absolon 186

Academici Philosophorũ secta 222. in vtramque partem quæstiones disputabant ibid. scientiam esse negarunt ibid.

Accipiter aquam timet 81 hyeme quomodo pedes nocte calidos seruat 86 nobilitatem præ se fert 111. pullos quomodo venari docet 86. eius æquitas miranda 87. natura 86. 87. nobilitas ibid. obseruantia erga homines 70. pugna cum erodijs 81.

S. Acepsima episcopus ob fidem capitur 344. loris crudis ceditur ibid. in vincula conijcitur ibid. tormentis pro fidei confessione afflictus moritur ibid.

S. Acharij sociorumque passio 354. post passionem triumphus ibid. sub quo passi ibid.

Achior princeps filiorum Ammon 671. Holoferni de Iudæorum viribus sciscitanti quid respondit ibid. eius de beneficijs Dei in Iudæos collatis oratio 671.

Adagia: Nobilis vt accipiter 86. polypi naturam habet 67.

Adami primi parentis culpæ & satisfactionis pro ea Christi quæ proportio 451. 454. in ea duo inconuenientia ibid. inobedientia ibid. superbia ibid.

Adiabenorum Persidis regio 344. in ea Christianorum persecutio sub Sapore Persarũ rege 344.

Adolescentum duorum mira pro fide constantia 298.

Adonis mortem Hebrœæ mulieres luxerunt 621. cum Venus Dea maximè amauit 621.

Adrianus Imperator puerum, quo abusus fuerat, mortuum pro Deo coluit 619. & seq. 628.

Aduentus Christi omnium diuinorum beneficiorum maximum 678. eius tempus ex prophetis 680. & seq. 682. & seq. vide Christi.

F. Aegidius D. Francisci socius vnico verbo in spiritum raptus 258

Aegyptij in mari rubro submersi figura baptismi 69. allia & cepas pro dijs coluerunt 620.

Aegyptiorum ante Christi aduentum idololatria 620. 631. Christianorum sanctitas ibid. superstitio in construendis piramidibus ibid.

Aegyptij Necromantis in Iudæos deceptio 615

Aegyptus mater idololatriç 631. 636. sanctitatis & veræ religionis ibid.

Aegypti monachorum sanctitas & vita 630. 631. & seq. talis vitæ auctores qui 662. multitudo 631.

S. Aeithalas presbyter & martyr 344. tormentis crudeliter cruciatur ibid. eius brachia à corpore ita diuulsa, vt manus eneruarentur 345.

Aelius Adrianus Imperator Iudæos rebellantes deuicit 662. eos in exilium eiecit ibid. quot oppida ab ijs cæpit ibid. Hierusalem euertit 416. eam Aeliam Adriam à suo nomine vocat 662. sub eo quot Iudæorum millia interfecta ibid.

Aeneus Moysis serpens crucis Christi figura 538.

Aer Deum esse quomodo demonstrat 18. homini quid conferat 36. quotuplex est ibid. eius effectus & munia 36. & seq.

Aeschylus poeta quo genere mortis periit 72.

Aesculapius medicinæ inuentor 619. pro Deo cultus ibid

Aesculapij templum in Trinacriæ Aegea quando dirutum 264.

Aetates mundi variæ 786. virilis & perfecta post Christi aduentum ibid.

Aetatum ante & post Christi aduentum differentia ibid.

Aethiopis cuiusdam de fluminum perpetuo cursu dictum 45.

Aet[illegible]

Digitized by Google

Aethna mons 17.167.eius incendium 167.168.

Affectus cur & quid in homine 151. 152. quæ mala pepererunt 466. per Christi passionem sanati 467.468.non in vitijs vel virtutibus numerandi 153.

Afflictis propter Deum Deus semper præsto est 672.& seq 691. Christi passio solatio est 492.

S. Agatha vbi passa 267.eius martyrium 293.

S. Agathangelus 312 martyrium fugit, & quare 318. S. Clementis Ancyrani comes 321. in naui se abdens cum S. Clemente Nicomediam ad Maximianum proficiscitur 319 boum neruis verberatur 321. bestijs obiectus illæsus manet ibid. subulis acutis & candentibus in manus,& sub axillis infixis cruciatur ibid. in lapide distentus perticis percussus 322. sacco impositus & saxo alligatus in mare præcipitatus ibid. euadit, & Ancyram mittitur ibid. flagellatur ibid. 324. in cisterna viua calce impleta totum diem illæsus permanet 324. ferreo lecto super ignem positus bullienti oleo cum pice & sulphure cruciatur ibid. in igne Deum laudans perseuerat 325. in carcere quatuor annos detentus ibid. molettrina collo alligata per ciuitatem ducitur 327. Lucio Ancyrano præsidi traditur ibid. blandis verbis tentatur 327. obtruncatus animam Deo reddit 328. eius auribus ferreæ subulæ accensæ infixæ 327.in caput plumbum liquefactum infunditur 326. corpus à Sophia S. Clementis nutrice sepultum 328. ad latera accensa funalia admota 328. loquendi libertas 327. nominis interpretatio 319. precatio ad Christum pro constantia 328.

Agni in cognoscenda matre mira natura 164.

Agnus Paschalis Iudæorum Christi figura 456. 532. 533 & seq. SS. Eucharistiæ figura 534. cur assari debuit ibid. eius ceremoniæ præparationem ante Synaxim demonstrant 534. ossa ne frangerentur cur à Deo præceptum ibid. sacrificium quare institutum 781.

Agrippinus Nicomediæ præses 320. à populo lapidibus petitur,& quare 321.322 ei S.Clemens Ancyranus & S. Agathangelus traduntur 320. quibus tormentis eos afflixit 321.

Alasar filius Simeonis Rabbi Iudæorum 704.miræ sanctitatis,vt pater scribit ibid.

Albinus Iudææ præses 645 eius iniustitia ibid.

Alcoranum Mahometanorum 248.687 quæ continet 410.plenum nugis ibid. Christi & Diuæ Virginis maximæ in eo laudes 413.

Alexander Magnus animalium singularis admirator 55.pro Deo se coli iussit 619. gloriam rerum gestarum quibus obscurauit ibid ad bellum natus 55. monarchis omnibus à Plutarcho cur anteponitur 285 eius edictum de conseruanda pauone 115.elatio & superbia post victum Darium 619.

S. Alexander Phryx medicus 338.341 fidei confessionem cæteros monens ad bestias damnatur 338.eius constantia ibid.passio ibid.

Alexandriæ Iudæorum clades 647.648.

Alipius D. Augustini frater 571.

Allegoricus sacræ scripturæ sensus quomodo intelligendus 524.

Altare veteris testamenti Christi humanitatis figura 540.

Amans in corpore alieno viuit 771.

D. Ambrosij Hexameron quæ continet 8.

Ammianus Marcellinus vitam Antonini Imp. scripsit 379.

Amnonis Dauidis filij in sororem Thamar amor 257.

Amon Tabenensis monachus miræ sanctitatis 638.

Amor amoris caussa 475.beneficiorum omnium radix ibid eius caussæ potissimum tres,& quæ ibid. natura & conditio 473. 772. vis quanta 257

Amor Dei erga homines 479 480. ex Christi incarnatione apparet 476. ex pœnis,quibus peccantes in hoc mundo affligit 661.662. erga iustos quis 256 257.

Amor erga Deum verus quis 428.473 541. creaturarum pulchritudine in nos accenditur 117. homini curtam difficilis 473.474. mūdi amorem respuit 137.otiosus nunquam 483.

Amor sui ipsius omnium malorum fons 556.557. 729.quæ ex eo oriantur 556.729.

S. Ananias presbyter martyr 354 mortem timens à S. Pusice confirmatur ibid.

Ananus Iudæorū pontifex Zelotas reprimit 654. ab iis auxilio Idumæorum victus cum sacerdotibus interfectus 655.eius corpus insepultum relinquitur ibid.

SS. Anastasiæ duæ fuerunt,vna nupta, altera monasticam vitam amplexa 307.

S. Anastasia monacha in monasterium se recipit 307. à domesticis Christianam esse accusatur ibid à Sophia magistra ad martyrium animatur ibid. catena ex cœnobio extracta ad iudicem ducta 308. blandis verbis à Iudice tentatur ibid colaphis ceditur 309. nudatur coram populo ibid. desiderio martyrij flagrat ibid. flagellatur 310. tota torquetur 310. diuinitus sanatur ibid. idola execratur ibid. tormenta ridet 310. iugulata animam Deo reddit 311. quo ætatis anno passa 312. sub quo 307. male habentium patrona 311. eius corpus pectinibus ferreis laceratur 310.per aliquot dies inhumatum nec aues,nec animalia attingunt 311. Sophiæ magistræ vbi sit ab Angelo reuelatur ibid. dentes lingua abscissa eruuntur 310. 311. loquendi libertas 308. 309. mammæ abscinduntur

duntur 310 martyrium 292. 307. & seq oratio ad Deum 310. vngues digitorum euelluntur ibid.

S. Anastasiæ nuptæ vita & martyrium 307.

Anatomici quid maximè in corpore humano mirantur 94.121.

Anaxagoras cur multa ab Athenienſibus damnatus 29. Solem lapidem eſſe voluit 239 eius de ſole dictum 29.182.

Ancyra ciuitas 312. S Clementis epiſcopi & martyris patria ibid.

D. Andreæ Apoſtoli ob crucem gaudium 405.

Angelus cur hominem lapſum redimere non potuit 449. cur non vt homo poſt peccatum à Deo redemptus 445. proprio peccato cecidit 446. eius natura inuariabilis 445. ab intellectu humano percipi nequit 722.

Angeli naturâ differunt 14. Deum comprehendere nequeunt 190. & ſeq. eorum multitudo 118. potentia 141. pulchritudo 118

Anguis fœniculi virtutem nos docuit 75 in Braſilia quidam maximè venenoſus 69.

Angues in inſula Ceilan pileati maximè venenoſi 82. eorum pugna cum paruo alio animali ibid. aduerſus eorum venenum quale remedium ibid.

Anima cibum concoquit 115. corporis domina 441 quo amore in illud affecta 477. ei ſuum eſſe dat ibid. an prius quàm corpus creatur 711. Sſ. Trinitati confertur 719. bene purgata Deo obſequi ſtudet 753. immortalis 167. Dei potentiam imitatur 160 horologio comparatur ibid. hominis forma 115 actionum & proprietatum cauſſa ibid. ſenſuum & motuum principium 139.160. ſpiritalis eſt ibid. & 141 eius bona quæ 441. cur ab hominibus negliguntur ibid. calamitates & perturbationes 452. cognitio cur difficillima 10 eſſentia ab intellectu intelligi nequit 712. facultates tres & quæ 125.138.719. munia quæ 138. potentiarum regina voluntas 418. ſimilitudo cum Sacramento Euchariſtiæ 762 vnio per charitatem cum Deo 727 vnionis duæ difficultates quæ ibid. quomodo ſublatæ ibid

Animas tres nonnulli Philoſophi ſtatuerunt 125

Anima intellectiua quæ 125 ſenſitiua quæ ibid. eius duo præcipui affectus 151. paſſiones ſex, & quę 152. vna ex alia oritur ibid. vegetatiua quæ 125 nobis cum plantis communis ibid. eſt pars animæ inferior 138.

Animæ per Chriſtum ſanctificatę quãta pulchritudo 629. virtute præditæ quanta ibid.

Animarum centrum & vltimus finis Deus 729. quæ impedimenta ne id conſequatur ibid. ſanctificatio quàm præſtans bonum 629.

Animalia cur creata 96. non vt homini ſolùm ſeruirent, ſed vt eum docerent 73. hominibus in ſe conſeruando ſolertiora 57. iis in perturbationibus ſimilia 113. morbos quomodo ſanant 75 natura perfectius agunt, quàm homo arte 82. noxia cur creata 69. parua magis miranda quàm magna 90.91. 92 parua moleſtiam nobis afferentia cur creata 108. paſtum quomodo cognoſcant 60 perfecta maiorem notitiam Dei nobis adferunt 55. quæ maximè perfecta 182 quædam cur noctu ruminant 64. 65. ſibi ſimilia generant 712.

Animalium amor erga prolem 85. & ſeq. prole adulta cur extinguitur 59. mutuus inter ſe 110. arma ad ſe defendendum 78.79. & ſeq. ex cibis tam varijs diuina prouidentia apparet 57. 70. corpora morbis obnoxia 75. dotes ad quærendos cibos variæ 58 70 7 . ad ſe nutriendũ 58. 60. 64. 65. & ſeq. 71. ad prolem nutriendam 85. 86. & ſeq. finis quis 56. 441 natura Deum eſſe docet 23. 24. 25. 56. opera perfectiora hominum operibus 57 ſimilitudinem cum hominum operibus habent 56. 113. proprietates communes 57 58. & ſeq. 60. ſolertia ad ſui conſeruationem 24. 56.58. 62.63. & ſeq. 82. in fugiendo noxia 58 in prole educanda 59.85 86. & ſeq.

Animi bona corporis præſtantiora 441. 556. perturbationes quę & quantę 465. 467. per Chriſti paſſionem ſanatæ 467. 468 earum mala quæ 466

Annibalis crudelitas 732. dictum ibid.

Anni tempora cur qua uor 30

Anthimi Nicomediensis epiſcopi martyriũ 298.

Antinous in Deum ab Hadriano Imperatore cõſecratus 619 & ſeq 628.

Antoninus Pius Imperator Chriſtianis liberum religionis exercitium conceſſit 381 eius literæ ad Senatum de quodam miraculo, quod ſibi à Chriſtianis contigit 381.

D. Antonini memoria mira 144.

Antoninus Verus Imperator 184. ſub eo Chriſtianorum perſecutio in Gallia ibid.

Antonius Grammaticus gentilis Monę Deæ idolum à Chriſtianis conſeruari iniquè tulit 265.

D. Antonius monaſticæ vitæ fundator 635. eius dictum de Didymi cæcitate 94. liber qualis 6. vita à quo conſcripta 379. ei cur dies moleſtus 259.

Antonius Romanus dux, Aſcalonæ præfectus 648 eam contra Iudæos defendit 648. Iudæos bis fudit fugauitque ibid. quot millia eorum interfecit ibid

Anulus cathenæ ferreæ, quam Romana quædam mulier geſſerat, paralyticam iam morientem ſanat 389.

Apelles pictor clariſſimus 572.

Apes maximè admirandæ 101. ægrotantes quomodo curant. 104. cloacas habent, vbi ventrem exonc-

Digitized by Google

respondit ibid. gladio feritur ibid eius laus 357 libertas loquendi 338.
Auaritia ad quid hominem cogat 659. eius mala 730. 731.
Auditus sensus ad quæ conducit 147. semper patet, & quare 149. quomodo fiat 147.
Auena cur aristis caret 47.
Auerroes animæ immortalitatem negat 240. in vnius Dei cognitionem quomodo peruenit 20. Mahometanus fuit 240. Mahometum damnat 240. 276.
Aues matrimonij speciem præ se ferunt 88. quædam ex Hispania in Africam instante hyeme cur traiiciant, & elapsa reuertantur 77. quædam futura diuinant ibid earum amor erga prolem 59. in prole educanda solertia ibid in nidis construendis 60 87. in auibus cibãdis mira Dei prouidentia 57. 70.
Augusti Cæsaris in Herodis crudelitatem dictum 605.
D. Augustinus dentium dolore excruciatus diuinitus sanatur 372. in Manichæorum errore vsque ad 30. ætatis annum versatus 443. passionis Christi maximus contemplator 435. redemptionis nostræ mysterium contemplando satiari nequit 421. 581. eius dictum de Deo an sit 11.
Augustinus Eugubinus quæ scripsit 711. philosophos veteres Christi diuinitatem intellexisse docet ibid id admiratur 712.
Auicenna Philosophus Mahometanus diuinam prouidentiam in atræ & flauæ bilis natura miratur 131. Mahometum damnat 276.
Auis cuiusdã in quærendo victu mira natura 66.
Aurelianus Imperator quo mortis genere perijt 357.
Aurelius episcopus 371.
Aures cur creatæ 147. 149. in ijs cur sordes 149.
Aurum virtutis experimentum 790.
Autumnus cur æstatem sequitur 31.
S. Azadanes diaconus 344. pro fide tormentis affligitur ibid.
S. Azades eunuchus Sapori Persarum regi charus 344. martyrio afficitur ibid.

B

Baal idolum 624.
Babylæ martyris reliquiæ à Christianis iussu Iuliani Apostatæ solenniter translatæ 270. sepulchrum ibid. ob id idola responsa dare nequeunt ibid.
Babylonia ob Hierusalem euersionem quibus pœnis afflicta 664.
Babylonia spiritalis ciuitas 288. cũ Ierusalẽ bellum gerat ibid. eius arma, quibus contra Ierusalem pugnat 290. 291. incolę 288.
Bacchus quare pro Deo cultus 619.
Balsamum vnde oritur 54.
Baptismus Sacramentorum primum 469. aqua ex latere Christi lancea percusso manans 470. mortem & sepulturam Christi repræsentat 469. ex passione Christi virtutem, & gratiam habet 469. 470. eius effectus 233. Aegyptij in rubro mari submersi eius figura ibid. virtus & gratia quæ 376 469. 470. circa id miracula duo 395.
Barba cur viro data 150. vnde fit 119. 131. ad quid vtilis 150.
S. Barbaræ virginis martyrium 293. 294.
Barbosa medicinæ doctor 396. eius serua dæmoniaca Baptismo liberatur ibid.
S. Basilius Cappadociæ episcopus 266. Gregorii Nysseni frater 275. quadraginta martyrum passiones descripsit 292. eius Hexameron quæ continet 8. 63. responsum Valenti Imperatori Arriano datum 266.
Baua Batraa Iudæorum liber 703. eius ineptiæ de Dei iureiurando ibid. & seq.
Baua Mecilia Iudæorum liber ibid. in eo Deum mendacem fingunt ibid.
Beatitudo crucis Christi fructus 519. 520. & seq. omnium virtutum finis 519. in quo consistit 255. 256. duplex est, absoluta & inchoata, & quæ 254. inchoata similitudinem cum absoluta habet 256. in hac vita non obtinetur 254. 729. huius viæ in quibus consistit 255 eius centrum Deus 729. proprietas 256.
Behemoth cetus 108.
Bellum Ecclesiæ vtilius pace 281. 282.
Benedictio vera quæ 601.
Benedictiones ab Episcopis tempore Augustini datæ 371.
Benedictiones Iudæis mandata Dei obseruantibus quæ & quales promissæ 667 668. 669. quare promissæ 670
S. Benedictus vas fictile fractum renouauit 392. Apollinis templum consecrat 516. multos conuertit ibid. maledictus ab Apolline vocatur ibid.
Benedictus XIII. Papa 701. eius zelus in conuertendis Iudæis ibid.
Benefaciendum ijs, qui malefaciunt 230.
Beneficia amorem procreant 475. quæ & quanta mundo sua passione Christus contulit 476.
Berac Iudæorum liber 703. Deum Talmud tribus diei horis studere in eo fingunt ibid.
Berachot liber 702 quas ineptias cõtinet ibid. in eo Rabbi potentiam Deo detrahunt ibid. & seq
S. Bernardinus Minoritarum ordinis monachus 378. eum lumen Italiæ futurum à Vincentio Ferrer prædicitur ibid.
D. Bernardus humilis & à vana gloria alienus 377. S. Malachiæ vitam scripsit 377. 379. pueri cuiusdam brachium attractum quomodo sa-

nauit 377. ſenſus ob ſpirituale gaudium amiſit 257. viuens quot miracula fecit 377. eius cõſolationes ſpiritales in nouitiatu miræ 257. miraculum in ſuæ doctrinæ confirmationem 377. patina, ex qua comederat, ægrotanti ſanitatem reſtituit ibid.
Beſtiæ ex ſuis actionibus voluptatem capiunt 61. 62. propter homines creatæ 166. citius ad cibum ſumendum accommodatæ quàm homo 60. Martyribus pepercêre 286. 287. cur voces habent 61. earum mutua charitas hominẽ condemnat 110. proprietates aliquot 61. voluptas & felicitas quæ 61. 62. vide animalia.
Bethſamitæ ob curioſitatem inſpiciendi arcam occiſi 198.
Betulia ab Holoferne obſeſſa 671.
Bezoar gemma 48.
S. Biblis fidem abnegat 334. tormentis ad ſe redit, & fidem conſtanter confitetur ibid.
Bilis atra famem excitat 131. terrea eſt, & tamen aſcendit ibid. eius munia ibid. ſedes ibid.
Bilis flaua excrementa expellit 131. ignea eſt, & tamen deſcendit ibid. eius in cibi concoctione mira natura 130.
S. Blandina 343. beſtiis obiecta non læditur 336. & ſeq. tortores patiendo vincit 333. enſe poſt multa tormenta iugulatur 339. eius martyrium 337. & ſeq.
Blaſphemia quale peccatum 227. quomodo committitur ibid.
Boethius Seuerinus 275.
Bombyces vermiculi vnde naſcũtur 106. quomodo ibid. quàm cito 107. quomodo adoleſcunt 106. ſericũ quomodo conficiunt ibid. citò moriuntur 107. prolem quomodo procreant ibid. quamdiu viuunt ibid. earum proprietates 106. 107. virtus in conficiendo ſericó 99. 106. 107.
S. Bonifacius vulpem gallinam raptam reſtituere precibus cogit 393.
Bonitas voluntatis obiectum 475. perfectionum Dei maxima 228.
Bonis quę gloria per Chriſtum præparata 465. erga eos quantus Dei amor 474.
Bonum maximum quid 269. quid in mundo maximum 559. ſuiipſius communicatiuum 552. 712. 717. 768. eius proprietas 712.
Bonum ſummum appetunt omnes 256. in quibus conſiſtit 3. non in virtute conſiſtit 254. media ad id conſequendum quæ 442. eius cõtemplatio hominis finis ibid.
Bona ſpiritualia temporalibus præſtantiora 710. temporalia vix bona nominanda ibid. eorum vilitas ibid.
Braſilia anguem maximè venenoſum habet 69.
Bucephalus Alexandri Magni equus 113. eius proprietates ibid.

C

CAeleſtia contemplans terrena deſpicit 4. quærenda ſunt 5. 9.
Cæleſtia corpora inferiora hæc conſeruant 28. quibus priuilegiis dotata 27. 28. eorum pulchritudo ibid. magnitudo 178.
Cæleſtis vita quæ dicitur in mundo 559.
Cæli motus vnum Deum eſſe docet 17. 18. 20. 22. eo ſublato cęteri motus tolluntur 27. ex eo cætera inferiora pendent 27. 28.
Cæſarea ciuitas 643. eam Felix Iudææ præſes recuperat ibid. Herodes reædificauit ibid. de ea controuerſia inter Iudæos & gentes ibid. quot millia Iudæorum in ea occiſa, & quare 647.
Caius Romanorum Imperator Deus appellari voluit 644. ſtatuam ſuam in omnibus Deorũ templis collocari iuſſit ibid. Iudæi in ſuis vrbibus poni vetant ibid. & 677. Tiberio ſucceſſit ibid. quamdiu imperauit ibid. eius mors ibid.
Calamitates non caſu, ſed prouidentia Dei eueniunt 642. 643. communes ſemper propter peccata 642. 665. particulares non item 643.
Calculo laborantes cur tanto dolore afficiuntur 122.
Caliſtus Papa S. Vincentium Ferrer canonizauit 378. ei ab eodem Vincentio ſe ipſum canonizaturum, & Papam futurum prædicitur ibid.
Calor naturalis non ſolùm vitæ, ſed & mortis cauſſa 125. humidum radicale conſumit 126.
Cambaiæ regnum telis nobile 97.
Cameli cur longum collum habeant 71. cum matre nunquam coeunt 111. eorum caſtitas ibid. de caſtitate exemplum ibid.
Cancri arma ad ſe tuendum 79. deſcriptio ibid. victus 65. in eo cõparando mira induſtria ibid.
Candelabrum veteris teſtamenti Chriſti figura 540.
Canhedrin Iudæorũ liber 704. legi diuinæ contrarius ibid. homicidia permittit 705.
Canes bili quomodo medentur 76. pulices quomodo pellunt ibid. vulnera quomodo ſanant ibid.
Canum diuerſa genera 73. in dominos ſuos fidelitas 73. 75. 112. fidelitatis exemplum 112. memoria 144.
Canis cuiuſdam erga prolem mirus amor 59.
Canis melitæi proprietates 75.
Canis venaticus Chriſtianæ vitæ perfectionem monſtrat 73. 74. nobilibus exemplo meritò eſſet 113. eius generoſitas 113. generoſitatis exemplum ibid. proprietates 73.
Canna cuiuſdam equitis, qua piſcabatur, fracta, integra precibus redditur 392.
Capilli ad quid in capite 150.
Capiæ montanæ in Creta ſagittis percuſſæ quomodo eas extrahunt 76.
Carduelis in victu comparando induſtria 67.

Cario-

Digitized by Google

Cariophilum flos ad quid creatus 49.
Caro Christiano mortificanda 399. 500. spiritui obedire debet 500. 501. eius mortificatio voluntati humanæ difficilis ibid. & seq. aduersus spiritum rebellio 441. 442. 500. quanta mala peperit 466. 467
Carpij comes pro religionibus librū scripsit 640. eius historia de monachis in Arabia inuentis ibid.
Castitas perpetua consilium Euangelicum 230.
Castitatis exempla in animalibus 111.
Castoris ad se custodiendum mira industria 82.
Catechismi vsus & finis quis 2. vtilitas & necessitas 813 & seq 815. & seq. 820.
Cathena ferrea, quam quædam mulier Romana gesserat, miraculum operatur 389.
S Catherina virgo & martyr vbi passa 267.
S. Catherina Senensis ferrea catena se cingebat 498 communicans in ecstasim rapta 767. 773. & seq. miraculis claruit 378 ordinis Prædicatorum monacha ibid. patrem à pœnis purgatorij quomodo liberauit 477. fine cibo per tres menses vixit 379. eius confessarius quis 379. vitam quis scripsit ibid zelus in animarum interitu 655 ei animæ in gratia constitutæ pulchritudo diuinitus reuelata 629.
Catherina de Thaide Villæuiridis domus domina paralytica sanatur 391. eius laus ibid.
Catholicæ fidei præstantia à caussa 419. ab effectibus 420. à testibus ibid. eam veram esse quomodo probetur 275. 276. 419. 420. 425. 426 ex martyrum constantia 355 & seq quòd humanæ rationis facultatem superet 417. 418.
Caussæ vniuersales per particulares operantur 469. iuxta materiæ dispositionem 768. earum cognitio quantam voluptatem parit 419.
Ceilan insula angues pileatos maximè venenosos habet 28.
Cellia Aegypti eremus 637. cur sic dicta ibid. solitariam vitam degentium olim clara ibid. monachi eam inhabitantes diebus Dominicis & Sabbathis solùm conueniebant ibid.
Celtiberorum mons vulpibus plenus 65 66.
Censuras Ecclesiasticas non contemnēdas exemplum 383.
Ceræ vtilitas 99.
Cerebrum caussa sensuum & motuum corporis 143. cur in duos ventriculos distributum 152. 141 142. eius fabrica 138. 139. 142. eius sedes quæ 138 139. in eo variæ potentiæ 143.
Ceres quare pro Dea culta 619.
Ceruorum mutua inter se charitas 110. in tranando flumine solertia ibid.
Cesteus Gallus Syriæ præfectus Zabulon capit & incendit 648 Ioppen obsidione captam diripit & incendit ibid.
Ceti in conseruanda prole industria 85.
Chaldæa Bibliorum versio Iudæis aduersatur 711.
Cham Noe filius 526. patrem ebrium deridet ibid à patre maledictus ibid. Iudæorum populum designat ibid.
Chananæorum terra Abrahæ & eius semini promittitur 697. eam Dei auxilio Iudæi expugnarunt ibid.
Charitas quid 437. in Sanctis quanta 251. 290 virtutum regina 290 473. exercitatione & vsu augetur 423. eius laus 9. proprietates 541. In ea nō est medium 361.
Charitatis in proximum exempla in animalibus 110.
S. Charition S. Clementi Ancyrano in sacro seruiens obtruncatur 329.
Chelidoniæ herbæ virtus 75.
Chinę lignum seu Indicū quos morbos sanat 48.
Christianæ doctrinæ veritas & syncerita: 248. à causis 419. ab effectibus 420. à testibus ibid. quod rationem humanam superet 417.
Christiana religio à quibus nationibus primùm recepta 410. Dei opus est 419. 420 423. Xenodochium est medicinis instructum 252. tria præcipua ad virtutes medicamenta nobis præstat ibid. quæ illa ibid. & seq. eius effectus 420. quis verus iudex 248. laus 419. 420. 427. præstantia à Confessoribus qui eam confirmarint 274 275. ab Euangeliorum doctrina 248 ab idololatria, quam e mundo sustulit 262. 420. à martyribus, qui eam suo sanguine signarunt 251. 277. & seq. 288 294. 352. & seq 355 406. 420. à miraculis quibus probata 359 362. & seq. 420 à Prophetis à quibus prædicta 410 & seq. 420. à vitæ puritate, quā in illis facit, qui eam profitentur 249 ab vltimo homini bono 254. testes qui 274 276 420.
Christianæ vitæ perfectio in quibus consistit 74. 500. 581. ex cane venatico elucet 73 74 & seq.
Christiani quo amore Christum pro redemptionis merito prosequi debent 482. 483. non minus Abrahæ filij quàm Iudæi 800. infideles iniuria afficientes peccant, & quare 663. 664. an maiora beneficia à Deo quàm Iudæi acceperint 809. sacerdotium regale cur vocantur 233 res naturales & creaturas quomodo contemplari debent 7. persecutionibus augentur 406 807. eorum cur tā multi mali, cùm Christiana religio bonos faciat 252. ardor paulatim refrigescit 752. arma quæ 814 in articulis fidei ruditas 813. torpor in rebus diuinis 818. ijs aduersa toleranda 399 400.
S. Christophorus S Clementi Ancyrano in sacro seruiens obtruncatur 324.
Christus aduocatus noster apud Deum Patrem 462 animę sponsus 775. agnus cur vocetur 474. bonos quo amore prosequitur 474. 475. omnis boni auctor 550. Consiliarius ab Isaia cur di-

ctus 245 quatenus Deus pati non potuit 457. 759. Deus & homo 708 & seq 710 724. & seq Ecclesiam quantopere dilexit 629. 630. cur homo factus 448 490. 553 554. 556 727. hominem quomodo redemit 448. an humanam naturam si Adam non peccasset assumpsisset 549. eam liberè & non coactè assumpsit 726 idololatriam sustulit 686. lapis de monte sine manibus recisus, qui statuam Nabuchodonosoris confregit 625 malos quo odio prosequitur 474. 475 mediator Dei & hominum 451 mores hominum suo aduentu ad bonā frugem perduxit 626. 627. 648. & seq. sæpius mori non recusasset, & quare 759. originale peccatum non habuit 448 cur passus 568. 569 571. 572. 639 præcipuè propter peccata 471 472 quo anno 263. cur tam promptè & libenter 470 cur tam dira pati voluit 478 481. 482 patiēdo mūdū, & eius monarchas deuicit 265 268 272. 406 467. Patri quàm acceptus 462 petra est pretiosissima 434 petræ, quæ in deserto aquam dedit cur figuratus 456. cur primogenitus mortuorum vocatur 520. sacerdos secundùm ordinem Melchisedech 462. 782. sanctus sanctorum cur dicitur 451 633 sanguinem suum totum cur fundere voluit 292. sapientia nostra est 465. saluos omnes fieri vult 779. sui participes omnes fieri cupit 768 seipsum pro nobis Patri obtulit 454 pro ea oblatione quomodo à Patre remuneratus 455 cur tot tormenta præter mortem pati voluit 481.

Christi aduentus tempus ex Prophetis 680. 681. 682. & seq. amor erga Ecclesiam 629. 630 727. erga genus humanum 479 482. 481. & seq. 483. erga matrem 481 anima tribus clauis misericordiæ interius confixa 481 quæ tormenta in cruce passa ibid quibus virtutibus ornata 480. charitas quanta 480 482. cognitio religionis fundamentum 693 corpus, quibus tormentis afflictum 481. diuinitas humanitate tecta suarum perfectionum notitiam nobis communicauit 465. 474 probatur è scripturis 707. & seq. 710. rationibus 712. & seq. cā etiam philosophi intellexerunt 711 Iudæi non 707. non esse temere inuestigandam 714. fortitudo quanta 456 humanitas gloriosa 549 550 725 & seq. intellectui humano cur difficilis 289 super omnes creaturas à Deo dilecta 477. omnium creaturarum pulchritudinem superat 726. probatur 742. quibus virtutibus ornata 480 726 ea, non diuinitas passa 565 infidelibus scādalo 715. humanitatis dignitas 477 fructus qui 727. Moysis facies velo tecta humanitatis figura 463 humilitas 456. 474. 483 & seq 516. 558 571. Adami superbiæ remedium est 454 incarnatio ad amorem Dei nos perducit 474 480. Dei proprietates nobis manifestat 475. non ignominiosa, sed gloriosa 581. 725. & seq. humano intellectui difficilis 714. 718. infirmitas Martyrum fortitudo 435. mansuetudo quanta 456 606. manus cur transfixæ 482. omnia membra cur tormentis afflicta ibid. merita infinita 463. in Ecclesiam deposita 557. miracula ipsi Iudæi negare nequeunt 366. misericordia quanta 474. modestia 495 mors gloriosa 57. natura diuina cum humana quomodo coniuncta 565 eam cum humana coniungi quàm conueniens 552. 553. & seq. coniunctionis illius fructus 474. 552 553. & seq. obedientia quanta 456 480 481. 492. ea Adami inobedientiæ remedium 454. 455. passio Adami peccato quàm proportionata 456. cur tam aspera 454 Deo Patri quàm grata 456. cur diuinitati, cùm illa pati nequeat, tribuitur 457. fidei nostræ mysterium maximum. 579. intellectui humano cur difficilis 402. 406. contra vitiorum tentationes remedium 508. inutilis esset si Christus solus homo 760. passionis beneficium 476. 477 caussa 478. & seq. fructus 455. 468. 476. 639. media quę 477. ex passione quæ mundus consecutus 458. & seq. 476 patientia quàm magna 456. 493. & seq. 495. paupertas in hoc mundo 456 558. pectus cur lancea apertum 482. pedes cur transfixi ibid. perseuerantia in salute nostra operanda 456. prophetia de Ecclesiæ persecutione 414. de eius stabilitate 413. 414 de Hierusalem, & regni Iudææ euersione 415. de Hierosolymitani templi destructione 415. 416. de totius mundi conuersione 411 412. de vnguento illo pretioso, quod Maria Magdalena in caput eius effuderat 412. sanguis quàm pretiosus 465. satisfactio pro Adami peccato cur tam aspera 454 quàm grata Deo Patri 454. 456 457 silentium 494 Pilatus non temerè admiratur ibid. cum sole comparatio 33. triumphus de Diabolo & falsis Dijs 262. & seq. 265. 397. de illis qui mortem illi procurarunt 272 273. & seq. de mundo vniuerso, eiusque monarchis 265. 268 467. victoria de mundo, cum Gedeonis à Madianitis comparatur 403 de mundi principe 289 397. virtutes quę in passione splenduerunt 456 457 vita cur pauper, aspera, & humili 556. 557. 558 & seq. 728 729. & seq. 731 & seq. peccata extirpat, virtutes plantat 729 730. cur non diues & magnifica 732. voluntas in passione quàm prompta 458. 480.

Christo carnem assumere an indignum 553. redemptio quàm conueniens 451. nomen nouum imponendum ab Isaia prædictum quale fuit 709 nihil arduum vt homines lucrifaceret fuit 770

Christum Messiam verum fuisse 673. 674. 675. & seq. 697. 698. & seq humanitatem suam omnibus gratijs ornasse 725. & seq. cam as-

sumpsisse an fieri potuit 724. amore meritò prosequi deberemus 482. 483. passum esse credere miraculum maximum est 402. 407. gentibus dementia est 399.
in Christo duæ distinctę naturæ, vna persona 565.
Cibus cur homini ad vitam necessarius 125. 765. eius concoctio quomodo fit 136. 137. variæ cō-coctiones 128. 129 & seq. prima in ore 128. secunda in ventriculo 128. 129. 130. tertia in hepate 130 131 proprietates 764. 765. superfluitas quæ procreat 115.
Cicero falsos Deos damnat 276. de Deo pauca dicenda censet, & quare 713. de Sibyllarum versibus quid scripsit 695.
Ciconiæ cur longum collum habeant 61. 71 certo anni tempore ad orientem solem euolant 82. 85. vulnera quomodo sanant 76. eorum mira in parentes, & parentum in filios pietas 71. pietas ista quid nobis referat ibid.
Ciuitates spiritales duæ Hierusalem, & Babylonia 288. & seq.
S. Clara virgo stigmata D. Francisci vidit 179. per eius cœnobium D. Francisci corpus ad sepulturam deportatum ibid. eius spiritales consolationes quantæ 257.
Claudius Imperator Caio successit 644. sub eo quas Iudæi calamitates perpessi 645.
Cleanthes Philosophus num formicæ rationem habeant dubitauit 94. eius de formicarum sepultura experimentum ibid.
S. Clemens Ancyranus episcopus sub quo passus 312. ad martyrium à matre animatur 313. parentibus orbatus à pia matrona Sophia nomine educatur 314. episcopus creatur ibid. apud Domitianum Galatiæ præsidem, quod Christianus sit, accusatur ibid. ei præsentatur 315. lapidibus in facie percutitur ibid. in carcerem retruditur 316 317 321. 323. ad Diocletianum Imper. Romam missus ibid. ab eo diuitijs & honoribus tentatur ibid. tota cruciatur 317. idololatriæ finem prophetizat ibid. 328. multos ex Romanis credentes baptizat ibid. ijsdem Eucharistiam communicat 318. blandis à Diocletiano verbis tentatur ibid. neruis boum verberatur ibid. Roma Nicomediam ad Maximianum mittitur 319. à Christianis Romanis vix diuelli potest ibid. cælitus in naui cum S. Agathangelo socio cibatur 320 Rhodū peruenit ibid. à Christianis Rhodi cō-morantibus quomodo exceptus ibid. sacrum ibi celebrat, in quo miraculum contigit ibid. morbos curat ibid. 324. Nicomediam peruenit ibid. Agrippino præsidi à Maximiano Imper. traditur 320. ab angelis cælitus in carcere consolatur 321 captiuos in carcere detentos conuertit, & ex eo liberat ibid. bestijs obijcitur ibid. non læditur ibid. à populo liberatus in montem Pyram in se abdit ibid. à iudice quæsitus reperitur 322. in lapide distentus perticis percutitur 322. sacco impositus, & saxo alligatus de monte in mare præcipitatus ibid. ad litus sanus appulsus ibid. ab Angelis cælitus cibatus ibid. Ancyram in patriam remittitur ibid. Curitio præsidi Ancyræ traditur ibid. flagellatur ibid. 324 à Sophia nutrice sua visitatur 323. Amesenorū iudici Domitio traditur ibid. in cisterna viua calce impleta totum diem sine læsione permanet 324. ferreo lecto super ignem positus bullienti oleo cum pice & sulphure cruciatur 324 ad Maximianum Ancyrā remissus ibid. siti in deserto afflictus fons eius oratione erupit 324. orans cælitus consolatus ibid. Tarsum perducitur ibid. à Maximiano blandis verbis tentatur 325. in maximo igne diem & noctem Deum laudās perseuerat ibid. in carcere quatuor annos detentus ibid. sacerdoti cuidam idolorum traditur ibid. Maximo iudici præsentatur 326 super lectum multis pedalibus mucronibus distenditur, & lignis percutitur ibid. fame in carcere cruciatur ibid. Aphrodisio Persico traditur ibid. ab ipso ad cœnam opiperam inuitatur ibid. molettrina collo alligata per ciuitatem trahitur, & quare 327. perpetuo carcere damnatur ibid. à Maximino, mortuo Maximiano, Ancyram ad Luciū præsidem mittitur ibid. centies & quinquagies quotidie in facie & capite percutitur 328. è carcere à Sophia nutrice liberatur ibid. sacrum in festo Epiphaniæ celebrat, finemque suum prædicit 328. in sacro obtruncatus animam Deo reddit 329.
S. Clementis Ancyrani Episcopi abstinentia 314. benignitas in pauperes ibid. capiti galea candens imponitur 323 constantia in tormentis 315. corpus pectinibus ferreis laceratur 315 318. à Sophia nutrice sua sepelitur 329. educatio 312. 314. inuentus 314. laus 312. loquendi libertas 315 316. 317 318. 320. 326. mater Sophia vocatur 312. matris morientis ad eum oratio ibid. & seq. membra lacerantur 321. ad Diocletianum oratio 316. os ferri mucrone laceratur 317 parentes 312 passionis fructus qui 329. 330. patria 312. precatio ad Deum 316. 317 319. vulnera angeli sanant 328. ei materia S. Eucharistiæ cælitus in carcere datur 317 funalia accensa admouentur 318. subulę acutæ & candentes in manus & sub axillis infiguntur 321 eum flagellando tortores fatigantur 315. ad eum Diocletiani oratio 316. de eo quid Nicephorus historicus scripsit 312.
S. Clemens D. Petri Apostoli discipulus sub quo passus 266.
S. Cleri martyrium 292.
S. Climaci cælestia & terrena non posse simul

quæri

Creaturarum cognitio quàm difficilis 12. cõtemplationis vtilitas 26. ordo & concentus 137. quomodo nos in cognitionem Dei perducat 14.19.20. pulchritudo Dei pulchritudinẽ oſtendit 115. cum Creatore quæ differentia 176.

Creaturis quomodo Chriſtiani vti debeant 7. quomodo nos vtamur 12.112.

Credulitas vitium eſt 361.

Cretenſis quidam Iudæus ſe Moyſem fingit 663. quomodo Iudæos in Creta morantes decepetit ibid Iudæi eum interficere volentes euanuit ibid dæmonium fuiſſe creditur ibid.

Crucera virgo quædam ordinis D. Auguſtini in regno Luſitaniæ poplitibus ita contractis vt incedere nequiret diuinitus ſanatur 385. 386. à morbo epilepſiæ liberatur 386.

Crux Chriſti arbor eſt, quam Ioannes Apocalypſ. 22 in ſpiritu vidit 433. Chriſtianis potentia & ſapientia diuina 436. Chriſtianos fortes & conſtantes facit 412. à Chriſtianis quantum colitur ibid. ignominioſa glorioſa per Chriſtum facta 411. 412. iam non ignominioſa, ſed glorioſa 435. quomodo inuenta 365. Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitia ibid. nobis ſemper meditanda 437. palmæ confertur 433. ante paſſionem quàm ignominioſa 3 9 407. 411. 4 2 vexillum triumphale 432. 564. virtutibus quatuor ornata, & quæ illę 492 vtilis omnibus 521.

Crucis encomium 521 fructus varij 43 433 436. 437 458. & ſeq 460 & ſeq 463 465 469 & ſeq. 473. & ſeq. 48.. 503. 568 & ſeq 575. 579. 580. gloria quæ 411 412 521 miracula 364 365 & ſeq. 369 ſignum Conſtantino Magno Imperatori apparet 365 Hieroſolymis in cælo viſum ibid. in veſtibus Iudæorum 369. tormentum grauiſſimum 399. 411. 503 maledictum in ſcriptura dicitur 411. virga Moyſis figura fuit 433 virtutes quæ 412. 434 per eam quanta Deus operatur 412.

Crucem ſuam tollere quid 399 501.

Culicis fabrica admiranda 90. 91. odoratus maximè vigens 91. proprietates ibid

Cumææ Sibyllæ prophetia de Chriſti incarnatione 694. eam Conſtantinus Magnus admiratur ibid.

Cumanus Iudæorum præſes 645. decem Iudæorum millia ſub eo interfecti 645.

Cuniculæ erga prolem amor 87.

Cuniculorum cur tanta fœcunditas 60 89.

Cupiditas voluptatum mala 457. 557.

D. Cyprianus in vita, in morte, & in ſcriptis martyr 376. martyrum corroborator ibid. eius epiſtola de dignitate & gloria Martyrum 278. 279 & ſeq. ſermo de lapſis 376 reuelationes diuinæ ei factæ 377 perſecutiones Eccleſiæ diuinitus reuelatæ 376. cum eo 300. virorum martyrium 298.

S Cyrilli Hieroſolymitani patriarchæ literæ ad Conſtantinum Imp. de ſigno crucis, quod Hieroſolymæ apparuit 365. 366

S Cyrillus martyr paululum aquæ D. Anaſtaſiæ præbens, Chriſtianus agnitus interficitur 311.

Cyrus Perſarum rex Iudæos è Babylonica captiuitate dimiſit 684.

D

DÆmon cur Adamum primũ hominem tentauit 446 ante Chriſti aduentum ab omnibus, præter Iudæos, pro Deo cultus 411 cur in peccato à Deo relictus 445. eius lapſus diuinæ iuſtitiæ exemplum 661 potentia 141.

Dæmonia corpora humana torquent 395 è corporibus exorciſmo eijciuntur ibid eijci miraculum eſt ad fidem probandam 394. per idola ante Chriſtum reſponſa dabant 390. in obſeſſis quibus verbis maximè mouentur 395.

Dæmoniaca quædam ab epiſcopo exorcizata, nõ baptizata baptiſatur, dæmonque eijcitur 395. epiſcopo pro vino aquam in calicem fundente ridet 396.

Dæmoniacos verè eſſe 394. & ſeq.

Damaſci quot millia Iudæorum occiſa 647.

Damnandorum maior numerus quàm ſaluandorum 429. id non debet nos à fide auocare ibid.

Daniel Propheta in lacum leonum miſſus 673. culpam mortis Chriſti, & pœnam pro ea Iudæis infligendam prædicit 683. pro Iudæorum captiuitate orat 68 . quæ Meſſias facturus erat prophetat 684. vir deſideriorum 683. eius abſtinentia 682. hebdomadæ ſeptuaginta quot anni 681. & ſeq. annorum ſunt, non dierum ibid explicantur 422. prophetia de Chriſti aduentus tempore 422. 682. & ſeq. 684. maxima admiratione digna 685. Iudæis meritò conuerteret ibid. de Hieroſolymæ deſtructione 422.

Darius Babyloniæ rex Danielem Prophetam in lacum leonum impoſuit 359. & ſeq. eius de Deo vero colendo edictum 360.

Daroca ciuitas 382. in ea corporalia miraculoſa conſeruantur ibid. quomodo & vnde ad eam deuenerint ibid. & ſeq multis indulgentijs dotata 383.

Dauid rex Chriſti figura 531. & ſeq. corporis humani fabricam miratur 122. Goliath quibus armis ſuperauit 401. opera naturæ in pſalmis inueſtigans ad Dei cognitionem peruenit 6. in quanta pace regnauit 671 eius regnum quàm florens 426.

Decius Imperator S. Laurentium martyrio affecit 357. eius mors ibid.

Delphinus piſcium rex 77. æger quomodo ſe curat ibid.

Demoſthenes maximus orator 572.

Democritus Philosophus animæ immortalitatem negauit 404.

Dentium fabrica 128. munia ad cibi concoctionem ibid.

Desideria bona non sufficiunt ad virtutem consequendam 153.

Destillationes, quæ Europam anno 1580. infestarunt vnde 141.

Deus quid 4. 427. 717. adorandus potius quàm inuestigandus 713. & seq. æternus & immutabilis 666. afflictis propter se semper præsto est 672. & seq. aliquem ad aliquod munus obeundum assumens, dat ei omnia quæ ad id necessaria 594. 725. animæ centrum & vltimus finis 729. animam pluris quàm corpus facit 281. animarum sponsus 757. animas per se hominum corporibus infundit 187. bonitas prima 227. vt sua bonitate vtatur semper occasiones quærit 453. quem bonitate ad se non allicit, pœnis allicere tentat 661. & seq. infinite bonus 712. 717 bonos omnes fieri cupit 552. 717. 769. eos quo amore prosequitur 474. cælestia corpora in instanti creauit 179. castigat quos diligit 282. & seq. caussa prima 227 cum caussis inferioribus concurrit 182. colendus 167. 193. & seq. comparatus horologio 180. cum monarcha 176. & seq. comprehendi ab Angelis nequit 721. & seq. nec ab intellectu humano ibid 723. in omni creaturarum genere aliquod caput posuit 450. natura omnium Dominus 491. ipsum ex animo inuocantem exaudit 666. facere quid nequeat 724. 744. an aliquid facere possit quod ratio humana non capit 770. felicitatis centrum 767. felicitatem perenni occupatione non amittit 187. glorificatur ab hominibus morte 512. operibus virtutis & religionis 511. voce 510. 511. cur hominis creator & redemptor esse voluit 450. hominem cur creauit 439. non cum imperfectionibus, quibus nunc est obnoxius, & quare 439. & seq. 441. & seq. cur hominem à peccato redimere voluit 445. hominem redimendo de dæmone triumphauit 446. an alio modo redimere potuisset 447. ab homine difficile amatur, & quare 473. & seq. quid ab homine requirat 117. incomprehensibilis in essentia & operibus 173. 436. infinitus est 176. nisi infinitus esse non posset 723. iniustis propter iustos parcit 453. instrumentis debilioribus ad operandum magna quare vtitur 400. & seq. maximè & minus intelligibilis quomodo 721. & seq. non Iudæorum solùm, sed vniuersalis omnium 783. Iudæis quid die & nocte agat 703. laudandus cum timore 372. magnus in pœnis 661. in præmijs ibid. malos quo odio prosequitur 474. martyrum passionibus quantum glorificatur 283. & seq. tria mirabilia simul coniunxit, & quæ illa 402. mũdum sola voluntate creauit 757. quæ in mundo eadem anima in corpore agit 141. omnia ad finem consequendum rectè ordinauit 158. omnia bona fecit 443. omnia solo intellectu & voluntate creauit 718. omnia numero, pondere, & mensura quomodo creauit 440. in omni opere Deus 661. 726. in operibus gloriam suam, & hominum vtilitatem quærit 575. quàm mirabilis 100. ordinem, qui sapientiæ & iustitiæ conuenit, seruat 447. in ijs quid spectet 281. peccata quàm seuerè puniat 805. 812. quo odio prosequitur ibid. perfectio prima 227. infinitè perfectus 717. potentiam absolutam in aliquid agendo non adhibet 416. purus actus est 227. pro Romanis bellum gessit in euertenda Hierusalem 652. nihil ad nostram salutem conducens se indignum putat 770. sanctus cupit omnes sanctos fieri 552. 757. 769. spiritus purissimus 473. & seq. 718. 722. suiipsius maximè communicatiuus & quare 712. 717. suos in miserijs nunquam dereliquit 673. in testamẽto veteri quàm terribilis, quàm bonus in nouo 424. totus vbique est 179. Trinus & vnus 717. verax est 667. veritas prima 227. virtutum amator 111.

Deus Pater se ipse intelligens quomodo Filij personam producit 719.

Dei altitudo & sublimitas 582. 721. amor cur homini tam difficilis 473. & seq. erga genus humanum quis 479. & seq. erga suos similis amori mariti erga vxorẽ 797. qualis 593. & seq. assistentia generalis in omnibus creatis 188. beneficium maximũ se suã voluntatem nobis declarasse 814. beneficia in Iudæos quanta 572. 573. 668. 671. 797. an minora quàm in nos 615. benignitas erga homines 192. 237. bonitas quanta 62. 415. 474. 572. 576. ad se amandum nos cogit 767. in quibus apparet 677. bonorum omnium summa 623. in Eucharistiæ Sacramento quomodo elucet 424. in humani generis redemptione 452. 464. in Martyrum passionibus quomodo 284. 285. 729. omnium operum principium 569. 570. perfectionum Dei maxima 770. & seq. cognitio quàm difficilis 9. 10. quàm necessaria 463. 623. 814. vltimus hominis finis secundùm Aristotelem 419. intellectui nostro non inuestigabilis 721. omnis religionis & iustitiæ fons 464. ad salutem consequendam non sufficit 581. omnium virtutum origo 123. cognitionis perfectionem propter peccatum primus homo amisit 463. eam sua morte Christus nobis largitus 625. & seq. in eam quæ nos perducunt 10. 11. mundi fabrica perducit 463. ex ea amor nascitur 9. in ea quantum gaudium consistit 419. conseruatione sublata omnia in nihilũ reciderent 189. essentialia imaginari non possumus 191. glo-

riam

753. eam & Philoſophi Ethnici intellexerunt 711.

Diuites ſplendidè viuentes barbari ſunt, & quare 47.

Diuitiæ non ſunt ſummum bonum 734. nec media ad id ibid. cauſſæ & eſca malorum 556. 730. 731. ne felicitatem conſequamur impediunt 555. indifferentes ad bonum & malum 731. onera ſunt 555. 556. peccatorum materies 730. ijs qui ad perfectionem aſpirant relinquendæ 731. reſpublicas euertunt 730. Lacedæmoniorum euerterunt ibid. Romanam ibid. earum inordinata cupiditas vnde naſcitur 729. omnium malorum radix ibid 730 & ſeq. eas contemnendas eſſe, & quare 731. Chriſtiani primitiuæ Eccleſiæ contempſerunt ibid. etiam Philoſophi ibid in ijs quæ pericula ibid.

Doctoribus Eccleſiæ cur in rebus fidei credēdum 275 & ſeq.

Doctrina fidem illuſtrat 221. virtutis appetitum non coercet, nec intellectum ſolum illuminat 234.

Doctrinæ Chriſtianę duæ ſunt partes, & quæ 247. quis verus iudex 248 275 ſanctitas 229.

Doctrinæ veræ quis bonus iudex 248. 275.

S. Dominicus Prædicatorum ordinis fundator 378. Cardinalis cuiuſdam conſobrinum mortuum quomodo reſuſcitauit 377. & ſeq. eius corpus tranſlatum ibid. ſpei fiducia magna 290. zelus in animarum interitu 570. 665.

Domitianus Imperator S. Ioannem Euãgeliſtam in exilium eiecit 657. à ſuis interfectus ibid. pro Deo coli voluit 619.

S. Dorothea virgo 566 567 eius in virginitate ſeruanda conſtantia 567 laus ibid patria ibid pulchritudo ibid. reſponſum Maximino virginitatem eius tentanti datum ibid. ei Maximinus vim inferre conatus ibid.

S. Dorothei martyris, ſociorumque corpora cur in mare præcipitata 298. eius dignitas apud Imperatorem 282 297 loquendi libertas 298. martyrium ibid.

Draco quomodo ſibi medetur 76.

E

Eccleſia ex latere Chriſti lancea percuſſo prodijt 470. fidei veram cognitionē habet 227. mons quare dicitur 627. patiendo cur plantata 272. 414 patiendo tyrannos deuicit 268. 271. 272. perſecutione aucta, rebus ſecundis diminuta 807. in Sanctis canonizandis errare nequit 379. in Symbolo, Et homo factus eſt, cur tractim cantet 760.

Eccleſiæ perſecutiones cur initio Euangelij factæ 414 per totum orbem fuere 267. quamdiu durarunt 678 à Chriſto propheratæ 414. quantæ ibid. quatuordecim fuerunt 266. 295 decē præcipuè ſub decem Imperatoribus 266. 1. Neronis, 2. Domitiani, 3. Traiani, 4. Antonini Veri, 5. Seueri, 6. Maximini, 7. Decij, 8 Valeriani, 9. Aureliani ibid. 10. Diocletiani & Maximiani 296. 297. & ſeq. Iudæorum 266. Iuliani Apoſtatæ pernitioſiſſima 266. Saporis Perſarum regis 266 Valentis Imperatoris Arriani ibid. perſecutores varij 356 357. & ſeq. preces quare per Dominum noſtrum Ieſum & cæt. finiuntur 462. primitiuæ ſanctitas quanta 250. & ſeq. 403 591. 790. 803. & ſeq. primitiuæ ſtatus 250. 403. & ſeq ſtabilitas à Chriſto prophetata 413.

Eccleſiæ bellum pace vtilius 281. 282.

Eccleſiam bonos & malos ſemper habere 804. à Dei ſpiritu erudiri 235. hæretici fruſtra oppugnant 414.

Eccleſiaſticas cenſuras non contemnendas exemplum inſigne 383

Eccleſiaſtici aliquot Doctores omni ſcientia ornati 275

Eccleſiaſticis Doctoribus in rebus fidei cur credendum 275 & ſeq.

Eclipſis ſolis quando fit 362. quā diu naturaliter durat 363. vniuerſalis naturaliter eſſe nequit ibid.

Eclipſis ſolis tempore paſſionis Chriſti quamdiu durauit 362 & ſeq. ad probandam fidem vim habet 363 omnium maxima fuit ibid. miraculum maximum 362. & ſeq. paſſioni Chriſti quã reſpondens 363. vniuerſalis fuit 362. eius Euangeliſtæ meminerunt ibid de ea qui auctores Aethnici ſcripſerunt 363 in ea tria miraculoſa contigerunt, & quæ 362 & ſeq.

Edeſſa Meſopotamiæ ciuitas 271. S. Thomæ Apoſtoli reliquijs nobilis ibid. in ea Chriſtianorum perſecutio ſub Valente ibid. qua occaſione deſtitit ibid. mulieris cuiuſdam in ea mira reſpōſio ibid.

Edoardi Britanniæ regis mira continentia 258. cum aqua, qua manus lauabat, cęcis viſum reſtituiſſe 267.

Effectus ad cauſſarum cognitionem perducunt 5.

Eleazarus Zelotarum in Ieruſalem factionis dux 654.

Eleemoſyna conſilium euangelicum 231 eius effectus ibid. præſtantia ibid.

Elementa quæ magis ad agendum accommodata 140. nos in Dei cognitionem perducunt 17. quamuis contraria pacem inter ſe habent, & cur 35. propriam ſedem appetunt 36.

Elementorum dignitas & ordo inter ſe 140 natura qualis 35. ſitus conſideratione dignus ibid.

Elephas homini ſubditus 72 monocerotem timet & cur 81. quare proboſcidem habet 72. eius caſtitas 115. crurum fabrica admiranda 72.

in cua-

Digitized by Google

LIIII 3 Eunuchi

Eunuchi thesaurarij Aethiopiæ reginæ ob fidem susceptam gaudium 419.

S. Euphemia martyr 352. se prius martyrio non affi . cum esset nobilis conquesta ibid. carnifex qui eam iugulauit à leone occisus 356 iudex qui damnauit sibi suas carnes comedendo perijt ibid.

Euphrates fluuius 18.

Eurora Lusitaniæ ciuitas 385. in ea miraculū insigne ibid & seq.

SS. Eusebij, Zenonis, & Nettarij fratrum martyrium 268 corpora combusta ibid. ossa cum ossibus camelorum & asinorum mista ibid. zelus in destruendis idolis 267. vbi passi ibid.

Eustochij virginis castitas ab angelo custodita 370.

Excommunicationem non contemnendā exemplum insigne 383.

Exemplum insigne de fame 658. de redemptionis beneficij magnitudine 477. & seq.

Ezechias rex Iudæorum quanta in pace regnauit 671. eius precibus quot millia Assyriorum ab Angelo vna nocte interfecta 666. 671. & seq.

F

FAmes omnes calamitates superat 656 impudentes homines facit ibid in obsidione Ierusalem quanta 655 656. 657. & seq eius effectus ibid. de ea exemplum insigne 658

S. Felicitas martyr 353. eius septem filij ante oculos trucidati ibid. laus ibid.

Felicitas 254. in animi & corporis bonis non consistit 224 apparens quæ 561. in quibus consistit ibid. perfecta ex omni parte esse debet 225. vera quæ 561. in quibus consistit ibid. vide beatitudo. & bonum summum

Felicitatis cognitionem Deus bonis tribuit 226 perfectio quę 449 viam hominibus tradere diuinæ perfectionis est 226.

Felicitatem philosophi assequi non potuerunt ibid. quisque suo desiderio metitur 730. Varro in quo posuit 224. viribus propriis obtineri Pelagianorum sententia 232. in hac vita non acquiri, & quare Socratis dictum 561. & seq. ad eam consequendam quæ media 561. de ea Philosophorum sententia ibid. Platonis ibid. Socratis ibid.

Felis cur creata 68. excrementa cur in terram fodit ibid. indigesta quomodo se exonerat 76. cur noctu videat 61. 68. eius in quærendo victu doli & industria 68. 69. mira natura ibid. pugna cum scorpio 82.

Felix nemo in hac vita esse potest 225.

Felix Iudææ pręses 645. Cæsaream defectoribus erectis capit ibid.

Fellis sedes 131.

Femina cur duo solùm vbera, animalia plura habeant 150. & seq.

Feminæ cuiusdam nobilis de suo cane dictum 75.

Feminarum in martyrio mira constantia 352.

Ferdinandus Hispanię rex Iudæos in exilium eiecit 663.

Ferrandus de Carillo 825.

Ferrum in aqua demersum 4. Reg. 6. rursumque è profunditate emergens, manubrio suo se inserens resurrectionis Christi figura 531.

Festum corporis Christi *Darocæ* cur institutum 383.

Ficus mira natura 54. fructus vnde dulcedinem & mel habent 54.

Fides quid 438. Abrahami magna 179 quàm facile amittitur 807 808 & seq. 810. quomodo augetur 423. 424. & seq. bonis operibus 421. candela est 200. ante omnia colenda 221. credere est quod non vides 770. quomodo confirmata sit 198. Dei donum est 360 417. 423. 582. à Deo humiliter petenda 425. in Deo fundatur 197. explorator 200. legislator noster ibid. in Martyribus cernitur 197. medicamentum Christianæ religionis 252. medicus 199. & seq. miraculis comprobatur 362. & seq 425. sine operibus ad salutem non sufficit 810. supra firmam petram fundata 239. ad præceptorum Dei obseruantiam nos perducit 199 & seq. rationi innititur 198 ea quæ rationem superant proponit 222. 417. ratione humana non acquiritur 221. & seq. 580. à ratione quomodo differt 438. est rerum non apparentium 179. scutum contra calamitates & miserias 424. contra diaboli tentationes ibid. contra peccatum ibid. sol nostræ vitæ 200. stella polaris ibid. succino conferetur 199. virtus theologica 777. omnium virtutum radix 425. ad melius viuendum nos excitat 221.

Fides duplex est 197 361. acquisita quæ 197 hæreticorum est ibid formata & informis quæ 199. humana quæ 361. in medio consistit ibid. infusa quæ 197 361 Catholicorum est 197. in canone est medium 361.

Fidei articulus primus quis 13. ex articulis quomodo fructum percipiemus 252. 424. & seq. auctor Deus 197. & seq. 419. pro beneficio Deo gratiæ agendæ 418. certitudo vnde oritur 419. 421 & seq. effectus qui 420. meritum in quo positum 179. in rebus arduis maius est 198. obiectum infallibile 438. præstantiæ 222. quatuor præcipuæ 425. & seq. testes qui & quales 420. veritas quod humanæ rationis facultatem superęt 417. omnem veritatem vincit 421. virtus quæ 200.

Fidem certam & veram quid efficiat 777. vnam semper fuisse 239.

ad Fidem conseruandam remedia 426. 427. & seq.

G

Gentium ad fidem conuersio Christi maximum beneficium 622. & seq. 624. 626 & seq. 628. quàm difficilis 623. 624. quare tam difficilis 624 maximum miraculum 402. 403 & seq. quomodo procuranda 664 & seq. à Prophetis prædicta 616. 623. crudelitas in Christianos 699 706. idololatria 618. mores & vitæ genus Euangelij prædicatione mutatos mirandum 402. & seq. religio ab ipsis philosophis damnata 276. 404. sacrificia crudelissima 585. 621. quàm fœda 586. 621. status ante Euangelium 249 400. 459. post 250. 459. 460. 626. 627.

Gentes quibus Deus ad fidem conuertit 401. & seq 407.

Georgius Taidæ Visei episcopus 384.

Germani ab Antonino Pio Christianorum precibus deuicti 381.

S. Germanicus martyr 346. eius constantia ibid. martyrium ibid.

D D. Geruasius & Protasius sub quo passi 372. vbi passi 374. eorum corpora D. Ambrosio reuelata 372. 374 post ducentos & amplius annos integra reperta 372 effossa ad Basilicam transferuntur 372. 374. translationi D. Augustinus interfuit 374. in ea quæ miracula contigerunt 372 cæcus visum recipit ibid. & 374. dæmoniaci sanantur 372 liber in quo eorum martyria sub ceruical inuenitur 374

Gestius Florus Iudææ præses 645 latrocinia impunita permittit 646. eius auaritia ibid. calliditas ibid. in Iudæos crudelitas ibid. sub eo Iudæorũ a Romanis defectio incœpta 646. quot Iudæorum interfecti ibid.

Gloriæ inordinatus amor vnde nascitur 729 eius mala ibid.

Goæ archiepiscopus Hieronymi de sancta fide libros ex lingua Latina in Lusitanicam conuertit 701.

S. Gorgonia Gregorij Nazianzeni soror 376. à morbo insanabili diuinitus orans sanatur ibid. eius castitas ibid. mira fides ibid. ossa naturali loco dimota oratione sanantur ibid.

D. Gorgonij Martyris honor apud Imperatorem 282. 297. loquendi libertas cõtra Imp 298. martyrium ibid.

Gothi fidem quando susceperunt 404. & seq.

Græcia sapientię schola 591. eius monachorum vita 638. 639.

Græci ad bellum profecti humanum sanguinem Dijs sacrificarunt 621.

Granatum pomum omnium fructuum rex 52. 53. Dei prouidentiam ostendit ibid. eius elegans descriptio 52.

Gratia per Christum data 466 468. secundùm hominis dispositionem datur 137. & seq. passionum nostrarum domitrix 466. 467. eius effectus qui 195. tres præcipui 466. opera ad quæ homini 5.6. ad Dei cognitionẽ perducunt ibid. ea amissa charitas amittitur 506.

D Gregorius Nazianzenus Constantinopolitanus archiepiscopus 375 D. Hieronymi præceptor 376 Theologus dictus 375.

Gregorius Nyssenus Basilij Magni frater 275.

D. Gregorius Papa animi deliquio affectus ieiunare nequit 374. Dialogorum librum de sanctorum Italicorum vitis conscripsit 374. ei ad ieiunandum vires sancti cuiusdam viri precibus diuinitus dantur ibid.

Gregorius Ponti episcopus 397. in templo Apollinis pernoctans eum mutũ reddit ibid. Apollini epistolam scribit ibid. de eius virtutibus & miraculis Eusebius scripsit ibid.

Gregorius de Thaide Visei episcopus Henrici Lusitaniæ regis capellanus maior 395. dæmoniacam exorcizat ibid. eam non baptisatam baptisat, & sic dæmonem eijcit 396. in sacro aquam pro vino in calicem fundens dæmon ridet ibid.

Grues cur longum collum habent 61. vigilias inter se nocte distribuunt 83 gruum mutua inter se charitas 110. in transuolando mari industria ibid in vitandis periculis 83. 84.

Gueuera doctor 390.

Gulę voluptas breuis 148.

Gustus vnde oritur 147. eius cum alijs sensibus differentia 148 obiectum quod 441. voluptas breuis 148.

Gutta aquę in puluerem cadens cur in sphæram se recipiat 36.

Gutturis fabrica 129. in ea cur duæ fistulæ ibid. vna est stomachus ibid semper clausa est. & quare ibid. altera per quam spiramus ibid. semper aperta est ibid. eius fabrica ibid.

H

HAdrianus Philosophus Antinoum in Deum consecrauit 628.

Hæretici suas hæreses sacra scriptura confirmare contendunt 824. Ecclesiam frustra oppugnant 414. eorum dogmata cur multi tam libeter amplectantur 417. eos iniuria afficere an Catholico liceat 663. & seq.

Halcyones dies vnde dicti 88.

Halcyonis in construendo nido ad mare mira natura ibid.

Halin Iudæorum liber 704. eius ineptiæ de Ioseph Patriarcha ibid.

Hametes quidam captiuus Mahometanus Christianus quomodo factus 825.

Hauoda Saza Iudæorum liber 703. quas ineptias continet ibid. Deo sapientiam adimit ibid.

Hebdomadæ septuaginta Danielis annorum sunt 641. 683. quot anni 422. 683.

Hebdomadarũ duo genera in sacra scriptura ibid.

Hebræi maximè superstitiosi à gentibus cur habiti 624. vide Iudæi.
Hebræorum in Aegypto captiuitas mundi sub peccato captiuitatis typus 434. regnum quàm antiquum 599 641.
Hebrææ mulieres Adonis mortem in templo Hierosolymitano luxerunt 621.
Hebræus quidam iuuenis quibus rationibus ad Christianam fidem perductus 675.
S. Helena Imperatrix Constantini Magni Imperatoris mater 576. eius humilitas quanta ibid.
S. Helenæ insulę fertilitas 40. situs mirabilis ibid.
Heliopolis Aegypti ciuitas 621. in ea tres homines Dijs quotidie olim immolabantur ibid.
Henricus VIII. Angliæ rex cur Carthusianos libris spoliauit 819.
Hepar quomodo ad se cibum trahit 131. eius ad cibi concoctionem munia 130. & seq. in eo tertia fit concoctio ibid.
Heraclius Imperator pacem à Persis petit 358. tribus prælijs eos deuicit 358. crucem Christi reportans Hierusalem ingredi nequit & quare 365. eius in rebus gerendis felicitas 358.
Herbæ animalibus ad pugnandum vires præbent 82. nos ad amorem Dei prouocant 48.
Hercules quare pro Deo cultus 619.
Herinaceus marinus quomodo tempestati resistit 77. 84. eius in diuinando tempestatem futuram virtus 77. & seq.
Herinaceus terrestris quomodo se defendat 67. quomodo victū sibi comparet ibid. eius in colligendis pomis industria 67.
Herodes primus rex Antipatri Idumæi filius 168. 689. à Deo ob scelera quomodo punitus 168. 169. ardore, neruorum contractione, spirandi difficultate, vermibus, vlceribus ibid. filios tres interfecit ibid. & 356. innocentes pueros ibid. Iudææ principes occidi curat, & quare 169. se ipsum confodit ibid. 356. eius regnandi cupido 168. crudelitas ibid. & seq. mors horrenda ibid.
Herodes Secundus Ascalonita tres turres Hierosolymæ construxit 652
Herodes Quartus Agrippa Aristobuli filius 169. 356. Iacobum Apostolum gladio percussit ibid. Petrum incarcerauit ibid diuinos honores sibi sumens ab Angelo percussus ibid. vermibus corrosus interijt ibid.
Hieremias Propheta 281. in vtero matris sanctificatus 725.
Hieron Siciliæ rex à Simonide Philosopho quid Deus quærens quid responsi tulit 722.
Hieronymus de sancta fide 701. medicus Benedicti XIII. Papæ ibid. Iudæus fuit ibid. Christianus factus duos libros iussu Papæ contra Iudæos scripsit ibid.
S. Hieronymus S. Hilarionis vitam conscripsit 379. quarum linguarum peritus 275 quando natus 404. eius tēpore totus mundus ad Christum conuersus 404 & seq.
Hierusalem spiritalis ciuitas 288. cum Babylonia bellum gerit ibid. eius caput quis ibid. duces quibus armis instructi 289. 290 incolæ qui 288. victoriæ de Babylonijs 289.
Hierusalem quàm munita fuit 273. à Vespasiano aggere circundata 415. agger quàm magnus 415 quatuor diebus confectus ibid. oppugnata 273. quot millia Iudæorum sub ea obsidione perierunt ibid. captiui ea expugnata quot 273. diruta & solo æquata ibid. & 415. post Christum quo anno 415. vide Ierusalem.
Hierusalem bellum ciuile 647 Romani milites in eo interfecti ibid. euersio Christi gloria est 641. nostram fidem confirmat 642 à Christo prædicta 415 & seq. 417. 426. 641 à Daniele 685. à Prophetis 641. vltima Aelij Adriani fuit 416. euersionis consideratio ad quatuor vtilis 692. ante euersionem calamitates 273. 644. 645 & seq. fames in obsidione quanta 273. 690. à Romanis defectio quando & quare incepta 646 templum post Babylonicam captiuitatem gloriosius fuit, quàm quod à Salomone conditum, & quare 689. destructum à Nabuchodonosore, post 70. annos reædificatum 416. à Vespasiano destructum reædificari non potuit 416. 426. cur radicitus euulsum 782. incensum 273 416 templi destructio à Christo prophetata 415. & seq. 417 à Daniele 422 reædificatio sub Iuliano Apostata incepta 368. & seq. cur intermissa 369. diuinitus impedita 782.
D. Hilarionis vitam S. Hieronymus conscripsit 379.
Himetius eques Romanus Eustochij virginis patruus 370. eam ad nuptias perducere tentans diuinitus punitur ibid.
Hippicus turris ab Herode Ascalonita in memoriam amici Ierosolymæ ædificata 652.
Hippocrates medicus 572.
Hirundo chelidoniæ herbæ virtutem nos docuit 75. diluculo nos excitat 88. eius formatiua virtus vnde 186 gratitudo 88. in construendo nido mira solertia 58. 87. 88.
Hirundines hyeme ex Hispania in Africam traijciunt 58. earum copia in Hispanijs mense Maio 57 in procurandis ijs cibis diuina prouidentia miranda ibid.
Holofernes Nabuchodonosoris præfectus 671 Betuliam obsedit ibid eius de Iudæorum viribus consultatio ibid.
Homerus Græcorum principibus certos Deos fingit 165.

Mmmmm Homo

Homo quid 773. anima & corpore constat 441. animal politicum & societatis amicum 563. arbori confertur 163. belluis se similem facit 442 & seq. bonus alios bonos reddere studet 570. nil nisi carnale amat 474. ex Christi passione quantam gloriam & dignitatem consecutus 460. & seq. quàm nobilis creatura 442. creatura rationalis 233. omnis creatura à D. Gregorio appellatur, & cur 119. creaturarum vilissima respectu carnis, præstantissima respectu animæ 553 cur creatus 439. non cum illis imperfectionibus, quibus nunc obnoxius, & quare 439 440. & seq. 442. contra illas imperfectiones quæ adhibenda remedia 439 Ciceroni ad quid creatus 248. ad contemplandum 5. ad Deum amandum 9 cur die sexto post alias creaturas 119. quare Dei imago dicatur 156. 157. quot modis ad Dei imaginem dicatur factus 157. ad imaginem Dei, & simul ad similitudinem factus cur dicitur 161. Dei inimicus propter peccatum 446 Dei perfectiones melius quàm mundus docet 119. Deo septem potissimum de caussis inseruire debet 491. Deum cur tam difficile amat 473. & seq. Deum quibus modis glorificat 510. & seq. Deum in modo operandi imitatur 152. Deum vnum esse quo modo docet 22 cur erectus 148. sine fide viuere nequit 196. & seq. à fine suo aberrat 233. 442. cur hominem lapsum redimere non potuit 447 & seq 449. cur intellectu & ratione præditus 56. cur naturaliter moritur 126. minor mundus dicitur, & quare 118 & seq. natura variabilis 445. per se peccare potuit, sed non seipsum à peccato redimere 449. post peccatum qualis relictus 444 445 propter peccatum à Deo diuisus 451. cur cum sit creatura rationalis à ratione maximè aberrat 440. cur à peccato redemptus, angeli autem in peccato derelicti 445 446 quanto pretio redemptus 453 voluntatis corruptione quàm intellectus magis peccat 466.

Hominis anima & corpus quomodo inter se differunt 441 arbitrium liberum est 157 428. cæcitas quanta 83. ex Christi passione dignitas & gloria 460. & seq finis quis 5. 441 773. ingratitudo erga Deum 74 83 & seq. 106. 114. intellectus imbecillitas quanta 711. & seq 723. miseria 108. partes duæ, & quæ 595. perfectio in imitando Deo consistit 495 duæ præcipuæ potentiæ intellectus, & voluntas 398 418. præstantia respectu animæ 553 salus Christi voluptas 758. status ante Euangelium 249. propter peccatum 582. vilitas 773 vox tibiarum, cæterorumque instrumentorum voces superat 135.

Homini fidem præstamus ob tria, & quæ 275. soli inferiora creata 2. 19. 27. 96. 107. proprium secundum rationem & virtutem viuere 440.

Hominem à Christo redimi quàm conueniens 451. & seq cum Deo charitate vniri summa felicitas 727.

Homine nihil admirabilius 22. malo nihil peius 443.

in Homine cur appetitus, & non ratio dominatur 440. & seq in homine Christiano duo lumina fides, & ratio 438.

Homines bonum & felicitatem naturaliter appetunt 223 in angustijs constituti cur ad Deum confugiant 16.

Hominum medicinæ communes 76. mores ante Christum quales 627. & seq. per Christum ad bonam frugem perducti 626. vultus diuersi 51

Honor rerum præclarè gestarum caussa 151. ad virtutes nos adducit ibid. in virtute consistit 153. 557. eius inordinatus amor vnde nascitur 729 quæ mala parit ibid. & 557.

Hulin Iudæorum liber 703. instituta legi diuinæ & humanæ contraria continet 705. in eo Deo peccatum tribuitur 703.

Humanæ naturæ imbecillitas in contemplandis spiritualibus 473 quomodo sanata 474. morbi & passiones ex originali peccato 440 442. 443. quæ remedia contra ea adhibenda 439.

Humanitas Christi omnium creaturarum pulchritudinem superat 726 quàm gloriosa 408. 540. & seq. 548. & seq. 550. & seq. 725. quibus gratijs & virtutibus dotata 726. homini quantam dignitatem & gloriam contulit 460 infidelibus scandalo est 725. intellectui humano difficilis 309 eius dignitas 477. fructus 552. 727 & seq. perfectio & pulchritudo quanta 549. 550.

Humiles cur tam pauci 488.

Humilitas difficulter acquiritur 488. sapientiæ mater 687 superbiæ remedium 488. virtutum fundamentum ibid. ei fortitudo iungenda 490.

Humilitas Christi quanta 456 488. & seq. 490.

Humores corporis humani quatuor & qui 126.

Huni quando fidem receperunt 404.

Hydropicum appetitus decipit 155.

I

S. Iacobus maior Apostolus decollatus 266. vbi passus 651.

S. Iacobus minor Hierosolymitanus primus episcopus 660. præcipitatus ibid.

Iacobus Patriarcha Isaac patri vinum & cibum exhibens Christi figura 527. cibus quid mysticè ibid vinum quid 528. hædorum pelliculæ quibus tectus quid ibid. eius claudicatio quid designat 793 lucta cum Angelo Christi passionis figura 528. de Christi aduentu prophetia 602.

602. 629. erga Rachel amor Christi amoris erga Ecclesiam figura 629.

S. Iacobus presbyter tormentis pro fide affligitur 344.

S. Ianuarius martyr iugulatus 384. vbi passus ibid. eius caput in maiori ecclesia Neapolis conseruatur 385 sanguinis aliquantulum in ampulla ibidem seruatur 384. sanguis ille durissimus capiti appropinquans liquefit 385. seiunctus iterum durescit ibid.

Iapha à Vespasiano obsessa & capta 649. eius incolæ præter fœminas & pueros cæsi ibid. quot millia in ea interfecta ibid.

Ibis auis clysteris vsum nos docuit 75.76.

Idola gentium quomodo responsa dabãt 397 post Christum passum responsa dare nequeũt ibid. Dæmones per ea locuta ibid.

Idololatria quomodo sublata 263. malum maximum 209. quale peccatum 797 grauissimum 262. in Deum iniuriosissimum ibid. vniuersale ibid. peccatorum omnium caussa 249. 262 400. 622. 627. 628. eius mala quæ 263. subuersio à Christo prædicta 411

Idololatriam ante Diluuium fuisse 262. Christus sua morte sustulit 385. 622. 624. 688. sustulisse maximum beneficium 263. 688. tollere quàm difficile 624. ea quod peccatum grauius 274. ad eam subuertendam quibus instrumentis Deus vsus 401 405. ad eam Iudæi maximè propensi 675 ij ob eam quomodo à Deo puniti 797.

Idumæi Zelotis sub obsidione Hierusalem in auxilium veniunt 653. nobiles quosque trucidãt 654.

Iecur in humano corpore promi officium subit 133. eius in cibi concoctione munia ibid.

Ieiunia monachorum primitiuæ Ecclesiæ 562. & seq. diuturna in occidentalibus regionibus esse nequeunt 563.

Ieremiæ Prophetæ eloquentia 244 & seq.

Ierusalem quo tempore & à quo primùm condita 660. 661. à Dauide quando reædificata 661. à Tito Vespasiano quando euersa 660. Aelia Adria ab Adriano Imperatore vocata 662. iustitiæ diuinæ exemplum 659. quàm munita 652 tribus muris circundata ibid à Tito Vespasiano obsessa 651. quando 655. quare circa festum Paschatis ibid. cùm obsessa fuit quot hominum millia in ea fuêre ibid sub obsidione ciuile bellum 652. & seq. 654. & seq. in tres factiones diuisa 654. factionum in alios ciues crudelitas 655. & seq. 657 fames quanta 655. & seq. 657 & seq femina quædam proprium filium coxit & comedit 658 pacem oblatam respuit & quare 651. eius descriptio 652. euersio à Christo prædicta 658. prodigia & visiones euersionem minitantia 660. latitudo 652 muri & ædificia solo æquata 660 regni destructionis caussa 426. templum quàm munitum 652 turres ibid. quot hominum millia in ea perierunt 658.

Iesus quidam Anani filius rusticus euersionem Ierusalem prædicit 660. flagellatus nil nisi væ Hierosolymis clamat ibid. eius voces per vicos Ierusalem proclamatæ ibid.

Iesus non est nomen, quod ab Isaia Christo imponendum prædicitur 709 illud audienti quid perpendendum 7:8

Iesu pueri imago in Eurora Lusitaniæ oppido 385. duo per eam miracula facta ibid. & 387.

S. Ignatius S. Ioannis discipulus sub quo passus 266.

Illesca historicus 384. Eucharistiam patinæ affixam, & per 120 annos incorruptam conseruatam Formestæ se vidisse scribit ibid.

Imaginatio rei non sic vt res ipsa mouet 771.

Imaginatio sensus in homine 143. eius munia ibid. sedes ibid ea terribiliter nobiscum diabolus pugnat ibid.

Imaginis pueri Iesu miracula 385 387. 388.

Imaginem colere an liceat 801. 802. non esse idololatriam 801.

Imaginum vsus in Ecclesia quis ibid. cur Iudæis in veteri testamento interdictus 802.

Imperatores Romæ coronantur 269

Incarnatio Christi quantum beneficiũ 475. & seq. Dei proprietates quomodo nobis manifestat ibid ad Deum amandum nos excitat 473. & seq. 554. non ignominiosa, sed gloriosa 581 726. per Prophetas prædicta 549. 693 per vates gentilium 693. sacramentum magnum ab Apostolo vocatur 475. eius fructus qui 554. mysterium intellectum humanum superat 718 in ea tres substantiæ, vna persona ibid.

Incredulitas in scriptura maximè reprehenditur, & quare 361. in eam cur D. Thomas Apostolus incidit ibid.

Indi Dijs suis homines sacrificarunt 621. occidentales corde pueri faciem idoli sui vngebant ibid. orientales adhuc homines immolant ibid

Indus fluuius 18 eius natura ibid.

Industria viribus præualet 82.

Infidelem iniuria afficere an Christiano liceat 663. 664 qui malè tractat, grauius peccat, quàm qui proximum, & quare 664.

Infideles, quibus non est prædicatum euangelium, cur condemnantur 429

Infidelium conuersio quomodo procuranda 664.

in Infinitum progressus non est 14. & seq.

Infundibulum cur in capitis parte inferiore 147.

Ingenium nostrum quale 5.

Inhumanitas quale peccatum 231.

Iniustorum pœna cur æterna, cùm peccatum sit

Digitized by Google

re 553. eius de hominis dignitate dictum ibid.

Iudæa à Petronio Syriæ præfecto afflicta, & quare 644. eius præsides à Romanis constituti tyranni fuerunt 645.

Iudæi Alexandria eiecti 663. an propter vituli in exitu Aegypti adoratione adhuc ita affligantur 679. ob mortem Christi ita affliguntur 678. & seq. 700. Ascalonam ciuitatem oppugnantes ab Antonio Ascalonæ præfecto victi & dissipati 648. bonis teporalibus lactati 787. Caij Tiberij statuam in suis vrbibus, & templo poni vetant 644. 677. pro eo sacrificia faciunt 644. Christi diuinitatem percipere nequiuerunt 707 in eius paupertate & humilitate offenduntur 728. 730. Christo soli sacrificandu prodigijs victi confitentur 369. Christum recipiẽtes maximis à Deo beneficijs affecti 662. cur nonnullis cibis tanquam sordidis abstinere iussi 787. Deo in suo Talmud peccatum tribuunt 703. potentiam detrahunt 702. sapientiam & veritatẽ 703. à Deo derelicti 671. à Deo præ cæteris nationibus electi 789. dissipati ab Adriano Imp. 274 à Traiano ibid. à Valente ibid exules & dispersi per orbem 274 ad fidem beneficijs perducendi 706. à Ferdinando rege ex Hispania in exiliũ eiecti quas calamitates passi 663 gentiles summo odio persecuti 624. ad idololatriam maximè semper propensi fuere 573. 675. 677. 714. 802 ob idololatriam quomodo puniti 586 797. idola vel amore, vel timore coli peccatum non esse docent 704. idolis filios & filias immolasunt 675. 677 679. legem Dei obseruantes multiplicati, relinquẽtes diminuti 705. & seq. leges peruersas, & iustitiæ aduersantes in Talmud ferunt 705 Messiam adhuc exspectant 589. qualem 589. 728. 730. & seq. 732. belligerantem, & sanguinolentum 732. quibus miserijs ob Christi mortem afflicti 272 & seq. 274. ab omni natione contempti 665 & seq. onagro cur ab Isaia collati 573. 675. 677. 679. ob peccata quomodo à Deo puniti 805. & seq afflicti ad Deum conuersi semper adiuti 666. 668. 669. à Pilato fustibus cæsi, & quare 644. regem ex semine Dauid ad montes Caspios se habere fingunt 682. Romano imperio, à Romanis præsidibus vexati rebellant 272. & seq Romanis militibus fidem datam frangunt, eosque trucidant 647 stercora in obsidione Hierosolymitana quanti vendiderunt 657. maxime superstitiosi a gentibus habiti 624. suum Talmud non seruantes capite plectunt 702. & seq. templum Hierosolymitanum sub Iuliano Apostata reædificare tentãt 369. diuinitus tribus prodigijs prohibẽtur 369. 782. & seq timidi sunt & quare 691. à Traiano Imperatore deficientes quas clades passi 662. tributis & exactionibus ab omni natione afflicti, & quare 274 Trinitatem negant 590 à Vespasiano quomodo domiti 273 in quodam oppido ab eodem obsessi se mutuo interficiunt 650 pacem ab eodem oblatam respuũt & quare 651.

Iudæorum in Aegypto afflictio quàm diu durauit 680 ab Aegyptiaca seruitute liberatio Dei opus 697. ante Babylonicam captiuitatẽ peccata & scelera quæ & qualia ex Prophetis 675. 676 bellum ciuile sub Hierosolymitana obsidione 646. 647 652 & seq. cæcitas quanta 686. 705. lachrymis deploranda 686. calamitates ob Christi mortem quæ 700. à Prophetis prædictæ 795 & seq. sub Claudio Imper. quæ 645. ante obsidionem Hierosolymitanam quæ 644 & seq 647. 650. in obsidione quæ 651. & seq. 653 capta vrbe quæ 659. euersa vrbe quæ 661. & seq 663. captiuorum ventres à Romanis & Syrijs aperti. & quare 659 Christianorum sanctitas 591 clades maxima quæ 659. ab Aelio Adriano Imperatore accepta quæ 662. Alexandriæ quæ 647. & seq 663 Ascalonæ quæ 648. Damasci ibid. Gadaræ 651. à Gallo Cæsare 663. Gamalæ 650. ad Ioppen 649. in Ptolemaide 647. in Scythopolitarum ciuitate ibid. Tyri ibid. à Traiano Imp. 662 sub Valente Arriano 663 error ex pœnis, quibus à Deo affliguntur, apparet 661. & seq 663. exilium sub Nabuchodonosore quare contigit 675. 676. quamdiu durauit 677. per vniuersum orbem euersa Hierusalem quale 665 & seq. à Prophetis prædictũ 670. fames in obsidione Ierosolymitana quanta 655. & seq 657. & seq fame magna pars perijt 657. fides ante & post Christi aduentum essentialiter eadẽ 799. Gens quàm antiqua 409. ante Christi mortẽ nobilissima, nunc abiectissima 674. 700 in obsidione Hierosolymæ quot millia perierunt 273. 690 quot capti 273. quot pro seruis diuenditi 659 incredulitas 677. & seq. ingratitudo erga Deũ 84. 573 678. inobedientia 678 legis ceremoniæ inter eos & gentes diuisionis murus 624. quot ab Ascalonitis interfecti 647. quot Cæsareæ ibid. quot sub Claudio Imper. 645. sub Gestio Floro præside 646. Messiam temporalem, diuitem, & potentem expectantium error 730. & seq. 732 nomẽ olim clarum, nũc ignominiosum 666 691. parricidium 678. peccatum Christum occidendo quàm graue 677. 697 in eo omnia peccata concurrerunt 677. & seq. populi partem in Christum credituram, partem nõ à Prophetis prædictum 593. & seq. preces in quibus à nostris differunt 597. regnũ quàm antiquum 641. antiquius Romanorũ 426. quando incepit 641. quàm florens sub Dauide 426 sub Herode primo 674 sub Iosaphat 426 sub Salomone ibid. in quatuor regna post Herodem distributũ 674.

L

à Deo

à Deo iussi 815. semper secum ferre 815. seruare quantum referat 241. pro lege persecutionem & mala sustinentibus Deus semper præsto fuit 672. & seq.

Libri hæreticorum errores & Theologorũ quæstiones continentes vernacula lingua non conscribendi 820. nec sacræ Scripturæ, & quare ibid. pii & bonæ doctrinę an scribendi ibid.

Librorum piorum lectio quam vtilis 823. obiectiones & cauillationes contra eam soluuntur ibid. & seq. exemplis bonam & vtilem esse probatur 816. & seq. 825.

Licinius orientis imperator à Constantino Magno victus & occisus 358.

Lignum quod aquas amaras in dulces conuertit Crucis Christi figura. 510.

Lilij pulchritudo admiratione digna 46.

Lingua cur humida & meatuum plena 147 cur sine sapore ibid. ad vocem quid confert 135. & seq. eius in cibi concoctione munia 128 in sapores distinguendo 144.

Litigandum non esse Christianis 231.

Loqui soli homini conuenit 136. quibus instrumentis loquimur 135. & seq.

S. Lucia vbi passa 267.

S. Lucianus martyr 362. fidem eclipsi solis, quæ in Christi passione contigit, defendit ibid.

Lucifer stella 180.

Lucretia Romana immeritò celebrata 566. pluris honorem quàm castitatem fecit ibid.

S. Ludouicus Galliæ rex 285. classem ad terram sanctam oppugnandam misit 576 pauperum pedes lauit ibid. ducenti pauperibus cibum administrauit ibid

Ludouicus Granatensis de diuino amore duos libros scripsit 473

Ludouicus Lippomanus octo libros de Sanctorũ vitis scripsit 630.

Lugdunum Galliæ ciuitas 311. eam Rhodanum flumen pertransit 330. quot millia Martyrum in ea occisa 353.

Luna aquis & humidis dominatur 34. mari ibid. lumen vnde habet 18. quàm magna ibid eius effectus qui 34 munia quæ ibid.

Lupi cur tam pauci 69. eorum erga prolem amor 87. mutuum inter se auxilium 110. in flumine tranando solertia 110. in victu quærendo 69.

Luscinia ex cantu voluptatem percipit 62.

Lusitaniæ regnum ventorum beneficio peste liberatum 39.

Lux omnium rerum corporalium subtilior 141.

Lydius lapis aurum probat 790.

Lysiæ oratoris laus 121

M

MAgi sub Sapore in Persia quomodo Christianos afflixerint 341. 343. 344.

S. Magos seu tres reges Christum quæsiuisse mirandum 360. stella non solùm ad Christũ perduxit 361.

Magnetis admiranda virtus 43. 48. 126.

Mahometani quid cum Christiano commune habent 699. Christianos nomine Christiani non persequuntur ibid. Christum quantum celebrant 413. Christi diuinitatem cum Arrianis negant ibid. D. Virginem quantum faciant ibid. matrem Dei negant ibid. vnum Deum colunt ibid. ad Paradisum voluptatibus corporis plenum aspirant 732. Sanctos venerantur 699.

Mahometanorum religio quàm absurda 410. à Christianis quæ habet, ibid à Iudæis quæ ibid. quæ docet & statuit ibid. quæ carni grata docet 417. fornicationem non esse peccatũ vult 410. legum omnium farrago ibid. ab ipsorũ Philosophis damnata 476. à quibus primum suscepta 410. quo quot vxores quisque alere possit, ducere permittit ibid. in ea nihil intellectui humano difficile 409.

Mahometanos iniuria afficere an Christiano liceat 563. 664.

Mahometanos facilius quàm gẽtes posse conuerti, & quare 699.

Mahometus Christum celebrans Christianos à fide auertit 706. Epicureæ scholæ & Arrij discipulus 410. hæreticorum princeps 417. partẽ lunæ sibi in manicam cecidisse fingit 410. corporis voluptatibus deditus ibid. religionem armis stabiliendam docuit 732.

Maiestas Dei considerata nos ab illius offensione coercet 172. omni eloquentia maior 177. incomprehensibilis 176. & seq.

S. Malachias episcopus 377. in Clareuallis cœnobio sepultus ibid eius vitam D Bernardus conscripsit 377. 379. in sepultura quod miraculũ contigit 377.

Mala pœnæ non casu, sed prouidentia *Dei* eueniunt 642. communia semper à peccatis proficiscuntur ibid. particularia non item 643.

Mali cur non omnes in hoc mundo puniantur 356. ijsque pœna manet ex Christi passione elucet 465. eos quo odio Deus prosequitur 474. & seq.

Mandatorum Dei obseruatoribus quæ bona in scripturis promissa 667. & seqq. 669. quanta Deus semper præstitit 671. 672.

Mandragora herba venenosa 76.

Manichæorum error quis 443.

Manna omnes sapores in se habebat 504. Eucharistiæ figura 541.

Mantile quo Crucifixus cœnobij S. Dominici Porti ciuitatis præcinctus fuerat puellæ cæcę visum restituit 389 & seq.

Manus à cibo cur frigescant 130.

Mare Deum esse quomodo docet 18. 40. quod terram

Digitized by Google

genus

genus, principium & finis vitæ ignoratur 782. sacrificium panis & vini Eucharistiæ figura ibid.
Meletinæ persecutio Ecclesiæ 298 & seq.
Mellis vtilitas 99.
Membrum quodque in corpore humano quod sibi accommodatum ad se trahit 126. proprium & peculiare munus habet 127.
Membra corporis humani quomodo augentur 126. ad cibi concoctionem quæ necessaria 128. 129 & seq.
Membrorũ corporis humani calor ad cibi concoctionem in ventriculo se recipit 130. tres facultates quæ 126. vnio & coniunctio inter se ibid.
Memoria in homine perfectior quàm in bestijs 144 singulare Dei beneficium ibid. eius commoda & laus ibid. potentia quanta ibid. & seq. sedes 143. pro ea Deo gratiæ agendæ 145.
Memphis Aegypti ciuitas 631. ad eam pyramis stupendæ altitudinis ibid. monachorum in ea multitudo 637. Patriarcha Ioseph triticum in ea collegisse dicitur ibid.
S. Mena monachus 375. quinquaginta annos in monasterio vixit ibid. in terram prostratus toto tum psalterium Dauidis recitat ibid. eius mira patientia ibid ex pedum plantis vnguentum emanat ibid.
Mens filius Dei à Philosophis dicta 711.
Mercurius Trismegistus philosophus 711. eius de verbi Dei æternitate sententia ibid. & 712.
Messias quæ in mundo facturus à Prophetis prædictus 590. 685. de qua stirpe nasciturus 602. eius conditiones & qualitates 687. nomẽ ante mundi creationem creatum secundùm Iudæos 711. nomen nouum imponẽdum ab Isaia prædictum, quale fuit 709. opera quæ in mundo facturus 613. & seq. 688
Messiam diuitem, potentem & belligerantẽ expectantes errant 730 & seq 732. & seq. venisse, non venturum contra Iudæos probatur 672. 673. & seq. 680. 681 & seq. de virgine nasciturum à Prophetis prædictum 603. 604. in Bethlehem ibid. moriturum 684
S. Metrodorus presbyter 351. hæresis Marcionis fautor putatur ibid. martyr qua morte perijt ibid.
Michael de Silua Lusitaniæ orator ad summum Pontificem 640.
Milites Martyres factos admiratione dignum 354.
S. Milles martyr 354. episcopus ibid. eius vitæ breuis historia ibid.
Miluus auis rusticorum mores refert 71. eius pusillanimitas ibid.
Mirabilia tria à Deo coniuncta, & quæ 402.
Miraculum quid 359.
Miracula 168. 320 367. & seq. 369. 371. & seq. 373. 376 & seq. 382. & seq 384. & seq. 386. & seq. 388 & seq. 392. 396 522. 604.
Miracula Dei amorem erga Sanctos suos ostendunt 373. 385. Dei sola virtute fiunt 359 367. quare fiunt 367. ad incredulorum conuersionem fiunt 385. ad fidem catholicam probandam argumenta 359. 360. 367. 581. nõ solùm ad fidem confirmandam fiunt, sed vt necessitatibus & morbis etiam succurratur 392. ad fidem in homine efficiendam non satis sunt 580. & seq.
Miraculorum maximum totius mundi conuersio 398.
Miraculis, cùm humanam rationem superent, cur fides adhibenda 360.
Miraculis ad fidem trahimur 359. confirmanda quæ supra naturam. ibid. ex ijs qui fructus percipiuntur 367. in miraculis faciendis cur Deus in instrumentis ineptioribus vtitur 434.
Mirandæ genus quoddam in Lusitania 689.
Mirinx vesica in auribus auditum facit 147.
Miseriæ huius vitæ à mundo nos auocant 108.
Miseriarum enumeratio 224.
Misericordia Dei super omnia opera 570. diuinorum operum principium 569. 570. quomodo in redemptione humani generis cum iustitia coniuncta 452. 464.
Misericordia consilium Euangelicum 231.
Mithridates Ponti rex quot linguas nouit 145. eius mira memoria 144 & seq
Mobile primum omnium motuum caussa 450. 463.
Modestia Christi 550. & seq.
Monachi in Arabia à Lusitanis inuenti 640. illorum pater librum ad Summum pontificem misit ibid.
Monachi primitiuæ Ecclesiæ quales 612. & seq. 634. angelicam duxere vitam 420. laborabant manibus, & ex lucro pauperibus dabant eleemosynas 636. peregrinis semper cibum apponebant 635 nihil proprij habebant 632. & seq. nostri temporis cur sibi victum proprijs manibus non comparent 637
Monachorum vita optima 634. admiranda 636. gratiæ donum ibid. primitiuæ Ecclesiæ abstinentia 250 252. 257. 562. & seq. diuitiæ quæ 634 ieiunia 632 mores 631. & seq. 633. multitudo 631. paupertas 250. sanctitas 250. 631 & seq 633. 688. studium 632. 634. virtutes 634. 637. vita 630. & seq. 632. & seq. vitæ asperitas 257.
Monachorum Aegypti vita & sanctitas 630. & seq. 632.
Monachorum circa Alexandriam degentium, qui ex Iudæis crediderant, sanctitas, & vitæ ratio 790. & seq. mira abstinentia 562. 790 & seq.

Nnnnn

Digitized by Google

ſeq orationes 792. ieiunia ibid. vigiliæ 791. & ſeq.
Monachorum ſeptem peregrinatio ex Palæſtina in Aegyptum 635.
Monachis primitiuæ Eccleſiæ coſtum comedere luxurioſum 250.
Monæ Deæ idolum à Theophilo Alexandriæ epiſcopo ſeruatum & quare 265. gentiles id iniquè ferunt ibid.
Monarchia Reipub optima conſtitutio 101.
Monaſticæ vitæ laus 631. 633. 636 fundatores qui 634. præcepta & documenta 634 636
Moniales primitiuæ Eccleſiæ ſuper ſtoreas dormiebant 639. earum vita & ſtudia 638. & ſeq.
S. Monicæ cœnobium in Eurora ciuitate Luſitaniæ 385. in eo miraculum inſigne ibid. & ſeq. aliud 387.
Monocerotis cornu virtus quæ 495. cum elephante pugna 80 & ſeq. in pugnando induſtria 81. 91.
Montefalci in Italia miraculum de quadam virgine ordinis D Auguſtini 384.
Moralis doctrina particulatim tradenda 473.
Morum emendationem per Chriſtum futuram à Prophetis prædictum 626. & ſeq 628. per Chriſtum in mundum inuectam quantum beneficium 628. & ſeq.
Mors Chriſti glorioſa 551 571. Iudæis ſcandalo, gentibus ſtultitia 564.
Mors quid 562. pro fide maximè Deum glorificat 511 & ſeq. pro patria quàm glorioſa apud Ethnicos 566 568. terribilium vltima 295. 352. 511. 565. violenta poteſt eſſe & turpiſſima, & honeſtiſſima 566.
Mortis cauſſa, non pœna conſideranda 566.
Mortem præ cæteris animalibus cur homo maximè fugiat 352.
Mortui non viui laudandi 391.
Mortuorum reſurrectio intellectui humano difficilis 398.
Motor ſupremus Deus 14. & ſeq.
Motus rerum Deum eſſe docet ibid. naturalis in fine velocior, quàm in principio 259.
Moyſes Aegyptius Iudæorum rabbi 705. Deo & parentibus maledicentem non peccare docet 705 eius ineptiæ ibid.
Moyſes quas calamitates Iudæis euenturas prædixit 796 mundi creationem cur in plures partes diſtribuit 177. ſpiritu ſancto plenus 785. eius facies velo contexta humanitatis Chriſti figura 465. ieiunium 241. viſio de Rubo incombuſto explicatur 356. virga crucis Chriſti figura 433.
Mulieris cuiuſdam ad martyrium properantis mira reſponſio 271.
Mundus cum Adamo à Deo defecit 518. ex Chriſti paſſione quæ beneficia conſecutus 438. & ſeq. cur creatus 543. propter hominem 165. & ſeq. 517. & ſeq. non fortuitò 16. 21. ad Dei cognitionem nos perducit 5. 11. 16. 17. 20 detrius ſemper vergit 792. à Diaboli ſeruitute quanto pretio redemptus 461. ad fidem quibus inſtrumentis conuerſus 401. & ſeq. homini peccatori ſubſeruiens contra Deum militat 518. horologio comparatur 189 in idololatria quomodo tam diu perſeuerauit 397. ab Iſaia quomodo vocatus 249.
Mundi ætates diuerſæ 786. in prima plus ſuperſtitionis quàm religionis ibid. conuerſio Chriſti paſſionis fructus 517. & ſeq 759. Dei opus maximum 409 614. quàm difficilis fuit 402. & ſeq. 404. & ſeq 406. quando & quomodo facta 416. miraculorum maximum 398. 402. & ſeq 404 & ſeq 407. prædicta à Chriſto 411. ab Iſaia 419. 422. ab alijs prophetis ibid. creatio in Dei cognitionem nos perducit 196. ante creationem ſeptem creata ſunt ſecundùm Iudæos, & quæ illa 711. refutatur ibid. fabricā Deum eſſe docet 463. materia quæ 27 ſtatus ante Euangelium 249. poſt 250. 401. vilitas reſpectu Dei 553.
Mundo quæ à fidei fundatoribus prædicata 398. intellectui humano difficillima 399 voluntati ibid & ſeq.
Mundum Chriſti vita condemnat 554. nō fortuitò factum vnde Philoſophi intellexerunt 551.
in mundo nihil ſtabile. 793.
Muris odoriferi mira natura 112 vnguentum quàm pretioſum 112. vncia vnguenti quanti Lysbonæ vendatur ibid.
Muris in victu comparando induſtria 66.
Muſcæ cur creatæ 108.
Muſcarum ex ficulneis ortarum mira virtus 54.
Muſica & melodia corporalis quæ 421. ſpiritualis ibid. corporali ſuauior ibid.
Muſtela quomodo vulnera curat 76.
Mutatio difficilior in ijs eſt, quæ magis inter ſe diſtant 178.

N

NAaman Syriæ princeps à lepra ſanatus in Deum credit 359. 391.
Nabuchodonoſor Babyloniæ rex Danielē Prophetam adorat, & quare 416. 685. ei thus tanquam Deo offerri præcepit ibid. Dei in Iudæos flagellum 356. 650 677. in Deum miraculo adductus credit 359. Ieruſalem, & Iudæorum regnum deſtruxit, & quare 642. 677. ob id quibus pœnis à Deo afflictus 664. Iudæos in Babyloniam captiuos perduxit 677. virga furoris Dei ab Iſaia dictus 356. 664. eius ſtatuæ, quā in ſomno vidit explicatio 268. 625, 688.
Nardi natura 521.
Nares cur creatæ 147. cur ori coniunctæ 148 earum

rium munia & commoda 147.
Narium commoda quæ 151.
Natiuitas Christi quam celebris 550.
Natura nil facit frustra 182. cultum diuinum hominibus inseuit 164. in hominis generatio ne semper masculum intendit, & quare 447. corrupta difficulter sanatur 85. humana Angelica inferior 548.
Naturæ auctor semper id quod melius est facit 182. opera multa vix credibilia 56. in ijs nihil otiosum 60.
Naturam semper in melius tendere Philosophorum sententia 447 humanam corruptam esse animalium temperamentum docet 59.
Natura quæ fiunt meliora, quàm quæ arte 16
Naturales actiones cum voluptate fiunt 440.
Nautæ quomodo futuram tempestatem diui nant 77.
Neapoli caput S. Ianuarij Martyris conseruatur 384 & seq. circa eius sanguinem qui ibidem conseruatur miraculum. ibid.
Nero Imperator pro Deo coli voluit 619 exemplum crudelitatis & turpitudinum 266. iuuenem publicè in vxorē duxit 628. à matre quàtopere dilectus 583. SS. Petrum, & Paulū Apostolos interfecit 366. Romam incendi iussit, & à Christianis factum diuulgauit 266. eius crudelitas 628. 727. de ea dictum iocosum 628. mater quæ 583. mors 356 357. cum matrem suam interfecturum prædicitur 583.
Neruorum in corpore humano munia 142.
Nicomediæ in Christianos persecutio 297. & seq
Nicomedienfis regiæ incendium 298.
Nihil tam abiectum quod non admiratione dignum 176.
Nilus fluuius 18.
Niniuitarum fides 200.
Nitria Aegypti locus Monachorum cœnobijs clarus 637.
Niuium anni cur bonorum anni 37.
Nobilitas vera quæ 87.
Noe Patriarcha Christi figura 526. inebriatus à iuniore filio derisus ibid. solus iustus à Deo inuentus 428. eius vinea quid designat 526.
Noua magis quàm magna admiramur 29
Nox quem vsum præbet 31. & seq ad orandum, Deoque inseruiendum accōmodata 32. spiritualibus cur amica 259. eius vtilitas & commoda quæ 32.
Noctium inæqualitas ad quid 31.
Numa Pompilius Romanorum rex Romam Græcorum dijs repleuit 624.
Numerus duodecimus perfectissimus 433
Numorum amor quid non cogat 473.

O

OBedientia humilitatis ancilla 490. quàm necessaria 490. & seq. melior quàm victimæ 492. 510. perfecta in morte subeunda cernitur 491.
Obedientia Abrahami quanta 480. Christi quanta 456. 480. 492. in crucis mysterio maximè lucet 492 nobis meritò exemplo esse ibid. Sanctorum quanta 480.
Otiosi non permittendi in Rep. 103.
Octauianus Imperator an verè nobilis fuit 87.
Oculi maximè admirandi 145. 149 hominum bestiarum oculis præstant 149. non res ipsas, sed rerum species vident 145. sensuum exteriorum præstantissimi 145. 149. cur ita custoditi 149. cur mobiles ibid.
Oculorum descriptio 149. munia 138. ijs quomodo vtendum 146. in ijs tres humorum differentia, & quæ ibid. pro ijs Deo gratiæ agendæ 146 & seq.
Odoratus sensus vnde oritur 147. maior in beluis quàm hominibus 60.
Oliueti mons 370. in eo Christus cælos ascendens pedum suorum vestigia reliquit ibid. in eo templum ædificatū ab ea parte, qua Christus ascendit, tegi nequit 370.
Olysippo Lusitaniæ oppidum 639.
Onager animal maximè luxuriosum 675. quando facilè capitur 573. 675 eius in amore furor 572. 802.
Operationes animæ quæ 190. & seq.
Opera Dei perfectissima 183. sex dierum 178. & seq 180. 182.
Optimates ad subditorum vtilitatem actiones suas meritò referrent. 127.
Oranti cauendum ne vacuus Deum accedat 507.
Oratio cur continuanda 232. 505. & seq. in primitiua Ecclesia præcipuum exercitium 232. Euangelicum consilium est 231. ad legem seruandam auxilium 253. meditationis soror 505. altera sine altera non subsistit ibid. remedium generale 253.
Orationis fructus & vtilitas 253. 505. 822. vt copiosior sit quid faciendum 506. vis & efficacia quanta 371 & seq. 381. 392. & seq.
Orationi cur maximè incumbendum 232 & seq.
Oratione Christiani aquam pro Antonini Pij exercitu è cælo impetrant 381.
ad Orationem spes & fides necessaria 506.
S. Ordinis sacramentum 236
Originale peccatum, vide peccatum.
Oris ad cibi concoctionem munia 128. instrumenta ibid.
Oseas Propheta statum Iudæorum, in quo nunc sunt, prædixit 692.
Ossium corporis humani cum fabri instrumentis cōparatio 120. multitudo 119. inter se proportio & constitutio 120. proprietates & munia 119. 120. Dei prouidentia in ijs maximè elucet 120. tria in ijs admiranda 120

Digitized by Google

Ouidius de naturali fæminarum verecundia quæ 153.

Ouis cur lupum fugiat 58. eius ad se nutriendum miræ dotes 64. in se nutriendo solertia hominis pigritiam condemnat 64.

Oxirincum Thebaidis ciuitas 635. monachorum cœnobium 635. quot millia in ea monachorum & virginum ibid.

P

Palladius Cappadociæ episcopus 635. cum septem ex Palæstina ad monachos Aegypti peregrinatus 380. 635. peregrinationem illam Græcè conscripsit 380. 635. à S Ioanne Aegyptiaco Cappadociæ futurus episcopus prædicitur 380.

Palmæ fertilitas quanta 433. mira natura 54. sexus in ea discretio 54.

Palpebræ oculorum cur molles 149

Panes Propositionis Christi figura 540.

Pantheræ proprietates 61.

Paradisum qualem Mahometus finxit 240.

Parentes colendi 168.

Paschalis agnus Christi figura 532. & seq. quibus ceremonijs comedendus 534. 535 cur annicu lus 533. cur assatus 534. cur sine macula 533. cur masculus ibid. totus comedebatur, & quare 534. quo tempore 535. eius sanguine superliminaria cur linita 533 & seq. qui crudum, qui aqua coctum, & qui assum comedunt mysticè 534

In Passeribus pascendis mira Dei prouidẽtia 57.

Passio Christi Christo maximè conueniens 579. 580. compassionem in nos quomodo excitat 503. Dei opus maximum 579. Deo Patri quàm accepta 456. ab omnibus Euangelistis cur tam minutim conscripta, cùm multa miracula ab ijs omissa 609. gentibus stultitia 579. gloriosa fidelibus 435. 460. & seq. 574. humanæ miseriæ medicina 579. ignominiosa infidelibus 435. 460. & seq 574. Iudæis scandalum 579 semper nobis meditanda 437. meditandi materiam suppeditat 504. peccatorum turpitudinem ostendit 470. & seq. 472. in pœnitentię operibus nobis solatio est 498. speculum nobis propositum 578. contra tentationes remedium 508. SS. Trinitati regale conuiuiũ 457. ad virtutes nos excitat 575. 578

Passionis Christi beneficium quale 467 & seq. causa quæ 478. contemplatio aduersus omnia peccata remedium 509. contemplationis fructus 581. suauitas 435. 504. ex contemplatione quinque effectus oriuntur, & qui 585. fructus qui 476. 554. 568. 575. 579. 580. ignominia quanta 583. instrumenta cordi cuiusdã virginis ordinis D. Augustini impressa Montefalci in Italia visuntur 384. media quæ 477. mysteriũ reliquis fidei mysterijs maius est 294.

Passionem Christi contemplanti eius maiestas consideranda 759.

de Passione prophetiæ 607. 608. & seq. 610.

ex Passione charitas maximè resplenduit 457. quæ Christi virtutes splenduerunt 456. 457. Dei bonitas maximè elucet 576. 579. Dei gloria & honor quantus 457 homo quantam gloriam & dignitatem consecutus 460. & seq. mundus quæ beneficia consecutus 458. & seq. 476.

Patientia quàm necessaria 493. quid ibid. circa quæ versatur ibid. Christi quanta 456.

Pati pro Christo quàm gloriosum 280. & seq. quàm magnum meritum 330.

pro Patria mors quàm gloriosa apud Ethnicos 568.

Patris in filium amor qualis 797.

D. Paulus Apostolus Christum esse Messiam ex Prophetis probat 590. 600. nil nisi Christum crucifixum cur se noscere scribit 465. Ecclesiam Iudææ persecutus 267. 591. propter Euangelium quæ passus 570. manibus victum sibi quæsiuit 409. sub quo passus 266. resurrectionem Athenis prædicans deluditur 183. Thessalonicæ multos conuertit 590. 600.

D. Pauli Apostoli pro Christo patiendi desiderium 405. epistolæ quæ continent 246. & seq. difficiles intellectu 824. earum laus 246. 247. in ijs doctrina moralis admiranda 247. laus 246 247 409. miracula 368. res gestæ omnes miraculosè fuerunt 368. sudarium omnes morbos curabat 367 zelus in conuertẽdis animabus 538. 664. & seq. 706 768. & seq.

Pauo cur creata 115. forma sua delectatur 114. ex India in Græciam primũ delata omnibus admirabilis 115. quanto pretio empta ibid. mas cur fœminæ oua frãgat 117. pulchritudinem Dei nobis refert 115. 117.

Pauonis descriptio 116. proprietates 114. & seq. 116. & seq caudæ pulchritudo 115. 116. vnde oritur 116. colli 116. corona quæ 116. forma admiratione digna 115. 116. eam cur minus admiramur 115. fœminæ in conseruandis ouis propter marem solertia 117. maris in fœminã libido ibid. pennarũ ordinata varietas 116.

de Pauone Alexandri Magni edictum 115.

Paupertas à Sanctis cur tantopere amata 260.

Pax vera in quibus consistit 255.

Peccatoris cor vile præsepium 774. primùm conuersi quanta lætitia 261.

Peccatores ad Deum conuersi primò bene tractantur, & quare 261.

Peccatum quid 449. quàm abominandum 470. 471. & seq. à Deo quomodo punitum 472 diuisionis murus inter Deum & homines 458. quare & quãtopere fugiendũ 472. malũ maximum 556. malorũ omniũ radix 471. mortale

quale

quale malum 331. 424 originale quorum malorum caussa 439.444.730 contra ea quę adhibenda remedia 439.444. originale esse, & mala, quibus homo obnoxius, imputasse quomodo probandum 444.
Peccato nihil Deo abominabilius 456.470. & seq.
Peccata nos à Deo segregant 93. Christum crucifixerunt 470. & seq.
Peccatorum pœna ex Christi passione elucet 471. ex obsidione vrbis Hierosolymitanæ 655. remissio crucis Christi pręcipuus fructus 471. gratiæ effectus 466. 471. turpitudo 246. 247. 424 556. ex Christi passione quomodo cognoscenda 465. 470 & seq. 472.
Peccata Deus quàm seuerè puniat 805. 812. è mundo eijcere Messiæ opus 729. remittendi potestas Apostolis, & eorum successoribus à Christo data 459.
contra Peccata remedia 461. 470. 509. 821.
Pectus in homine ad quid 150.
Pedes à cibo cur frigescant 130.
Pediculi natura 95.
Pediculus paruus sub cute viuens admirandus 97.
Pelagianorum error qualis 164.
Pelicanus redemptionis nostræ mysterium refert 89. 90. vbi nidificat 90. à venatoribus quomodo capitur 89. 90. eius erga prolem amor ibid.
Pelles homini vestes 150.
Pentecostes Festo lex Iudæis data 613. Spiritus Sanctus in Apostolos descendit ibid.
Perdix alterius oua furatur & excludit 89. 544. sed pulli propriam matrem sequuntur ibid. redemptionis nostræ mysterium refert 89
Peregrinatio septem monachorum ex Palæstina in Aegyptum 635. & seq.
Peregrini sumus in terra aliena 535.
Perpetuum & æternum in sacra scriptura quomodo intelliguntur 784.
Persecutio Ecclesiæ vtilior pace, & quare 281. & seq. in Aegypto qualis 299. Antonini Veri 331. Diocletiani 296. in Gallia 331. & seq. 333. 335. & seq. Maximiani & Diocletiani crudelissima 266. in Melitina 298. 299. Nicomedię 298. in Persia sub Sapore rege 341. & seq. in Syria 298. & seq. in Thebaide 299. & seq.
Persona quò maior, eò maior iniuria, quæ ei infertur 448.
Personæ vilitas iniuriam illatam maiorem facit 449.
Perturbationes animæ cælorum motu comparatæ 154. in Christo planè sopitæ fuerunt 549. homini caussæ malorum 155. prunis conferuntur ibid. rationem obscurant ibid. cur tam rebelles 549. superioris partis animæ imperium sequi debent 154.
Pestis vnde oritur 141.
Petronia nobilis fœmina à grauissimo morbo miraculosè liberata 604.
Petronius Syriæ præfectus à Caio Imperatore missus Iudæam inuadit 644. misericordia motus recedit 644.
D. Petrus Apostolus sub quo passus 266. vbi 268. eius timiditas & infidelitas 401. ei claues regni cælorum datæ 413. Ecclesia ter à Christo commendata 459. visio de linteo, in quo erant omnia quadrupedia &c. cur facta 460.
Petrus Fernandez Hispanus excommunicatus Eucharistiam sumere nequit donec absolueretur 383.
Petrus S. Gregorij diaconus 391.
S. Petri vnius ex Dorothei socijs horrendum martyrium 297.
Pharao Aegypti rex à Deo obduratus 671. quomodo punitus 742. submersus 743. eius in Iudęos persequendo obstinatio 599.
Pharisæi cur in Christum tanta miracula facientem non crediderunt 557.
Phaselon turris ab Herode in memoriam fratris Hierosolymæ constructa 652.
Philæas Thmuitensis ciuitatis episcopus 300 512. Martyrum dux in Thebaide 300. precibus à propinquis tentatur 512. capite damnatur 713. eius constantia 512. & seq. epistola ad suam Ecclesiam 713. vita 512. & seq.
Philo historicus 563. 621. Hebræus fuit 731. quid de monachis suæ gentis scripsit 257. 731 eius laus 563.
Philoronomus Romani exercitus præfectus 513. Christianum se confessus capite damnatur ibid.
Philosophia humana Christianis non sufficit 226.
Philosophi quem beatum esse statuerunt 562. summum bonum in quibus consistit, & quo modo acquiritur intellexerunt ibid. Dei prouidentiam negantes quomodo conuincendi 97. Deum cur parum coluerunt 464. perfectè non cognouerunt ibid. cognoscentes quare damnati 581. esse ex mundi machina cognouerunt 463 551. quibus rationibus 13. & seq. 22. purū actum vocant & quare 594 vnum solum esse naturali ratione assequi 410. Deorum vanitatem cognouerunt 276. 400. diuitias contempserunt 251. Filij Dei diuinitatem intellexerunt 711. æternā generationem testantur ibid. cum quibus nominibus appellant ibid. magistri humanę vitæ 253. Mentem Dei filium dixerunt 711. mundum ab æterno esse dixerunt 179. mundum in cognitionem Dei perducere non potuerunt 408. an verè virtute præditi fuère 251.

Philosophorum mira abstinentia 251. aliqui dæmonium harum visibilium rerum auctorem statuunt 433. aliqui Dei prouidentiam cur negarunt 464. aliqui Deum animalia, non hominem curare cur statuerunt 443. aliqui Græciæ publicè concubinas habuerunt 628. cum Christianis comparatio 251. opiniones de anima 222. de creatione 179. de Deo 229. de fine nostræ beatitudinis 222. & seq. de mundo 222. sapientia cum nostra quomodo differt 561. virtutes cum Christianorum virtutibus comparatæ simiarum actiones sunt 252. vmbræ ibid.

Philosophis tria ad virtutem remedia defuerunt 253

Phinees Iudæos ab interitu vindicat 704. ex zelo Dei Israelitam interficit 674. eius zelus quàm Deo gratus ibid.

Phlegon Græcus auctor 363 quid de eclipsi solis, quæ tempore passionis Christi contigit scripsit 361.

S. Phlegon miles & martyr 324. crucifigitur ibid.

Phœnix auis in Arabia 109 mortem præscit ibid. vnde oritur ibid resurrectionis nostræ fidem confirmat ibid à venatoribus capi nequit 110 quamdiu viuat 109 tantùm vna est ibid. & seq.

Phogor idolum ab Israelitis adoratum 674 704 quot eorum millia ob id interfecta 704. Principes ob id suspendio necati ibid.

Pilatus Iudæorum præses 644. fustibus Iudæos cædi iubet, & quare 644.

Pili vnde oriuntur 115

Pinguedo corporis ad quid 150.

Pinnæ in quærendo cibo mira solertia 24. 84.

Pinus arbor Dei prouidentiam ostendit 180. ad conficiendas naues aptissima ibid.

S. Pionius martyr 351. eius constantia & laus ibid.

Piramides Aegypti inter septem mundi miracula numerantur 631. earum incredibilis magnitudo ibid. vanitas ibid. eas qui construxerunt ignoti, & quare 631.

Piscis cuiusdam anno 1575 capti corporis fabrica 108 figura 109. mirabilis magnitudo 108.

Pisces cur & quo modo loca mutant 77. an pariant 85.

Piscium tam varia genera Dei omnipotentiam ostendunt 42. cur tanta multitudo 42. in locis mutandis mira natura 77 sapor mirandus 43 varietas miranda 42. vis miranda 42

Pius II. Papa S Catherinam Senensem canonizauit 379.

Placilla Theodosij Imper vxor 576 eius humilitas 576. 577. pietas in malè habentes ibid. in pauperes ibid.

Plagæ & calamitates à prouidentia Dei eueniūt, non fortuitò 642. & seq. peccatis respondent 643.

Plantæ hortorum aulæa sunt 49.

Platalea auis quomodo victum sibi comparet 67.

Plato animam intellectiuam hominem esse statuebat 126. corpus partem essentialem hominis esse negauit ibid. quid corpus esse statuit ibid. Deorum vanitatem cognouit 400. Filij Dei diuinitatem intellexit 711. mundi oculus dictus 248. præcepta sua quamdiu discipulis seruare iussit 555. virtutes quomodo docuit 409

Platonis eloquentia 121 laus 409. sententia de animæ virtute prædicæ pulchritudine 629. de summo bono 561. de æterna Filij Dei generatione 711 de virtute 292. de Platone Ciceronis iudicium 409.

Plinius Dei prouidentiam negat 240 quod suis scriptis non rectè vsus carpitur 7. de terræmotu in Asia tempore Passionis Christi quæ scripsit 363.

Plinius Secundus quid ad Traianū Imp de Martyrum constantia scripsit 262. 688.

Plutarchus Traiani præceptor 397. librum, cur suo tempore Deorum responsa cessassent scripsit 397.

Pluuia quid, & vnde oritur 37. Dei magnum est beneficium 38. quomodo nos in Dei cognitionem perducat 37 quam vtilis & necessaria 37 38

Podagræ remedium medici ignorant 522.

Podex cur in secreta corporis parte 130. 131.

Pœna iniustorum cur æterna 429 peccato respōdet 643 665. 672 quæ malis parata 238.

Pœnitentiæ sacramentum 235.

Pœnitentiam verè agentes à Deo recipi 667.

S. Polycarpus D. Ioannis Apostoli discipulus sub quo passus 266 vbi 351. Smyrnæ Episcopus 346. pro pace Ecclesiæ orat 347. quo mortis genere moreretur cælitus reuelatur ibid. capitur ibid ab Herode & Nicete tentatur ibid de rheda præcipitatur ibid voce cælitus confirmatur 348 proconsuli sistitur ibid Christianum se profitetur ibid. Christianus à præcone proclamatur ibid. à plebe accusatur 349. vestes exuit ibid. in rogo constitutus ibid ense confoditur 350 Propheta fuit ibid.

S. Polycarpi corpus fideles contrectare inter se contendunt 349. ignis corpus obuallat, nec lædit 350 igni post mortem comburitur, & quare ibid. de corpore inter Christianos & Iudæos contentio ibid libertas loquendi 348. martyrium 346. & seq. ante mortem pietatio

tio 349. ossa à Christianis collecta 350. sanguis ignem extinguit 350. cum eo qui passi 351.
Polypi in parando victu doli 67. in mutandis coloribus mira natura ibid.
Pompeius Iudęam subiugauit 690.
Ponticus adolescens quindecim annorum passus 338 & seq
Porphyrius Platonem filij Dei diuinitatem cognouisse docet 711.
Porti ciuitas in terra Aueri 389 in ea puella cæca visum miraculosè recepit ibid.
Potamiæna virgo & martyr 566. ob virginitatem passa ibid. eius passionis breuis historia ibid.
Potentia Dei ab Augustino decantata 185 à Dauide 175. à Ieremia 174 à Iobo 172. ab Isaia 174. à Salomone 185. in mortuorum resuscitatione cernitur 185.
Potentiores ne sint infirmiorum oppressores 125.
S. Pothenus Lugdunensis episcopus 335. eius libertas loquendi ibid. mors ibid.
Prælati quales esse debeant 27.
Prætexta Himetij equitis Romani vxor 370. Eustochium virginem exornans, & ad nuptias perducere tentans ab Angelo diuinitus prohibetur 370 eius manus aruit, & quare ibid.
Preces nostræ quantæcunque per merita Christi exaudiuntur 462. 463.
Priapus Deus 620 eius idolum ab Asa Iudæorum rege confractum ibid.
Primum mobile vide mobile primum.
Principia duo cur aliqui statuerunt 443
Probianus podagra miraculosè liberatur 522. ei Michael archangelus apparet ibid.
Prodigia 732. 733 Ierusalem euersionem nuntiantia quæ 669.
Promissiones & minæ ad amorem Dei stimuli 244 quæ & quales mandatorum Dei obseruatoribus 668. & seq.
Prophetæ quæ de Christo prophetarunt vera 599 600. concordes inter se 599. Dei spiritu pleni ibid. homines sanctissimi ibid. 725 inter Iudæos semper fuere 599 aliquando propriè, aliquando metaphoricè loquuntur 613. à peccato liberi 725. peccatorum reprehensores acerrimi 599. Philosophis antiquiores 595. 599.
Prophetarum eloquentia 244. fortitudo in contemnenda morte 725 munia quæ 244. vita qualis 599.
Prophetiæ duces sunt, quę nos ad Christum perducunt 630. fidei nostræ firmum testimonium 410. quomodo intelligendæ 613. 795. magis quàm miracula nos mouent 410 verę sunt 599. & seq.
Prophetiæ de Christo variæ 602. de Christi aduentus tempore 680. & seq. 682. & seq. de natiuitate 605. de vita 606. de passione 607. & seq. 609. & seq. de resurrectione 611. de ascensione ibid. de Spiritus S aduentu 611. & seq. de idololatria à Christo tollenda 617. & seq. de euangelij prædicatoribus, vnde in mundum exituri essent 686. de Messia quæ esset facturus 61. & seq 615
Prophetia Christi de Ecclesiæ persecutione 414. de stabilitate 413. & seq. de Ierusalem & regni Iudææ euersione 415. de Ierosolymitani templi destructione 415. illa nostram fidem maximè confirmat 415. de mundi totius conuersione 411. de vnguento illo pretioso quod Magdalena in caput eius effuderat 412 Danielis de tempore quo Christus pateretur 422 de Ierusalem destructione ibid. Isaiæ de mundi conuersione ibid.
Propitiatorium veteris testamenti Christi figura 510.
SS. Protasij & Geruasij corporum inuentio per D. Ambrosium 372.
Prouidentia Dei in brutis cernitur 62. in hominibus 163. eius cognitio ad quid conducit 118. eius caussa amor & bonitas 163. eam in hisce terrenis esse probatur 640. eam negantes quomodo conuincendi 97.
Proximum diligere, eique subuenire cerui nos docent 110.
Prudentia virtutum abbatissa 361. in credendo maximè vtenda 362.
Psalmi modum Deum laudandi docent 243. Dei notitiam tradunt ibid. cur semper in Ecclesia canuntur ibid.
Ptolemæus Aegypti rex Biblia ex Hebræa in linguam Græcam verti curauit 708 gentilis vnum Deum adorabat ibid.
Ptolemaide Iudęorum clades 647.
Puella quędam è Brasilia serua perducta dæmoniaca baptismo liberatur 396.
Puella cæca mantili, quo crucifixus cuiusdam cœnobij præcinctus fuerat visum recipit 390.
Puellæ cuidam in ciuitate Olysippi hectica febri laboranti vitę exitus diuinitus reuelatur 393. eadem hora, qua Christus ad cælos ascendit mortua 394.
Pueros innocentes ab Herode propter Christum occidendos à Prophetis prædictum 603. occisos Aethnici scriptores scribunt ibid.
Pulchra cur creata 115 117.
Pulex cur creatus 108.
Pulmones quomodo cantum efficiant 135. quomodo vocem ibid. & seq organo comparantur 136. arteriali sanguine nutriuntur 135.
Pulmonum fabrica qualis 135 in refrigerando corde

cordemunis ibid. proprietates 175. & seq.
Pupillaoculi cur parua 149.
S Pusices artificum Saporis Persiæ regis præfe-ctus 344 S Ananiam presbyterum mortem timentem confirmat ibid. fidem constanter confitetur ibid. eius filia interficitur ibid. passio ibid.
Puteorum aquæ cur hyeme calidæ, & æstate frigidæ 36.
Pythagoræ Philosophi apud suos discipulos auctoritas quanta 195.

Q

Quæstiones Theologicæ in concionibus non tractandæ 820.
Quæstorum Iuliani Apostatæ Imp. præfectus in Christum blasphemus diuinitus punitur 370.
Quies cordis præcipua proprietas beatitudinis 256 vera in hoc mundo quomodo acquiritur 261. in bona conscientia consistit ibid.

R

Rabini Iudæorum, qui ante Christi aduentum floruerūt aliter scripturas interpretari, quā nunc interpretentur 709 Messiam Deum & hominem futurum, mortem ignominiosam passurum ex scripturis prædixerunt ibid.
Rabini qui post Christum fuerunt Bibliorum textum adulterant 711 Christi diuinitatem negant 710. de Christi miraculis quid scribunt 265. 367. duo solum miracula fecisse scribunt, & quomodo 367 Isaiæ locum cap 53. de Christi passione, de suis miserijs interpretantur 579. librum de Iesu Nazaræni generatione ediderunt 366. Messiæ diuinitatem negant 726. magnam dignitatem profitentur ibid. Michææ locum cap. 5. de Christo quàm fabulosè exponunt 711. prophetias corrumpunt 589. scripturas detorquent 710.
Ranæ marinæ quomodo victum sibi comparent 67
Ratio cum fide iungenda 13 701. à fide quomodo differt 438. fidei coniuncta magnam animi lætitiam parit ibid. hominis lumen est ibid. ea in examinanda religione vtendum 787. 701
Fr. Raymundus S. Catherinæ Senensis confessarius 379. S. Catherinæ vitam conscripsit ibid. Ordinis prædicatorum generalis ibid.
Redemptio humani generis quàm copiosa 55. Dei iustitiæ quàm conueniens 433. 454. peccato contraria 450.
Redemptionis beneficium 431. 436. 467. & seq. 476. & seq. 478 522. 571 & seq. 750. & seq. 752. præ cæteris Dei operibus admirabile 431. quamuis in omnes collatum, vnicuique tamen soli tribuitur 478. & seq. maius est quàm creationis 522. 750. & seq 752. semper nobis meditandum 437 479. quę gratiæ nobis pro eo agendæ 479. caussa quæ 478. fructus 575. media quæ 476. & seq. ad amandum Deum nos maxime incitant 477. & seq. mysterium angelis, dæmonibus, & mundo absconditum 411 & seq bonitatem Dei ostendit 424 in perdice apparet 89. cōtemplari difficile est 436. quis ritè contemplari queat ibid. nihil satis de eo scribitur 437. opus omnium Dei operum maximum 436. & seq. 447. in Filij Dei cognitionem nos ducit 196. perfectissimū 4.7.
in Redēptione Dei iustitia & misericordia quomodo elucet 452. coniunctæ sunt ibid. quæ hominum vilitas 453.
ex Redemptione omnium rerum valor & pretium quomodo cognoscendum 465.
Redimere hominem maius opus, quā creare 449. & seq. 472. an Deus alio modo potuisset 447. cur homo non potuit ibid.
Reges clementia commendabiles facit 104. eorum secreta tacenda 385.
S Regina Lusitaniæ regis vxor 390. eius famulus ad calcariæ ignem à rege innocens damnatus, quomodo liberatus 390. eius meritis monachæ Ordinis S. Bernardi cæca sanatur ibid.
Regina Saba cur ad Salomonem venit 108. & seq.
Reguli Attilij mors gloriosa 365.
Religio homini maximè necessaria 693 quàm altè mentibus hominum infixa 15. peccatorum frænum est 622. quæ vera & perfecta 249. an vera sit inquirenti quid agendum 687. eius officium quod 249
Religio Christiana quid iubeat 229. à quibus nationibus primùm recepta 410 nil rationi contrarium docet 209 eius effectus qui 420. fundamentum Christi cognitio 693 perpetuitas 238. præstantia ex vltimo hominis bono 251. Confessorum testimonio firmatam esse 274. & seq. ex Euangeliis 248. idololatriam è mundo sustulisse 262. 420. Martyrum sanguine signatam esse 251 277. & seq. 288. 294. 353 355. 420. miraculis confirmatam esse 359. 420. à Prophetis prædictam 410. & seq. 420 ex vitæ puritate quam in iis facit, qui eam profitentur 249. summa in charitate consistit 727. testes qui 420. eam qui persecuti miserrimè perierunt, qui defenderūt in omnibus à Deo adiuti 356 & seq
Reliquiæ Sanctorum quo honore semper habitæ 280. & seq.
Remi nauium quomodo inuenti 71.
Remoræ piscis mira vis 42.
Renum sedes 132.
Res omnis ad sui conseruationem propensa 36. rei abusus non damnat ipsam rem 814. rei veritas

Ooooo membra

Iudæos

T

V

arbitramur, & quæ illa 257.
Vesci boum visceribus cur apud Ethnicos olim scelus 166.
Vesicæ fabrica 132.
Vespasianus Imperator in Iudæos rebellantes arma mouet 273. Galilæam prouinciã inuadit, & expugnat ibid. & 649. Gadaram eius ciuitatem capit & incendit 649. Iotapatam obsidione capit ibid. Iapham ibid. Ioppen ibid. Taricheam ibid. Gamalam expugnans periculum adit 650. Ierusalem expugnat 273. euertit ibid. & 654. Iudæos ex semine Dauid cur interfici iussit 602. clementissimus cur in Iudæos tam crudelis 650 sub eo quot Iudæorum millia in Galilæa interfecta 273. quot millia in Ierusalem ibid.
Vestium sacrarum inuolutio in veteri testamento quid mysticè 198.
S. Vetius Epagathus 332. Christianorum aduocatus appellatur, & quare ibid. eius laus ibid.
Viduitatis laus 111.
Vienna Galliæ ciuitas 331. in ea quid Christiani passi sub Antonino Vero 331. & seqq. 335 339.
S. Vincentius Ferrer Dominicanus 378 miraculis in vita claruit ibid spiritu prophetico ibid. eius vitæ breuis historia ibid. ei quòd canonizaretur, & à quo diuinitus reuelatur 378.
S Vincentius Martyr sub quo passus 5 4.
Vipera in partu perit 69
Virga Moysis crucis Christi figura 433. & seq. 537. & seq in serpentis figuram mutata quid designat 537. alios serpentes deuorans quid 538 eius miracula 433. & seq. ea cur Deus tot miracula operatus 434.
Virgilius quæ de Christo ex Sibyllæ carminibus scripsit 693. & seq. quando clatuit 694.
Virgo quædam Ordinis S. Bernardi in terra coz epilepsia laborans diuinitus sanatur 388.
Virginem Messiam parituram à Prophetis prædictum 603. intellectui humano difficilè ibid. & seq.
Virgines Deo consecratæ in primitiua Ecclesia 791. earum sanctitas 68?.
Virginum in patiendo mira constantia 294.
Virginitas quàm grata Deo 370. 392.
Virtus Deo grata 456. 472 quanti facienda 472. scala & medium ad summum bonum 254. in medio consistit 361. labore acquiritur 153. 737. perfecta quæ 251 quis ea præditus ibid. sine Dei auxilio nemo ea præditus 353. vna sine aliis esse nequit 403.
Virtutis cognitio ad eam comparandam non est satis 466. experimentum aurum est 790. pulchritudo 292. valor ex passione Christi elucet 472. in ea non consistit summum bonum 254. in ea honor 557. ad eam tria Christianorum auxilia, & quæ 252. & seq.
Virtutes aliquot in animalibus diuersis elucentes 111. ad Deum spectantes præstantissimæ 292. exercitatione augentur 433. morales media ad hominis finem consequendum 442. quæ maximæ necessariæ 823. earum radix fides 425. eas passione Christus in mundum introduxit 472. de iis quis bonus iudex 248.
Virtutum Theologicarum in cælo præmia 789.
Vis & potentia humana nulla aduersus Deum subsistit 652.
Visus sensus maximè admirandus 145 & seq 147. ad cognitionem maximè prodest 146. quæ oblectamenta habet 49. 75. eius organum 146.
Vita æterna crucis Christi fructus 519. & seq. eius beatitudo 118.
Vita Christiana militia est 155. eius perfectio in quibus consistit 74.
Vita Christi cur aspera, pauper & humilis 558. & seq 560. & seq. 728 & seq 730 nobis omnibus exemplar 558. flores ex quibus pii mel colligunt 727. gloriosa 550. de ea prophetiæ 606. & seq.
Vitæ nostræ miseriæ & calamitates peccatorum nostrorum pœnæ 462.
Vitæ puritas ad quæ conducit 578 & seq.
Vitis commoda quæ 53. fertilitas quanta ibid. folia cur tam magna 51. ei cur Christus se comparat 53.
Vitrea vasa quomodo conficiuntur 723.
Viuentia sibi similia generare student 712.
S. Vnctionis sacramentum 236.
Vngues vnde oriuntur 115.
Vnicornis cornu virtus in tollendo veneno 495.
Vnio animæ cum Deo per charitatem 727. eius duæ difficultates quæ ibid.
Vnitas Christianorũ in primitiua Ecclesia 790.
Voluntas Christi in passione quàm promp a 458.
Voluntas nostra animæ potentiarum regina 154. 418. solum bonum amat 475. corrupta 441. Deo inseruire debet 418. quando perfectè inseruit ibid. intellectui obedire deberet 466. gratia per Christum data sanatur ibid. eius obiectũ quod 441. 475
Voluptas omnium malorum causa 557. virtuti contraria ibid. morosa quæ 821.
Voluptatum inordinatus appetitus vnde 729. quæ mala parit ibid.
Vox in homine vnde oritur 135.
Vreteres venæ 132.
Vrina vnde prouenit 132. quomodo ad vesicam venit, cùm ea sit clausa ibid quomodo in vesica retinetur 133.
Vrsus quomodo morbos curat 76. eius in fallendo venatore industria 80.
Vrsa catulos informes parit, lambendo efformat 89 vulnera quomodo sanat 77.
S. Vsthazanes eunuchus Saporis Persiæ regis educator

Digitized by Google

cator 342. solem coactus adorat ibid. conuersus fidem constanter profitetur ibid. decollatur ibid. eius mortis caussam præco proclamat 342. & seq.

Vulcanus Deus Veneris maritus 69. Martem cum Venere permixtum capit. ibid.

Vulpes de crastino sollicita 66. morbos quomodo medeatur 77. eius in cancris piscandis industria 66 in amouendis à se pulicibus ibid. memoria 144

Vultur odoratu viget 71. eius in victu quærendo proprietates. ibid.

Z

Zabulon ciuitas à Cestio Gallo Syriæ præfecto capta & incensa 648

Zelotæ scelesti homines in obsidione Ierosolymitana 653. cur sic dicti. ibid. nobiles quosque trucidãt ibid. ab Anano põtifice repressi ibid. Idumæos in auxilium vocant ibid. templum Ierosolymitanum occupant 654. à Ioanne alterius factionis duce oppugnantur ibid. eorum cædes 653.

LOCA ALIQVOT EX PATRIBVS ET DIVERSIS SCRIPTORIBVS.

Æliani de equorum duorum mira castitate 111. de formicarum proprietatibus 94.

D. Ambrosii de animæ intellectiuæ potẽtia 160. de grano frumenti in crescendo quàm mirabile 46. de herinaceo marino quomodo futuras tempestates præsciat 77. & seq. de maris vtilitate 41. de Phœnicis auis mira natura 99. de piscium in locis mutandis natura 77. de viduitatis laude 111.

Aristotelis, Quomodo ex creaturis in creatoris cognitionem perueniatur 7.

D. Augustini de crucis Christi fructu 455. 461. 474 476 & seq. 479. 568 & seq. 581 ignominia 522 de Christi humilitate 558 Christi vitam omnium peccatorum remedium esse 558 de sua conuersione 196. creaturis nos in creatoris cognitionem perduci 8. Dei cognitio quàm necessaria 623 homine nihil admirabilius esse 157. de quibusdã martyriis 371. & seq. de monachorum AEgypti sanctitate 631. de origine mali 443. de Sibyllis, & quæ de Christi passione prædixerunt 694. de vitæ Christianæ perfectione 74.

D. Basilii de animalium quibusdam proprietatibus 61. de monachorum sanctitate 632. & seq.

D. Bernardi cur Christus tanta pati voluit 571. de Christi amore erga homines, hominumq; ingratitudine 482. & seq. de humanitatis cũ diuinitate coniũctione 497. de humanitatis fructu 727. de redemptionis magnitudine 476. 571 de tormentis, quæ præter mortem passus 48 de vulneribus, eorumque vtilitate 434.

S. Bonauent. de Christi passionis beneficio 474

S. Chrysostomi Christi æternam generationem non inuestigandam 714. de crucis fructu 521. de ignominia ante passionem Christi, & gloria post 411 412. de dolore Christi, Matrisque Mariæ sub cruce 481. de Ecclesiæ persecutionibus & stabilitate 414 & seq. de Ierosolymitani templi reædificatione sub Iuliano Apostata 368. & seq. de monachorum sanctitate 635. Redemptionis beneficium, etsi in omnes collatum, vnicuique tamen soli tributum 479. de vnguento quod Magdalena in caput Christi effuderat 410. 413.

Ciceronis, creaturarũ naturam Deum esse docere 23 & seq. mundi huius machinã in cognitionem D. 1 nos perduci 16. & seq. de podicis constitutione 130 & seq. de quinque sensibus exterioribus 148. 149. & seq. de Simonide Philosopho 722.

S. Climaci terrestria & cælestia simul quæri non posse 549.

Cornelij Taciti de Neronis in Martyres crudelitate 727

D. Cypriani de Martyrum tormentis 512. 515.

Dionysij Areopagitæ de Dei magnitudine 192. Deum se omnibus communicare 769.

Eusebij Cæsariensis de Antonini Veri in Ecclesiam persecutione 331 de Apollinis sacerdotis mira conuersione 397. de Caio Caligula quomodo pro Deo coli voluit 619. Ecclesiæ pace bellum vtilius esse 281 & seq. Martyres bestias attingere non ausas 286. & seq. de Phileæ episcopi vita & passione 512. & seq.

Euseb. bii Emisseni cur Christus corpus humanũ, & non ex luce formatum assumpserit 513 de coruorum mutua charitate 110. de redemptionis conuenientia 447.

D. Gregorij Nazianzeni de quibusdam miraculis 376.

D. Gregorij Papæ de S. Bonifacio 393 quod Dei amor nunquam otiosus 483. 541. de Eucharistiæ dignitate 761.

S. Hieronymi de gentium libidine ante Euangelium 628 de monachorum AEgypti abstinentia 562 sanctitate 63.. & seq. de mundi totius ad fidem conuersione 414.

FINIS.

Digitized by Google